ILLUSTRISSIMI, AC REUERENDISSIMI D.D. FR. PETRI DE GODOY EPISCOPI OXOMENSIS...

Pedro : de Godoy, Isabella Piccini, ...

ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI

D. D. Fr. PETRI DE GODOY

EPISCOPI OXOMENSIS

Opera Theologica

IN DIVVM THOMAM

IN SEPTEM TOMOS DIVISA.


PVTABAM NOS LIGARE MANIPVLOS IN AGRO,
ET QVASI CONSVRGERE MANIPVLVM MEVM, ET STARE,
VESTROSQVE MANIPVLOS CIRCVMSTANTES ADO-
RARE MANIPVLVM MEVM. GENES. CAP. XXXVII.

ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI

D. D. Fr. PETRI DE GODOY

Ex Ordine Prædicatorum:

SALMANTICENSIS ACADEMIÆ

IN SACRA THEOLOGIA MAGISTRI:

EIVSDEMQVE VNIVERSITATIS QVONDAM CANCELLARII.

Diù Vespertinæ, & Primariæ Cathedræ Moderatoris:

Concionatoris Regij: & nùnc Episcopi Oxomensis.

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

IN PRIMAM PARTEM DIVI THOMAE.

Tomus Primus.



VENETIIS, M DC LXXXVI.

Apud Ioannem Iacobum Hertz.

DE SVPERIORVM LICENTIA, & PRIVILEGIO.

Reuerendissimo Patri

F. ANTONINO CLOCHE

MAGISTRO GENERALI ORDINIS PRÆDICATORVM.

Io: Iacobus Hertzius fel.

INsignis Godoy volumina Typis nostris non exiguis sumptibus, & summo studio recusa lucem publicam affectabant, cum tu summus Dominicanæ Familiæ Præsul Roma, atque Orbe plaudente renuntiatus opportunè Patronus, & Mœcenas clarissimus affulsisti. Cuius enim inuidiam pertimescerent magni nominis tui vmbra protecta, dignitate illustrata, fama secura? Alliciebat etiàm LEO AVREVS, non tam Gentis, quam animi tui Stemma, qui præsidium simul, & lucem prodituro operi promittebat. Multùm enim facere stemmata, secùs ac Satyricus censuit, existimo, maximè cum ad animorum dotes relata, illas aut adumbrent, aut repræsen-

ſentent . Quod enim in Leone robur, quod tu ingenij viribus non exuperes, quæ magnanimitas, quam tumultuantium affectuum heroico contemptu non exæques? Vterque Princeps, vterque Rex, niſi quod illum Natura Principem, & quidem immanium Ferarum, te Virtus mitiſſimorum hominum, & ſacris addictorum facit. Aureus etiam vterque, tu tamen magis aureus, quòd & ſtirpis fulgore, & morum integritate, indoliſque ſynceritate auro quam ſimillimus es. Quid de dignitate, & præſenti faſtigio dicam, quod tibi pleno ſuffragiorum cumulo à diuerſarum nationum hominibus coniunctis animis delatum eſt? Cum Hiſpani ſimul, & Galli, rara concordia, communem Principem, & ſacrum Dynaſtam creauerint, tanto animorum, votorumque conſenſu, vt hoc vno tardiùs ad tantam dignitatem euectus videri poſſis, quòd in omnium animis iamdiù Præſul eſſes, antequam fieres. Eximiæ ſcilicèt hoc virtuti tuæ datum, quæ cum vna apud omnes gentes, & vbique terrarum ſit, ſtudia omnium, affectuſque coniunxit, æmulationem omnem, ſimultatemque perdomuit. Vt feliciſſimo planè recuſa, atque edita ſydere Godoy volumina videri poſſint, quæ Leonem hunc aureum Magnanimum vindicem, & doctiſſimum Præſulem Patronum clariſſimum nacta ſint. Age itaque, Reuerendiſſime Pater, quæ tua erit humanitas, tuis Aris dicatam hanc tàbellam propitius ſuſcipe, eamque, Leo Aureus, ab impuris Ariſtarcorum conuicijs vindica, Præſulque ornatiſſimus, dignitatis, & ſummi faſtigij tui fulgentiſſima luce foue, atque exorna. Vale.

OPERIS CENSVRA COMMITTITVR.

DOctor D.Franciscus Berdeces & Tamayo, Prouisor,& Vicarius Generalis Oxomensis, & eius Episcopatus, ab Illustrissimo, & Reuerendissimo *D. D. Fr. PETRO DE GODOY*, Episcopo Oxomensi Domino meo, Regioque Consiliario, &c. *Has Disputationes Theologicas in Primam Partem D. Thomæ, in Tres Tomos diuisas*, ab eodem Illustrissimo Domino elaboratas, committo perlegendas R.A.P.M.F. Andreæ à Matre Dei, olim in Salmanticensi Collegio Patrum Discalceatorum Carmelitarum Theologiæ Primario Lectori, postmodum pro Prouincia Lusitana Diffinitori Generali, & modò in Oxomensi Cænobio B.Mariæ de Monte Carmelo Priori; vt quid senserit, pandat, dicat, & subscribat. In Villa del Burgo de Osma 4. Iunij 1669.

Dr. D. Franciscus Berdeces Tamayo.

De mandato Domini Prouisoris. *D. Gabriel Parron*, Notarius.

CENSVRA, ET APPROBATIO R. P. Fr. Andreæ à Matre Dei, olim in Salmanticensi Collegio Patrum Discalceatorum Carmelitarum Theologiæ Primarij Lectoris, Postmodum pro Prouincia Lusitana Diffinitoris Generalis, & modò in Oxomensi Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Cænobio Prioris.

VIderam, & iam pridem demiratus fueram, clarissimos Commentarios ad Tertiam Partem Angelici Doctoris D. Thomæ, felicibus euulgatos auspicijs ab Illustrissimo, & Sapientissimo D.D.Fr.Petro de Godoy, olim Salmanticensis Lycœi Primicerio Lumine, nunc Oxomensis Ecclesiæ infulato Coryphœo. In quorum lectione quanta dulcedine pastus, quanta iucunditate perfusus, quanta admiratione defixus fuerim, testatum tametsi non satis expressum, reliqui incrisi, quæ ad limen prædicti operis prostat; verum quicquid dulcedinis, atque lœtitiæ conceperam, non leui supplicio, sed suspicioso satis timore dependi: verebar enim, ne Doctissimus Antistes; dum versat extremum Theologiæ caput, alia intacta, graui cum iactura relinqueret; & dum illustrat vltima, prætermitteret initia: ibique illius

consisteret labor, vbi D. Thomas inocciduus Ecclesiæ Sol occidit æternitati oriturus. Sed longè abestote timores, procul exulate curæ. Gratiam, & quantam maximam animus meus capere valet, refero D. D. Francisco Berdeces & Tamayo, Oxomensis Ecclesiæ Vicario Generali, qui metu illo me vacuum reddidit, quando insigne opus, in diuersa distributum volumina super Primam D. Thomæ Partem, ab eodem Sapientissimo, & Illustrissimo Domino elaboratum, nunc examinandum, & approbandum, ad me deferri mandauit. Dij superi! Quo gaudio cumulor! Quanta lœtitia gestio! Cum fætum illud, quod suspicabar timoris omen, suspicio fœlicitatis mysterium. Ab vltima hercle Theologiæ parte fecit Illustrissimus Præsul exordium: non vt inibi quiesceret, sed vt se perfusum vltima, perfecta nempè Aquinatis Solis assereret luce: & inde albesceret suæ Doctrinæ dies, vbi valuit pati crepusculum. Nam, qui illius Solis completam instar argenteæ Lunæ lucem imbiberat, non cornu dubio, sed micanti splendoribus rota, oportuit vt in Ecclesiæ cælo Scriptorum radijs (iam fama fulgebat) primitus appareret. *Minimè ignorandum est* (deprædicat Damascenus) *plenam, atq; perfectam Lunam à summo illo rerum Parente procreatam esse* (hoc est) *qualis est decima quinta die*. Quod firmat Aquinas: oportuit enim lucem factam esse perfectam, sicut & *herba* (inquit) *facta sunt in suâ perfectione facientes semen, & similiter animalia, & homo; licet enim naturali processu ab imperfecto ad perfectum deueniatur; simpliciter tamen perfectum prius est imperfecto*. Ergo, qui perfectissimus, & consummatissimus Theologus, innumeris temporis, ingenij, atque studij, asserebatur suffragijs, non à doctrinæ incunabulis proæmium fecit; sed in ipso coronato sapientiæ culmine, inuenit exordium. Ne tamen Orbis aliorum Scriptorum defraudaretur obtutu, nunc irrequieta luce post plenilunium splendidissima Luna nostra nouilunium auspicatur: & à Tertia, ac vltima Theologiæ Parte, ad principium reuertitur, & lineam primam illustrat. Primigenæ profectò lucis illius imitatur indolem, quæ vbi producta, ibi à tenebris discreta fuit, non antea auroram, & postea vesperum fecit, sed inuerto tramite, prius in vespere, quo diem complet, quam in mane quod ipsum orditur, claritatis relaxauit abyssum, testante Moise: *Diuisit lucem à tenebris: factumque est vespere, & mane dies vnus*. Oriebatur lux, vt tenebrarum cuneos longè proscriberet, & vt infatigabili cursandi ambitum, Sapientissimi Doctoris nostri, vel emula, vel prænuntia, antistaret, aut imitaretur studia: *Si lux* (inquit Augustinus) *facta vespere paulatim tota periret, & rursum mane paulatim creata resurgeret; non iam in mane diei sequentis; sed potius in vesperam primi, vnum diem diceret esse perfectum. Vnde nunc magis vesperam, & mane, quam noctem, & diem factum dicere maluit, vt insinuaret, tunc primæ lucis actum esse circuitum*. Appareat igitur lux Sapientissimi GODOY in vespera Tertiæ partis, in qua Sol D. Thomas occubuit; sed regrediatur, necesse est ad Auroram: vt facto mane inchoet instruendi diem, ostendatque sui ingenij actum, atque indolem esse perennem in docendo, ac illustrando circuitum.

Damasc. lib. 1. de fide cap. 7.

D. Tho. 1. parte quæst. 90. art. 2. ad 5.

Genes. 1.

Aug. de Gen. ad literam.

Cæterum vt munere mihi demandato perfungar, nihil in hoc opere reperi expongiæ obnoxium; sed omnia cedro, & immortalitate digna: *Tanta quippe legenti eum* (vt Auctorem nostrum ijs verbis commendem, quibus Maphæus Augustinum) *occurrit doctrinarum omnium eruditio, tanta eloquij vbertas, tanta ingenij vis, & altitudo, quanta satis omnium iudicio peruulgata prædicantur. Tam callidus est Disputator, tam Doctus dicendi artifex, vt quo velit quorumcumque animos ducat, & vnde nollit esse, facile pro arbitrio suo deducat*. Quod vel inuitus concedet, qui eius commentaria ad Tertiam Partem perlegerit, vltroneusq; prædi-

Maph lib. 1. de educat. liber. c. 1.

cabit,

tabit, qui hæc acutissima, clarissima, & profunda scripta super Primam Partem euoluet. Nihil hic absoletum, nihil hiulcum, nihil exscriptum, nihil aliunde expilatum; sed omnia vegeta, omnia cothurnata, omnia propria, & quæ iugi Lectorem admiratione detineant. Si quid in Angelico Præceptore censetur abstrusum, explanat; si quid debile, corroborat; quicquid sublime inclinat, auditorisque menti coaptat; cuncta verò S. Doctori obsistentia destruit; cuncta fallaciarum velo laruata, diuulgat; cunctas aduersariorum techinas subtiliter extricat; ipsosque proprijs retibus quaqua versus implicat. Iniustè equidem extorquetur à me iudicium: quem non censorem in hac causa; sed Panegyristam potius, operis Maiestas ipsa compellit. *Proinde accipe quod super tuis scriptis sentiamus* (verbis vtor Sydonis Apolinaris) *Legimus opus operosissimum, multiplex, acre, sublime. Scripsisti grauia maturè, profunda sollicitè, dubia constantèr, argumentosa disputatoriè, quædam seuerè, quæpiam blande, cuncta moralitèr, lectè, potenter, eloquentissimè: experietur quisque* (hoc scilicet opus deuoluens) *Stoicos Cynicos, Peripateticos, proprijs armis, proprijs quoque concuti machinamentis. Nam sectatores eorum, Christiano dogmati, ac sensui si repugnauerint* (si veritati Thomisticæ contradixerint) *mox te Magistro ligati, vernaculis implicaturis in retia sua præcipites implagabuntur, syllogismis tuæ propositionis vncatis volubilem tergiuersantium linguam in hamantibus; dum spiris Cathegoricis lubricas quæstiones tu potius enodas, acrium more Medicorum, qui remedium contra venena, cum ratio compelit, & de serpente conficiunt.* In quo procedendi genere, quantum, Illustrissime Præsul emineas, applaudunt tui, nec diffiteri queunt aduersarij, vel periculum proprium edocti: nam inter præclaras tui ingenij dotes, ea singularissimè prædicatur, quod obsistentes Anti Thomistarum phalanges, suismet armis sæpè numero repercutias; & eo, quem aduersus veram Doctrinam distringebant, mucrone confodias. Quod tibi solemne est, aduersarijs summi periculi, argumentum, & vulgatum tuæ ingeniosissimæ dexteritatis indicium. Sydon. Apolin. lib. 9. epist. 9.

Quæ cum ita se habeant, iniurius rei litterariæ foret, qui de summa vtilitate, in operis meæ censuræ expositi editione posset ambigere. Nihil quippe continet Sanctis fidei, aut ortodoxæ doctrinæ decretis, aduersum; sed omnes potius illius apices veritatem, atque Religionem spirant. Vnde censoriam virgam, & criticas faces venerationi supplantans, iterum cum Sydonio Illustrissimum Dominum alloquor, & censuræ vale dico: *Hoc temporibus nostris sub tua tantum; vel conscientia, vel virtute doctrina. Nam quis æquali vestigia tua sequatur gressu, cui datum est soli, loqui melius, quam didiceris, viuere melius quam loquaris. Quo circa merito te Beatissimum boni omnes, idque supra omnes, tua tempestate concelebrant. Cuius ita dictis vita, factisque dupliciter inclaruit, vt quandoquidem tuos annos iam doctrina numerauerit, sæculo prædicatus tuo, desideratus alieno, vtraque laudabilis actione decedas, te relicturus externis, tua proximis.* Ita sentio in Carmelo Oxomensi B. Virgini Sacro Idibus Iunij Anno 1669. Sydon. vbi sup.

Fr. Andreas à Matre Dei.

CEN-

CENSVRA, ET APPROBATIO

facta iuſſu Supremi Caſtellæ Senatus à Doctore D. Didaco Ros de Medrano, inſignito Toga Collegij Maioris D. Ildephonſi Vniuerſitatis Complutenſis, in eaque Cathedram Theologiæ S. Th. Primariã actu Regente poſt alias quinque, vnã Phyloſophiæ, cæteras Theologiæ, quas in prædicta Vniuerſitate Moderatus fuit, & in Eccleſia Magiſtrali Sãctorũ Martyrũ Cõplutenſiũ Iuſti, & Paſtoris Canonico.

ILluſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus D. D. Fr. Petrus de Godoy nunc Epiſcopus Oxomenſis, & quondam in Vniuerſitate Salmantina Primarius, huius noſtræ Hiſpaniæ, & ſæculi florentiſſimus, & meo iudicio Primus Theologus, verbis, & ſcriptis, non ſolum inſignes doctrinas mundo dedit; verum etiam qualis ſcriptor, & Magiſter eſſe debeat: nos vno ſuo exemplo mirificè docet, dum ex ſemitis Antiquis vias rectas, & legitimas Sacris Oraculis, mentique D. Thomæ magis conſentaneas diligenter inquirit; & perſcrutatur, inuentisque, non quieſcit, ſed ita ſubtiliter, & ſtudioſe pertractat, vt tanquam nouas, & proprias ſibi illas glorioſè arrogarè poſſit. Talem, in omnibus quæ diſputat, ſe oſtendens, qualem Doctorem eſſe iubet Spiritus Sanctus apud
Cap. 6. verſ. 16. Hieremiam. *Hæc dicit Dominus* (inquit Propheta) *interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Dixit *de ſemitis antiquis*, vt eos, qui nouitates affectant, reijceret, nam iſti ſunt in opinando periculoſi, & ſuſpecti. Dixit *ambulate in ea*, vt excluderet homines ferreos, vetuſtatis Idolatras, illi ita affixos, & adhærẽtes, vt immane crimẽ ipſis videatur Antiquas Sentẽtias, flexis genibus, quaſi in ora inſpectas, nõ intactas relinquere, quia iſti in diſcurrendo nulli ſunt. Neque vno, neque altero modo procedere debet viuus Magiſter, & veritatis amator, ſed ita ſe gerere, vt de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona indagarè conetur, eaque inuenta minimè conquieſcat, ſed in illa, & pro illa firmiter illuſtranda, iuxta temporum argumentorum, & cauillationum quotidie inſurgẽtium, neceſſitatem inſudet, & accuratè diſcurrat. Eiuſmodi reperitur magnus iſte Theologus, qui ex alto ſuæ mentis, ſpeculando vias antiquas intra Scholam Diui Thomæ receptas, amplectitur: etſi quid in illis inuenit, quod appareat non edeò fundatum, illud fulcit: ſi quid obſcurum, & lucem deſiderans, illuſtrat: ſi quid durum, delinitum reddit, & liquefacit: ſi quid incultum, componit: ſi quid leue, ponderat: ſi quid in digeſtum, ordinat, diſtinguit, & formalizat: & vt vnò verbo dicam, tantam vim Thomiſtarum ſententijs tribuit, adeo quæ illas perficit, vt eius ſtudio, ingenio, & diligentia Doctrinæ Thomiſticæ in vltimo perfe-
Tertulianus. ctionis gradu ſint conſtitutæ; & iam appellari poſſint: *Vetuſtate nobiles, & nobilitate fœlices.*

Iſtis plena ſunt præfati Authoris ſcripta, & inter illa præcipuè hoc præclariſſimum Opus *Diſputationum Theologicarum in Primam Partem Diui Thomæ*; quod ad meas manus pervenit iuſſu Supremi Caſtellæ Senatus remiſſum, vt quid de illo ſentiam, proferrem: quod legi, cognoui, & approbaui; & nunc, vt par eſt, etiam, atque etiam probo, & commendo tanquam grauiſſimum, vtiliſſimum, ab omnibus placidè ſuſcipiendum, & ſuo Auctore valdè glorioſum, nihilque continens contra Fidem Catholicam, & bonos mores, nec aliud quidquam, quod impedimento, adhuc leuiſſimo eſſe poſſit, vt prælo tradatur, & monumentis mandetur. Datis in hoc Maiori Diui Ildephonſi Collegio Vniuerſitate Complutenſi Sancti Hiſpaniarum Cardinalis mei Domini, Anno 1669. Die verò 19. Auguſti.

Dr. D. Didacus Ros de Medrano.

INDEX
DISPVTATIONVM.

Et breuis insinuatio eorum, quæ in ipsis continentur.

Littera P. significat Paginam. Littera N. Numerum marginalem denotat.

TRCTATVS PRIMVS,
De Deo vno, & illius attributis.

DISPVTATIO PRIMA PRÆMBVLA.
An D. Thomas recto ordine processerit incipiendo à Deo vno?

§. I.

Rationes dubitandi proponuntur. *Pag. 1.*

R*atio dubitandi sumitur ex eo quod nulla scientia probat sui obiecti existentiam, vt docetur primo posteriorum. Tum, quia Theologia, sicut nec aliæ scientiæ, non argumentantur ad sua principia probanda; vnum autem ex principijs Theologiæ est* Deum esse. *Tum etiam, quia secundum ordinem doctrinæ à facilioribus est incipiendum, creaturæ autem sunt nobis notiores, ex quarum cognitione assurgimus in cognitionem Dei. Tum denique, nam dato, quod à Deo esset incipiendum, exordium deberet sumi à Deo trino, non à Deo Vno, cum obiectum Theologiæ sit Deus vt supernaturalis, Deus autem vt vnus non sit obiectum supernaturale, cum nostrã cognitionem naturalem non excedat.* Num. 1. & 2.

§. II.

Resolutio affirmatiua probatur. *Pag. 1.*

D*iuus Thomas optimum ordinem seruauit, & probatur, tum, quia à prioribus debet sumi exordium: Deus autem est prior omnibus, quæ in Theologia tractantur. Et confirmatur duplici paritate.* Num. 3. & 4.

Duplici obiectioni respondetur. A num. 5. vsque ad 9.

Secundo suadetur intentum ex eo quod Theologia est sapientia, ac proinde debet per altissimam causam procedere, qualis est Deus. Num. 9.

Denique suadetur, quia Theologia est scientia speculatiua, & practica, & ordinat de agendis à nobis: ordo autẽ nostrarum actionum incipit à fine qui est Deus. Ibidem.

Duplex euasio confutatur. Num. 10. & 11.

Cur autem à Deo vno, non vero vt Trino exordium sumatur, ostenditur. Num. 12.

Quod recto ordine seruato Dei existentia demonstretur, ostenditur. Num. 13.

Cuidam obiectioni occurritur. Num. 14. & 15.

§. III.

Rationibus dubitandi fit satis. *Pag. 3.*

D*uplex solutio Recentiorum ad primam dubitandi rationem reijcitur.* A nu. 16. vsque ad num. 18.

Vera solutio sumitur ex Caietano, & consistit in eo quod bene potest proprij subiecti existentia ab aliqua scientia probari, in casu per accidens, & procedendo, non ex proprijs, sed ex extraneis. Num. 19.

Et tribus replicis fit satis. A num. 20. vsque ad 24.

Ad secundam dubitandi rationem, respondetur, Deum existere non esse principium Theologicum quatenus ratione naturali cognitum; sed quatenus fide creditum, qua ratione non probatur, & licet sub alia probetur, hoc non præstare Theologiam elicitiuè, sed Metaphysicam, vt Theologiæ ministrantem.

Ad tertiam rationem dubitandi respondetur, quod licet creaturæ sint nobis Deo manifestiores; non tamen continentur intra obiectum primarium Theologiæ, sed tantum intra obiectum secundarium. N. 25. *Vbi alia solutio traditur, & cuidam replicæ fit satis* num. 26.

Ad vltimam respondetur, Deum sub omni ratione intrinseca esse entitatiuè supernaturalem, quamuis in ratione cognoscibilis abstractiuè supernaturalis non sit. N. 27.

DISPVTATIO II.
An Deum esse sit per se notum?

§. I.

Deum esse Auctoritate probatur, & reijcitur sententia Enrici. *Pag. 5.*

E*xponitur significatio nominis Dei.* Num. 1.

De existentia Dei dubitauit Pratagoras, & expressè eam negauerunt alij. N. 2.

Contra quos firmiter tenendum est, & certa fide credendum Deum existere: & probatur sacra Scriptura authoritate. Num. 3.

Sed arguitur argumento difficili ad probandum, non posse esse veritatem fidei stum, quia fides est argumentum non apparentium: Deum autem esse non est non apparens, sed euidens, euidentia mediata, vel immediata, vt infra demonstrabitur. Secundo, quia quod terminat assensum fidei creditur, quia Deus reuelat, Deum autem esse non potest credi, quia Deus reuelat, quia non potest credi Deum reuelare, quin prius prioritate formali, vel virtuali credatur, Deum esse, vel saltim simul credatur; ac per consequens non potest credi Deum reuelare prius prioritate aliqua formali, vel virtuali, quam credatur Deum esse. N. 5. & 6.

Respondetur duplici solutione: secunda autem solutio præfertur à num. 7. vsque ad 10.

Deinde reijcitur Enricus asserens, esse Deum quod intellectui nostro Primò obijcitur cognoscendum, cuius fundamenta proponuntur. N. 11. *Et reijciuntur* num. 12. *Et fundamentis Enrici occurritur.* A n. 13. vsque in finem §.

§. II.

Referuntur sententiæ. *Pag. 6.*

V*ertitur ergo in dubium, an Deum esse sit veritas per se nota?*

Prima sententia negat, esse veritatem per se notam, nec secundum se, nec quoad nos secunda per oppositum asserit esse veritatem per se notam, & secundum se, & quoad nos. Tertia inter vtramque media asserit, Deum existere esse

re esse

re esse per se notum, non omnibus, sed sapientibus. Quarta docet, Deum esse sub conceptu Deitatis esse veritatem per se notam; non tamen esse per se notum, quod Deus sit, quatenus conceptibilis sub ea ratione, qua potest à nobis cognosci naturaliter. Vltima docet, Deum existere esse per se notum secundum se, non tamen nobis viatoribus. Auctores citantur à n.17. vsque ad 21.

Pro explicatione vltimæ sententiæ, quæ vera est, & secundũ mentem D. Thom. est Prima Conclusio. Hæc propositio *Deus existit*, est per se nota secundum se: *Ita Authores secundæ, tertiæ, & vltimæ sententiæ. Et probatur; nam propositio, cuius prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, est per se nota; existentia autem est de intrinseca ratione Dei* N.22.

§. III.

Obiectionibus occurritur. *Pag.* 7.

P*Rimum argumentum intendit probare, non esse idem propositionem immediatam, ac per se notam: quia propositio in qua propria passio prædicatur de subiecto, aut de diffinitione subiecti, est immediata, & tamen non est per se nota.* N.23. & 24.

Quo argumento conuincitur Fasolis, cuius doctrina non placet. N.25.

Ad argumentum respondetur. N.26. *Instatur aduersus solutionem* n.27. *Respondetur* n.28. *Vlterius instatur* n.29. *Sed resp.* n.30.

Secunda solutio assignatur præfato argumento n.31. *Et obiectiones, quæ contra secundam solutionem fieri possunt, proponuntur* n.32. & 33. *Illis fit satis.* n.34. & 35.

Secundo arguitur, ex eo quod Trinitas conuenit Deo absq; vllo medio, & tamen Deum esse Trinum, à nemine dicitur per se notum, quod duplici alio exemplo confirmatur. N.36. *Solutio quæ adhiberi potest, refertur.* N.37. *Quia tamen solutio innititur doctrinæ incertæ inter D. Thom. Discipulos, assignatur alia solutio.* N.38.

Tertio arguitur, & replicatur contra solutionem, ex eo quod propositio per se nota, debet esse immediatè cognoscibilis ab intellectu creato Deum autem esse Trinum, non est immediate ab intellectu creato cognoscibile. N.39. *Respondetur primo* N.40. *Secundo respondetur.* N.41.

Denique arguitur argumento antiquiorum, ex eo quod nulla veritas per se nota potest esse demonstrabilis, Deum autem esse demonstrabile est, vt infra constabit. Solutio communis est, obstare propositioni per se notæ secundum se, esse à priori demonstrabilem: secus autem esse à posteriori demonstrabilem. N 42. *Contra quam solutionem dupliciter insurgitur.* N.43. & 44. *Et ad primam replicam fit satis.* N.45. *Ad secundam autem assignatis solutionibus ex Magistro Bañez, & Magistro Ioanne à Sancto Thoma, quæ contra illas militant obijciuntur, & vera solutio obiectionis remittitur ad §. vltimum huius disputationis.* N.46.47. & 48.

§. IV.

Dei existentiam nobis per se notam, non esse varie ab auctoribus probatur. *Pag.* 10.

S*Ecunda conclusio:* Hæc propositio, *Deus existit*, non est per se nota viatoribus, nec omnibus, nec sapientibus. *Hæc conclusio statuitur pro Auctoribus quintæ sententiæ, & est D. Thom. cuius auctoritatibus probatur.* N.49.

In reddenda ratione discordant Authores. Durandus probat conclusionem, ex eo quod illa propositio non est per se nota nobis, in qua nõ statim apparet connexio terminorũ, Talis autem est ista propositio, Deus est N.50.

Insufficientia verò huius rationis ostenditur. N.51.

Vazquez reiectis aliorum rationibus, & impugnata ea, qua vtitur D. T. eo probat, quia nimirũ Deus nõ potest à viatoribus cognosci sine respectu ad creaturas; vnde infert, non per se, sed per alia, scilicet, per creaturas Dei existentiam nobis innotescere: ac per consequens Deum per se existere non esse per se notum nobis. N 52.

Hæc tamen ratio, quæ sola placuit suo Authori, displicet omnino, tum, quia falsum assumit, tum etiam, quia illo dato, malam consequentiam infert, vt ostenditur n.53. 54.55. & 56.

Recentiores quidã Thomistæ ex eo probant, quia solum id potest immediatè à nobis cognosci, quod immediatè potest nostrum intellectum mouere; Deus autem nequit immediatè nostrum intellectum, &c. N.57. & 58.

Hæc tamen ratio nisi aliunde iuuetur, inefficax est, vt ostenditur n.58. & 59.

Denique Recentiores quidam Societatis probat, ex eo quod existentia vt conueniens exercitè, Deo non potest immediatè cognosci, nisi per notitiam intuitiuam; nulla autem viator cognosci Deum intuitiuè. N.60.

Hæc tamen ratio impugnatur à n.61. vsq; n.64.

§. V.

Ratio D. Thom. proponitur, & defenditur. *Pag.* 12.

P*Robatur ergo conclusio ratione D. Tho. quia nimirum, propositio per se nota nobis, est illa, quæ constat terminis per se notis nobis; hæc autem propositio,* Deus est, *non constat terminis nobis per se notis.* à n.65. vsque ad n.69.

Quæ contra hanc rationem D. Thomæ obijcit Vazquez, proponuntur n.69.

Solutio, quæ ab aliquibus adhibetur, impugnatur n.70.71. & 72.

Vera solutio assignatur à n.73. vsque ad n.76. *Et explicatur quid dicendum sit de hac propositione,* incorporalia non sunt commensuratiuè in loco.

Plures replicæ proponuntur, & soluuntur à n.77. vsque ad num.83.

§. VI.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 14.

A*Rguitur primo, ex eo quod cognitio quam habemus de Deo, est nobis naturaliter insita à natura habita, & qua nemo carere potest, cognito significato huius nominis* Deus, *vt docere videntur Nazianzenus, Damascenus, Hieronymus, & Anselmus.* N.84.

Respondetur explicando prædictos Patres, à n.86. vsque ad n.93. *Vbi plures replicæ dissoluuntur.*

Secundo arguitur ex Aureolo, quia nimirum Deum existere sine aliquo instructore venit in omnium hominum mentem, & deductione sillogisticâ tempore imperceptibile habetur, &c. N.93. *Respondetur dupliciter.* N.94.

Tertio arguitur ex eodem, quia hæc propositio, Deus est colendus, *includit hanc,* Deus est: *illa autem per se nota omnibus: ergo & ista,* Deus est. N.95. *Resp. tripliciter* n.96.

Quarto arguit Aureolus, quia illud est per se notum esse, quod non potest cogitari non esse, Deum autem non esse nequit cogitari, nec mente concipi, quia ex ipsis terminis habet repugnantiam. N.97. *Resp.* 1. *ex D. Tho.* N. 98. & 99.

Secundo respondetur ex doctrina eiusdem Angelici Doctoris. A n.100. vsque ad 108. *Vbi plures replicæ notandæ dissoluuntur.*

§. VII.

Cæteris argumentis occurritur. *Pag.* 17.

Q*Vinto arguitur, ex eo quod hæc propositio,* Deus est Deus, *est nobis per se nota, etiam est identica, nam existentia est de essentia Dei, sicut & hæc,* quod existit existit, *& hæc,* ens necessarium est ens necessario existens; *at nomen Dei proprium est,* qui est, *vel* qui existit. *Et similiter Deus est ens necessarium: consequenter ergo hæc propositio,* Deus existit, *est per se nota nobis.* N.109.

Respondetur dupliciter. A n.110. vsque ad 113. & à n. 114. vsque ad 118. *Dissoluuntur plures replicæ notandæ.*

Denique arguitur, ex eo quod nobis est per se notum existere vltimum finem, ac per consequens Deum existere; qui est vltimus finis, est per se notum nobis. Assumptum ostenditur: nam quod omnes naturaliter desiderant, naturaliter etiam cognoscunt; omnes autem naturaliter desiderant summum bonum, quod idem est ac vltimus finis. Secundo ex Augustino asserente, omnes homines naturaliter desiderare beatitudinem, beatitudo autem in adeptione summi boni, & vltimi finis consistit. Tertio ex D. Thom. pluribus in locis asserente, quod homo ad vsum rationis perueniens tenetur sub culpa mortali ad Deum vt vltimum finem conuerti, & illum super omnia efficaciter diligere: at si nobis per se notum non esset, vltimum finem existere, non omnes dicta lege tenerentur. Num.119. & 120.

Soluitur hoc argumentum, & plures replicæ dissoluuntur, & alia valdè notanda traduntur A num. 121. vsque ad 129.

§. VIII.

Quid de intellectu Beatorum? *Pag.* 19.

T*Ertia Conclusio,* Deum existere est per se notum beatis: *Probatur in primis auctoritate D. Thom. Secundo ratione: nam propositio cuius prædicatum clau-*

di

ditur in ratione subiecti, quatenus cogniti ab aliquo est per se nota tali cognoscenti, existentia autem est de ratione Dei, vt à Beatis cogniti. Num. 130. & 131.

Contra quam rationem opponitur, quod attributa sunt Deo vt in se essentialia; & consequenter sunt de conceptu Dei vt in intellectu beati ipsum prout est in se concipientis, & tamen propositiones in quibus attributa prædicantur, non sunt per se nota Beatis; nam vt docetur tractatu de scientia Dei, Deus, ac per consequens Beati, habent scientiam strictè dictam, non solum creaturarum, sed etiam attributarum. Num. 13.

Si teneamus existentiam esse metaphysicum constitutiuum essentiæ Dei, peruia est argumenti solutio. N. 133.

Quia tamen opposita sententia est inter Thomistas probabilis, & forsan verior: quibusdam notatis, & præsuppositis aliter soluitur argumentum. A num. 134. vsque ad 137. A n. *autem* 138. vsque ad 141. *duabus instantijs aduersus solutionem occurritur. Secunda solutio argumento facto assignatur.* A n. 142. vsque ad 146.

§. VLTIMVS.

Ex dictis vnum corollarium infertur. *Pag.* 21.

Ex dictis in hac disputatione, colligitur veram esse Angelici Præceptoris doctrinam diuidentem propositionem per se notam, in per se notam secundum se tantum, & secundum se, & quoad nos. Quod probatur, & auctoritate Aristotelis, & ratione: quia scilicet stat prædicatum esse de ratione subiecti in se ipso; non tamen prout cognitum à nobis, quia subiectum imperfecte cognoscimus; ac proinde stat propositionem aliquam esse per se notam secundum se, & non per se notam nobis. Num. 148.

Quo ipsum aliter explicatur. Num. 149.

Solutiones quæ assignantur à contrarijs proponuntur, & confutantur A n. 150. vsque ad 155.

Sed arguunt primo Scoti Discipuli, ex eo quod veritas per se nota, idem est quod veritas per se nota secundum se. ergo non est capax vt diuidatur in per se notam secundum se tantum, & per se notam quoad nos. N. 157. & 158. *Respondetur.* A à n. 159. vsque ad 162.

Secundo arguit Arriaga, quia propositio per se nota secundum se, & non quoad nos, dicit repugnantiam in terminis, N. 163. *Respondetur.* A n. 164. & vsque ad 168. *ostenditur in quibus hallucinetur arguens.*

Tertio arguit Molina, ex eo quod propositio quæ diuersis conceptibus subest, non est eadem, sed diuersa; hæc autem propositio, Deus est, *prout à beatis, & à viatoribus concipitur: subest diuersis conceptibus; ac proinde non est eadem. Ex quo infert non stare eandem propositionem esse notam secundum se, & non quoad nos.* N. 169. & 170.

Respondetur primo. N. 171. & 172. *Secundo respondetur.* N. 173. *Sed adhuc aduersus solutiones replicatur.* N. 174. & 175. *Respondetur.* A n. 176. vsque ad 179.

DISPVTATIO III.

An Deum esse sit demonstrabile, & quibus demonstrationibus?

§. I.

Deum posse viribus naturæ aliqua ratione cognosci, fides catholica est. *Pag.* 25.

Posse Dei existentiam cognosci absolute per rationem naturalem abstrahendo à cognitionis modo, extra controuersiam est. Et probatur ex Paulo ad Romanos 1. *quæ auctoritas expenditur.* A n. 1. vsque ad 5.

Duæ obiectiones sumptæ ex Auctoritatibus Augustini, & Prosperi proponuntur, & soluuntur. A n. 6. vsque ad 9.

Tertio obijcitur ex eo quod nihil per sibi dissimile potest cognosci: creaturæ autem licet Deo assimilentur in communibus prædicatis, nempe entis substantiæ, viuentis, &c. in eo autem quod proprium est Dei sunt ipsi dissimiles. N. 10. *Respondetur.* Ibidem. A n. *autem* 11. vsque ad 26. *plures replicæ, & instantiæ notatum dignæ proponuntur, occasione quarum expenditur, quæ species, siue impressæ, siue expressæ repræsentantes Deum possint formari à viatoribus.*

§. II.

Referuntur sententiæ circa primam partem dubij, & prima conclusio statuitur. *Pag.* 28.

Quod ergo in examen vertitur est: an Deum esse: possit euidenter demonstratiue cognosci viribus naturæ? Num. 27.

Prima sententia est negatiua. Secunda docet, posse existentiam diuinam à priori demonstrari de Deo à beatis per visionem intuitiuam, & à viatoribus per cognitionem euidentem abstractiuam supernaturaliter pro statu vitæ possibilem. Hæc tribuitur Scoto, & eius discipulis. Tertia docet, posse existentiam à priori demonstrari de Deo viribus naturæ pro hoc statu: ita Suarez. Vltima docet, demonstrari posse a nobis in statu viæ à posteriori ex effectibus creatis: non autem demonstratione à priori: ita communiter Theologi. N. 28. 29. & 30.

Prima Conclusio. Si existentia est primum prædicatum, diuinam essentiam constituens nullo modo à priori potest demonstrari de Deo. Si autem ratione, & virtualiter ab essentia distinguatur, non potest demonstrari de Deo demonstratione à priori secundum se; bene tamen demõstratione à priori quoad nos. *Prima pars huius conclusionis est certissima, quia demonstratio à priori supponit prædicatum prius, ratione cuius conueniat subiecto de quo demonstratur.* N. 31.

Secunda pars ostenditur: nam Deum existere est per se notum secundum se, ac per consequens indemonstrabile secundum se à priori. Tum etiam, quia licet existentiam non sit primum prædicatum essentiam metaphysicè constituens; inter illam tamen, & essentiam nullum prædicatum mediat, quod sufficit vt secundum se sit indemonstrabile. Hac enim ratione Caietanus, Ferrara, Soto, & frequenter Thomistæ affirmant primam passionem non posse à subiecto demonstrari, demonstratione à priori secundum se. N. 32.

Tertia pars conclusionis, probatur ex doctrina Capreoli sumpta ex D. Thom. 2. *Posteriorum cap.* 1. *à simili de prima passione.* N 33. & 34.

Deinde probatur N. 35. *Ex eo quod demonstratio à priori quoad nos est in qua prædicatum aliquod demonstretur de subiecto, media diffinitione subiecti: quæ est à priori; quia medium est causa, vel ratio conueniendi prædicatum; ideo autem dicitur à priori tantum quoad nos, quia medium non differt à subiecto, nec reali, nec virtuali distinctione, sed tantum penes explicitum, & implicitum.* Num. 35.

Quod amplius confirmatur, & vrgetur. N. 36. & 37.

§. III.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 29.

Contra secundam conclusionis partem arguitur primo ex D. Thom. in præsenti art. 2. *& alijs in locis.* N. 38. *Respondetur explicando D. Thom.* N. 39. 40. & 41.

Secundo obijciunt Recentiores, quod ad demonstrationem à priori requiritur vt à demonstrante habeatur diffinitiuus conceptus subiecti: talis autem nequit haberi de Deo in hoc statu. N. 42. & 43.

Respondetur in primis, argumentum si quid probat, conuincere, nec Theologiam, nec metaphysicam posse aliquid à priori demonstrare de Deo, quod falsum est. Dicendum ergo est ad demonstrationem à priori sufficere conceptum diffinitiuum Dei imperfectum, & connotatiuum. N. 44. 45. & 46.

Tertio arguitur ex Arriaga, ex eo quod pro priori ad existentiam Dei nullum prædicatum diuinum potest præconcipi existens, vnde colligit prædictus Auctor, existentiam diuinam non posse à priori demonstrari de Deo. N. 47. *Respondetur.* N. 48. 49. *Aliter, & dupliciter efformatur prædictum argumentum; & cum maiori apparientia.* N. 50. & 51. *Et soluitur.* N. 52. & 53.

Denique arguitur; ex eo quod vt existentia Dei à priori demonstretur, deberet esse per diffinitionem Dei, vel essentiæ diuinæ: quod repugnat pro hoc statu; tum quia vt docet D. Thom. 1. Contra Gentes cap. 25. *Deus à nobis diffiniri non potest; cum diffinitio constet ex genere, & diferen-*

Pri-

§. III.

Argumentis in contrarium occurritur. Pag.60.

§. IV.

Argumentis contra secundam partem conclusionis occurritur. Pag.66.

§. V.

Quid de collectione attributorum, actualique volitione? Pag.69.

§. VI.

Obiectionibus in contrarium occurritur. *Pag.* 72.

§. VII.

Statuitur tertia conclusio, & examinatur mens D.Th. *Pag.* 75.

§. VIII.

Eadem conclusio argumentis a ratione probatur. *Pag.*77.

§ IX.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.*82.

§. X.

Excluditur existentia a constitutione metaphysica essentiæ diuinæ. *Pag.*88.

stituatur diuina existentia, sicut non sequitur, ex eo quod intellectus diuinus, v. g. sit actus purus, quod debeat existentia constitui in ratione intellectus, a num. 338. vsque ad num. 342.

Denique probatur conclusio, ostendendo, sine existentia ingrediente constitutionem naturæ diuinæ; concipi diuinam intellectualitatem distinctam ab intellectualitate creata, num. 343. *&* 344.

§. XI.

Diluuntur contraria argumenta, *Pag.* 90.

Contra conclusionem arguitur primo ex illo Exodi 3. Ego sum qui sum, Qui est misit me ad vos: *vnde inferunt hoc esse nomen proprium Dei; ac per consequens significare vltimam eius differentiam. Quod auctoritatibus Hilarij, D. Thom, Chrisost. Origenis, Nazianz. & August. confirmatur*, a num. 345. vsque ad num. 348.

Respondetur, ex verbis Exodi tantum colligi, existentiam Deo conuenire essentialiter, quod non negamus: non tamen conuenire constitutiue in ratione essentiæ, & naturæ; nec ex vno sequitur aliud, num. 349. *&* 350.

Ad confirmationes autem, a num. 351. vsque ad num. 354. *Vbi mens Patrum explicatur.*

Imo existentiam diuinam, non primario, sed secundario Deum a creaturis distinguere, ostenditur, num. 355.

Secundo principaliter arguunt, quia vltima differentia alicuius est id per quod primo distinguitur ab alijs; quod habet existentia, vt Deo essentialiter conueniens: nam ratio entis substantiæ spiritualis, viuentis, & intellectualis, quæ sunt prædicata Deo conuenientia, etiam conueniunt creaturis, num. 356.

Hoc argumentum in primis in aduersarios retorquetur, num. 357.

Deinde instatur in intellectu diuino, num. 358.

Et effugium, quod excogitari potest, refertur, num. 359.

Præcluditur vero. num. 360.

Ad argumentum ergo directè respondetur primo. num. 361. *&* 362.

Respondetur secundo. num. 363. num. *autem* 364. *cuidam replicæ emergenti fit satis.*

Tertio arguunt, ex eo quod Deitas in ratione essentiæ constituitur summa immaterialitate: hæc autem constituitur existentia essentiali. num. 365.

Respondetur. num. 366.

Et contra solutionem duplex obiectio proponitur. num. 367. *&* 368.

Ad primam respondetur. num. 369. *&* 370.

Ad secundam. a num. 371. vsque ad num. 373.

Quarto arguunt: nam eo ipso, quod essentia diuina distinguatur virtualiter, & ratione ab existentia, non potest non esse potentialis potentialitate obiectiua, & indifferens ad esse, & non esse: talis autem potentialitas, & indifferentia, naturæ diuinæ repugnant. num. 374. *&* 375.

Quod amplius vrgetur, & confirmatur. num. 376.

Respondetur. num. 377.

Et quibusdam replicis, & instantijs, respondetur, a num. 378. vsque ad num. 380.

Ad confirmationem vero principalis argumenti, respondetur, num. 381. *&* 382.

Denique arguitur ab inconuenienti; nam si essentia Dei non constitueretur per existentiam, sequeretur excedi ab existentia in perfectione. num. 383.

Respondetur, negando sequelam: ad cuius primam probationem respondetur primo iuxta sententiam asserentium, essentiam in creatis simpliciter excedere existentiam; licet ab illa excedatur secundum quid. a num. 284. vsque ad num. 287.

Secundo respondetur iuxta sententiam asserentium in creatis existentiam simpliciter in perfectione excedere essentiam. num. 388. *&* 389.

Ad secundam probationem respondetur. num. 390.

Et ad quandam replicam, innitentem authoritati D. Thom. quæ proponitur, num. 391. *Resp.* num. 392. *&* 392.

§. XII.

Respondetur directè quæstioni, explicaturque in quo Dei essentia, & natura consistat. *Pag.* 96.

Vltima conclusio. Essentia, & natura Dei non constituitur vltimo differentialiter per ratione entis a se, sed per rationem substantiæ spiritualis, aut immaterialis a se radicaliter intellectiuæ, intellectione comprehensiua Dei. num. 394.

Quibusdam prænotatis. a num. 395. vsque ad num. 398.

Probatur prima pars conclusionis ex D. Thom. infra q. 13. ar. 8. docente, hoc nomen Deus *esse nomen naturæ diuinæ. Et art. 11. asserente, hoc nomen*, qui est, *esse nomen magis propriũ Dei quantum ad id a quo nomen imponitur; non autem quantum ad id ad quod significandum imponitur: ac per consequens nomen* qui est, *quod idem est ac ens per essentiã, non est nomen naturæ, aut essentiæ diuinæ*. num. 399.

Quæ ratio prosequitur, & explicatur vsque ad num. 403.

Secundo probatur ex alia doctrina D. Th. infra q. 93. art. 2. asserente, solas creaturas intellectuales esse factas ad imaginem Dei, eo quod illi assimilantur in ratione intellectualis, quæ est quasi vltima differentia Dei. num. 404.

Quæ ratio expenditur, & euasiones præcluduntur. a num. 405. vsque a num. 410.

Tertio probatur: nam gradus intellectualis est vltima differentia Deitatis. Tum, quia gradus intelligendi, est perfectior gradibus viuendi, & essendi. Tum etiam, quia essentialiter conuenit Deo, & non quasi attributum, nec tanquam ratio communis: conuenit ergo quasi vltima differentia. n. 411.

Quod explicatur, & defenditur vsque ad num. 414. *Vbi ostenditur, non repugnare Deo compositionem ex ratione communi analogica, & ratione impropriè differentiali.*

Deinde secunda pars conclusionis probatur. Nam D. Th. infra q. 14. art. 1. probauit, Deum esse summè cognoscitiuum, quia est summè immaterialis: Deitas ergo sub conceptu inadæquato essentiæ summa immaterialitate constituitur, idem autem est summè immateriale, ac summè spirituale, num. 415.

Tertia vero pars, quod scilicet constituatur per rationem substantiæ spiritualis radicaliter intellectiuæ. Probatur: nam constituitur per rationem substantiæ intellectiuæ, non in vltimo actu, vt probatum relinquitur: ergo radicaliter intellectiuæ, non vtcumque, sed comprehensiuæ Dei, quia in radice intelligenti conuenit cum creaturis intellectualibus ordinis naturæ; in ratione verò radicis connaturalis amandi, & videndi Deum vt est in se cum gratia habituali, num. 416.

§. VLTIMVS.

Argumentis in contrarium occurritur, *Pag.* 98.

Contra primam conclusionis partem arguitur primo ex D. Th. infra q. 4. art. 2. ad 3. vbi ait Esse Dei includere in se vitam, & sapientiam, quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse ei, quod est ipsum esse per essentiam: *Sentit ergo essentiam Dei consistere in esse a subsistente, & includente gradum viuendi, &c.* a num. 417. vsque ad num. 420.

Respondetur ad argumentum cum suis confirmationibus. a num. 421. vsque ad num. 427.

Secundo arguitur. Nam id quod primo in Deo intelligitur, cum fundamento in re, est ratio entis per essentiam: igitur id erit constitutiuum. num. 4[illegible]8.

Respondetur. num. 429.

Obiectio notanda proponitur. num. 430.

Soluitur. num. 431 *&* 432.

Duæ difficultates in doctrina D. Thom. proponuntur, num. 232. *&* 233.

Enodantur autem a num. 435. vsque ad à num. 437.

Tertio arguitur, quia conceptus omnes perfectiones Dei radicans, non est ratio intellectualis a se, sed ratio entis a se, & per essentiam, eo quod gradus intellectiuus vt talis, non videtur radicare voluntatem: immensitas etiam, & æternitas sunt attributa Dei, & non radicantur in intellectualitate, sed in ratione entis per essentiam. Denique, nam omnia attributa radicantur in conceptu perfectissimo; gradus

DISPVTATIO V.

Quo genere distinctionis distinguantur attributa diuina ab essentia, & inter se?

§. I.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ. *Pag.* 102.

§. II.

Prima sententia reijcitur. *Pag.* 103.

§. III.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 105.

§. IV.

Distinctio virtualis intrinseca excluditur. *Pag.* 107.

mentum de Deo, vt comprehensibili, retorquetur in ipsum, & argumentum instauratur, num. 8. & 9.

Alia euasio praecluditur. num. 10.

Secunda pars conclusionis ostenditur, ex eo quod Deus clarè visus sub obiecto terminatiuo intellectus nostri continetur, quia potest prout in se ipso illius cognitionem terminare; sed etiam potest ratione sui intellectum nostrum mouere. num. 11.

Tertia denique pars contra P. Arrubal probatur, ex eo quod obiectum naturale nostri intellectus est illud, quod proprijs viribus potest attingere; at intellectus nequit proprijs viribus Deum clarè videre, &c. num. 12. & 13.

§. II.

Explicatur sub qua ratione Deus intra obiectum nostri intellectus contineatur, *Pag.* 125.

S*Ecunda conclusio.* Deus vt clarè visus non continetur sub obiecto specificatiuo intellectus humani secundum vltimam differentiam illius: bene tamen sub obiecto specificante rationem communem intellectui humano, & Angelico.

Duobus notabilibus praesuppositis. num. 14.

Probatur prima pars conclusionis primo. num. 15.

Quia intellectus humanus essentialiter differt ab intellectu Angelico: obiectum ergo specificatiuum intellectus humani secundum vltimam differentiam, differt essentialiter ab obiecto intellectus Angelici; at Deus clarè visus nequit contineri formaliter sub obiecto essentialiter diuerso ab obiecto intellectus Angelici cum clara visio Dei in intellectu Angelico, & humano eiusdem sit speciei.

Duplex solutio assignari potest: prima, quod intellectus Angelicus, & humanus non differunt essentialiter in ratione potentiae, & comparatiuè ad obiectum, quamuis in ratione proprietatum, & comparatiuè ad naturas, a quibus dimanat essentialiter differant. Ita Patres Salmanticenses.

Secundo alij extra Scholam D. Th. respondent, visionem beatificam hominis essentialiter a visione beatifica Angeli distingui. num. 16.

Prima solutio impugnatur, a num. 17. vsque ad 19.

Secunda vero. num. 20.

Secundo probatur eadem pars, ex eo quod obiectum distinguens intellectum humanum ab Angelico, non est ens quoad substantiam, sed vt terminat, talem modum tendendi per discursum scilicet in homine, qui modus Angelo repugnat: Deus autem vt clarè visibilis non continetur sub ente, vt attingibili per discursum, &c. num. 21.

Tertio, ex eo quod intellectus humanus, & Angelicus in obedientiali potentia, omninò conueniunt, absque vllo essentiali discrimine. num. 22.

Ex quo secunda pars conclusionis, per euidentem consequentiam infertur. num. 23.

§. III.

Argumenta contra primam conclusionem diluuntur. *Pag.* 126.

A*Rguitur primo, Deus, & creatura in nullo possunt vniuocè conuenire, at obiectum intellectus humani debet esse commune vniuoce omnibus contentis sub illo; cum potentia gaudeat vnitate specifica ab obiecto desumpta, &c.* num. 24.

Quatuor solutiones, quae huic argumento adhibentur, tum ab exteris, tum ab aliquibus Thomistis referuntur. num. 25. & 26.

Sed non placent, & prima solutio impugnatur. num. 27. & 28.

Secunda. num. 29.

Tertia, & quarta. num. 30.

Pro vera argumenti solutione notatur, rationem veri, a qua intellectus sumit specificationem, dupliciter considerari: primo per comparationem ad intellectum: secundo prout ad inferiora comparatur. Primo modo habet omnimodam vnitatem, quia licet in ratione veri includatur diuersitas; intellectus autem ad sui specificationem, non respicit illam adaequatè, sed solum secundum vnitatem, quam explicat. Vnde ad argumentum respondetur, quod licet Deus, & creatura, nec in ratione entis, nec in ratione veri conueniant vniuocè: in ratione tamen specificandi intellectum cum omnimoda vnitate adunantur. num. 31.

Duplici obiectioni aduersus solutionem fit satis. num. 32.

Secundo arguitur, ex eo quod intellectus creatus est potentia adaequatè naturalis; at si Deus vt clarè visibilis contineatur sub obiecto specificatiuo, debet necessario esse partialiter, & inadaequatè supernaturalis, &c. num. 34.

Respondetur, intellectum in ratione potentiae formaliter, non esse adaequatè naturalem potentiam, sed partim naturalem, partim obedientialem. Et probationibus, & replicis in contrarium fit satis. a num. 35. vsque ad 38.

Tertio arguitur, ex eo quod Angelus comprehendens intellectum humanum, necessario debet comprehendere eius specificatiuum: ac per consequens, si Deus vt clarè visibilis sub specificatiuo continetur, naturaliter cognoscet visionis possibilitatem, quod implicat. num. 39.

Respondetur, Angelum inadaequatè tantum comprehendere intellectum humanum, scilicet, vt tantum est potentia naturalis. ibid.

§. VLTIMVS.

Caeteris argumentis contra secundam conclusionem occurritur. *Pag.* 128.

Q*Varto arguitur, ex eo quod si Deus clarè visus non contineretur sub obiecto specificante vltimam differentiam, intellectus humani non posset ab illo clarè videri, &c.* num. 40.

Ad argumentum cum suis replicis respondetur. num. 41. & 42.

Vltimo arguitur, ex eo quod potentia obedientialis intellectus humani, nequit specificari a Deo clarè viso; aliàs potentia obedientialis esset intrinsecè supernaturalis; & non tantum ratione, sed realiter distincta a potentia naturali. num. 43.

Respondetur. num. 44.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm sit in homine naturalis appetitus innatus ad visionem claram diuinae essentiae. *Pag.* 129.

§. I.

Relatis sententijs vera eligitur, & probatur.

A*Ppetitus naturalis innatus, est propensio, seu pondus naturae in propriam perfectionem, praeueniens omnem actum elicitum, & sequutus ad naturalem formam, estque communis omnibus rebus, siuè animatis, siuè inanimatis.*

Qui est duplex, alter actiuus, alter passiuus. Inquiritur ergo in praesenti. An homo ex propriâ natura in Dei claram visionem propendat. Vel quod idem est, vtrum Deus clare visus sit finis naturalis hominis? num. 1.

In qua difficultate omnes Theologi in duobus conueniunt. Conueniunt primo in eo, quod in natura humana est capacitas ad Dei visionem, sicuti ad alia bona supernaturalia.

Conueniunt secundo, in eo quod Deus clarè visus non est finis naturalis hominis quoad assequutionem, idest, non posse proprijs naturae viribus assequi visionem claram Dei, sed ad id indigere Dei adiutorio. Discriminantur vero in eo, an scilicet, Deus clarè visus, quamuis non sit finis naturalis hominis, quoad assequutionem, sit tamen naturalis quoad inclinationem? Et an capacitas illa, quam obedientialem potentiam vocamus sit naturalis appetitus dicenda, vel naturalem appetitum fundet in ordine ad visionem claram Dei, prout est in se? Et in quatuor sententias partiuntur. num. 2.

Prima affirmat, dari in homine naturalem appetitum innatum respectu visionis beatificae. Ita Scotus, & alij. num. 3.

Secunda distinguit de intellectu humano secundum suam rationem specificam, & secundum rationem communem intellectus, prout abstrahit ab humano, angelico, & diuino, & sub

§. II.

Diluuntur contraria argumenta.
Pag. 131.

DISPVTATIO IX.

An homo naturali appetitu inefficaci elicito appetere possit visionem beatificam?

§. I.

Relatis sententijs, vera eligitur, & probatur.
Pag. 133.

Duplex

Duplex solutio, refertur, & impugnatur. num. 17. & 18.

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 135.

Arguitur primo, ex eo quod supernaturalis beatitudo potest nobis proponi, vt conuenientissima, & bona per apprehensionem merè naturalem, qua vt possibilis probabiliter cognoscatur; at tunc excitabitur naturalis affectus, &c. num. 19.

Respondetur. num. 20.

Arguitur secundo, ex eo quod Deus, vt Auctor naturæ, infinitè superat supernaturalem bonitatem visionis, & tamen vt talis, potest amorem super omnia naturalem terminare: ergo a fortiori bonitas supernaturalis visionis naturalem affectum, seu appetitum terminare valebit. num. 21.

Respondetur. Ibid.

Tertio arguitur, ex eo quod sola diuersitas in modo tendendi cum omnimoda conuenientia in obiecto formali, sufficit ad distinguendos actus distinctione essentiali: ac per consequens, quamuis actus naturalis, & supernaturalis idem motiuum supernaturale respiciant, poterunt essentiali distinctione gaudere. Antecedens conantur suadere quibusdam exemplis. num. 22.

Respondetur negando antecedens, quod non conuiniunt exempla adducta. num. 23. & 24.

Quarto arguitur, ex eo quod actus supernaturalis potest habere pro obiecto, & motiuo formali aliquid naturale: ergo actus naturalis potest habere obiectum, & motiuum supernaturale. Antecedens pluribus exemplis suadetur. num. 26.

Respondetur. a num. 25. vsque ad num. 30.

Denique arguitur, potentia obedientialis a supernaturali forma specificatur: & tamen est entitatiuè naturalis. num. 31.

Respondetur. ibid.

DISPVTATIO X.

An detur in homine appetitus naturalis elicitus efficax visionis beatificæ ex motiuo naturali?

§. I.

Vera sententia proponitur. *Pag.* 136.

Affirmatiuam sententiam tenent Herice, & latè Ripalda. num. 1.

Negatiuam verò omnes Thomistæ. Quæ suadetur primo: appetitus efficax vt ab inefficaci distinguitur, connectitur per se cum obiecti possibilitate; nihil autem naturale potest connecti necessario cum supernaturali obiecto, illiusque possibilitatem exposcere. num. 2. 3. & 4.

Solutio contrariorum refertur. num. 5.

Impugnatur verò. num. 6. vsque ad 8.

Secundo probatur conclusio, ex eo quod, qui non potest efficaciter appetere media, non potest efficaciter appetere finem: homo autem non potest ex viribus propriis appetere appetitu efficaci ab intrinseco primam gratiam, quæ est medium ad gloriam, &c. num. 9. & 10.

Et quædam euasio precluditur. num. 11. & 12.

Denique probatur, ex duplici inconuenienti, quod sequitur ex opposita sententia. Primum est, sequi ex illa hominem posse viribus propriis efficere aliquid ad vitam æternam efficaciter conducens: Secundum est: sequi ad supernaturalem fidem non esse necessariam piam affectionem voluntatis excedentem vires naturæ. a num. 13. vsque ad 18.

§. II.

Occurritur argumentis in contrarium. *Pag.* 138.

Arguitur primo ex Augustino libro contra Iulianum asserente, non omnes homines instinctu naturali beati esse vellemus, nisi esse possemus, sed hoc summum bonum præstari hominibus, non potest nisi per Christum. *Vbi Augustinus loquitur de appetitu supernaturalis beatitudinis, & quod loquatur de appetitu efficaci, probatur: nam loquitur de appetitu, qui requirit possibilitatem obiecti, inefficax autem appetitus talem possibilitatem non exposcit, &c.* num. 19.

Respondetur, quod appetitus inefficax in vno, vel altero, potest circa impossibile versari, appetitus autem repertus in omnibus moraliter, saltem circa impossibile versari nequit. Instaturque argumentum. num. 20.

Secundo arguitur, potest homo, licet falso apprehendere visionem beatificam, vt possibilem viribus naturæ: ergo in tali casu efficaciter illam desiderabit. Respondetur distinguendo consequens, efficacia apparenti conceditur, vera negatur. num. 21.

Tertio arguitur, ex eo quod potest homo per naturalem actum efficaciter mouere ad actus supernaturales, & illos imperare, quod pluribus exemplis suadetur. num. 22.

Respondetur a num. 23. vsque ad 27.

Quarto arguitur, ex eo quod naturalis affectus potest inefficaciter ad actum supernaturalem mouere: ac per consequens possibilis erit affectus naturalis ad illum efficaciter mouens. Et confirmatur impugnando vltimam rationem ab inconuenienti deductam. num. 28. & 29.

Respondetur. num. 30.

DISPVTATIO XI.

An possit dari de potentia absoluta species impressa, Deum repræsentans quidditatiuè, & prout est in seipso?

§. I.

Præambula ad quæstionem, & sententiarum diuersitas proponuntur. *Pag.* 139.

Supponitur talem speciem de facto non dari, contra Egidium, & Vazquez, asserentem, de facto lumen gloriæ sortiri rationem speciei. Cæterum Theologi communiter acquiescunt nostræ suppositioni. Et probatur. a num. 1. vsque ad 5.

Quod vertitur in examen est, an inspecta absoluta Dei potentia sit possibilis prædicta species?

Affirmant plures extra Scholam D. Th. Negatiua verò sententia est omnium Thomistarum, & expressa D. Tho. quæ statuitur pro conclusione. num. 6.

§. II.

Prima ratio D. Thom. proponitur. *Pag.* 140.

Primam rationem, qua D. Thom. probat conclusionem positam, assumit ex eo quod per similitudines rerum inferioris ordinis, nullo modo superiora possunt cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ; multo igitur minus per speciem creatam quancunque, &c. num. 7.

Hæc ratio D. Thom. explicatur, & defenditur. a num. 8. vsq; ad 14.

§. III.

Obiectionibus contra rationem istam fit satis. *Pag.* 141.

Primo arguitur, ex eo quod species repræsentans quidditatiuè substantiam, est inferioris ordinis respectu illius, nec potest esse eiusdem quidditatis; ac proinde non est de ratione speciei repræsentantis quidditatiuè obiectum, quod sit eiusdem ordinis, & quidditatis cum illo. num. 15.

Hoc argumentum, quod ex Aureolo sumpserunt contrarii, soluitur a Caietano, distinguendo duplex esse in specie, aliud entitatiuum, aliud intentionale; & licet considerato primo esse, *species repræsentans substantiam, accidens sit; considerato verò secundo* esse, *eiusdem quidditatis est cum obiecto.* num. 16.

Aduersus hanc solutionem plura opponunt contrarii; sed diluuntur. a num. 17. vsque ad num. 25.

Secundo arguitur, ex eo quod species cuius vis obiecti, etiam considerata in esse repræsentatiuo, & intelligibili mensuratur ab obiecto; ac per consequens nequit esse eiusdem naturæ cum illo. num. 26.

Respon-

DISPVTATIO XIII.

An possit possibilis substantia creata, cui sit connaturalis visio beatifica?

§. I.

Sen-

§. II.

Sententia opposita cum suis fundamentis proponitur. Pag. 177.

Contrariam nostræ conclusionis sententiam tenet Suarez, & pro eadem refertur Capreolus ; falso tamen. num. 35.

In fauorem illius arguitur 1. ex D. Thom. tribus in locis, in quibus videtur dicere hominem moueri a Deo vt instrumentum. num. 36.

Explicatur D. Thom. alia eleganti auctoritate ipsius. num. 37.

Secunda auctoritas explicatur. num. 38.

Tertia vero. num. 39.

Contra explicationem secundi testimonij insurgit Suarez. num. 40.

Occurritur. num. 41.

Secundo arguit Suarez, ex eo quod intellectus influit in visionem beatificam, non ratione potentiæ naturalis, sed ratione potentiæ obedientialis actiuæ : virtus autem obedientialis actiua non est principalis, sed instrumentalis. num. 42.

Respondetur. num. 43. & 44.

Tertio arguunt Recentiores, ex eo quod causa instrumentalis illa propriè est, quę operatur per virtutem acceptam ab alio, a quo dependet in operando : intellectus autem vt efficiens visionem accipit virtutem a Deo, & ab ipso in eius efficientia dependet, &c. num. 45.

Respondetur. num. 46.

Aduersus solutionem triplex proponitur replica. a num. 47. vsque ad num. 49.

Respondetur. num. 50. & 51.

Denique argumentari possumus, ex eo quod non repugnat agenti vitali instrumentaliter influere in actum vitalem: ac per consequens non bene infertur ex eo quod intellectus vitaliter influat, quod non influat instrumentaliter. num. 52

Respondetur. num. 53.

Plures vero replicæ notatu dignæ proponuntur, & soluuntur. a num. 54. vsque ad num. 60.

§. III.

Statuitur secunda conclusio, & probatur. *Pag.* 180.

Secunda conclusio. Intellectus ratione sui non habet partem virtutis proximæ actiuæ respectu visionis beatificæ, sed adæquata virtus proxima est habitus luminis gloriæ. *Probatur primo ex D. Th. q. vnica de charitate ar. 1. cuius auctoritas ad intentum accuratè expenditur.* a nu. 60. vsque ad 67.

Ratione vero probatur, ex eo quod virtus proxima in ordine ad aliquem actum, est ratio præcontinendi proximè illum: adæquata autem ratio præcontinendi proximè visionem beatificam, est habitus luminis gloriæ, & consequenter intellectus virtute proxima partiali non gaudet. num. 68.

Respondent contrarij primo: maiorem esse veram de continentia effectiua principali ; secus autem de continentia instrumentali. Secundo alij respondent, non contineri actum supernaturalem in entitate naturali, ea ratione qua supernaturalis est, sed ea ratione qua est vitalis. Tertio, & frequentius respondent, quod licet actui supernaturali repugnet immediatè dependere a naturali entitate tanquam a causa efficienti adæquata; non tamen pendere ab illa tanquam a causa inadæquata. num. 69.

Nulla ex his solutionibus argumentum eneruat, & prima solutio, quæ est P. Suarez impugnatur. num. 70.

Secunda vero. num. 71.

Tertia denique. a nu. 72. vsque ad num. 78.

§. IV.

Vlterior nostræ conclusionis probatio. Pag. 182.

Tertio principaliter suadetur conclusio, ex eo quod principio continenti ratione sui effectum, & proximè potenti illum efficere debetur concursus causæ primæ, vt aliquando talem effectum producat : intellectui vero talis concursus non debetur, &c. num. 79.

Tres solutiones, quæ adhibentur a contrarijs huic argumento referuntur. num. 80 & 81.

Latè, & efficaciter refutantur. a num. 82. vsque ad 91.

Quarto principaliter probatur conclusio, ex eo quod lumen gloriæ vitale est, saltim vt quo; *ac per consequens non est ratio cur non sit adæquata virtus proxima. Antecedens autem probatur, tùm ex D. Thom. tùm a ratione.* a num. 92. vsque ad num. 98.

Quinto principaliter probatur, ex eo quod quando duo agentia partialia per partiales virtutes ad alicuius effectus productionem concurrunt, non requiritur vnum alterum informare : ac per consequens non requiritur lumen gloriæ intellectum informans, adhuc attenta lege ordinaria, quod est plusquam falsum. num. 99.

Duplex euasio proposita. num. 100. & 101.

Precluditur. ibid. & num. 102.

Denique probatur conclusio ab inconuenienti, sequitur enim ex contraria sententia intellectum naturaliter perfectiorem, v.g. Angelicum cum æquali lumine elicere semper perfectiorem visionem, consequens autem est falsum, quia aliàs quamuis homo, & Angelus æquarentur in meritis, Angelus excederet hominem in pręmio essentiali. num. 103.

Multipliciter conantur contrarij occurrere huic argumento, omissis tamen euasionibus minus apparentibus ; duæ tamen referuntur, & prima illarum, impugnatur. a n. 104. vsque ad 108.

Secunda vero. num. 109. & 110.

§. V.

Tribus fundamentis contrariorum ab auctoritate sumptis occurritur, & explicatur, an voluntas immediatè per propriam virtutem influat in actus supernaturales. *Pag.* 185.

Cum eadem ratio sit de intellectu, & voluntate quoad influxum in actus supernaturales: & PP. frequentius de voluntate loquantur. Proponuntur argumenta, quibus contrarij immediatum influxum voluntatis in actus supernaturales suadere conantur.

Arguitur primo ex illo Pauli 1. ad Corinth. 15. Abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. *Et ex pluribus alijs, tùm Sacræ Scripturæ ; tum Sanctorum Patrum auctoritatibus.* a num. 111. vsque ad 117.

Ad quæ omnia, & in communi, & in singulari, sigillatim respondetur. a num. 118. vsque ad num. 128.

Secundo arguunt ex Concilio Tridentino sess. 6. de iustificatione cap. 5. & canon. 4. vbi diffiniens contra Caluinum, & Lutherum, asserit verba ibidem relata, ex quibus tres propositiones eliciuntur. Prima est: Hominem cooperari gratiæ adiuuanti, & excitanti Dei. *Secunda:* Hominem ipsum aliquid agere in supernaturali consensu. *Tertia:* Liberum arbitrium hominis non se habere merè passiuè. *Nulla autem ex his propositionibus potest verificari, nisi concedatur libero arbitrio creato immediata partialis actiuitas in consensum supernaturalem, &c.* a num. 129. vsque ad 131. a num. autem 132. vsque ad 136.

Suadere conantur sententiam nostram esse ipsissimam, quam contra Caluinum damnauit Concilium.

Pro solutione notatur, in quo errores Caluini, & Lutheri consistebant. num. 137. & 138.

Ad argumentum respondetur. a num. 139. vsque ad 146.

Ad eius confirmationem. a num. 147. vsque ad 153.

Tertio arguunt ex pluribus auctoritatibus D. Thom. sed quæ aliquam ingerunt difficultatem, referuntur. num. 154. & 155.

Et confirmant ex D. Augustino. num. 156.

Respondetur. a num. 157. vsque ad 160.

§. VI.

Soluitur prima ratio contrariæ sententię. *Pag.* 192.

Quarto arguunt a priori, ex eo quod immediatus influxus partialis naturæ in actum charitatis illius, supernaturalitati non obstat. Quod quadrupliciter probant. a num.

§. VII.

Cætera argumenta diluuntur, & explicatur, an habitus sit vitalis, & liber? *Pag.*194.

§. VIII.

Explicatur concursus intellectus. *Pag.* 197.

§. VLTIMVS.

Diluuntur contraria argumenta. *Pag.* 199.

DISPVTATIO XVII.

Vtrùm diuina essentia, vel diuinus intellectus possit se ipso vniri cum intellectu creato, vt principium *quo*, ipsum eleuans ad elicientiam visionis?

§. I.

§. II.

DISPVTATIO XVIII.

Vtrùm intellectus creatus possit de potentia absoluta elicere visionem beatificam sine lumine gloriæ creato?

§. I.

§. II.

§. III.

§. IV.

litatem fluidam a lumine gloriæ distinctam. Sed probatur primo ex D. Th. 2.2. q. 175. art. 3. ad 2.

Secundo ratione, ex eo quod illa est qualitas ab intrinseco fluida, quæ ex causis, quibus habet esse permanentiam non petit; at omnis qualitas a Deo causabilis, quæ sit principium visionis beatificæ attentis causis, quibus esse habet, petit permanentiam, &c. num. 58.

Euasio quædam præcluditur. num. 59.

Tertio probatur, ex eo quod omnes visiones beatificæ possibiles sunt ab intrinseco permanentes; & incorruptibiles; ac per consequens nulla illarum potest efficienter a principio fluido ab intrinseco causari. num. 60. & 61.

§. V.

Argumenta diluuntur, *Pag.* 213.

Arguitur primo, ex eo quod præter lumen gloriæ habituale concurrit ad visionem auxilium efficax; & tamen illud auxilium est fluidum ab intrinseco; alias esset habitus. num. 62.

Respondetur. num. 63.

Arg. 2. ex eo quod actus charitatis potest a voluntate procedere, vt eleuata per qualitatem distinctam ab habitu ab intrinseco fluidam: ergo etiam visio beatifica procedere poterit ab intellectu eleuato per qualitatem distinctam ab habitu, num. 64.

Solutio aliquorum. ibid.

Quæ a quibusdam impugnatur. num. 65. 66. & 67.

Potest tamen probabiliter sustineri. a num. 68. vsque ad 72.

Sed facilius respondetur secundo. num. 73.

§. VLTIMVS.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 214.

Ex dictis in hac, & præcedenti Disputatione colligitur primo, lumen gloriæ comparari ad visionem beatificam, vt subiectum quo receptiuum. num. 74.

Colligitur secundo, lumen concurrere dispositiuè ad vnionem diuinæ essentiæ cum intellectu per modum speciei. num. 75.

Colligitur tertio contra Vazquez, lumen gloriæ non exercere munus speciei in ordine ad visionem beatificam. num. 76.

DISPVTATIO XIX.

Vtrùm de potentia Dei absoluta possit videri diuina essentia non visis attributis, seu personis?

§. I.

Relatis sententijs, prima conclusio statuitur. *Pag.* 215.

Conueniunt omnes Theologi, in eo quod de facto a vidente diuinam essentiam videantur omnia, quæ Deo competunt necessario attributa nempè, & relationes. num. 1.

An vero de potentia absoluta ita necessario sit? diuiduntur in tres sententias.

Prima affirmat. Secunda negat. Tertia distinguit inter visionem quidditatiuam: & intuitiuam non quidditatiuam, asseritque visione quidditatiua, & intuitiua, non posse videri essentiam sine attributis: benè tamen visione intuitiua non quidditatiua.

Prima conclusio. Implicat videri diuinam essentiam visione entitatiua quidditatiua non visis attributis, & relationibus; *est de mente omnium Thomistarum. Et probatur, ex eo quod implicat videri aliquid quidditatiuè, prout est in se non visis prædicatis, quæ illi quidditatiuè competunt prout in se de quidditate autem diuinæ essentiæ, prout in se, sunt attributa, & relationes.* num. 4.

Dices, conuincere argumentum si cognitio sit adæquata; secus vero si cognitio adæquata non sit. Sed contra, implicat in terminis aliquid videri, prout est in se, & non adæquatè videri. num. 5. & 6.

§. II.

De visione intuitiua non quidditatiua. *Pag.* 215.

Secunda conclusio. Implicat videri diuinam essentiam cognitione intuitiua, non quidditatiua, non visis attributis, & relationibus,

Et probatur primo, ex eo quod implicat cognitio diuinæ essentiæ intuitiua, quæ non sit quidditatiua. num. 7. & 8.

Secundo probatur, ex eo quod ideo non potest diuina essentia quidditatiuè attingi non visis attributis, quia cognitio quidditatiua tendit in essentiam diuinam prout est in se; at cognitio intuitiua, non quidditatiua tendit in essentiam diuinam prout est in se, &c. num. 9. & 10.

Denique probatur: nam si essentia diuina posset videri intuitiuè non visis attributis, posset etiam videri intuitiuè Deus, vt est Auctor naturæ non viso, vt supernaturali auctore; consequens est falsum: aliàs posset ex viribus naturæ dari cognitio intuitiua Dei. num. 11.

§. III.

Argumentis occurritur. *Pag.* 216.

Arguitur primo, non minus identificantur cum diuina essentia continentia creaturarum in particulari, quam attributa: stat autem videri diuinam essentiam non visis continentijs in particulari, &c. num. 12.

Instatur argumentum. num. 13. *& eius solutio remittitur ad sequentem disputationem.*

Arguitur secundo, ex eo quod communicatio naturæ diuinæ ad intra, est communicatio prout est in se, & tamen est communicatio inadæquata illius, cum non communicetur Paternitas essentiæ identificatæ: ergo quamuis visio quidditatiua Dei terminetur ad illum prout est in se, stabit esse inadæquatam. num. 14. *Et confirmatur.* ibid.

Respondetur. num. 15. & 16.

Arguitur tertio, Angelus superior intuitiuè, & quidditatiuè, imo & comprehensiuè cognoscit inferiorem, & tamen non cognoscit obedientialem potentiam, quæ cum substantia visa identificatur. num. 17.

Solutiones insufficientes, referuntur, & refutantur. num. 18. & 19.

Vera solutio assignatur. num. 20.

Replicatur aduersus solutionem. num. 21.

Soluitur replica. num. 22.

Quarto obijcitur, ex eo quod obiectum visionis beatificæ saluatur ante attributa, & relationes: cum obiectum intuitiuæ notitiæ sit Deus vt existens; existentia autem conueniat Deo ante cætera attributa, &c. num. 23.

Respondetur. ibid.

Quinto arguitur, ex eo quod ratio coloris, & ratio qualitatis a parte rei sunt identificatæ: & tamen stat intuitiuè videri rationem coloris non visa ratione qualitatis, &c. num. 24.

Respondetur. num. 25.

Ex dictis colligitur, non posse de potentia absoluta vnam personam sine alia videri. num. 26.

DISPVTATIO XX.

Vtrùm beati videant creaturas in diuina essentia, vt in obiecto prius cognito?

§. I.

Relatis sententijs, verior eligitur. *Pag.* 217.

Prima sententia est negatiua, quam acriter defendit Vazquez contendens (ait Herice) iniquè Angelicum Doctorem in suam sententiam adducere.

Secunda concedit, creaturas possibiles cognosci a beatis, ex vi eiusdem visionis, vt in obiecto prius cognito: id tamen de existentibus negat.

Tertia, & vera, tam de possibilibus, quam de existentibus affirmat: ita omnes Thomistæ, quos plures alij sequuntur; quæ pro conclusione statuitur.

Et probatur primo, ex eo quod causa perfectè continens effectum est sufficiens medium, vt illa cognita cognoscatur effectus:

vir-

Sed

Sed hoc excluditur. a num. 9. vsq; ad num. 13.

§. II.

Occurritur argumentis in contrarium. *Pag. 249.*

Arguitur primo, argumento præcipuo contrariæ sententiæ: quia nimirum de ratione scientiæ est discursus: in Deo autem discursus non datur. num. 14.

Respondetur primo, ex dictis dari in Deo discursum virtualem, licet non detur formalis, hunc autem sufficere ad scientiam strictè sumptam. num. 15.

Replicatur. num. 16.

Soluitur, & instatur replica. num. 17. & 18.

Secundo ad argumentum respondetur, de ratione scientiæ, quæ simul est intellectus principiorum non esse discursum adhuc virtualem. num. 19.

Replicatur. num. 21. & 22. *Respondetur.* num. 23. & 24.

Secundo arguitur, ex eo quod de ratione scientiæ strictæ est attingere primario conclusiones demonstratas: sed cognitio Dei non attingit per se primo conclusiones demonstratas: cum diuina cognitio primo attingat essentiam, & naturam Dei, & in illa attributa, & creaturas. num. 25.

Prima solutio distinguit maiorem, illamque concedit de scientia, quæ tantum est scientia; negat vero de scientia, quæ simul est sapientia. num. 26.

Quæ contra hanc solutionem militant, opponuntur. a num. 27. vsque ad 33.

Et sine solutione relinquuntur: Secundo potest responderi huic argumento, veram esse maiorem de scientia, quæ ab intellectu principiorum distinguitur, falsam autem de scientia, quæ formaliter, & virtualiter est intellectus principiorum. num. 34.

Quæ huic solutioni obstant, opponuntur, nec soluuntur. a num. 35. vsque ad 38.

Tertia & frequentior solutio concedit maiorem, & negat minorem. Nam licet cognitio luminis intellectus per se primo in diuinam essentiam feratur: cognitio scientifica, non per se primo diuinam essentiam, sed attributa attingit. num. 39.

Quæ contra hanc solutionem, cui pro nunc magis acquiescimus militant, proponuntur, & soluuntur. a num. 40. vsque ad 46.

§. III.

Scientia in Deo respectu suorum attributorum statuitur. *Pag. 252.*

Secunda Conclusio. Habet Deus scientiam strictam suorum attributorum. num. 47.

Probatur primo ex D. Th. in hac quæst. ar. 16. num. 48.

Secundo probatur ratione, ex eo quod sapientia est perfectissima scientia: sed Deus iuxta D. Th. habet de suis attributis sapientiam. a nu. 49. vsque ad 51.

Tertio probatur, ex eo quod ad rationem scientiæ a priori sufficit procedere per causam virtualem in essendo; attributa autem diuina, licet non habeant causam formalem, habent tamen virtualem causam. a num. 52. vsque ad 54.

Euasio contrariorum consistens in eo quod diuinus intellectus, cum non faciat distinctionem inter essentia, & attributa, nequit de attributis scientiam propriæ dictam habere, refertur. num. 55.

Et præcluditur. a num. 56. vsque ad 59.

§. IV.

Argumentis contrariorum occurritur. *Pag. 253.*

Primo arguitur, ex quoddam testimonio D. Th. quod expenditur, & explicatur. a n. 60. vsque ad 65.

Secundo arguitur, ex eo quod scientia propter quid procedit per causã in essendo: attributa autem causam in essendo non habent, &c. Respondetur. a num. 66. vsque ad 76. *Vbi pluribus replicis, & instantijs notabilibus occurritur.*

Tertio arguitur, ex eo quod si comparatur in voluntate electio mediorum, & intentio finis: sicut in intellectu scientia & lumen principiorum: sed attributa virtualiter ab essentia distingui, non sufficit, vt essentia terminet intentionem, & attributa electionem: igitur nec sufficiet, vt diuina essentia intellectu principiorum cognoscatur a Deo & attributa per scientiam propriæ dictam. a nu. 77. vsque ad 79.

Propter hoc argumentum Recentiores nonnulli a communi sententia recesserunt, sed immerito cum idem argumentum etiam ipsis restet soluendum. num. 80. & 81.

Ad argumentum responderi potest primo, assignando rationem disparitatis, quod electio est de medijs non amatis propter se, quod repugnat diuinis attributis, nulla autem repugnantia est, quod non cognoscatur ratione diuinæ essentiæ. n. 82.

Sed hæc solutio non satisfacit, & eius insufficientia ostenditur. a num. 83 vsque ad 85.

Secundo responderi potest reddendo aliam rationem discriminis, quod scilicet de ratione electionis est libertas, ac proinde petit pro obiecto aliquid non necessarium, secus autem intellectus, &c. num. 86.

Sed neque ista solutio satisfacit. num. 87.

Pro vera solutione duo prænotantur. num. 88.

Respondetur: ergo attributa diuina non posse terminare electionem puram, quia de ratione istius est, quod obiectum propter se ametur: nec possunt terminare intentionem inter mediam sumpta electione adæquatè. Cum quo stat dari in Deo electionem suorum attributorum sumptam pro actu voluntatis, non sistente in proprio obiecto, sed illud propter aliud, vt finem virtualem amantem. Quæ solutio explicatur, & defenditur. a num. 89. vsque ad 94.

Quarto arguitur, ex eo quod fides prout terminata ad attributa Dei, est participatio formalis scientiæ diuinæ: sed prout sic non est scientia strictè. num. 95.

Respondetur. ibid.

Quinto arguitur, & instatur contra solutionem, ex eo quod visio beatifica est participatio formalis scientiæ diuinæ sub conceptu scientiæ: & tamen non est scientia strictè, cum scientia petat primario attingere conclusiones demonstratas, &c. num. 96.

Respondetur iuxta duplicem sententiam, iuxta primam. num. 97. *Iuxta secundam.* num. 98.

Denique arguitur, ex eo quod si Deus scientiam strictè de suis attributis haberet, sequeretur suam cognitionem attingere cognitione proprie scientifica: consequens est falsum, cum cognitio scientifica petat virtualiter, saltim a suo obiecto distingui. num. 99.

Si argumentum aliquid probaret, non vinceret, Deum suam cognitionem nulla ratione cognoscere. Solutio eius constabit ex dicendis tractanter de obiecto primario diuinæ cognitionis. ibid.

§. V.

Scientia strictè sumpta in Deo respectu creaturarum statuitur. *Pag. 257.*

Tertia Conclusio. Cognitio diuina ratione scientiæ cum proprietate sortitur, respectu creaturarum secundum illarum essentias, & proprietates, & etiam respectu illarum vt in singulari existentium. *Ita communiter Theologi contra Durandum, & quibusdam notatis.* num. 100.

Probatur quoad omnes partes vnica ratione, etenim cognitio euidens, & certa rei per causam, & quod illius est causa, & quod aliter se habere non potest, est cognitio strictè scientifica: Deus autem habet cognitionem certam, & euidentem essentiæ rerum creaturum, & illarum proprietatum & contingentium in singulari existentium, per causam certo, & euidenter cognitam: minor quoad omnes partes probatur. a num. 101. vsque ad 103.

Sed contra conclusionem obstat primum argumentum Durandi, sumptum, ex eo quod scientia in nobis non versatur erga essentias creatas; nec erga res in singulari existentes. num. 104.

Respondetur. num. 105.

Secundo arguitur, ex eo quod essentiæ rerum creatarum a nulla causa dependent: cum essentiæ terminare non possint actionem productiuam. num. 106.

Responderi solet primo. Quod essentiæ rerum in statu possibilitatis, licet non pendeant a Deo, vt a causa efficiente: pendent tamen ab illo vt a fine, & exemplari: solutio est insufficiens, vt ostenditur. num. 107.

Vera solutio traditur. num. 109.

Replicatur tripliciter. num. 110.

Respondetur. num. 111. & 112.

Tertio

cognitione cognosci, ab intellectu diuino; vna luminis principiorum, altera cognitione propriè scientifica. num.131.

Notatur secundo, in vtraque cognitione ingredi attributa: ad neutram tamen ingredi, vt obiecta motiua. nu.132.*&* 133.

Tertio notatur, non eodem modo comparari attributa, ad primam cognitionem, atque ad secundam. num.134.*&* 135.

Et quibus, respondetur ad argumentum. nu.136.137.*&* 138.

Et ex tradita doctrina, fertur iudicium de solutionibus supra relatis. num.139.*&* 140.

Sed contra nostram resolutionem instat Vazquez, non ideo dicitur Deus omnia scire, quia est omnipotens; sed potius è contra; ideò est omnipotens, quia omnia scit. Quod dupliciter vrgetur. num.141.*&* 142.

Respondetur. a num.143.vsque ad 145.

Et argumentum instatur dupliciter. num.146.*&* 147.

Deinde arguitur, ex eo quod plura Deus cognoscit, quæ non causantur ab ipso, vt impossibilia, chimeram, v.g. & peccata; imo, & creaturas possibiles sub conceptu, non repugnantium, quæ prout sic cognoscuntur a Deo: at quod non repugnent, non habent ab omnipotentia vt causa, a num.148.vsque ad numer.151.

Respondetur. a n.152.vsque ad num.157.

Denique arguitur, ex eo quod particulares rationes creaturarum possibilium non cognoscuntur in Deo, vt in causa prius cognita, quia potest comprehendi omnipotentia non cognitis creaturis in particulari: quia Angelus comprehendens suam virtutem intellectiuam, non cognoscit in illa omnes intellectiones in particulari possibiles. num.158.*&* 159.

Respondetur. num.160.

Replicatur. a num.161.vsque ad num.163.

Duplex solutio Recentiorum refertur. num.164.*&* 165.

Vtraque tamen solutio communi sententiæ aduersatur. n.166.

Soluitur replica. num.167.

Denique arguitur, ex eo quod prius nostro modo intelligendi Deus suam essentiam cognoscit, vt ad attributa supponitur quam omnipotentiam cognoscat; at creaturæ in essentia eminenter continentur: ergo in illa, & non in omnipotentia cognoscuntur. Et confirmatur tripliciter. num.169.*&* 170.

Respondetur. num.172.*&* 173.

§. VII.

Deum cum creaturis possibilibus intrinsecè connecti probatur. *Pag.* 317.

T*Ertia Conclusio.* Deus vt causa creaturarum est ab intrinseco connexus, cum illarum possibilitate; ita vt si per impossibile aliqua ex illis redderetur impossibilis, Deo aliqua intrinseca perfectio deficeret. *Est omnium Thomistarum, & aliorum plurium. Et ostenditur primo ex D.Th. & duplex solutio, quæ excogitari potest, impugnatur.* a num.174.vsque ad num.177.

Secundo probatur, ex eo quod in causa indifferenti ad esse, & non esse effectus, non potest esse effectus determinate cognosci: sed in Deo, vt in causa cognita cognoscuntur creaturæ: igitur Deus vt causa creaturarum, non est ab intrinseco indifferens ad esse, & non esse talis possibilitatis: & consequenter intrinsece cum creaturis possibilitate est connexus. Maior autem quintupliciter probatur. a n. 178.vsq; ad 181.

Prima huius rationis solutio, refertur, & impugnatur a num. 182.vsque ad 185. *Secunda vero.* num.186. *&* 187. *Tertia denique* a num. 188.vsque ad 191.

Tertio probatur conclusio, ex eo quod bene stat magis necessarium cum minus necessario connecti, quo labefactatur fundamentum Vazquez. num.192.*&* 193.

Denique probatur conclusio, ex eo quod summæ necessitati Dei, & omnipotentiæ diuinæ, non obstat connexio cum creaturis possibilibus. num.194.

Solutio quæ assignari potest, refertur, & impugnatur. a num. 195.vsque ad 202.

§. VIII.

Cognitio immediata possibilium in se ipsis a diuina mente excluditur. *Pag.* 319.

Q*Varta Conclusio.* Non datur in Deo cognitio creaturarum possibilium in se ipsis, immediatè motiuè, aut terminatiuè.

Probatur primo, ex D.Dionisio. num.203.204.*&* 205. *Secundo probatur ex D.Thom.* num.206. *Et euasio præcluditur.* num.207.*&* 208.

Deinde probatur, ex eo quod creaturæ non cognoscuntur per speciem, immediate illas repræsentantem, sed immediatè Deum, & mediante Deo prius repræsentato creaturas repræsentantem. num.209.

Duplex solutio refertur. num.210. *Sed prima impugnatur.* num.211 *&* 212. *Secunda vero.* a nu.213.vsq; ad 215.

Quarto probatur, ex eo quod nulla cognitio diuina potest habere pro obiecto primario creaturas; at cognitio immediatè ad creaturas terminata haberet pro obiecto primario creaturas. Maior est D.Th. num.216.

Duplex solutio insinuatur. num.217.*&* 218.

Prima refellitur. num.219.*&* 220. *Secunda vero cum suis replicis.* a num.221.vsque ad 227.

Denique principaliter suadetur conclusio, ex eo quod bonitas creata nequit ratione sui immediate terminare actum voluntatis diuinæ: ac per consequens nec veritas creata ratione sui poterit immediate terminare actum diuini intellectus. num.228.

§. IX.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.* 322.

O*Byciunt Recentiores primo. Quod propositiones identicas, vt istam, homo est homo, immediate in se ipsis Deus cognoscit.* num.229. *Respondetur.* num.230.

Secundo obijciunt, & probare conantur, quod si creaturæ in esse existentiæ darentur necessario ab æterno, Deus illas in se ipsis necessario cognosceret immediate; at in esse possibili dantur necessario ab æterno, num.231. *Respondetur.* n.232.

Tertio arguitur, argumento præcipuo contrariæ sententiæ, Quia scilicet, Deus cognoscit veritates creatas omni modo, quo cognoscibiles sunt: sed veritates creatæ sunt cognoscibiles mediatè in diuina essentia, & immediatè in se ipsis. num.233. *Tres solutiones referuntur, & tanquam insufficientes prætermittuntur.* a nu.234.vsque ad 236.

Vera solutio traditur. num.237.*&* 238.

Aduersus illam replicatur. num.239.*&* 240.

Respondetur. a n. 241.vsq; ad num.243.

Vlterius instatur. num.244.*&* 245.

Respondetur. a nu.246.vsque ad nu.248.

Quarto arguitur, & instatur contra dicta, quia stat bene creaturas ratione sui terminare cognitionem diuinam, quin illam specificent.

Quod probatur ex D.Tho. tripliciter. a num.249. vsque ad num.251.

Respondetur. num.252.253.*&* 254.

Quinto arguitur, & contra solutionem instatur, ex eo quod stat bene obiectum ratione sui, & in se ipso immediatè terminare cognitionem, & non vniri cum intellectu per speciem propriam sui, vt constat in cognitione entis rationis, n.255.

Et confirmatur dupliciter. num.256.*&* 257.

Respondetur. a num.258.vsque ad 263.

§. VLTIMVS.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 326.

E*X dictis in hac, & præcedenti disputatione, colligitur primo, obiectum in quo* motiuè *Deus cognoscit creaturas, esse diuinam essentiam, vt distinctam virtualiter ab attributis, & relationibus; obiectum autem in quo terminatiuum, non esse solam essentiam diuinam; sed coalescere ex illa, & alijs, quæ Deum causam creaturarum constituunt. Et probatur.* a num.264.vsque ad num.270.

Colligitur secundo, Deum in scientia speculatiua creaturarum, quatenus reflexe cognita non cognoscere creaturas: nec in actu complacentiæ voluntatis diuinæ. Et probatur. a num.271.vsque ad 273.

Contrarium tenent plures Recentiores, quorum fundamenta proponuntur, & diluuntur. a num.274.vsque ad 279.

Tertio colligitur, Deum cognoscere creaturas cognitione directa in se, vt in specie, & Verbo illarum. num.280.

Colligitur quarto, Deum attributa sua cognoscere in sua essentia, & ex illa, creaturas autem in se ipso, non tamen ex se ipso cognoscere. num.281.*&* 282.

Quinto colligitur, Deum non solum naturas vniuersales, sed etiam singularia cognoscere. num.283.*&* 284.

Sexto colligitur, Deum cognoscere non entia. a num. 285.vsque ad 289.

Contrarium docuit Vazquez ea ductus ratione, quia si Deus ens rationis cognosceret, necessario illud faceret. num.289.

Hoc tamen non vrget, vt ostenditur. a n. 290.vsq; ad 292.

Sed restat explicare, an non entia, quibus ab intrinseco existentia repugnat, negationesque, & priuationes per dissensum solum cognoscantur a diuino intellectu: an vero etiam

per

FINIS.

TRACTA-

TRACTATVS PRIMVS.

De Deo Vno, & illius Attributis.

De quo D. Thomas q. 7. de Potentia per decem Articulos. In 1. Sententiar. dist. 2. & 3. 1. Contra Gentes cap. 8. & sequentib. & in hac 1. p. q. 2. & 3. vbi Angelicus Praeceptor, postea quam quaest. 1. proemiali, Theologiae proprietates discussit, eius excellentiam, necessitatem, & obiectum explicuit, variosque modos arguendi assignauit, & principia, ex quibus Theologia argumenta sumit, constituit: acturus de his, quae cadunt sub consideratione Theologica, exordium sumit à Deo, vtpotè inter illa primarium locum tenente. Cum autem in Deo duplex inueniatur veritas (non quidem ex parte sui, cum simplicissimus sit, sed ex parte nostrae cognitionis, qua ad diuina capessenda diuersimodè se habet) prima, ratione humana attingibilis, & demonstratiuè cognoscibilis, quae ad Deum vt Vnum pertinet: secunda, humanum captum excedens, quae spectat ad Deum vt Trinum; prius Deum vt Vnum, eiusque attributa considerat à q. 2. vsque ad 26. à q. autem 27. vsque ad 43. meditatur Deum vt Trinum. Igitur q. 2. agit de Existentia Dei: docens in primo art. non esse per se notam nobis. In secundo, posse à nobis demonstrari à posteriori. Et in tertio, Dei existentiam demonstrans. Quaest. 3. & deinceps agit de diuinis Attributis, cuius doctrinam, vt explicemus, & defendamus, sequentes Disputationes subijcimus.

DISPVTATIO PRIMA PRÆAMBVLA.

An Diuus Tomas recto ordine processerit, incipiens à Deo Vno?

§. I.

Rationes dubitandi proponuntur.

Nu. 1. *Prima ratio dubitandi.* Ratio dubitandi est; vt enim primo Posteriorum docetur, nulla scientia probat sui subiecti, vel obiecti existentiam, nec à priori, nec à posteriori, vt docet Commentator Auerroes *in 2. Physic. comm. 28.* approbatq; D. Th. *q. praeced. art. 7. in corp.* sed subiectum Theologiae est Deus, vt docet D. Th. *q. praeced. art. 7.* ergo illius existentiam non probat, sed supponit: ac proinde D. Th. Dei existentiam examinans, & demonstrans, recto ordine non processit. *Secunda.* Secunda est; vt enim docet D. Th *q. praeced. art. 8.* sicut aliae scientiae non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principijs, ad ostendendum alia, procedunt à Theologia ad sua principia probanda non arguit, sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum, sicut Paulus ad Corinth. 15. ex Resurrectione Christi argumentatus est ad communem resurrectionem probandam; sed vnum ex principijs Theologiae est, Deum esse, vt constat ex illo Pauli ad Hebraeos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*: ergo Theologia non probat Deum existere; ac proinde nec D. Th. id debuit probare.

Tertia; nam ordo doctrinae postulat, vt à facilioribus,
2 nobisq; notioribus incipiamus; sed creaturae sunt nobis no-
Tertia. tiores Deo, & ex illis in Dei cognitionem assurgimus. ergo: ordo doctrinae postulat, quod ab illis; non autem a Deo incipiamus: ac proinde D. Th. exordium sumens à Deo rectum ordinem inuertit. Idemq; videtur colligi ex alio communi principio, dicente, ab imperfectioribus esse incipiendum, quia nempe, sunt nobis notiora, etsi minus nota naturae; sed creaturae sunt minus perfectae Deo, Deus autem perfectissimus est: non ergo à Deo, sed à creaturis debebat D. Th. incipere. Tandem nam dato, quod à Deo esset exordium sumendum, non tamen oportebat, incipere à Deo, vt *Quarta.* Vno, sed à Deo vt Trino: ergo D. Th. à Deo vt Vno suum tractatum initians, recto ordine non processit.

Antecedens probatur; exordium sumendum est à subiecto, vel obiecto primario; sed obiectum primarium Theologiae non est Deus vt Vnus, sed vt Trinus: ergo non à Deo vt Vno, sed à Deo vt Trino incipere debuit, si à Deo erat exordium sumendum. Probatur minor: obiectum primarium Theologiae est Deus, vt est supernaturalis, sed solum vt Trinus est supernaturalis: nam vt vnus nostram cognitionem non superat; & consequenter non est supernaturalis: ergo non vt Vnus, sed vt Trinus est obiectum primarium Theologiae.

§. II.

Resolutio affirmatiua probatur.

His tamen non obstantibus, omninò asserendum est, D. Th. rectum ordinem obseruasse. Ad quod pro- 3

Ordo reftus D. Th. ostenditur 1. bandum, sola illius auctoritas esset sufficiens, cuius doctrina inter alia, mirificè præsulsit in ordine. Nec mirum; cum enim sapientis sit ordinare, sapientissimus non fuisset, si eius doctrina ab ordine defecisset. Et ostenditur primo: ordo enim doctrinæ postulat, vt à prioribus exordium sumatur; sed Deus est prior omnibus, de quibus in Theologia tractatur, & secundum se, & prout cadunt sub consideratione Theologica: ergo rectus ordo postulat, quod incipiatur a Deo. Consequentia tenet. Maior constat: nam posteriorum cognitio dependet à notitia priorum; ac proinde illam supponit. Minor pro prima parte nota videtur: nam Theologia tractat de Deo, & de his, quæ ab ipso procedunt: Deus autem prior est his, quæ procedunt ab illo, vtpote illorum causa efficiens, finalis, & exemplaris: ergo secundum se est prior omnibus, de quibus in Thelogia tractatur. Pro secunda parte probatur: nam obiectum secundarium, non attingitur à potentia, vel habitu, nisi dependenter ab obiecto primario, & per habitudinem, & respectum ad illum; aliàs obiectum primarium non adæquaret habitum, vel potentiam; sed obiectum primarium formale, *quod*, respectu Theologiæ est Deus, vt docet, probatq; D. Th. *q. præced. art. 7.* creaturæ autem, & alia, quæ Theologia considerat, sunt obiecta secundaria illius: ergo non attinguntur ab ipsa, nisi per respectum ad Deum, vt obiectum primariò consideratum, & consequenter Deus est prior omnibus de quibus tractat Theologia, non solum secundum se, sed etiam prout cadunt sub Theologica consideratione.

4 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & vrgetur primo: quia Deus est obiectum primarium nostræ fidei, cætera, quæ fides attingit, creduntur in ordine ad Deum, & Deus primo per illam attingitur; sed Deus est obiectum, vel subiectum primarium Theologiæ. alia autem, quæ ab ipso considerantur pertinent ad secundarium obiectum: ergo primum per illam cognitum, oportet esse Deum; & consequenter primo debet de Deo, & de ad ipsum secundum se pertinentibus

Secundo. agere. Confirmatur, & vrgetur secundo: quia namque ens reale est obiectum primarium nostri intellectus, & habitus Metaphysicæ; ens autem rationis secundario comparatur ad illa: primum cognitum nostri intellectus non est ens rationis, nec abstrahens ab ente rationis, & ab ente reali, sed ens reale determinatè, & similiter primum, de quo Metaphysica passiones demonstrat, non est ens in prædicta abstractione, nec vt contractum ad ens rationis, sed ens reale determinatè; sed obiectum primarium Theologiæ non est reuelabile mediatè abstrahens à creato, & increato, sed reuelabile mediatè increatum: ergo primum, à quo incipere debet, est ens increatum; cumque hoc negato, nihil de illo possit demonstrari, oportuit primo eius existentiam statuere: ac proinde recto ordine D. Th. processit; tùm de Deo agens priùs, quam de creaturis ab illo procedentibus: tùm etiam illius existentiam probando.

5 *Oppones 1. aduersus rationem istam.* Sed oppones aduersus rationem istam primo; obiectum primarium specificatiuum nostri intellectus est ens commune spirituali, & corporeo; & tamen primum cognitum à nostro intellectu pro hoc statu, non est ens in illa communitate, sed ens materiale, & corporeum concretum quidditati sensibili: ergo primo attactum ab habitu, vel potentia, non est necessarium, quod sit obiectum specificatiuum; & consequenter ex eo quod Deus sit obiectum primarium, & specificatiuum Theologiæ, non sequitur debere prius age-

Secundo. re de Deo. Secundo: nam obiectum specificatiuum Logicæ est secunda intentio rationis, vt communiter in Proemialibus Logicæ a Thomistis docetur; & tamen primum, de quo Logica tractat, non est secunda intentio in communi, sed vel à termino incipit, vel à definitionis, aut demonstrationis natura, vt frequentiùs traditur ab eisdem in Summulis: ergo ex eo quod Deus sit obiectum specificatiuum Theologiæ, non sequitur, quod in illa prius debeat de Deo agi.

6 *Resp. ad 1. primo.* Respondeo ad primam obiectionem primo, concessa maiori, negando minorem; vt enim in Proemialibus Philosophiæ docuimus: primum cognitum nostri intellectus, etiam pro statu coniunctionis cum corpore, est ens materiale, non sub ratione materialitatis, sed sub gradu entis, materialitate non cognita, nec vt *quo*, nec vt *quod* per primum actum, sed tantum de connotato importata, & antecedenter in phantasmatibus exercita; eo quod ex parte principij cognoscendi, nec vt *quod*, nec vt *quo* comparatur, sed tantum antecedenter. De quo fusè loco allegato.

Secundo respondeo, concessa maiori, & permissa minori, distinguendo consequens; si obiectum specificatiuum sit simul proportionatum proportione habitudinis, & attingibilitatis ab habitu, vel potentia, nego consequentiam: si proportionem non habeat, concedo consequentiam: & quia in sententia, quam admittimus, ens, vt sic, quamuis sit obiectum specificatiuum nostri intellectûs; & consequenter proportionatum cum illo proportione essentiali habitudinis; non tamen est cum illo proportionatum pro statu coniunctionis cum corpore, proportione accidentali, & attingibilitatis pro primo actu: sic, quod quamuis intellectum specificet, ab illo tamen per primum actum non attingatur; Deus autem specificat Theologiam & aliàs proportionem habet cum illa; & ideò terminat primam considerationem illius, etsi verum sit non posse terminare primum actum nostri intellectus, quia cum illo primo actu proportionem non habet: sicut ens reale, vt sic, quamuis nequeat primum actum nostri intellectus terminare in sententia, quam supponimus; potest tamen terminare primum actum habitus Metaphysici. 7 *Secundo.*

Ad secundam obiectionem dicatur: Logicam duplici modo procedere, doctrinaliter, nempè, & demonstratiuè, hoc est, instrumentorum Logicalium essentias definiendo, & eorumdem passiones demonstrando; in processu doctrinali incipit à termino, quia processus demonstratiuus dependet ab his instrumentis, nempè, à definitione, & demonstratione, & quia hæc ex propositionibus constat, & propositiones ex terminis componuntur; & consequenter in sui cognitione à terminis cognitione dependent: fit consequens, quod à termino incipiat, illius naturam, & essentiam declarando. Cæterum in processu demostratiuo, non à termino, sed à secunda intentione rationis incipiendum est: quia secunda intentio est obiectum formale *quod* Logicæ, vt cum veriori Thomistarum sententia ibi docuimus: Deus autem non dependet à creaturis, sed è contra creaturæ dependent à Deo; & aliàs Deus est obiectum formale *quod* Theologiæ; & ideo non est cur à creatura incipiatur, sed rectus ordo doctrinæ postulat, quod à Deo sumatur exordium. 8 *Ad secundam.*

Secundo suadetur Intentum; vt enim docet D. Th. *q. 1. art. 6.* Theologia est sapientia, & inter sapientias humanas, suprema; sed sapientia procedit per altissimas causas, vt ibi, & passim alibi docet Angelicus Doctor: ergo Theologia, vtpotè suprema sapientia debet per altissimam causam procedere; & consequenter illam primario cognoscere, & considerare; sed causa omnium suprema est Deus: ergo Theologia debet primo considerare Deum. 9 *Secundò prob. intentum.*

Denique probatur; vt enim docet D. Th. *q. 1. art. 4.* Theologia est scientia speculatiua, & practica; & consequenter ordinat de agendis à nobis; sed ordo nostrarum actionum incipit à fine, in ordine ad quem diriguntur: ergo consideratio Theologica à fine sumit exordium; & consequenter Deum primo considerat, qui est finis vltimus, in quem omnis actio recta dirigitur. His duobus argumentis vtitur M. Bannez *in præsenti q. 2. dub. præamonit.* *Tertiò.*

Ad quæ responderi potest ad secundum dicendo, quod licet sapientia petat per altissimam causam procedere; non tamen petit illam per se ipsam cognoscere, sed illius cognitionem supponere, vt alio lumine habitam; ac proinde ex ratione sapientiæ Theologiæ conueniente, non sequitur à Deo debere incipere. Ad tertium dicendo; cognitionem practicam de agendis, finis cognitionem supponere: non tamen à scientia practica eliciram, sed à superiori lumine, vt patet in prudentia, quæ est habitus practicus de agendis iudicans, & imperans; & tamen Dei, qui est finis vltimus, cognitionem non elicit, sed mediante fide habetur: ac proinde ex conceptu scientiæ practicæ in Theologia reperto, tantum colligitur, cognitionem Dei supponere: non autem quod ipsa circa Dei cognitionem versetur. 10 *Si dicas ad 2. probationē. Si respondeas ad tertiam.*

Sed vtraq; solutio ex non penetrata argumentorum vi procedit, quæ sic explicanda est. Theologia ex conceptu sapientiæ petit per altissimam causam procedere; & consequenter, quod cognitio causæ altissimæ effectuum cognitionem præcedat; ex conceptu scientiæ practicæ petit finis cognitionem, mediorum cognitionem præcedentem; sed tam causæ, quam effectuum cognitio, tam cognitio finis vltimi, quam cognitio mediorum sub illius ambitu continentur, vt supponitur ex *q. 1. art. 7.* ergo petit cognitionem primæ causæ, & vltimi finis, mediorum, & effectuum cognitionem præcedere, non vt habitam aliunde, sed vt à 11 *Vtraq; solutio impugnatur.*

Theo-

Theologia eliciram; & consequenter petit primo Deum considerare, & ab illo exordium sumere.

12 *A Deo, vt Vno esse incipiendum prob. S. THO.* Ratio autem cur à Deo, vt Vno, non autem, vt Trino, exordium in Theologia sumatur, paucis verbis dedit Angelicus Doctor 1. *Cont. Gent. c. 9.* sic dicens: *Deinde vt à manifestioribus nobis, ad minus manifesta fiat processus, ad illius veritatis manifestationem procedemus, quæ rationem excedit*. Ex quibus probatur assumptum: nam rectus ordo doctrinæ postulat, quod à manifestioribus nobis exordium summamus inter ea, quæ sub obiecto primario continentur, nisi causalitas, aut necessitas intercedens oppositum exigat; sed Deus vt vnus est nobis magis notus, quam vt Trinus; primum namque non excedit naturalem rationem; benè tamen secundum; & aliàs sub vtraq; ratione continetur sub obiecto primario Theologiæ, nullaque intercedit causalitas, aut necessitas oppositum ordinem exigens: ergo rectè D. Th. tractaturus de Deo, vt est Vnus, & Trinus, à Deo vt vno sumpsit exordium.

13 *Recto processit D. Tho. existentiam demonstrando.* Quod autem, recto ordine seruato, Dei existentiam demonstrauerit, probatur ex eodem D. Tho. *loco nuper allegato*, illis verbis: *Inter ea verò, quæ de Deo secundum seipsum consideranda sunt, præmittendum est, quasi totius operis fundamentum, consideratio, quæ demonstratur, Deum esse, quo non habito, supposita omnis consideratio de rebus diuinis necessario tollitur*. Ex quibus talis elicitur ratio: cognitio proprietatum subiecti, illius cognitionem supponit; de subiecto enim non cognito, nihil potest demonstrari, sed Theologia demonstrat proprietates de Deo; hoc enim est munus proprium scientiæ, de subiecto suo proprietates demonstrare: Theologiæ autem subiectum est Deus: ergo debuit vt necessarium fundamentum, Dei cognitionem præmittere, existentiamq; demonstrare.

14 *Dices.* Sed dices; demonstratio proprietatum subiecti, non supponit, necessario ipsum cognitum, vt existens, sed sufficit præcognitio quidditatiua subiecti, scilicet, quod præcognoscatur possibile, vt constat in Rosa, cuius proprietates in hyeme demonstrantur, quando Rosa non existit, & idem de alijs obiectis, vel subiectis, de quibus demonstrantur passiones, quamuis extra causas non existant, imò si existentia illorum exercita, necessario deberet cognosci non possent scientificè demonstrari proprietates; cum demonstratiua proprietatum cognitio, non sit veritas contingens, sed necessaria: ac proinde à veritate contingente, qualis est illa, qua illorum existentia enuntiatur, dependere non possit: ergo quamuis cognitio Dei possibilis, debeat necessario diuinarum proprietatum demonstrationem præire, cognitio existentiæ Dei, non necessario supponitur: ac proinde necessarium non est, Dei existentiam in Theologia demonstrare.

15 *Respond.* Respondeo, verum esse antecedens, loquendo de subiectis, & obiectis creatis, in quibus existentia prædicatum essentiale non est, sed contingens, & quæ possunt cognosci quidditatiuè: falsum autem loquendo de Deo. Tùm, quia à nobis in hoc statu non potest quidditatiuè cognosci; ac proinde vt de illo proprietates demonstrentur, præcognosci oportet cognitione quo ad *an est*. Tùm etiam, quia in illo existentia est essentialis; ac proinde non potest cognosci possibilis, quin cognoscatur existens: maneat ergo D. Th. rectum ordinem seruasse in Theologico processu, prius de Deo, quam de creaturis tractando, priusque de Deo, vt Vno, quam de ipso, vt Trino agendo, & tanquam fundamentum dicendorum necessarium, eius existentiam præmittens, atque demonstrans.

§. III.

Rationibus dubitandi fit satis.

16 *Prima solutio ad 1. rationẽ dubit.* Nec rationes dubitandi in oppositum obiectæ alicuius ponderis sunt. Ad primam quidam Recentiores respondent explicando Aristotelem de potissima demonstratione, quæ primam passionem probat, & sic verum est, nullam scientiam sui subiecti essentiam, vel existentiam demonstrare, aut probare; cùm quo benè stat, alio genere demonstrationis, scilicet, à posteriori essentiam, vel existentiam proprij subiecti demonstrare. Aliorum solutio est, *Secunda.* Aristotelis doctrinam procedere de scientia aliam superiorem habente: secus autem si superiorem aliam non habeat; hæc namque demonstrare potest proprij subiecti existentiam; & quia Theologia scientiam superiorem se non habet, rectè procedit, Dei existentiam demonstrando.

17 *Prima reijcitur primò.* Sed neutra solutio satisfacit, & contra primam facit primò, quod ex Commentatore in argumento retulimus, nempè, nec à posteriori, proprij subiecti existentiam posse ab aliqua scientia demonstrari; at demonstratio à posteriori, non est demostratio potissima, qua prima passio de subiecto demonstratur; ergo prædicta explicatio non sufficit. *Secundò.* Deinde: nam ex illa sequitur posse absolutè dici, nullam scientiam, primam, vel secundam passionem sui subiecti demonstrare; consequens est falsum: ergo & tradita explicatio. Probatur sequela; nam iuxta hanc explicationem, ideò dicitur ab Aristotele, existentiam proprij subiecti à scientia non demonstrari, quia non demonstratur eo modo, quo prima passio de subiecto demonstratur; sed nec etiam prima, vel secuoda passio demonstratur eo modo, quo tertia; ergo poterit absolutè dici, nullam scientiam demonstrare primam, vel secundam passionem de suo proprio subiecto. *Vltimò.* Denique: nam primus actus, per quem habitus scientificus gignitur, est ille, quo prima, vel secunda passio de subiecto demonstratur; sed si demonstraret essentiam, vel existentiam subiecti primus actus, quo generaretur habitus, esset illa demonstratio, & non illa, qua prima, vel secunda passio demonstratur de subiecto: ergo nulla scientia sui subiecti essentiam, vel existentiam demonstrat, etiam demonstratione diuersa ab ea, qua prima, vel secunda passio de subiecto demonstratur.

18 *Secunda solutio reijcitur primò.* Deinde secunda solutio reijcitur primo: nam ratio ista æquè probat de scientia non habente aliam superiorem se, ac de scientia aliam superiorem habente: ergo sicut hæc non probat proprij subiecti existentiam, vel essentiam, pariter nec illa potest sui subiecti existentiam, vel essentiam demonstrare. *Secundò.* Secundo; nam scientia aliam superiorem habens, non probat proprij subiecti existentiam, quia à superiori probatur; sed etiam potest ab inferiori probari; ergo quamuis superiorem aliam non habeat, non probabit proprij subiecti existentiam. Probatur minor: Metaphysica est scientia inferior Theologia, sed Metaphysica probat existentiam Dei, qui est Theologiæ subiectum: ergo scientia inferior potest existentiam subiecti scientiæ superioris probare.

19 *Ad. 1. obiectionem respond.* Quare his omissis solutionibus, ad primam obiectionem respondeo, veram esse maiorem, loquendo per se, & ex proprijs; sic enim nulla scientia, essentiam, vel existentiam proprij subiecti demonstrat, sed præcognitam supponit: falsam autem, loquendo in casu per accidens, & procedendo non ex proprijs, sed ex alienis, & extraneis, idest, alterius scientiæ principijs: sic enim benè potest proprij subiecti existentia ab aliqua scientia probari, & ita in nostro casu contingit; etenim nostra Theologia per se Dei existentiam vt cognitam præsupponit; vnde coniuncta scientiæ beatæ, cui per se subalternatur, non probat existentiam Dei, sed cognitam præsupponit, quia ibi est in statu perfecto, & sibi connaturali: quia tamen in statu viæ, Dei existentia ab intellectu nostro non cognoscitur perfectè, & aliàs cognitio existentiæ Dei præcedere debet ad demonstrationes Theologicas; fit consequens, quod per accidens ob defectum nostri intellectus, Theologia diuinam existentiam demonstret, & hoc non ex proprijs principijs, sed ex alienis cognitis per aliam scientiam, scilicet, per Metaphysicam. *Caiet.* Ita Caietanus *in præsenti q. 2. art. 3. in principio, quæst. præcedenti art. 5. circa solutionem ad 2. & art. 8. circa solutionem secundi argumenti*.

20 *Oppones primò.* Sed oppones primo; sequi ex illa solutione D. Thom. non vt Theologum, sed vt Metaphysicum, Dei existentiam demonstrare; consequens falsum videtur; aliàs non debuisset in præsenti, vbi Theologum, & non Metaphysicum agit, diuinam existentiam probare; ergo & tradita solutio. *Secundò.* Secundo; quia ex illa sequitur, Theologiam à Metaphysica accipere, & illi subordinari, quod derogat dignitati Theologiæ, & excellentiæ, qua præ Metaphysica gaudet, & scientijs naturalibus eminet, vt docet D. Th. *q. 1. art. 5.* Probatur sequela: de Deo cognito existente, Theologia proprietates demonstrat; sed cognitionem Dei existentis accipit à Metaphysica: ergo Theologia accipit sua principia à Metaphysica, & illi subordinatur.

21 *Tertiò.* Tertio: nam Theologia, non solum probat existentiam Dei, vt vnius, sed etiam existentiam Dei, vt Trini, vt constat ex D. Tho. *lib. 4. Cont. Gent. cap. 1. & sequentib. & in hac 1. p. q. 17.* vbi processionem personarum, & illarum Trinitatem pluribus congruentijs probat; sed hoc non præstatur à Metaphysica; hæc namque Deum, vt Trinum

non attingit: ergo Theologia non ex acceptis ab alia scientia, sed ex proprijs probat sui subiecti existentiam. Deniq;
Quarto. nam D. Th. *infra q. 14. art. 1.* probat, Deum esse naturæ intellectualis, quod prædicatum ad essentiam Dei pertinet; sed hoc non videtur posse à Metaphysica demonstrari; ergo Theologia non ex alienis, sed ex proprijs procedens, probat sui subiecti essentiam, & existentiam.

Respondeo ad primam replicam, negando sequelam:
22 nam licet Theologia non eliciat assensum demonstratiuum,
Resp. ad 1. obiectionem. quo ex creaturis Dei existentiæ assentimur; vtitur tamen demonstratione Metaphysica in ordine ad proprium finem, de quo subtiliter Caietanus *quæst. præcedenti art. 8. circa solutionem secundi*; vnde potest dici Theologiam imperatiuè ad demonstrationem illam concurrere: Metaphysicam autem *elicitiuè, & ministerialiter*.

Ad secundam. Ad secundam concedo quod Theologia aliquid à Metaphysica accipiat, & ab alijs Philosophicis disciplinis; nego tamen quod illis subordinetur subordinatione perfecta. Tùm quia ab illis non accipit sua principia, sed per reuelationem à Deo; vnde quamuis hæc veritas, *Deus est*, sit principium ex quo Theologia Dei proprietates demonstrat, non tamen est principium, vt à Metaphysica demonstrata, sed vt cognita per diuinam reuelationem, vt subtiliter no-
Caiet. tauit Caietanus *q. 1. art. 8. circa solutionem 2.* demonstrationibus autem Metaphysicis, & Philosophicis, quibus Dei existentia probatur, vtitur Theologia in ordine ad proprium finem, vt nempè, reuelatis facilius adhæreat, & vt argumentis Philosophorum contra fidei veritates respondeat, non solum ex creditis, hoc est, pro ratione reddendo, quia Deus hoc, vel illud reuelauit, quam responsionem irriderent Philosophi arguentes, sed etiam ex scitis & ex rationibus Philosophicis, quibus ostendatur, rationi naturali non aduersari, quæ reuelantur à Deo, aut ex reuelatis inferuntur à Theologis: vnde non accipit à scientijs naturalibus, vt à superioribus, sed eis vtitur, vt ministris, & sibi inferioribus.

Tùm etiam, quia hoc ipsum, quod sic eis vtitur, non est propter indigentiam Theologiæ, sed propter defectum nostri intellectus, qui ex cognitis naturali ratione, facilius manu ducitur in ea, quæ rationem excedunt. Ita D. Tho. *q. 1. art. 5. ad 2. & art. 8. ad 2.*

Sed dices; quandoque conclusio Theologica deducitur
23 ex vna præmissa de fide, & alia demonstrata in Philoso-
Dices. phia, vel in Metaphysica, vel in alia scientia naturali, vt in hoc discursu constat: *Omnis homo est risibilis Christus est homo Christus est risibilis.* Cuius minor fide creditur, maior autem demonstratur in Philosophia; sed conclusio huius syllogismi ab vtraque præmissa procedit, & vtrique, vt principio subordinatur: ergo Theologia aliquando accipit principia à Philosophia, vel Metaphysica; & consequenter illi
Respondetur. subordinatur. Respondeo, conclusionem Theologicam nunquam ex vtraque præmissa demonstrata, aut lumine naturali cognita procedere: ac proinde nunquam adæquata principia, ex quibus procedit, à scientijs inferioribus accipit; vnam autem ex præmissis multoties ab illis venatur, vt in exemplo adducto contingit. Cæterum nec tunc illas respicit, vt superiores, sed eis, vt inferioribus vtitur; tum, quia præmissa, quam accipit ab his scientijs naturalibus, non nisi vt subordinata alteri præmissæ fide creditæ ad assensum conclusionis concurrit. Tùm etiam, quia præmissam, quam accipit, veritati demonstratæ, & mediatè reuelatæ subordinat: ac proinde, etsi aliquando à scientijs naturalibus dependeat conclusio Theologica; illis tamen non subordinatur perfectè, nec illi subalternatur. De quo fusè *q. 1. art. 5. & 8.*

24 Ad tertiam impugnationem dicatur, congruentias naturales, quibus Trinitas personarum probatur, etsi à Theo- *Ad tertiã impugnationẽ respondetur.*
logia efficiantur, à principijs, vel notis lumine naturali, vel à Metaphysica demonstratis procedere, vt quod per intellectum diuinum Verbum producatur ad intra, probatur à D. Th. quia omnis intelligens hoc ipso, quod intelligit, Verbum producit: Deus autem est naturæ intellectualis; & ideò producit Verbum, quæ congruentia ex principijs Phi- *Secunda*
losophicis procedit. Vel potest responderi secundo etiam *solutio.*
prædictas congruentias esse à Philosophia, vel Metaphysica executiuè, vt Theologiæ ministrantibus; à Theologia autem imperatiuè: nam licet ratio naturalis non possit ad demonstrandum mysterium Trinitatis pertingere; illud tamen suadere reuelatione supposita, supra rationem naturalem non est: ac proinde congruentiæ, quibus mysterium Trinitatis suadetur, eius reuelatione supposita, à Metaphysica, vel à Physica possunt executiuè præstari. Et ex his ad vltimam impugnationem, nego minorem. Cum enim Deum esse *Ad vltimam.*
naturæ intellectualis, non excedat naturalem rationem, non est cur demonstrari à Metaphysica nequeat, supposito, quòd veritas demonstrabilis sit.

Et ex his ad secundam rationem dubitandi respondeo, 25
Deum existere, non esse principium Theologicum, idest, ex quo Theologia suas conclusiones deducat, quatenus ra- *Ad secũdã rationem dubitandi respondetur.*
tione naturali cognitum, sed quatenus fide creditum, qua ratione non probatur; & licet sub alia probetur, hoc non præstat elicitiuè Theologia, sed Metaphysica, vt Theologiæ ministrans. Ad tertiam rationem dubitandi respondeo, distinguendo maiorem: inter contenta sub obiecto *Ad tertiã resp. 1.*
primario, concedo maiorem: comparatione facta obiecti primarij, & secundarij, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet creaturæ sint nobis Deo manifestiores, non tamen continentur intra obiectum primarium Theologiæ, sed ad secundarium pertinent, & Deus solus est obiectum eius primarium: & ideò non ab illis, sed à Deo est incipiendum. Vel secundo, *Secundo.*
distinguo maiorem: si causalitas non intercedat, concedo maiorem: si intercedat, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam creaturæ causantur à Deo: Deus autem à creaturis non dependet, & ideò quamuis sint notiores nobis, quam Deus, Theologia, quæ scientia est & sapientia, non à creaturis, sed à Deo, qui est causa creaturarum, petit procedere.

Si dicas; licet Deus non dependeat à creaturis in essen-
do, in cognosci tamen à nobis, dependet ab illis: ergo ra- 26
tione huius dependentiæ, est ab illis incipiendum. Res- *Si dicas; Respondetur.*
pondeo, distinguendo antecedens: in cognosci cognitione Theologica, nego antecedens: cognitione antecedenti Theologiam, & ad alias scientias pertinente, concedo antecedens, & distinguo consequens: est ab illis incipiendum, vt cognitis cognitione antecedenti Theologiam, & ad alias scientias attinenente, concedo consequentiam: cognitione ad Theologiam pertinente, nego consequentiam. Ex quo solum sequitur, scientias alias naturales ad Theologiam præsupponi, non autem quod Theologia à creaturis debeat incipere.

Ad vltimam, nego antecedens. Ad illius probationem, 27
concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem *Ad vltimam.*
dicatur, obiectum *quod* formale Theologiæ esse omne ens diuinum, vt cadit sub reuelatione mediata, siuè Deo, vt vni conueniat, siuè vt Trino. Nec obstat probatio in contra: nam Deus sub omni ratione intrinseca est entitatiuè supernaturalis, quamuis in ratione cognoscibilis abstractiuè vt vnus, supernaturalis non sit; obiectum autem Theologiæ non petit esse supernaturale in ratione cognoscibilis abstractiuè, sed sufficit esse entitatiuè supernaturale. Et hæc de ista Disput. proœmiali sufficiant.

DISPVTATIO SECVNDA.

An Deum esse, sit per se notum?

§. I.

Deum esse, auctoritate probatur, & reijcitur sententia Enrici.

Nu. I. *Exponitur significatio nominis Dei.* D. TH. S. Aug.

DEI Nomine significari ens necessarium à se existens, incausatum, & quod sit aliorum causa, sentiunt omnes, qui illius significationem percipiunt; insuper significari id, quod optimum est, & quo maius, aut melius excogitari non potest, docuit D. Th. *Contra gentes cap. 11, in hac 1. p. q. 13. art. 8. ad 2. & in præsenti q. 2. art. 1. ad 2.* ex Augustino *lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 6.* vbi ait: *Omnes Latinæ linguæ periti, cum aures eorum sonus istius vocabuli Deus tetigerit mouet ad cogitandum excellentissimam quandam immortalemque naturam?* Quod docet ibidem *cap. 7. & lib 7.* confessionum: & ex Anselmo in prosologio *cap. 2. 3. & 4.*

2 *Error aliquorum Gentilium. Ciceron. Pluthar. Lactan. Vazq.*

Huius entis existentiam, quam cœli prædicant, maria resonant, & mundi machina conclamat, in præsenti inquirimus, & in examen vocamus. De illa primus dubitauit Protagoras, eamque expressè negarunt Diagoras, Cirenaicus, & alij, vt ex Cicerone *lib. 1. de natura Deorum in principio.* Plutharco *lib. de placitis Philosophorum cap. 7.* & Lactantio *lib. 1. diuinarum institutionum cap. 2. & lib. de Ira Dei cap. 9.* refert Vazquez *in præsenti disp. 20. cap. 1.* Qui Athæi, vel Athæistæ dicuntur, quia sine Deo; Athæus namque componitur ex præpositione *A*, & ex hoc nomine *theos*, quod Græcum est, idem significans, quod Latino Idiomate Deus. Quia ergo Deum negauerunt, Athæistæ, vel Athæi dicti sunt. Illis adiungit Vazquez, & meritò, politicos nostri temporis, qui nihil aliud attendentes, quam id, quod ad externam reipublicæ gubernationem pertinet, & religiosum cultum ad continendos populos in ciuili disciplina dumtaxat ordinantes, nullum alium Deum cogitant, quam sui conuenientiam, propriamque conseruationem; eisdem etiam adiungendi sunt Hæretici immortalitatem animæ negantes; cum enim, animam hominis, sicut bruti animam mortalem fateantur, facilem in Athæismum, vnum Deum negantes, declinant.

3 *Dei existentiam auctoritate probatur, fide credendam.*

Contra hos omnes firmiter tenendum est, & certa fide credendum, Deum existere, quod rationibus infra ostendemus, modò breuiter testimonijs scripturæ probatur. Genesis: illis verbis. *In principio creauit Deus Cælum, & Terram.* Exodi 3. *Ego sum, qui sum, qui est, misit me ad vos, ego sum Deus Abraham Deus Isaac, & Deus Iacob*: quibus locis, & passim alibi, Dei existentia declaratur. Vnde in Symbolo Athanasij primum, quod credendum proponitur est Deus. *Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, &c.* Et Paulus ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator est.*

4 *Argumentum in contrarium proponitur.* *Minor ostenditur primo.* *Secundo.*

Sed obstat contra hanc veritatem argumentum difficile; quod fide certum est, fidei assensum valet terminare; sed Deum esse, fide assensum terminare non potest: ergo fide certum non est. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo; fides namque est, *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, vt ex Paulo docent Theologi; sed Deum esse, non est aliquid non apparens, sed euidens mediata, vel immediata euidentia, vt infra videbimus: ergo Deum esse sub fide non cadit; & consequenter assensum fidei non terminat. Secundo probatur, quod fidei assensum terminat, creditur, quia Deus reuelat; sed Deum esse non potest credi, quia Deus reuelat: ergo fidei credi non potest. Maior constat; nam Dei veracis reuelatio, est obiectum formale *quo* fidei; sed omne quod fide creditur, cadit sub ratione illius formali, & creditur, quia cadit sub illo: ergo quod fidei assensum terminat, creditur, quia Deus reuelat.

Minor autem probatur; vt aliquid credatur, quia Deus reuelat, debet prius credi, Deum id reuelare prioritate formali, vel virtuali; vnde credens veritatem reuelatam à Deo, quasi virtualiter ita discurrit, *quidquid Deus reuelat, est verum; sed hoc Deus reuelat: ergo est verum.* In quo virtuali, aut quasi virtuali discursu prius saltem virtualiter datur assensus præmissis, quarum vna est, *Deus reuelat*, quam præbeatur conclusioni; sed antequam Deum esse credatur, non potest credi, Deum id reuelare prioritate formali, vel virtuali: ergo Deum esse, credi non potest, quia Deus reuelat. Probatur minor dupliciter; primo, nam Deum reuelare non potest credi, quin saltem simul Deum existere credatur, quia non ens, vel non existens, nec loqui, nec reuelare potest: ergo non potest credi Deum reuelare prius prioritate aliqua formali, vel virtuali, quam credatur Deum esse. Secundo; nam eo modo, quo aliqua se habent ad esse, comparantur ad cognosci; sed prius est Deum esse, quam loqui, vel reuelare, sicut virtualiter prius est esse, quam operari: ergo quoad cognosci, priùs est, Deum esse, quam Deum reuelare: ac proinde priùs creditur Deus existens quam reuelans, cum quo componi non potest, vt prius credatur, Deum reuelare, quam credatur Deum existere. 5

Minor probatur primo. *Secundo.*

6 *Vrgetur amplius.*

Quod ampliùs vrgetur: nam quod fide creditur, potest hoc discursu probari, *quidquid Deus reuelat, est verum; sed hoc Deus reuelat: ergo est verum*; sed Deum esse, non potest hoc discursu probari: ergo fide credi non potest. Probatur minor; in discursu probatiuo assensus conclusionis non debet in præmissis haberi; alias idem per se ipsum probaretur quod legitima probatio non sustinet; sed in hoc discursu, *quidquid Deus reuelat, est verum; sed Deus reuelat se existere: ergo existit*; Deum existere, cognoscitur in præmissis: ergo existentia Dei non potest hoc discursu probari. Probatur minor; non potest quis assentiri huic propositioni, *Deus reuelat*, quin assentiatur, vel priùs, vel simul huic, *Deus existit*; sed vna ex præmissis est hæc *Deus reuelat se existere*; ergo in præmissis cognoscitur Deum existere; & consequenter ex illis non potest congruè Dei existentia probari.

7 *Respondetur primo.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem respondere potest primò, fidei obiectum non apparere credenti ex vi medij, cui innititur fides, & in hoc sensu dicitur argumentum non apparentium; non autem excluditur, quin possit alio lumine, & medio apparere, aut euidenter cognosci. Vnde ex eo quod Deus vt vnus euidenter ex creaturis cognoscatur, non tollitur, quod possit actum fidei terminare, prout subest testimonio, & reuelationi diuinæ, ex vi cuius non apparet, nec euidenter, sed obscure cognoscitur. Ita Auctores, qui scientiam, & fidem de eadem veritate simul componunt.

8 *Secundo.*

Quia tamen sententia opposita docens, non posse eandem veritatem ab eodem intellectu esse simul scitam, & creditam, probabilior est, ideo respondetur secundo ad primam probationem minoris, distinguendo, & explicando maiorem: est argumentum non apparentium actu subiecto credenti, concedo maiorem: non apparentium habitu, vel in potentia, nego maiorem; & sub eadem distin-

ctione minoris, nego conſequentiam; vel diſtinguo conſequens: in illo, qui actu euidenter Deum eſſe cognoſcit, concedo conſequentiam: in eo, qui ſolum in potentia euidentem habet cognitionem de exiſtentia Dei, nego conſequentiam; vt enim quis actu credat aliquam veritatem, ſolum petitur, quod actu illam euidenter non cognoſcat: ac proinde ſi Philoſophus Chriſtianus actu non exeat in euidentem cognitionem de Deo, poterit per fidem illius exiſtentiæ aſſentiri.

9 *Ad ſecundam probationem reſpondetur.* Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad primam probationem dicatur, Deum loqui, diuerſam veritatem eſſe, ac Deum exiſtere, nec vt primum credatur, debet ſecundum expreſsè, & formaliter credi, ſed ſufficit, ſi credatur virtualiter, & implicitè: ſic autem credi Deum exiſtere per aſſenſum, quo creditur, Deum reuelare, inconueniens non eſt, nec tollit, quin per eundem aſſenſum, prout directè terminatum ad veritatem reuelatam, expreſsè, & formaliter credatur; nam terminatio implicita virtualiter præcedens non impedit expreſſam terminationem formalem ſubſecutam. *Ad ſecundam minoris probationem.* Ad ſecundam minoris probationem, diſtinguo, & explico maiorem: ad cognoſci quidditatiuum, & à priori, & per medium intrinſecum, concedo maiorem: ad cognoſci per medium extrinſecum, vel à poſteriori, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam cognitio fidei innititur medio extrinſeco, ac proinde neceſſarium non eſt, quod eundem ordinem ſeruet in ſui terminatione, qui conuenit obiecto in eſſendo, nec quod priùs terminetur ad exiſtentiam diuinam, quam ad Dei reuelationem, ſicut etiam in cognitione à poſteriori dictus ordo non ſeruatur, ſed potius oppoſitus; cum in illa priùs terminet cognitionem, quod in eſſendo eſt poſterius.

10 *Ad confirmationem.* Et ex his ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, diſtinguo maiorem: expreſsè, & formaliter, concedo maiorem; implicitè, & virtualiter, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam licet in præmiſſis aſſenſus concluſionis formaliter non contineatur, ob rationem inſinuatam, virtualiter, & implicitè neceſſarium eſt contineri; aliàs ex illis non inferretur. In his autem præmiſſis, *quidquid Deus reuelat eſt verum: ſed Deus reuelat ſe exiſtere*, non continetur expreſſe, & formaliter aſſenſus huius veritatis *Deus exiſtit*, ſed tantum implicitè, & virtualiter, vnde ex illis legitimè poteſt deduci. Sed de his plura 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. vbi agitur de obiecto fidei, & de illius reſolutione.

11 *Refutatur Henricus.* Deinde reijciendus venit Henricus, qui in ſumma *quæſt.* 2. *art* 22. teſte Aureolo *vbi infra art.* 1. aſſerit, Deum, eſſe quod primo intellectui noſtro obijcitur cognoſcendum, ductus primò; nam quod eſt ratio cognoſcendi omnia, oportet primo cognoſci; ſed Deus eſt ratio cognoſcendi omnia: ergo eſt primum, quod ab intellectu noſtro cognoſcitur. Secundò, nam obiectum intellectus eſt verum; ſed Deus eſt primum verum, à quo omnis veritas deriuatur: ergo eſt primum cognoſcibile. Tertiò; nam Deus eſt lux ſpiritualis: ergo ſe habet reſpectu noſtri intellectus, ſicut lux corporalis reſpectu potentiæ viſiuæ; ſed primum quod à potentia viſiua videtur, eſt lux corporalis: ergo primum quod ab intellectu noſtro cognoſcitur, eſt Deus.

12 *Sententia Henrici reijcitur primò.* Verum hæc ſententia diſplicet communiter Theologis, & Metaphyſicis, & reijcitur primò; nam obiectum intellectus noſtri proportionatum pro hoc ſtatu eſt ens concretum quidditati ſenſibili; cum enim omnis noſtra cognitio ortum habeat à ſenſu, id, quod ab intellectu noſtro cognoſcitur, per ſe ipſum debet præexiſtere in phantaſmatibus, quod ſoli competit enti concreto quidditati ſenſibili; ſed Deus eſt ens omninò ſpirituale, nulli materiæ concretum: ergo proportionatus cum intellectu noſtro non eſt, & conſequenter non poteſt ab illo primo cognoſci. *Secundò.* Secundò; nam intellectus noſter, vtpotè agens imperfectum, exit de potentia ad actum; & conſequenter prius in actum prorumpit circa obiectum potentialius inter obiecta ſibi proportionata; ſed Deus eſt ens actualiſſimum, & inter omnia obiecta perfectiſſimum: ergo dato quod proportionatus eſſet, non terminaret primum actum noſtri intellectus. *Tertiò.* Tertiò; nam, quod primo ab intellectu cognoſcitur, debet vel per ſe ipſum, vel per ſpeciem propriam ſui ex parte actus primi vniri cum intellectu, vt ſimul cum illo ad intellectionem concurrat; ſed nullo ex his modis vnitur Deus cum intellectu noſtro pro hoc ſtatu: ergo nequit ab illo primo cognoſci, ſed debent prius cognitionem terminare illa obiecta, per quorum ſpecies Deus ſecundo cognoſcitur. Videatur D. Tho. 1. *p. quæſt.* 12. *art* 4. *quæſt.* 84. *art.* 7. *& ſuper Boetium de Trinitate quæſt.* 1. *art.* 3.

Nec motiua in oppoſitum vrgent. Ad primum reſpondeo, diſtinguendo maiorem: quod eſt ratio cognoſcendi obiectiuè formaliter, omnitto maiorem: quod eſt ratio cognoſcendi cauſaliter effectiuè, aut exemplariter, nego maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, nego conſequentiam. Nam Deus non eſt intellectui noſtro ratio cognoſcendi obiectiuè; non enim alia cognoſcit ſub ratione deitatis, ſed ſub ratione entitatis, à qua ſuam ſpeciem ſumit, ſed tantum eſt ratio cognoſcendi cauſaliter effectiuè, cauſando intellectum agentem, medio quo abſtrahuntur ſpecies à phantaſmatibus, & intellectum poſſibilem, à quo elicitur cognitio, & inſuper cognitionem; & ideo non eſt neceſſarium quod primò, intellectui noſtro obijciatur cognoſcendus. 13 *Ad primum motiuum Henrici reſpondetur.*

Ad ſecundum, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam, quæ teneret, ſi omnis veritas eſſet à veritate diuina formaliter; ex eo tamen, quod omnis veritas ſit à veritate diuina effectiuè, aut exemplariter, & Deus ſit primum verum, à quo omnis veritas illo modo deriuetur: non ſequitur, debere primò cognoſci. Tum; quia improportionatus eſt cum noſtro intellectu pro hoc ſtatu. Tum etiam, quia licèt proportionatus eſſet, quia tamen perfectiſſimum, & actualiſſimum eſt, non poteſt primò cognoſci. Tum denique; quia neceſſarium non eſt, vt intellectus veritatem cognoſcens, cauſam efficientem, aut exemplarem veritatis cognitæ attendat: ac proinde nec eſt neceſſarium, quod priùs illam cognoſcat. 14 *Ad ſecundum.*

Sed dices; ignorata cauſa neceſſario ignoratur effectus, qui ſicut ab illa dependet in eſſe, ita in cognoſcendo, nam vnumquodque ſe habet ad cognoſci ſicut ad eſſe; ſed Deus cauſa eſt omnis veritatis creatæ: ergo Deo ignorato, neceſſariò veritas creata ignoratur; & conſequenter non poteſt veritas creata cognoſci non præcognito Deo. Ex quo vlteriùs ſequitur, debere primò ab intellectu noſtro cognoſci. 15 *Dices.* *Reſpondetur.* Reſpondeo negando maiorem. Nam effectus poteſt cognoſci quidditatiuè per hoc quod intrinſeca principia illius cognoſcantur, ad quod neceſſarium non eſt, extrinſecas eius cauſas cognoſci; poteſt etiam cognoſci quoad *an eſt*, non præcognitis cauſis extrinſecis, imò ex effectu ſic cognito ſurgit intellectus ad cognitionem cauſæ, nec neceſſarium eſt, quod ab eiſdem cauſis a quibus in eſſendo dependet, vt præcognitis, in omni ſua cognitione dependeat; ſed ſi extrinſecæ ſint, & non eſſentiales poteſt effectus comprehenſiuè cognoſci, illis omninò ignoratis; ſi autem dependentia à cauſis extrinſecis ſit eſſentialis, poterit effectus imperfectè cognoſci, extrinſecis cauſis non cognitis, vt verò perfectè, & comprehenſiuè cognoſcatur neceſſum erit extrinſecas cauſas cognoſci ex vi eiuſdem cognitionis ad illas, ſaltem in obliquo terminatæ: non autem quod cauſæ cognoſcantur ante cognitionem effectus; ex quo ſolum ſequitur, non poſſe effectus creatos comprehendi non cognito Deo, ſaltem indirectè, & in obliquo, quod libenter fatemur: non autem, quod cognitio Dei præcedere debeat illorum cognitionem, etiam perfectam, & comprehenſiuam, qualis eſt illa, quam habet intellectus Angelicus de effectibus naturalibus.

Ad vltimum fundamentum pro ſententia Henrici adductum, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Nam lux corporalis eſt proportionata cum potentia viſiua, eſtque; illius obiectiua ratio formalis; Deus autem quamuis ſit lux ſpiritualis, eſt improportionatus cum noſtro intellectu pro hoc ſtatu; & ideo non poteſt ratione ſui ab illo pro hoc ſtatu cognoſci, nec poteſt eſſe ratio formalis obiectiua ſpecificans aliquem intellectum creatum. Et quidem ſi argumentum aliquid probaret, conuinceret, quod ſicut lux corporalis perfectè poteſt attingi a potentia viſiua ratione ſui abſque præuia eleuatione, ita Deum perfectè poſſe ab intellectu creato non eleuato cognoſci, quod hæreticum eſt. Ita D. Th. in 1. *diſt.* 3. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. 16 *Ad vltimum motiuum Henrici reſpondetur.*

§. II.

Referuntur ſententiæ.

His igitur præſuppoſitis, quod in dubium vertimus eſt, an Deum eſſe ſit veritas per ſe nota? Circa quod plures verſantur ſententiæ. Prima docet, Deum exiſtere non 17 *Prima ſententia.*

esse per se notum secundum se, nec quoad nos; putant enim istius sententiæ Auctores, fieri non posse, vt aliqua propositio sit per se nota secundum se; & non per se nota nobis. Pro hac referuntur Scotus *in 1. dist. 2. q. 2.* Ochan *dist. 3. q. 3.* Gabriel *quæst. 4.* & Gregorius Ariminensis *in 1. dist. 1. q. 1. art. 2.* Quos sequitur Arriaga: *Tract. de Deo Vno disp. 2. sect. 1.* distinctionem illam propositionis per se notæ rejiciens.

Scotus. Ochan. Gabriel. Arim. Arriaga.

18 Secunda per extremum affirmat, esse per se notum, non solum secundum se, sed etiam nobis viatoribus. Hæc tribuitur Alberto *in summa tract. 3. quæst. 7.* Bonauenturæ *in 1. dist. 8. art. 1. q. 2.* Ægidio *dist. 3. q. 2.* Argentinæ. *dist. 3. q. 1. art. 3.* Abulensi *in caput 5. Exodi quæst. 2.* & Michaeli de Palacio *quæst. 5. prolog.*, vbi pro illa refert Damascenum *lib. 1. fidei orthodoxæ cap. 1.* Ciceronem *lib. 1. de natura Deorum*, & Platonem *de legibus lib. 10.* Fauent eidem sententiæ Anselmus *in proslogio cap. 2.* Altisiodorensis *lib. 1. Summæ cap. 1.* Alensis *1. p. q. 3.* & Aureolus *in 1. dist. 2. p. 2. q. 1. art. 6.*

Secunda. Albertus. Bonauent. Ægidius. Argent. Abulens. Palacio. Damasc. Ciceron. Platon. Anselmus. Altisiodor. Alensis. Aureolus.

Tertia, inter vtramque media, defendit, Deum existere, esse per se notum, non omnibus, sed sapientibus. Pro hac refert Vazquez plures ex Auctoribus adductis pro secunda sententia. Illam expresse tenet Albertus *1. p. summæ tract. 3. q. 17.* quem sequitur Raphael de Auersa *q. 2. de Deo sect. 1. dicto 2.* In eamq; inclinare videtur noster S. Tho. *q. 2.*

19 *disp. 3. art. 1.* vbi ait, esse per se notam sapientibus, & discurrentibus, idest supposita sapientia, & discursu; sed meo iudicio sapientissimus Magister confundit propositionem notam cum propositione per se nota; cum tamen longissime distent; nam propositio cognita per discursum, nota est discurrenti, non tamen est per se nota, sed potius per aliud, scilicet per medium probatiuum, cui discursus innititur: ergo si Deum esse soli discurrenti est notum, non est per se notum, sed potius per aliud; nisi forte velit, quod supposito discursu, detur in nostro intellectu notitia existentiæ Dei distincta ab illa, quæ per discursum habetur, innitens solis terminis prædictæ propositionis discursu ad hoc deseruiente, vt eius termini explicentur.

Tertia. Vazquez. Albertus. Auersa. S. Thom.

20 Quarta sententia, reiecta etiam distinctione illa propositionis per se notæ secundū se, vel quoad nos, docet, Deum esse sub conceptu Deitatis, esse veritatem per se notam, quamuis a nobis viatoribus non possit sub ea ratione cognosci, quod per accidens est ad rationem propositionis per se notæ, non tamen esse per se notum quod Deus sit, quatenus conceptibilis sub ea ratione, qua potest a nobis naturaliter cognosci, scilicet primæ causæ incausatæ, vel simili. Hanc tenet Theodorus Smising. *Tractatu de Deo Vno disp. 1. q. 1. & 2.*

Quarta. Smising.

21 Vltima, & vera sententia defendit, Deum existere, esse per se notum secundum se, non tamen nobis viatoribus. Hanc tenet D. Th. *in 1. dist. 3. q. 1. art. 2. quæst. 7. de potentia art. 2. ad vltimum argumentum q. 10. de veritate, art. 12. lib. 1. contra gentes cap. 11. & in præsenti q. 2. art. 1.* D. Th. sequuntur Capreolus *in 1. dist. 2. quæst. 2. art. 1.* Hispalensis *ibidem.* Ferrara *lib. 1. contra gentes cap. 11.* Caietanus *in præsenti art. 1.* Bannez *in eodem art. dub. vnico.* Zumel *q. vel disp. vnica circa eundem art.* Nazar. *controuersia 1. & 2.* Nauarrete *tom. 1. controuersia 13.* Albeida *disp. 11.* & cæteri Recentiores Thomistæ. Tenet etiam Richardus *in 1. dist. 3. art. 1. q. 1.* & Durandus *in eadem dist. q. 3.* Eandem sententiam ex PP. Societatis sequuntur Molina *in præsenti art. 1.* Etsi distinctionem illam propositionis per se notæ secundum se tantum, & secundum se quoad nos, non admittat, de propositionibus ipsis loquendo, sed tantum de rebus significatis; & cum eadem limitatione Vazquez *disp. 19. cap. 2. & sequentibus.* Sine tali limitatione Valentia *punct. 1.* Granadus *controuers. 1. tract. 1. disp. 1. sect. 2.* Fasolis *in præsenti art. 1. dubitatione 1. & sequentibus;* Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo Vno disp. 14. cap. 2.* Quibus frequenter alij Recentiores adhærent. Pro cuius explicatione sit.

Vltima, & vera. S THO. Capreolus. Hispalens. Ferrara. Caietan. Bannez. Zumel. Nazar. Nauar. Albelda. Richard. Durand. Molina. Vazquez. Valentia. Fasolis. Granad.

Prima conclusio. Hæc propositio *Deus existit*, est per se

22 nota secundum se. Ita Auctores, quos pro secunda, tertia, & vltima sententia retulimus. Et probatur ratione D. Th. in præsenti ad hanc formam redacta. Propositio, cuius prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, est per se nota secundum se; sed prædicatum huius propositionis, *Deus existit*, est de intrinseca ratione subiecti; Deus enim est suum esse, vt probat D. Th. *q. 3. sequenti art. 4.* ergo est per se nota secundum se. Minor cum consequentia tenet. Maior autem, quam D. Th. non probat, sed tanquam notam supponit, potest ita declarari, & probari; propositio immediata in materia necessaria est per se nota secundum se; sed propositio cuius prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, est immediata in materia necessaria: ergo est per se nota secundum se. Consequentia tenet, Minor videtur certa; nam propositio immediata, illa est, inter cuius prædicatum, & subiectum, nihil mediat; sed inter subiectum, & prædicatum, quod est de intrinseca ratione illius nihil mediat; prædicata namq; essentialia, sine medio connectuntur: ergo propositio, cuius prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, est propositio immediata, & cum interueniat necessaria connexio, est immediata in materia necessaria. Maior autem probatur: illa propositio est per se nota secundum se, quæ quantum est de se, ad sui euidentem cognitionem, medio probatiuo ab extremis distincto non indiget, sed propositio immediata in materia necessaria ad sui euidentem cognitionem medio probatiuo ab extremis distincto, quantum est de se, non indiget; cum eo ipso, quod extrema immediatè connexa perfectè cognoscantur, cognoscatur illorum immediata connexio: ergo propositio immediata in materia necessaria, est per se nota secundum se.

Probatur prima conclusio.

§. III.
Obiectionibus occurritur.

Sed contra rationem istam insurgunt Recentiores primò; propositio, in qua prima passio prædicatur de subiecto, aut saltem de definitione subiecti, est immediata in materia necessaria; & tamen non est per se nota secundum se: ergo falsum est propositionem immediatam in materia necessaria, esse per se notam secundum se; & consequenter ratio nostra efficax esse non potest, vtpote ex falso aliquo principio procedens. Maior constat; nam esto inter subiectum, & primā passionem mediet aliquid, nempe definitio subiecti, inter definitionē subiecti, & primam passionē nihil mediat; & alias prima passio necessario cōnectitur cum illa; ergo propositio in qua prima passio prædicatur de subiecto, vel saltem de definitione subiecti, est immediata in materia necessaria. Minor autem probatur; nam iuxta D. Th. in præsenti, propositio per se nota secundum se est illa cuius prædicatum est de intrinseca ratione subiecti; sed prima passio non est de intrinseca ratione subiecti, nec definitionis illius; cum sit extrà essentiam; & consequenter extrà definitionem subiecti, nec de illo prædicetur in primo, sed tantum in secundo modo dicendi per se: ergo non est per se nota secundum se. 23

Objicies primo.

Nec sufficit respondere, propositionem, in qua prima passio prædicatur de subiecto, aut definitione subiecti, v.g. discursiuum de homine, nec immediatam esse, nec per se notam, quia demonstrari potest per definitionem subiecti in hunc modum. *Omne aptum ad discurrendum, est discursiuum, omne animal rationale est aptum ad discurrendū: ergo est discursiuum.* Non inquam sufficit; nam saltem propositio, in qua definitio passionis prædicatur de definitione subiecti, est immediata, v. g. hæc, *animal rationale est aptum ad discurrendum*; & tamen per se nota non est, si argumentum robur habet; cū definitio passionis, sit extra definitionē subiecti, non minus, quā passio est extra subiecti esse iam: ergo argumentum factum tradita solutione non soluitur. 24

Si dicas. Contra.

Illo conuictus, Fasolis vbi supra *dubitatione 2. ad 5.* docet, propositionem, in qua prima passio, prædicatur de subiecto, aut de illius definitione, esse quidem immediatam, vt argumento conuincitur, non tamen esse per se notam secundum se, vnde non omnis immediata propositio est secundum se per se nota, sed tantum illa, quæ est in primo modo dicendi per se, idest, in qua prædicatum essentialiter, enunciatur, quod probat ex doctrina D. Th. *in hoc art. in corpore*, definientis propositionem per se notam, per hoc quod prædicatum sit de intrinseca ratione subiecti. Sed non placet illius Auctoris doctrina; vt enim proxime argumentabamur, esse per se notam aliquam propositionem, consistit in non indigentia medij probatiui ab extremis propositionis distincti ad sui euidentem cognitionem; sed eo ipso, quod propositio sit immediata in materia necessaria, quamuis non sit in primo, sed in secundo modo dicendi per se, quantum est de se, non indiget medio probatiuo ab extremis ex quibus constat, distincto ad sui euidentem cognitionem: ergo omnis propositio immediata in materia necessaria, est secundum se per nota. 25

Fasolis doctrina. Contra.

Qua-

26 *Vera solutio argumenti.* Quare ad argumentum factum responden, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem responderi potest primo, distinguendo maiorem, cuius prædicatum est de intrinseca ratione subiecti formaliter, aut virtualiter proximè, concedo maiorem: necessariò formaliter, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet prima passio non sit de intrinseca ratione subiecti formaliter, hoc est secundum suum esse formale; est tamen de intrinseca ratione subiecti, virtualiter proximè, hoc est, secundum id, ratione cuius cum subiecto connectitur; nam ratio proxima conueniendi passionem primam subiecto, est ipsum esse subiecti, & illius prædicata essentialia; ac proinde ipsa, quamuis non ratione sui, ratione tamen illius, quo cum subiecto connectitur, & ratione cuius conuenit, est de intrinseca ratione subiecti, quod sicut sufficit, vt propositio sit immediata, sufficit etiam, vt sit secundum se per se nota, quia sufficit; vt quamuis est de se, possit euidenter cognosci absque medio probatiuo ab extremis, ex quibus constat, distincto. Ita Caietanus, & Ferrara vbi supra.

27 *Dices.* Sed dices: hæc propositio *homo existit*, non est per se nota secundum se; & tamen prædicatum est de intrinseca ratione hominis virtualiter proximè: ergo ad rationem propositionis secundum se per se notæ non sufficit prædicatum esse de intrinseca ratione subiecti virtualiter proximè. Maior constat ex doctrina D. Th. *quæst. 10 de veritate art. 12. in corpore*; vbi vniuersaliter de omni creatura loquendo, docet, non posse dici de aliqua creatura, quod eam esse, sit per se notum secundum se, eo quod cuiuslibet creaturæ esse, est aliud ab eius quidditate: ergo dicta propositio non est secundum se per se nota. Minor autem probatur; ideo prima passio est de intrinseca ratione subiecti virtualiter proximè, quia immediata ratio conueniendi passionem primam subiecto est ipsa essentia subiecti, sed immediata ratio conueniendi existentiam homini est essentia hominis; nam inter essentiam, & existentiam nullum prædicatum mediat: ergo existentia est de intrinseca ratione hominis virtualiter proximè: Et confirmabis; nam ratio, qua *Confirmatur.* probat D. Th. non posse de aliqua creatura dici, quod eam esse sit per se notum, etiam secundum se, est; quia cuiuslibet creaturæ esse, est aliud ab eius essentia; sed intellectus v. g. qui est prima passio intellectualis naturæ est aliud ab essentia naturæ intellectualis, cum in sententia D. Th. realiter distinguatur ab illa: ergo non potest dici de illa, quod esse proximè intellectiuum, sit per se notum, etiam secundum se.

28 *Respondetur ad replicam.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad probationem, nego etiam minorem. Nam ratio conueniendi homini existentiam, non est essentia hominis cum inter essentiam, & existentiam connexio per se non detur, sed ab extrinseco venit, nempe ab actione extrinseca agentis; quo circa prædicatio existentiæ de creatura, est prædicatio accidentis quinti prædicabilis: ac proinde existentia, nec formaliter, nec virtualiter proximè est de intrinseca ratione hominis. Et ex his ad confirmationem dicatur, ideo creaturam existere, non esse secundum se per se notum, quia est *Ad confirmationem.* aliud à creatura, tam formaliter, quam virtualiter proximè: intellectus autem et si secundum esse formale sit aliud à natura intellectuali, sed secundum esse virtuale proximum non est aliud ab illa; nam ratio proxima qua naturæ intellectuali conuenit intellectus est tali naturæ essentialis, imo est ipsissima essentia talis naturæ.

29 *Instabis.* Instabis; nam inde probatur connexio per se inter proprietatem, & essentiam, quia posita essentia, necessario passio consequitur, nisi Deus eius luxum impediat; sed posita essentia hominis, necessario consequitur existentia, eaque necessitate, vt Deus id vitare non possit; implicat enim actualitas essentiæ vt exercita sine actualitate existentiæ: ergo inter essentiam, & existentiam interuenit necessaria connexio, si talis connexio datur inter proprietatem, & essentiam; & consequenter sicut ratio conueniendi essentiæ primam passionem, est essentialis naturæ, ita ratio conueniendi existentiam rei creaturæ est [illegible].

30 *Respondetur primo.* Respondeo distinguendo maiorem: quia necessario consequitur ob exigentiam essentiæ, concedo maiorem: præcisè quia necessario consequitur, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam quod existentia ponatur, posita actualitate essentiæ, non prouenit ex exigentia essentiæ, nec ex connexione illius cum existentia; sed quia exercitium actualitatis essentiæ non potest sine existentia saluari, quod autem proprietas consequatur, prouenit ex connexione, & exigentia intrinseca essentiæ cum proprietate. Et quidem obiectio ista ab omnibus est diluenda; omnes enim fatentur, proprietates dici de essentia in secundo modo dicendi per se, existentiam verò, hoc modo perseitatis de creatura non dici, sed omnino accidentaliter.

Secundo; responderi potest, ad minoris probationem, distinguendo, & explicando maiorem: conuertibiliter, & adæquatè, nego maiorem: inadæquatè, & inconuertibiliter, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Nam licet verum sit, & à D. Tho. asseratur, propositionem, in qua prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, esse per se notam secundum se, non tamen docet solum propositionem illam esse per se notam; ac proinde ex hoc quod propositio, in qua prima passio affirmatur de subiecto, aut de illius definitione, essentialis non sit, non colligitur, non esse per se notam secundum se. 31 *Secundo.*

Sed obijcies contra illam solutionem primo; nam D. Th. præmissa diuisione per se noti, in secundum se, & quoad nos, de ipso dictio loquens, sic subdit: *Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota, quod prædicatum includitur in ratione subiecti*: ergo iuxta D. Tho. ideò aliqua propositio est per se nota, quia prædicatum in ratione subiecti includitur. Ex quo vlterius sequitur, solam illam propositionem esse per se notam, quæ constat prædicato essentiali. Prima consequentia patet; nam ly *ex hoc* causalitatem importat; sed D. Th. ait, ex hoc aliquam propositionem esse per se notam, quod prædicatum clauditur in ratione subiecti: ergo ideo est per se nota, quia constat prædicato incluso in ratione subiecti. Secunda consequentia probatur; nam propositio causalis, includit vniuersalem exclusiuam, vt si dicas; *quia aliquid est rationale, est risibile*, per bonam consequentiam infertur: *ergo omne, & solum rationale est risibile*: ergo si ideo propositio est per se nota, quia prædicatum clauditur in ratione subiecti, omnis, & sola propositio, quæ constat prædicato incluso in ratione subiecti, erit per se nota. 32 *Objicies primo.*

Secundo ex eodem D. Th. *q. 10. de veritate art. 12. in corpore*, illis verbis: *Ad hoc, quod aliquid sit per se notum, nihil aliud requiritur nisi vt prædicatum sit de ratione subiecti; tunc enim subiectum cogitari non potest sine hoc, quod prædicatum sibi inesse appareat*. Ergo sentit D. Th. ad per se notum hoc, & nihil aliud requiri, quod scilicet prædicatum sit de ratione subiecti; & consequenter sine illo per se notum non saluari. Præterea; nam ratio, cur hoc requiratur, & nihil aliud, redditur à D. Th. nempè, quia tunc subiectum cogitari non potest sine hoc, quod prædicatum sibi inesse appareat: ergo est conditio propositionis per se notæ, vt subiectum perfectè cogitari non possit sine apparentia conuenientiæ prædicati; sed eo ipso, quod prædicatum non sit de intrinseca ratione subiecti, potest cogitari perfectè subiectum sine apparentia conuenientiæ prædicati: ergo eo ipso propositio per se nota non est. 33 *Secundo.*

Hæc tamen non cogent à solutione, quam ex Capreolo, Caietano, & Ferrara sequentes tradunt Thomistæ desistere. Ad primum respondeo explicando D. Th. ex hoc vt ex causa sufficienti ad rationem per se noti, concedo antecedens: vt ex causa necessaria, nego antecedens: & sub eadem distinctione primi consequentis, nego consequentiam subsumptam; nam licet propositio causalis causam necessariam importans, inferat propositionem vniuersalem affirmatiuam, & exclusiuam, quæ tamen causam sufficientem importat infert quidem vniuersalem affirmatiuam, non vero exclusiuam, vel exceptiuam; vt si dicas, *quia aliquid est rationale, est intellectiuum proximè*, hinc sequitur: *ergo omne rationale est intellectiuum*; non tamen sequitur, solum rationale intellectiuum esse: nam Angelus, & Deus sunt intellectiui: non autem sunt rationales; quod autem D. Th. non causam necessariam, sed tantum sufficientem acceperit, constat ex eo; nam hoc suo intento sufficiebat, quod erat probare, propositionem enuntiantem existentiam de Deo esse per se notam secundum se; cum enim existentia sit de intrinseca ratione Dei, ad probandum dictam propositionem, esse per se notam, sufficiens erat probare, inclusionem prædicati in subiecto ad per se notum sufficere. 34 *Respondetur ad primum.*

Ad secundum admissa antecedenti doctrina, nego consequentiam. Ex eo enim, quod ad per se notum, nihil aliud requiratur, quam inclusio prædicati in subiecto, non sequitur inclusionem necessariò requiri sed ad per se notum sufficere, nam eo ipso, quod sufficiat, rectè dicitur, nihil aliud 35 *Ad secundum.*

requi-

requiri; nam hoc, quod est aliquid aliud requiri, non compatitur cum illius sufficientia, sicut, eo quod rationale ad intelligendum sufficiat, non sequitur, nihil præter rationale sufficere; bene tamen colligitur, nihil à rationali distinctum ad intelligendum requiri. Et ex his ad id, quod in argumenta additur, constat solutio; nam subiectum non posse cogitari perfectè, non cognito prædicato, non reddit D. Th. pro ratione necessitatis, sed sufficientiæ ad rationem per se noti: ex quo tantum sequitur, propositionem, cuius subiectum non potest cogitari perfectè, non cognito prædicato, rationem per se notæ obtinere; non autem conditionem illam, necessario ad rationem per se noti requiri. Iuxta quã doctrinam, & explicationem rationis Angelici Præceptoris, parum interest dari, vel non dari propositiones per se notas accidentales vt istas, *homo est albus*, *Cælum est*, *terra mouetur*, & similes, quasquidam per se notas esse, negant, alij affirmant, alij distinguentes, docent esse per se notas sensibus, non vero intellectui, aut esse per se notas nobis, non autem secundum se, à cuius discussione abstinemus. Tum, quia res Logica est. Tum; etiam, quia siue hoc, siue illud dicatur; ratio D. Th. vt à nobis explicata in suo robore subsistit.

36 Secundo principaliter aduersus illam obijciunt; Deum esse Trinum, à nemine dicitur per se notum secundum se; & tamen Trinitas Deo sine medio conuenit; & est de ratione illius, non minus quam existentia: ergo quod existentia Deo sine medio conueniat, & sit de ratione illius, vel includatur in ratione subiecti, non probat, Deum existere, esse per se notum secundum se. Confirmant primo; prædicatum huius propositionis, *intellectus est qualitas*, includitur in ratione subiecti; & tamen per se nota non est, cum plures dubitent de veritate illius. ergo prædicatum includi in ratione subiecti, non sufficit, vt propositio aliqua sit per se nota. Confirmant secundo; prædicatum huius propositionis, *gratia est possibilis*, immediatè conuenit subiecto; possibilitas namque remota, immediatè conuenit rebus creatis, & includitur in ratione subiecti; nam licet existentia, & futuritio accidentaliter conueniant creaturis: possibilitas autem remota, illis conuenit essentialiter; & tamen non est per se nota secundum se; cum non possit ab intellectu creato euidenter viribus proprijs cognosci: ergo idem quod prius.

Obijcies secundo.

Cõfirmatur primo.

Secundo.

37 Hoc argumentum magnificant Recentiores; mihi tamen nullius ponderis apparet, & quidem, si teneamus, existentiam esse primum deitatis conceptum, quo in ratione essentiæ Metaphysicè constituitur abiq; vllo negotio occurritur, prætermissa maiori, negando minorem. Nam Trinitas personarum etsi cum essentia diuina realiter identificetur, virtualiter tamen distinguitur, illamq; Metaphysicè constitutam supponit, & per id quod supponit, potest demonstrari de Deo, cuius oppositum in existentia inuenitur; est enim in illa sententia, primum quod in diuina essentia intelligitur: ac proindè cum nihil à se distinctum supponat, conuenit immediatè realiter, & virtualiter, & est de ratione deitatis Metaphysicè constitutiuè, nec potest vlla ratione demonstrari de ipsa; vnde minor argumenti est falsa, nempè, Trinitatem esse de ratione deitatis, non minùs, quam existentiam; hæc namque est de ratione deitatis Metaphysicè tanquam primum constitutiuum; Trinitas autem solùm realiter formaliter.

Respondetur potest primo.

38 Quia tamen doctrina, supra quam prædicta solutio fundatur, dubia est inter discipulos D. Th. & inferiùs examinanda; ideo respondetur secundo, negando maiorem; quod enim Deum esse Trinum, sit per se notum secundum se, docuit Bannez, & alij docti Thomistæ, vnde mirum est à Recentioribus à nemine dictum asseri, fortè quia maiori probatione carebant, nec video, quid possit in contrarium opponi, nisi quod ab intellectu creato non potest proprijs viribus cognosci: hoc autem solum probat, non esse per se notum nobis: non autem non esse secundum se per se notum. Ex his ad primam confirmationem, concessa maiori; nego minorem; nec obstat plures dubitare de illa propositione; nam ex hoc solum sequitur, non esse per se notam quoad nos; non autem quod non sit per se nota secundum se. Et eadem solutione secunda confirmatio diluitur.

Respondetur secundo.

Ad 1. & 2. conf.

39 Tertio obijciunt, & contra istam solutionem instatur propositio per se nota secundum se, debet esse immediatè cognoscibilis ab intellectu creato; sed Deum esse Trinum, non est immediatè cognoscibile ab intellectu creato: ergo non est per se notum secundum se. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; propositio non dicitur nota, vel cognoscibilis in ordine ad se absolutè, sed per respectum ad aliquem intellectum potentem illam cognoscere: ergo etiam per se nota dicitur, per respectum ad aliquem intellectum potentem immediatè illam cognoscere; sed vt sit per se nota secundum se, non sufficit esse immediatè cognoscibilem ab intellectu diuino; ergo debet esse immediatè cognoscibilis ab aliquo intellectu creato. Probatur minor; esse per se notam secundũ se, non conuenit omni propositioni veræ; alias vnũ membrũ diuidens adæquaretur diuiso; sed omnis propositio vera, est per se ipsã immediatè cognoscibilis euidenter à Deo: ergo ad rationem per se noti secundũ se, non sufficit esse à Deo immediatè cognoscibile.

Tertia obiectio.

40 Respondeo primo, distinguendo maiorem: ab intellectu creato proprijs viribus relicto, nego maiorem: aut per vires proprias aut eleuatione supposita, omitto maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet Trinitas personarum non sit immediatè cognoscibilis ab intellectu creato viribus propriæ naturæ, ab illo eleuato per lumen gloriæ potest immediatè cognosci, sicq; de facto cognoscitur à Beatis, quod sufficit ad rationem propositionis per se notæ secundum se, vt de hac propositione *Deus est*, docet D. Th. *in præsenti art. 1.*

Respondetur primo.

41 Secundo respondeti potest, negãdo maiorem: Ad illius probationem, concesso antecedenti, & prima consequentia, nego minorem subsumptam. Ad illius probationẽ, concessa maiori, nego minorem. Nam licet intellectus diuinus nullã veritatem creatam cognoscat ex parte cognoscẽtis, hoc est, quod sit caula cognitionis, plures tamen cognoscit per medium ex parte obiecti, nempè, omnes veritates mediatas; est enim omnia cognoscat, vt sunt veritates, illas, quæ causam, & medium habent, per tale medium ex parte obiecti cognoscit; vnde falsum est, quod Recentiores supponunt, scilicet, omnem propositioné veram immediatè per se ipsam cognosci ab intellectu diuino; imò nullam veritatẽ creatam immediatè à Deo cognosci, docebimus *Tract. de scientia Dei*; cum quo qualiter componatur, esse aliquas per se notas respectu intellectus diuini, ex dicendis infra constabit.

Respondetur secundo.

42 Deniq; Antiquiores obijciunt, nulla veritas per se nota esse potest demonstrabilis; sed Deum esse, est demonstrabile, vt ex infra dicendis constabit: ergo non est per se notũ. Quo argumento conuictos Maironum *in primo dist. 2. q. 1. a. 2. dicens ad 1.* Ariminensem *q. amica in dub. incidente. a. 1.* & Maiorem *q. 1.* concedere consequentiam, refert Fasolus *vbi sup. dubit. 2. ad 2. arg.* Cõmunis solutio est, propositioni per se notæ secundum se, obstare quidem esse à priori demonstrabilẽ, non autem quod à posteriori demonstrabilis sit; quod solũ pugnat cum per se noto quoad nos; quod autem Deus sit, non est demonstrabile à priori, sed tantum à posteriori ex creaturis. Ex quo tantum sequitur non esse per se notum nobis: non autem non esse per se notum secundum se. Iuxta quam doctrinam respondeo in forma, distinguendo maiorem: nulla veritas per se nota secundum se, & nobis, concedo maiorem: nulla veritas per se nota secundum se, subdistinguo maiorem: à priori concedo maiorem: à posteriori, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris, distinguo consequens: secundum se, nego consequentiam: per se notũ nobis, concedo consequentiam.

Obijcies vltimo.

Respondetur.

43 Obstat tamen contra hanc solutionem primo; nam Deũ esse, est per se notum Beatis, vt docet D. Th. *in præsenti art. 1.* & tamen est ab ipsis demonstrabile à posteriori ex effectibus creatis, vt plures probabiliter docent, imò Deum seipsum non solum immediatè cognoscere, sed etiam à posteriori in creaturis, improbabile non est: ergo per se noto nobis nõ obstat demõstrabilitas à posteriori. Secundo; nam existentia Dei est de ipso à priori demonstrabilis: ergo si per se noto secundum se obstat demonstrabilitas à priori, Deum esse non est per se notum secundum se. Consequentia tenet, & antecedens probatur; existentia Dei distinguitur ratione ab essentia, illamque virtualiter, & ratione nostra, vt priorem præsupponit: ergo est demonstrabilis à priori de Deo. Antecedens docent plures intra Scholam D. Th. vt videbimus *disp. 4.*

Opponetur contra hanc solutionem primo.

Secundo.

44 Consequentia autem ostenditur primo, quia namque attributa distinguuntur virtualiter, aut ratione ab essentia, illamque vt priorem virtualiter supponunt, sunt demonstrabilia à priori de Deo: ergo si essentia ab existentia distinguitur, & ad illam præsupponitur, poterit existentia Dei de ipso demonstrari à priori. Secundo; vt enim *Tract. de scientia Dei*, cum cõmuni sententia Thomistarum docebimus, Deum esse naturæ intellectualis, à priori demonstratur de ipso ex conceptu immaterialitatis, quia licet

Deo

Deo essentialiter conueniat, non tamen est primus conceptus illius, sed immaterialitatem præsupponit, vt priorem ratione: ergo si existentia distinguitur ratione ab essentia, & illam vt priorem supponit, poterit de Deo demonstrari à priori mediante conceptu essentiæ.

45 *Responditur ad primam replicam.* Respondeo ad primam replicam, concessa maiori, distinguendo minorem: demonstratione necessaria, vt euidenter cognoscatur ab ipsis, nego minorem: demonstratione non necessaria, nec ex necessitate, sed ex fæcunditate, concedo minorem, & nego consequentiam. Nam Deum esse, taliter est demonstrabile, à posteriori ab intellectu viatoris, quod aliter non potest euidenter cognosci, & sic esse demonstrabile à posteriori, pugnat cum ratione propositionis per se notæ nobis: beati autem quamuis possint Deum cognoscere demonstratiuè ex effectibus creatis, non tamen hoc est necessarium, vt ab illis cognoscatur, sed aliunde habent euidentem, & immediatam cognitionem de Deo; & ideò, quod ab ipsis à posteriori sit demonstrabilis existentia de Deo, non tollitur, quo minus illis per se nota sit.

46 *Ad secundum respondet Bannez.* Ad secundum Magister Bannez, vbi supra, ad secundum argumentum ex positis secundo loco, respondet, attributa non prædicari de Deo propositione immediata, quia licet non habeant causam essendi, habent tamen virtuale principium, quo mediante possunt demonstrari de ipso, vt Deum esse æternum, probatur, quia est immutabilis, & esse immutabilem probatur à priori, quia est actus purus omnem excludens potentiam: existentia autem, nec habet in Deo causam, nec principium virtuale, vnde caret omni medio, quo possit à priori probari.

Contra. Sed contra istam solutionem videtur argumentum vrgere; supposito namque, quod existentia virtualiter differat ab essentia diuina, non potest negari virtuale principium habere: ergo illa sententia supposita, dicendum est consequenter, posse à priori demonstrari.

47 *Respondet S. Tho.* Magister Sancto Thoma *vbi supra solutione ad* 1. respondet, propositiones, quibus attributa enunciantur de Deo esse immediatas secundum se, nobis tamen qui diuersos conceptus attributorum, & essentiæ formamus, non esse immediatas, sed ex vno ad aliud demonstrandum à priori discurrimus: existentia autem licet à posteriori demonstretur a viatoribus; non tamen potest à priori demonstrari, quia non est aliud attributum prius ipsa existentia, etiam nostro modo concipiendi.

Prima pars impugnatur. Cæterum prima pars doctrinæ huius viri sapientissimi, non videtur congruere cum alia tradita ab ipso *infra quæst.* 14. *disp.* 16. *art.* 3. vbi docet, dari in Deo scientiam, non solum creaturarum, sed etiam suorum attributorum, quia licet non habeant causam, vnum tamen est ratio à priori alterius: ergo non solum à nobis, sed etiam ab ipso Deo à priori cognoscuntur; & consequenter non solum respectu nostri, sed etiam respectu Dei habent medium virtuale.

48 *Secunda.* Contra secundam partem eiusdem doctrinæ facit; nam licet existentia non supponat aliud attributum prius, supponit tamen essentiam sub conceptu essentiæ, dato, quod ab illa virtualiter distinguatur; sed hæc suppositio sufficit, vt à priori demonstretur de Deo mediante conceptu essentiæ: ergo potest sic demonstrari. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primò; prima passio non supponit aliam, media qua vniatur essentiæ, sed solum supponit essentiam; aliàs prima passio non esset; primum etiam attributum Dei aliud prius non supponit; & tamen primam passionem; & consequenter primum attributum Dei posse à priori demonstrari, docet probabilis Thomistarum sententia: ergo existentiam diuinam supponere Dei essentiam, quamuis non supponat aliud attributum prius, sufficit, vt à priori demonstrari possit de Deo. Secundo; ratio naturæ intellectualis non supponit attributum aliquod prius; & tamen quia ratione nostra supponit conceptum immaterialitatis priorem, demonstratur à priori de Deo, vt cum frequentiori Thomistarum sententia docebimus quæst. 14. ergo existentiam diuinam supponere conceptum essentiæ, quamuis non supponat aliud attributum prius, sufficit, vt à priori demonstrari possit de Deo. Huius obiectionis solutio constabit ex dicendis, §. *vltimo*.

§. IV.

Dei existentiam, nobis per se notam non esse, variè ab Auctoribus probatur.

49 *Secunda conclusio. Probatur ex D. Th. primo.* Secunda conclusio. *Hæc propositio*, Deus existit, *non est per se nota viatoribus, nec omnibus, nec sapientibus*, ita Auctores quintæ sententiæ, & quoad vtramque partem est Diui Thomæ in præsenti, vbi ex eo negat, esse per se notum nobis, Deum esse, quia in via non cognoscimus quidditatiuè Deum; sed cognitio quidditatiua, nulli conuenit sapienti extra visionem beatificam: ergo non est per se nota sapientibus. *Secundo.* Deinde: nam Diuus Thomas *quæst.* 10. *de veritate art.* 3. *in corpore*, ita concludit: *Sed quia quidditas Dei non est nobis nota, ideo quo ad nos Deum esse, non est per se notum, sed indiget demonstratione; sed in patria vbi essentiam eius videbimus, multo amplius erit nobis per se notum, Deum esse, quam nunc sit per se notum, quod affirmatio, & negatio non sunt simul veræ*: ergo sentit Diuus Thomas solis beatis esse per se notum Deum esse. Patet consequentia primò; nam exceptio firmat regulam in contrarium; at D. Thomas solos excipit beatos: ergo de alijs quantumuis sapientes sint, sentit non esse illis per se notum. Secundò: nam D. Thomas non contraponit ignorantibus sapientes, sed viatoribus videntes clarè diuinam essentiam: ergo sentit viatoribus etiam sapientibus non esse per se notam existentiam diuinam.

50 *Durand. probat conclusionẽ.* Licet autem præfati Auctores in sententia conueniant, in ratione tamen reddenda discordant. Durandus *vbi supra num.* 9. sic arguit: illa propositio non est per se nota nobis, in qua, non statim apparet connexio terminorum, cognitis terminis quantum ad id, quod primo occurrit intellectui de significatis illorum; sed cognito eo, quod primo occurrit nobis, de significato huius termini *Deus*, & de significato huius termini, qui est, *esse*, non statim apparet connexio terminorum: ergo Deum esse non est per se notum nobis.

51 *Contra 1ò.* Hoc tamen argumentum non vrget; si namque aliquid probat, conuincit, non dari propositionem per se notam sapientibus, quæ tamen omnibus per se nota non sit: hoc autem est falsum, & contra Diuum Thomam, quem communiter alij sequuntur: ergo Durandi argumentum non vrget. Patet sequela; propositio nota per se ex prima terminorum apprehensione, omnibus est per se nota, nec aliquis eius terminos apprehendens, potest dubitare de illa: ergo si id requiritur ad rationem propositionis per se notæ nobis, quælibet propositio per se nota, erit omnibus per se nota; & consequenter corruet prædicta distinctio. *Secundo à* Deinde; nam propositio, cuius veritas apparet, terminis explicatis, absque medio probatiuo, est per se nota, non solùm secundum se, sed etiam quoad nos, vt constat ex dictis, & plenius ex dicendis constabit; sed talis propositio non apparet vera ex prima terminorum apprehensione; cum indigeat illorum explicatione: ergo de ratione propositionis nobis per se notæ, non est, quod illius veritas statim appareat ex prima terminorum apprehensione. *Tertio.* Denique; nam hoc argumento ad summum probari potest, existentiam Dei, non esse per se notam omnibus; non autem quod non sit per se nota sapientibus: hoc autem probandum est, vt communis sententia statuatur: ergo deficit hoc argumentum.

52 *Vazquez argumentum.* Vazquez *disp.* 19. *cap.* 3. post reiectas aliorum rationes, impugnataque illa, qua vtitur Diuus Thomas; sic arguit. Deus non potest à viatoribus cognosci sine respectu ad creaturas per modum Domini, Principis, aut Gubernatoris illarum, si enim audita hac propositione, *Deus est*, absolutè, & sine vlla relatione ad creaturas à nobis cognosceretur, non solum non esset per se notum euidenter, sed nec etiam probabiliter nobis esset per se notum, *Deum esse*: ergo fieri non potest, vt per se, & non per alia, videlicet, per creaturas nobis illius existentia innotescat; ac proinde Deum existere, non est per se notum nobis.

53 *Contra 1.* Hæc tamen ratio, quæ sola potuit Gabrieli Vazquez placere, nobis displicet omninò, primò; quia falso principio nititur, nempe, Deum à nobis in hoc statu non posse, nisi relatiuè ad creaturas cognosci, quod falsum esse exinde manifestè colligitur; Deus namque concipitur à nobis pro hoc statu eo modo, quo nominatur; sed non semper nominatur nomine Deus significante relatiuè ad creaturas, sed aliquando nominibus absolutis, aliquando relatiuis: ergo non semper à nobis relatiuè ad creaturas cognoscitur. Conse-

quen-

quentia tenet. Maior est certa; nam voces sunt signa conceptuum, nec nisi medijs conceptibus sunt ad significandum impositæ; vnde rectè Diuus Thomas *infra qu. 13. artic. 1.* deduxit, nullum nomen à nobis ad Deum significandum, impositum, ipsum quidditatiuè significare, quia à nobis non potest pro hoc statu quidditatiuè cognosci; ergo Deus à nobis concipitur eo modo, quo nominatur.

54 *Minor cōstat primo.* Minor autem constat primò ex Diuo Thoma *infra qu. 13. art. 2.* vbi docet, aliqua nomina non relatiuè, sed substantialiter dici de Deo; vt bonus, sapiens, &c. non ergo omne nomen Deum significat relatiuè ad creaturas. Constat *Secundo.* secundo ex eodem D. Thoma in eadem *quæst. art. 8.* vbi docet, hoc nomen *Deus*, licet fuerit ab operatione ad significandum impositum, ex parte tamen rei significatæ importare diuinam naturam: ergo non significat Deum relatiuè ad creaturas. *Tertio.* Tertio, nam nomen *Deus* diuersum est à nomine *Dominus, Princeps, Causa, Gubernator, &c.* Sed hæc, & alia nomina Deum relatiuè ad creaturas significant: ergo nomen *Deus* non significat Deum relatiuè ad creaturas, sed absolutè.

55 *Reijcitur secūdo argumentū Vazquij.* Deinde reijcitur; nam ex falso principio malam consequentiam deducit; dato namque Deum à nobis viatoribus non posse concipi nisi relatiuè ad creaturas, non benè exinde colligitur, necessariò per creaturas cognosci, ergo perperam infertur non posse esse nobis per se notam existentiam Diuinam. *Assumptū probatur primo.* Assumptum probatur primò; vnum relatiuum non potest sine ordine ad aliud cognosci; & tamen non est necessum, vt cognoscatur per aliud: ergo ex eo, quod Deus non possit à nobis concipi, nisi relatiue ad creaturas, male infertur, non posse, nisi per illas cognosci.

56 *Secundo.* Secundò; nam causa, vt causa, non potest cognosci, nisi relatiuè ad effectum, effectus etiam vt talis non potest cognosci, nisi relatiuè ad causam; & tamen causa vt causa, non semper per effectum cognoscitur, nec effectus, vt effectus semper per causam cognoscitur; nam in cognitione à priori cognoscitur causa vt causa, & tamen non per effectum, sed potiùs effectus per causam, in cognitione à posteriori effectus, vt effectus cognoscitur, & ex illo cognitio causæ colligitur; & tamen non cognoscitur per causam, sed potius causa cognoscitur per effectum. ergo stat, Deum cognosci relatiuè ad creaturas, & tamen non per creaturas, necessariò cognoscatur, non sequitur, necessariò per creaturas cognosci. *Tertio.* Denique id ipsum probatur; nam beati Deum intuitiuè videntes, ipsumque quidditatiuè cognoscentes, illius omnipotentiam relatiuè, & connexiuè ad creaturas cognoscunt; & tamen non cognoscitur per beatificam visionem omnipotentia ex creaturis, nec per illas, sed potius creaturæ per omnipotentiam vt prius cognitam cognoscuntur: ergo idem, quod prius.

57 *Tertio probatur conclusio à Recentioribus.* Tertio, Recentiores quidam discipuli D. Thom. sic arguunt, id solum potest per se notum esse nobis, quod sine medio potest à nobis cognosci; sed Deum esse, non potest à nobis sine medio cognosci: ergo nobis per se notum non est. Maior cum consequentia tenet. Minorem autem sic probant; solùm id potest immediatè ab intellectu nostro cognosci, quod immediatè potest nostrum intellectum mouere; sed Deus non potest immediatè Intellectum nostrum mouere: ergo non potest à nobis sine medio cognosci. Maior constat; nam eo modo aliquid cognoscitur, quo mouet intellectum cognoscentem: ergo quod immediatè non mouet, non cognoscitur immediatè. Minor autem probatur; id solum potest immediatè mouere intellectum nostrum pro hoc statu, quod est proportionatum cum illo, & quod vel per se ipsum, vel per propriam speciem capax est vnionis cum intellectu; sed Deus non est obiectum proportionatum cum intellectu nostro pro hoc statu, nec potest cum illo vniri per se ipsum immediate, nec per propriam sui speciem: ergo nequit intellectum nostrum immediatè mouere.

58 *Explicatur ab ipsis D. Th.* Et sic explicandam censent rationem Diui Thomæ in præsenti; cum ex eo quod Deus à nobis non cognoscitur quidditatiuè, infert, illius existentiam, nobis per se notam non esse; Deum namque non cognosci à nobis quidditatiuè, est non per propriam, sed per alienam speciem cognosci: ideò ergo D. Th. ex non cognitione quidditatiua Dei, colligit, nobis per se notum non esse: quià per alienam *Hoc argumentū reijcitur primo.* speciem; & consequenter non immediatè, sed mediatè à nobis cognoscitur. Verum hæc ratio, nisi aliunde iuuetur, non vrget. Et reijcitur primo; sequitur enim ex illa nullam veritatem creatam, esse per se notam Deo; consequens est falsum: ergo hæc ratio deficit. Patet sequela: nulla veritas creata potest immediatè intellectum diuinum mouere, nec cum illo per se ipsam, aut per speciem sibi propriam vniri: imo nec posse Dei intellectum immediatè terminare, cum veriori Thomistarum sententia docebimus *Tract. de Scientia Dei*: ergo si ad veritatem per se notam alicui intellectui exigitur, illum immediatè mouere, vt in ratione facta supponitur, nulla veritas creata erit per se nota Deo.

Deinde reijcitur: nam sequitur ex eadem ratione, nullam propositionem de ente rationis formatam esse per se notam nobis; consequens admittendum non est; cum plures propositiones de ente rationis formatæ ad lumen principiorum pertineant, & non ad lumen scientificum: ergo ratio facta non vrget. Probatur sequela; nullum ens rationis potest immediatè intellectum nostrum mouere, nec per propriam speciem cum illo potest vniri: ergo si hoc ad propositionem per se notam requiritur, vt ratio facta supponit nulla propositio de ente rationis formata erit per se nota nobis. Tertiò: nam ex illa sequitur, hanc propositionem; *Incorporea non sunt commensuratiuè in loco*, non esse per se notam sapientibus; consequens est contra D. Thomam *in præsenti art. 1.* ergo ratio facta in via D. Tho. sustineri non potest. Probatur sequela: incorporea non intelliguntur à nobis pro hoc statu per speciem illorum propriam, sed per speciem rei materialis, & corporeæ: ergo non mouent immediatè intellectum, etiam sapientum; sed iuxtà principia rationis, quam impugnamus, veritas immediatè non mouens aliquem intellectum, non potest esse illi per se nota: ergo incorporea non esse commensuratiuè in loco, non est per se notum sapientibus. 59 *Secundo.* *Tertio.*

Denique Recentiores quidam Societatis sic arguunt pro Nostra, & communi sententia; existentia, vt conueniens exercitè Deo, non potest immediatè cognosci, nisi per notitiam intuitiuam; sed nullus viator, siuè ignorans, siuè sapiens, Deum potest intuitiuè cognoscere: ergo nulli quantumuis sapienti extra visionem beatificam est immediatè patens existentia diuina, vt exercita: & consequenter nulli extra visionem beatam per se notum est, Deum existere. Prima consequentia ex præmissis colligitur. Secunda patet; nam idem est per se notum, quod immediatè notum: Minor argumenti est certa, & maiorem in hunc modum ostendunt; in hoc enim notitia abstractiua differt ab intuitiua, quod illa ab existentia præscindit; secus verò intuitiua; sed non differunt per præcisionem, & non præcisionem ab existentia, vt cognita signatè; nam sic potest existentia per notitiam abstractiuam cognosci, vt constat in hac propositione, *Existentia est existentia*, per quam existentia signatè cognoscitur; & tamen non intuitiuè, sed abstractiuè; ergo differunt per hoc, quod notitia abstractiua præscindit ab existentia, vt exercitè conueniente subiecto; intuitiua autem existentiam, vt exercitè conuenientiam attingit; & consequenter existentia, vt exercitè Deo conueniens non potest immediatè cognosci, nisi per notitiam, quæ sit intuitiua. 60 *Quiddā Recentiore, Societate sic probant nostram conclusionem.*

Si opponas, Romam esse, & exercitè existere cognoscitur à nobis notitia abstractiua: ergo distinctiuum notitiæ intuitiuæ, & illius constitutiuum, non est attingentia existentiæ, vt exercitè conuenientis. Respondebunt; notitiam, qua Romam esse cognoscimus, non esse claram, sed obscuram: non autem quæuis attingentia existentiæ, vt conuenientis exercitè, constituit intuitiuam notitiam, sed attingentia euidens existentiæ, vt conuenientis exercitè, notitiam intuitiuam constituit, & distinguit à notitia abstractiua; 61 *Si opponas illis, Respondent.*

Si obijcias; Deum existere exercitè, euidenter cognoscimus demonstratione à posteriori arguendo ex creaturis, vt fatentur Recentiores, qui ratione facta vtuntur, & ex dicendis constabit; & tamen non intuitiuè, sed abstractiuè cognoscimus Deum: ergo euidens, & clara notitia rei, vt existentis exercitè, non constituit intuitiuam notitiam. Respondebunt notitia Dei, vt existentis exercitè ex creaturis à posteriori deductam, esse quidem euidentem, non verò immediatam: non autem quæuis attingentia euidens, sed quæ immediata est, constituit intuitiuam notitiam, & ex notitia clara, & immediata Dei, vt exercitè existentis, deducitur ab ipsis Deum intuitiuè cognosci. 62 *Si insurgas.* *Respondebunt.*

Sed contra: nam Auctores, qui asserunt Dei existentiam esse per se notam nobis, non docent immediatè à nobis, & per propriam speciem cognosci: ergo si ad rationem noti- 63 *Sed contra.*

tiæ

tiæ intuitiuæ præter euidentiam requiritur immediatio, hoc est, partam esse à specie immediata obiecti, non rectè ex illorum sententia colligitur, Deum intuitiuè cognosci, nec ex eo quod existentia vt Deo exercitè conueniens cognoscatur à nobis, qualiter ab his Auctoribus constituitur, rectè colligitur notitia intuitiua Dei. *Respond.* Respondebis, verum esse, quod ab ipsis non docetur: cæterum argumento facto conuinci: nam vt nobis per se notum sit, Deum existere, debet esse notum immediatè: ac proinde per propriam, & immediatam speciem: ex quo vlterius sequitur, debere cognosci intuitiuè.

64 *Contra.* Sed contra, immediatio exacta ad notitiam intuitiuam, omne medium cognitum excludit, siuè simplex siuè complexum, siuè probatiuum, siuè non probatiuum nisi medium tale sit, vt eminenter perfectissimè obiectum secundo cognitum contineat; immediatio autem petita à propositione per se nota, solum medium complexum ab extremis eius distinctum probatiuum veritatis excludit: ergo ex eo quod Deum exercitè existere, cognoscatur immediatè à viatoribus, sufficiente immediatione ad rationem propositionis per se notæ nobis, non rectè deducitur cognosci ea immediatione, quæ ad rationem intuitiuæ sufficiat, nec ex eo quod intuitiuè à nobis non cognoscitur existentia diuina, rectè deducitur nobis per se notam non esse.

§. V.

Ratio D. Thom. proponitur & defenditur.

65 *Conclusio prob. ratione D. Thom. ad formam redacta.* His igitur prætermissis, vel ad dicenda reductis, nostra, & communis sententia probatur ratione Angelici Præceptoris ad hanc formam redacta. Propositio per se nota nobis est illa, quæ constat terminis nobis per se notis; sed propositio hæc, *Deus existit*, non constat terminis nobis per se notis, ergo nobis per se nota non est. Discursus tenet. Maior est certa; nam propositio per se nota est, quæ ex propriis terminis, sine medio probatiuo ab illis distincto cognoscibilis est; sed eo ipso, quod termini nobis per se noti non sint, non potest à nobis ex ipsis, sine medio probatiuo cognosci; ergo eo ipso nobis per se nota non est; & consequenter sola illa propositio erit nobis per se nota, quæ constat terminis nobis per se notis. Minor autem probatur; nam significatum huius termini *Deus* nobis per se notum non est; cum in statu viæ non cognoscamus ipsum quidditatiuè: ergo termini prædictæ propositionis nobis per se noti non sunt.

66 *Aliter formatur ratio D. Tho.* Vel aliter potest ratio D. Thom. proponi; illa est propositio per se nota nobis, quæ à nobis sine medio probatiuo ab extremis distincto potest euidenter cognosci; sed propositio hæc: *Deus existit*, non potest à nobis sine medio probatiuo ab extremis distincto cognosci: ergo nobis per se nota non est. Illatio est in forma. Maior constat: nam propositio dicitur per se nota per exclusionem indigentiæ medij probatiui distincti ab extremis, ex quibus propositio resultat: ergo sicut dicitur secundum se per se nota, quia secundum se medio probatiuo non indiget: ita dicetur, & erit per se nota nobis, quia vt à nobis euidenter cognoscatur, medio probatiuo non indiget ab extremis distincto. *Minor prob. 1.* Minor autem probatur primò: nam si Deum existere, posset à nobis sine medio probatiuo cognosci, maximè, quia existentia Deo essentialiter conuenit; at hæc ratio non conuincit: nam etiam Trinitas personarum essentialiter conuenit Deo; & tamen Deum esse Trinum non potest à nobis, sine medio ab extremis distincto cognosci, vel quod probatiuum sit Trinitatis, vt effectus aliqui supernaturales cum Deo vt Trino connexi, vel quod Trinitatem reuelet: ergo Deum existere non potest à nobis sine medio probatiuo cognosci.

67 *Secundo.* Secundo probatur minor: nam extremum quidditatiuè non cognitum, non potest per se ipsum ostendere prædicata ipsi quidditatiua; sed Deus à nobis viatoribus non cognoscitur quidditatiuè: ergo vt à nobis cognitus non potest per se ipsum euidenter manifestare existentiam, quamuis sit de quidditate illius: ac proinde, vt à nobis existere cognoscatur, necessarium est medium aliquod ab extremis dictæ propositionis distinctum, & cum illis connexum. *Tertio.* Tertio, quia namque inter entia naturalia euidenter à nobis per vires naturales cognoscibilia, nullum est cum Deo vt Trino connexum, non potest à nobis per naturales vires Deus vt Trinus euidenter cognosci: ergo si Deus vt Vnus cognoscitur euidenter à nobis per solas vires naturæ: ideo est, quia entia naturalia cognoscibilia à viatoribus; cum Deo vt Vno connectuntur; & consequenter, vt cognita ducunt in illius cognitionem: ac proinde sine medio ab extremis prædictæ propositionis distincto, non potest euidenter cognosci.

Confirmatur: nam existere aliquod ens increatum, euidenter nobis non constat, nisi quia omne, quod mouetur, ab alio mouetur, & quia in per se mouentibus, & motis non potest dari processus in infinitum, vel quia omne quod causatur, ab alio causatur; nec potest dari processus in infinitum in causis subordinatis per se, nec mutua vnius ab alio productio, aut causatio in eodem genere causæ; sed hæc omnia per se nota nobis non sunt, sed longa indigent discussione, & discursu: ergo Deum esse, per se notum nobis non est. Quo argumento non solùm viatoribus in communi, verum etiam sapientibus per se notam Dei existentiam non esse, manifestè conuincitur; ignorantibus namque; hoc est, omninò insipientibus, Dei existentia non est nota euidenter euidentia Metaphysica, sed tantum poterit esse nota euidenter, vel certò moraliter ob communem omnium testificationem, & aliorum traditionem, quæ licèt euidentiam, aut certitudinem Metaphysicam de existentia Dei nequeat inducere, benè tamen certitudinem moralem, verum hæc medio extrinseco innititur: Sapientibus autem euidenter innotescit; quia ex effectibus creatis necessario reducendis ad increatum principium illius existentiam discurrunt: ergo quamuis Dei existentia sapientibus nota sit; non tamen est sapientibus per se nota. 68 *Confirmatur.*

69 *Obijcies 1. contra rationem D. Tho.* Cæterum contra rationem D. Th. obijcies primò: nam hæc propositio, *Deus est, vel non est*, est omnibus per se nota; & tamen subiectum illius propositionis non cognoscitur ab omnibus quidditatiuè; soli namque Deum videntes ipsum quidditatiuè cognoscunt: ergo ex eo quod subiectum illius propositionis, *Deus est, vel existit*, non innotescat quidditatiuè viatoribus, perperam infertur, non esse illis per se notam. *Secundo.* Secundo; vt enim D. Thomas admittit *in præsenti art. 1.* immaterialia non esse circumscriptiuè in loco, est per se notum, non omnibus, sed sapientibus; at sapientes non cognoscunt res immateriales quidditatiuè; nam quidditatiua cognitio petit propriam speciem obiecti, vel aliculus ipsum eminenter continentis: res autem immateriales non cognoscuntur ab hominibus, quantumuis sapientes sint per species proprias illarum, nec obiecti ipsas eminenter continentis, sed per species rerum materialium: ergo ex eo quod Deus non cognoscatur à viatoribus quidditatiuè, non sequitur Deum existere, non esse illis per se notum.

70 *Ad 1. respondent quidam ex nostris.* His motus Vazquez rationem Diui Thomæ, vt inefficacem reiecit, illamque, quam superiùs reiecimus solam censuit efficacem omnibus alijs repulsis. Leuia tamen esse; vt vir alias magni ingenij rationem Angelici Præceptoris reijciat ex illorum solutione constabit. Ad primum doctè quidam ex nostris respondent, non esse eandem rationem de prædicatis negatiuis, ac de positiuis; illis namque quid sit res, non explicatur; bene tamen positiuis prædicatis: vnde vt propositiones negatiuæ sint per se notæ, quidditatiua cognitio subiecti necessaria non est; bene tamen id exigitur, vt propositiones affirmatiuæ nobis per se notæ sint.

71 *Reijcitur hæc solutio.* Sed contra istam solutionem vniuersaliter intellectam facit; nam licet propositiones negatiuæ non explicent, quid sit res; explicant tamen quid illorum essentijs repugnet; sed non minus requiritur cognitio essentiæ, vt cognoscatur quid tali essentiæ essentialiter repugnet, quam ad cognoscendum quid illi essentialiter conueniat: ergo si essentia non cognita quidditatiuè, potest manifestare absque medio, quæ illi repugnant essentialiter, poterit etiam absque medio probatiuo per se ipsam ostendere, quæ illi essentialiter conueniant. *Confirmatur.* Confirmatur; Differentia, vt faciens differre speciem constitutiuam ab alijs, fundat negationem prædicatorum, quæ à subiecto remouentur, & eadem differentia, vt constituens, fundat affirmationem illorum, quæ de specie constituta affirmantur; sed non potest cognosci differentia, vt faciens differre, non cognita eadem differentia, vt constituente; cum distinguere, sit, quasi actus secundus supra constituere fundatus: ergo non cognita specie constituta quidditatiuè, non potest euidenter immediatè cognosci distinctio illius ab alijs; & consequenter non possunt euidenter immediatè cognosci propositiones essentiales negatiuæ, quibus remouentur ab illa, ea à quibus essentialiter distinguuntur.

72 *Si dicas.* Si dicas; ratio naturæ supra rationem essentiæ aliquali-

ter fundatur, & rationem essentiæ supponit; & tamen notior est nobis ratio naturæ, quæ per motum innotescit, quam ratio essentiæ: ergo quamuis actus faciendi differre supra actum constituendi, in differentia fundetur, poterit nobis esse notior actus secundus, quam primus; & consequenter hoc secundo, vel ignorato, vel non cognito quidditatiuè, poterit actus distinguendi, euidenter immediatè cognosci. *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: cognitione à posteriori, quæ per motum, & effectus habetur, omitto minorem: cognitione à priori, nego minorem: & consequentiam. Nam ad summum infertur, actum faciendi differre, posse esse nobis notiorem cognitione à posteriori: non autem cognitione à priori; cum autem cognitio à posteriori per medium probatiuum habeatur, non sequitur, posse nobis esse per se notam differentiam, vt faciemem differre quidditatiuè, non cognita secundum actum constituendi primario illi conuenientem.

73 *Ad primã Vazquij obiectionem respond.* Vnde hac solutione omissa, nisi iuxta inferius dicenda intelligatur. Ad primam obiectionem respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: subiectum materiale, concedo minorem: formale, nego minorem, & consequentiam. Nam in ista propositione, *Deus est*, nec materiale, nec formale illius subiectum cognoscitur quidditatiuè à viatoribus; & ideò non potest connexio prædicati cum ipso ex terminis innotescere. Licèt autem subiectum materiale huius propositionis, *Deus est vel non est*, non sit cognoscibile quidditatiuè extra visionem beatificam; subiectum tamen formale quidditatiuè à nobis cognoscitur; nam Deo quod sit vel non sit disiunctim, non conuenit ratione illius, per quod distinguitur à creaturis, nempè, ratione increati, sed ratione prædicati Deo, & creaturis communi; nempè, ex ratione entis, vt sic, imo ex alio vniuersaliori, nempè, ex conceptu enti & non enti communi; sicut enim implicat ens esse simul, & non esse, ita non enti, copulatum hoc repugnat: ac proinde esse, vel non esse disiunctim, est prædicatum enti, & non enti commune: licet autem Deus sub ratione entis increati non innotescat quidditatiuè viatoribus; ratio tamen entis, vt sic ab illis quidditatiuè cognoscitur, & ideò subiectum formale prædictæ propositionis, illis patet quidditatiuè; Deum autem existere conuenit Deo ex ratione à nobis quidditatiuè non cognita, nempè, ex ratione entis increati. Vnde tam materiale, quam formale subiectum istius propositionis *Deus existit*, quidditatiuam viatorum cognitionem excedit; & ideo connexio prædicati cum subiecto, non potest illis ex terminis, sine medio distincto euidenter innotescere.

74 *Ad secũdam.* Et ex his ad secundam obiectionem constat solutio: nam licet Angeli, & res spirituales non cognoscantur quidditatiuè ab intellectu nostro pro hoc statu secundum suas vltimas differentias, sub ratione tamen illis, & entibus rationis communi, nempè, negationis materiæ, & compositionis ex illa, quidditatiuè cognoscuntur ab intellectu nostro pro hoc statu; cum ens rationis quidditatiuè cognoscatur ab illo; quod autem non fiat, nec possint esse commensuratiuè in loco competit Angelis, & rebus spiritualibus ex ista communi ratione; & ideò subiectum formale istius propositionis: *Immaterialia non sunt commensuratiuè in loco*, quidditatiuè à nobis cognoscitur, quod sufficit, vt connexio prædicati cum subiecto, ex terminis sine medio probatiuo distincto euidenter innotescat.

75 *Tacita solutio impugnatur.* Mitto illorum solutionem, qui asserunt: *Immaterialia non esse commensuratiuè in loco*, dici à Diuo Thoma per se notum nobis largè, quia scilicet, facile à sapientibus cognoscitur, non tamen strictè, quia nempè, à sapientibus sine vllo medio euidenter cognoscatur. Quæ solutio menti D. Thom. non congruit. Nam rationem per se noti, quam D. Thomas ex Boetio concedit prædictæ propositioni, negat propositioni enuntianti existentiam de Deo; sed Deum existere, non negat facilè posse cognosci: ergo cum docet incorporalia, non esse commensuratiuè in loco esse per se notum sapientibus, non loquitur de per se noto latè, sed strictè.

76 *Aliorum effugium describitur.* Mitto etiam effugium aientium, subiectum illius propositionis: *Incorporalia non sunt commensuratiuè in loco*, cognosci à sapientibus quidditatiuè connotatiuè, licet non quidditatiuè absolutè, & primum sufficere, vt prædicta propositio illis per se nota sit. Quæ solutio omninò insufficiens est; si namque Angeli, & res spirituales cognoscuntur à nobis quidditatiuè connotatiuè, etiam Deus hoc genere cognitionis, quidditatiuè à nobis cognoscitur: ergo si prædicta cognitio sufficit, vt connexio prædicati cum subiecto ex terminis innotescat in Angelis, sufficiet etiam in Deo; & consequenter Deum existere, erit per se notum sapientibus.

77 *Obijcies 1. contra nostram solutionẽ.* Sed contra nostram solutionem obijciet aliquis primò: ratio entis Deo, & creaturis communis non cognoscitur à nobis quidditatiuè: ergo nec materiale, nec formale subiectum istius propositionis, *Deus existit*, quidditatiuè à nobis cognoscitur. Probatur antecedens; quidditatiua cognitio petit per propriam speciem haberi, sed solum ens materiale, per propriam speciem cognoscitur ab intellectu nostro pro hoc statu: ergo ratio entis, vt sic, Deo & creaturis communis, non cognoscitur quidditatiuè. *Secundò.* Secundò; nam ens rationis non cognoscitur per speciem sui, sed per speciem entis realis: ergo non cognoscitur quidditatiuè ab intellectu nostro pro hoc statu; & consequenter ratio entis immaterialis Angelis, & entibus rationis communis, non terminat quidditatiuam cognitionem, cuius contrarium in solutione secundæ obiectionis docuimus.

78 *Tertiò.* Tertio; nam existentia conuenit Deo ex ratione sibi, & creaturis communi, nempè, ex ratione entis, vt sic; Deus namque, & creaturæ in existendo conueniunt; ac per consequens existentia conuenit Deo, & creaturis ex ratione ipsis commune; ergo si prædicta ratio quidditatiuè cognoscitur, subiectum formale istius propositionis, *Deus existit*; cognoscitur à nobis quidditatiuè. *Quartò, & vltimò.* Denique: nam Deum non esse creaturam, est viatoribus per se notum; & tamen ratio ex qua Deo conuenit prædicta negatio, nempè, ratio entis increati, non cognoscitur ab illis quidditatiuè: ergo absque quidditatiua cognitione subiecti formalis, & materialis, stat esse per se notam connexionem prædicati cum subiecto.

79 *Respondetur ad 1.* Respondeo ad primam replicam, negando antecedens. Ad probationem, distinguendo maiorem per propriam speciem rei cognitæ, vel alterius ipsam continentis actu, concedo maiorem: rei cognitæ semper, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Cum enim gradus entis, actu in ente materiali contineatur, non solum ens materiale, sed etiam gradus enti materiali, & immateriali communis, quidditatiuè cognoscitur; quia vt infra docet D. Tho. *q. 14. art. 5. & 6.* res aliqua perfectè cognoscitur per speciem continentis ipsam in actu, sicut partes per speciem totius, & effectus in causa, actu illos continente, ex quo infert, Deum in se ipso perfectissime creaturas cognoscere, quia in Deo continentur, sicut actus imperfectus in actu perfecto. Et quidem ens materiale non potest quidditatiuè cognosci non cognitis quidditatiuè illis, ex quibus Metaphysicè coalescit: hoc autem sunt gradus entis, veluti, vt genus, & materialitas, vt differentia: cum ergo nullus neget ens materiale quidditatiuè cognosci ab intellectu nostro pro hoc statu, consequenter affirmari debet gradum entis quidditatiuam terminare cognitionem. *Ad secundam.* Et ex his ad secundam replicam constat solutio: nam ens rationis in ente reali continetur, vt in causa; & ideò per speciem entis realis quidditatiuè potest cognosci; & consequenter gradus entis communis enti reali, & rationis per speciem entis realis quidditatiuè cognoscitur.

80 *Ad tertiam.* Ad tertiam distinguo antecedens: conuenientia essentiali, nego antecedens: conuenientia abstrahente ab essentiali, & non essentiali, concedo antecedens, & nego consequentiam: vt enim extremum quidditatiuè cognitum se ipso prædicati connexionem ostendat, debet cum illo essentialiter connecti; licet autem existentia Deo, & creaturis conueniat, conuenientia abstrahente ab essentiali, & non essentiali, ex ratione Deo, & creaturis communi; conuenientia tamen essentiali non conuenit Deo ex prædicta communi ratione; aliàs etiam creaturis essentialiter conueniret, quod falsissimum est, sed ex ratione Deo propria, illum distinguente à creaturis: vnde ratio illa communis se sola non potest euidenter manifestare existentiam, non ex defectu quidditatiuè cognitionis sui, sed ex defectu connexionis essentialis cum existentia: ratio autem Deum à creaturis distinguens, non potest viatoribus sine medio probatiuo Dei existentiam euidenter ostendere, non ex defectu connexionis cum existentia, vt exercita, sed quia ab illis non cognoscitur quidditatiuè. *Ad vltimam.* Ad vltimam responderi potest, negando maiorem: eadem nam-

que eſt, Deum non eſſe creatûram, ac Deum eſſe creatorem, ens à ſe à nullo cauſatum. Cum ergo doceat D. Tho. & frequenter omnes Theologi, Deum eſſe, vel exiſtere, hoc eſt exiſtere aliquod ens increatum, à ſe, & à nullo cauſatum, non eſſe viatoribus per ſe notum; conſequenter eſt aſſerendum, Deum non eſſe creaturam, eſſe quidem ſecundum ſe per ſe notum; non autem intellectui viatoris.

81 *Contra hanc ſolutionem obſtat.* Sed obſtat contra hanc ſolutionem: nam hæc propoſitio, *creatura non eſt Deus*, eſt per ſe nota ſapientibus: ergo etiam iſta, *Deus non eſt creatura*; conſequentia tenet: nam iſtæ propoſitiones ſunt conuertibiles: ergo ſi vna eſt per ſe nota ſapientibus, altera etiam eſt per ſe nota. Antecedens autem probatur; Angelus comprehendit ſubiectum prædictæ propoſitionis, ſaltem de ſupremo loquendo; cum comprehendat ſe ipſum, Angelos ſibi inferiores, & omnem aliam creaturam: ergo cognoſcit illud, quantum cognoſcibile eſt; & conſequenter cognoſcit, non ſolum prædicata poſitiua, quæ poſſunt de creatura affirmari, ſed etiam prædicata negatiua, quæ à creatura remouentur.

82 *Confirmatur.* Confirmatur, hæc propoſitio, *homo non eſt Deus*, eſt Angelo per ſe nota; & tamen prædicatum, quod in illa remouetur ab homine, non cognoſcitur ab illo quidditatiuè: ergo ſine cognitione quidditatiua extremorum ſtat propoſitionem aliquam eſſe alicui per ſe notam. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur; nam Angelus cognoſcit comprehenſiuè hominem: ergo adæquatè cognoſcit hominis differentiam; ſed differentia hominis non ſolum habet, hominem conſtituere, ſed etiam ipſum ab omni alio diſtinguere; ergo cognoſcit differentiam hominis ſecundum quod illum diſtinguit à Deo conſequenter cognoſcit, homini repugnare eſſe Deum.

83 *Vera ſolutio vltimæ obiectionis.* Quare hac omiſſa ſolutione ad vltimam obiectionem reſpondeo, conceſſis maiori, & minori, diſtinguendo conſequens: in propoſitione purè negatiua non exigente ad ſui veritatem, quod ſubiectum ſit, aut quod poſſibile ſit, tranſeat conſequens: in propoſitione affirmatiua, nego conſequentiam, cuius ratio eſt: nam vt Deus creatura non ſit neceſſarium non eſt, quod ſignificatum hoc nomine *Deus* ſit poſſibile, aut exiſtens, ſed ſufficit, quod illius ſignificatio non patiatur ſecum in obiecto ſignificato rationem creaturæ; hoc autem ita contingit, omnes enim nomine *Dei*, concipiunt aliquod ens increatum extra ordinem rerum creatarum exiſtens, cum qua ſignificatione non compatitur prædicatum creaturæ: ac proinde vt per ſe nota ſit negatio creaturæ de Deo, non eſt neceſſaria cognitio quidditatiua illius, ſed ſufficit cognoſcere ſignificationem nominis: vt autem aliquid poſſibile ſit, vel exiſtens, non ſufficit nomine ipſum ſignificante importari exiſtentiam, vel poſſibilitatem; plura namque ſignificantur, quæ nec exiſtunt, nec exiſtere poſſunt; vnde vlteriùs neceſſaria eſt cognitio quidditatiua obiecti ſignificati, vt ex terminis cognoſcatur, vt exiſtens, vel poſſibile, & ſic intellectam admittimus ſolutionem *ſupra traditam primo argumento.*

§. VI.

Argumentis in contrarium occurritur.

84 *Primum argumentum.* Contra iſtam concluſionem obijciunt contrarij primò: cognitio naturaliter inſita à natura habita, & qua nemo poteſt carere cognito nominis ſignificato, non habetur per diſcurſum, ſed ex terminis immediatè; ſed cognitio, quam habemus de Deo, eſt nobis naturaliter inſita, à natura habita, illaque nemo poteſt carere, cognito ſignificato huius nominis *Deus*: ergo non habetur per diſcurſum, ſed ex terminis immediatè; & conſequenter Deum eſſe non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam nobis eſt per ſe notum. Maior cum conſequentia tenet. Minor autem probatur ex Nazianzeno orat. 24. vbi de Deo loquens, ſic ait; *Nazianzen.* *At de Patre quidem quid dicere, neceſſe eſt, cui vno conſenſu omnibus naturalibus animi notionibus edocti; atque imbuti parent*: ergo iuxta Nazianzenum omnes Deum naturali notione cognoſcunt. Quod etiam docuit Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 1. vbi ait: *Damaſc.* *Nemo eſt mortalium, cui non hoc, à Deo naturaliter inſitum ſit, vt Deum eſſe, perſpectum habeat. Quin ipſa quoque res conditæ, earumque conſeruatio; atque gubernatio diuinæ naturæ maieſtatem prædicant*. Accedit Hieronymus in illud Iob. 36. *D. Hier.* *Omnes homines vident eum*, vbi ait, *per naturæ bonum notitia creatoris inſit cordibus hominum*. Ac denique Anſelmus in proſologio cap. 2. & 3. dicens: *Anſelm.* *Taliter Deum eſſe, quod cogitari nequit non eſſe*. Et obijciens ſibi illud Pſalm. 13. *Pſal. 13.* *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*: *iam ergo inſipiens cogitauit Deum non eſſe* reſpondet. *Inſipientem hoc dixiſſe, quia non cogitauit rem ſignificatam per nomen ſed tantum nominis ſignificationem attendit*: ergo iuxta Patres cognitio Dei eſt naturaliter inſita, à natura habita, nec poteſt illa carere, concipiens rem ſignificatam per nomen.

85 *Prima ſolutio.* Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad illius probationem duplex ſolutio ex Diuo Thoma colligitur. Prima, Nazianzenum, Damaſcenum, & Hieronymum loqui de Deo ſub aliqua ratione communi, & confuſa, ſcilicet, ſub ratione beatitudinis in communi; cum enim homines naturaliter deſiderent eſſe beati, naturaliter cognoſcunt eſſe aliquam beatitudinem: hoc autem non eſt cognoſcere ſimpliciter Deum eſſe; nam aliqui poſuerunt beatitudinem in diuitijs, alij in honore, & alij circa veram beatitudinem, variè errauerunt. Ita Diuus Thomas q. . art. 1. ad 1. Anſelmus autem hanc explicationem non patitur: loquitur enim de Deo prout eſt id, quo maius, nec eſſe, nec cogitari poteſt, quod ait ſignificari nomine *Deus*.

86 *Secunda.* Secunda ſolutio, & Patrum interpretatio eſt, loqui de cognitione naturaliter inſerta, non formaliter in ſe ipſa, ſed virtualiter, & in radice, quia omnibus naturaliter inſertum eſt aliquid, vnde poſſit peruenire ad cognoſcendum, Deum eſſe. Ita Diuus Thomas *quæſt. 10. de Veritate art. 12. ad 1.*

87 *Obijcies 1. contra hanc ſolutionem.* Sed contra hanc interpretationem obijciet aliquis primo; Damaſcenum duplicem cognitionem diſtinguere, vnam inſertam naturaliter, aliam ex creaturis habitam. ibi; *Quin ipſa quoque res conditæ earumque conſeruatio Dei maieſtatem prædicant*. Sed ſecunda eſt naturaliter inſerta in radice: ergo prima eſt naturaliter inſerta in ſe ipſa.

88 *Secundo.* Secundo; nam in radice omnes ſcientiæ naturales ſunt nobis naturaliter inſertæ, ſcilicet, in primis principijs, quæ ſunt ſemina ſcientiarum, & naturaliter cognoſcuntur à nobis; ſed Patres aſſerentes eſſe Dei cognitionem hominibus naturaliter inſertam, aliquid peculiare attribuunt cognitioni Dei, quod aliarum rerum cognitioni non conuenit: ergo ineptè explicantur de cognitione naturaliter inſerta in radice. *Tertio.* Tertio; quia Anſelmus taliter nobis inſertam Dei cognitionem fatetur, vt à nemine cogitante rem ſignificatam per nomen hoc *Deus*, poſſit illius exiſtentia negari; ſed ſi ſolum eſſet naturalis in radice, poſſet à cogitante, non ſolum nominis ſignificationem, ſed etiam rem ſignificatam, exiſtentia Dei negari, vt per ſe eſt manifeſtum: ergo ſentit, cognitionem eſſe nobis naturalem, & naturaliter inſertam formaliter.

89 *Reſp. ad primum.* Reſpondeo ad primam replicam, tribus modis poſſe Deum à nobis cognoſci. Primo, per humanam fidem ex Parentum, & aliorum doctrina, quam à pueritia didicimus, quæ cognitio ita noſtris animis hæret, vt naturalis videatur; cum tamen non à natura immediatè profectum habuerit, ſed ex teſtimonio alieno. Secundo; ex creaturis cognitis Deum cognoſcimus, non cognitione Metaphyſicè euidente, ſed ſummè probabili, quæ cognitio non oritur immediatè à natura, ſed per conſequentiam, & diſcurſum habetur; quia tamen conſequentia faciliima eſt, & diſcurſus penè imperceptibilis, & cuiuis patens, niſi præuaricati ſit intellectus, hæc cognitio dicitur naturaliter inſita. Tertiò; ex creaturis cognitis diſcurſu à poſteriori, euidenteque cognitione, Dei exiſtentiam inferimus, & hæc cognitio non eſt omnibus communis, ſed tantum doctis; qui ex eo quod idem nequit à ſe ipſo produci, & quod in cauſis ſubordinatis per ſe, non poteſt dari proceſſus in infinitum, euidenti ratiocinatione colligunt, debere dari cauſam aliquam à nullo productam, quæ proinde Deus ſit, & huiuſmodi cognitio non dicitur naturalis; cum labore, & induſtria, ſolertique conſideratione naturalium rerum habeatur, nec omnes illam obtineant, ſed tantum docti, vt iam diximus. Damaſcenus ergo duas priores cognitiones naturales, aut naturaliter inſertas vocauit. Tùm, quia ab initio naſcentis diſcurſus habitas: tùm etiam; quia ſine vllo labore, aut humana induſtria obtentas. Tertiam autem ab illis diſtinxit, quia non, niſi induſtria, & labore obtinetur, quod rectè animaduertit Vazquez *diſputatione 19. capite tertio numero 12.*

Et

90 *Ad secundam.* Et ex his ad secundam obiectionem, nego maiorem. Non enim cognitio aliqua naturaliter insita dicitur, ex eo præcisè, quod principia, ex quibus potest deduci, sint cognita naturaliter, nisi ex illis, ita facili discursu inferatur, vt industria, & labore non egeat, & quia talis est cognitio existentiæ Dei, quam secundo loco exposuimus; cognitio autem cuiusuis conclusionis scientificæ, huius conditionis non est, ideò rectè à Patribus Dei cognitio naturaliter insita dicitur, quin ex hoc inferatur, idem esse de cognitionibus scientificis dicendum: plures namque per longissimas consequentias, ex primis inferuntur principijs, & illæ, quæ cum primis principijs immediatè comparantur, non sine labore, & humana industria habentur, & à pluribus ignorantur absque vlla intellectus moralis deordinatione.

91 *Ad tertiã respõdẽt aliqui. Fasolis. S. THO.* Ad tertiam plures dicunt, Anselmum pro opposita sententia extitisse, cæterum Anselmo præferendos cæteros Ecclesiæ Patres, & Theologos nostræ adhærentes: Ita Fasolis *in præsenti quæstione secunda artic. primo dubitatione tertia numero 19.* quibus fauet Diuus Thomas *quæstione decima de Veritate art. 12. in corpore*, vbi docet, Anselmum fuisse opinatum, quod Deum esse, sit per se notum, in tantum, vt nullus possit interiùs cogitare, Deum non esse. Imò addit Gerson relatus à Cartusiano *in primo distinctione tertia quæstione secunda in fine*, discursum, quo Anselmus probat, non posse cogitari Deum quoad rem significatam per nomen, & illius existentiam negari, quia Deus est, quo maius aliquid cogitari non potest, sophisticum esse omninò, his verbis concludens: *Nescio quis insipientior sit, an is, qui putat, hoc sequi, an insipiens, qui dixit in corde suo, non est Deus?*

92 *Anselmus explicatur.* Possumus tamen Anselmum interpretari, ne communi sententiæ aduersetur, & inprimis Gerson nimis audax extitit in Anselmum, quis enim absque audaciæ, & temeritatis labe, Doctorem tantum, cum insipiente Deum in corde negante, comparare præsumet? Deinde totum librum præcedentem, quem homologium inscripsit, in probanda Dei existentia Anselmus insumpsit, vt quid autem tantum laborem impenderet in probanda Dei existentia, si adeò est omnibus per se nota, & conspicua vt ex ipsis terminis innotesceret? Quare, cum docuit non posse cogitari rem significatam per nomen, & negari Deum existere, interpretandus est de cogitatione orta ex doctrina parentum, vel discursu, quasi imperceptibili ex creaturis illata, vel per fidem habita, vel de illa, quæ humana industria, & labore per discursum euidentem ex rerum creatione, & gubernatione colligitur: cum prima namque, & secunda, quia moraliter sunt certæ non potest, saltem moraliter assensus negans Dei existentiam coniungi; cum tertia autem, & quarta, quia sunt Metaphysicè certæ, non potest talis assensus coniungi, etiam Metaphysicè; non vero loquitur de cogitatione ex re significata sine alio medio insurgente. & hoc erat necessarium, vt Deum existere, esset nobis per se notum, & illam rei significatæ cogitationem, quia est imperfecta cognitio per hyperbolem cognitionem significationis nominis dixit, & cum cognitione quid nominis Anselmus recensuit. Quomodo autem cum hac interpretatione cohæreat, Anselmum, non solum id asseruisse, sed etiam probasse, ex eo quod nomen *Deus* significat id quo maius cogitari non potest; si autem cogitari posset non existens, aliquid Deo maius posset cogitari; ex *infra* dicendis constabit.

93 *Secundo arguit Aureolus.* Secundo arguit Aureolus; illa est propositio omnibus per se nota, quam necessè est habere quemlibet docendum per se ipsum, vnde instructore non indiget: talis autem est, quæ immediatè venit in mentem, vel ex terminis, vt quodlibet est, vel non est, aut per inductionem ex sensibus, vt nix est alba, aut per deductionem syllogisticam tempore imperceptibili habitam, vt quod omne totum sit maius sua parte, quod natura sit prior existentia, tempore imperceptibili, probatur ex motu; sed Deum existere huius conditionis est; nam sine aliquo instructore venit in omnium hominum mentem; omnis enim gens Deum aliquem sibi est imaginata, & per deductionem syllogisticam tempore imperceptibili habitam, Dei cognitio colligitur: ergo Deum existere est omnibus per se notum.

94 *Respondetur primo.* Respondeo primo, negando maiorem: nam propositio dicitur per se nota, per exclusionem necessitatis medij ab extremis distincti, vnde siue habeatur sine instructore, siuè discursu tempore imperceptibili eius veritas probetur, dummodo sine medio probatiuo ab extremis distincto non cognoscatur, propositio per se nota non est. Secundò respondeo, distinguendo maiorem: si euidenter, certoque Metaphyceè cum illis conditionibus cognoscatur, omnino maiorem: si tantùm probabiliter, aut certo moraliter, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam esto admittamus, Dei existentiam ab omnibus probabiliter, vel certo moraliter sine instructore cognosci, & per discursum tempore imperceptibili habitum; vt tamen cognoscatur euidenter, & certo certitudine Metaphysica, instructore indiget, & discursu non facili; cum plures sint, qui post longum tempus insumptum, demonstrationem, qua à posteriori Dei existentia euidenter probatur, vel non assequantur, vel non satis percipiant. Vt autem propositio enuntians de Deo existentiam, esset per se nota omnibus, deberet euidenter omnibus innotescere sine extrinseco instructore, & deductione syllogistica tempore imperceptibili habita. *Secundo.*

95 *Tertium argumentum Aureoli.* Tertio sic arguit: si propositio includens, est per se nota, propositio inclusa per se nota esse debet; sed propositio includens propositionem enuntiantem existentiam de Deo est omnibus per se nota: ergo propositio enuntians de Deo existentiam, est etiam omnibus per se nota. Maior cum consequentia tenet. Minorem autem probat: hæc propositio, *Deus est colendus*, includit hanc, *Deus existit*; nam quod non existit, coli non potest; sed Deum esse colendum, est omnibus per se notum, & communis omnium conceptio: ergo propositio includens propositionem enuntiantem existentiam de Deo, est omnibus per se nota.

96 *Triplex solutio adhibetur.* Huic argumento aliqui negant, Deum esse colendum, esse omnibus per se notum. Ita Maironius *in 1. dist. 2. q. 5. in fin.* Alij distinguentes concedunt esse omnibus per se notum ex suppositione, quod Deus existat, & illius existentia, vel fide credatur, aut euidenti discursu probetur, non vero absolute; ex quo non colligitur, esse per se notam omnibus existentiam diuinam: nam ad hoc necessum erat, vt propositio, Dei existentiam supponens, esset omnibus per se nota absolute. Tertio respondetur ab alijs, distinguendo maiorem; si propositio includens est per se nota speculatiuè, & practicè, concedunt maiorem: si sit per se nota non speculatiuè, sed practicè tantum, negant maiorem: & sub eadem distinctione minoris, negant consequentiam: nam Deum esse collendum, est practicè per se notum; non autem speculatiuè, ad quod sufficit, vt propositionem probatiuam ad praxim pertinentem non supponat, nec includat, vel si illam includat, & ad praxim pertineat, per se nota practicè sit; propositio autem ista, *Deus est*, non est practica, sed speculatiua; & ideò quamuis per se nota non sit speculatiuè, potest propositio illam claudens per se nota practicè esse. Quæ solutio ferè in idem cum secunda coincidit: nam Deum esse collendum, quod est practicè per se notum, necessario Dei existentiam, & illius cognitionem supponit, & solum ex hac suppositione veritatem practicam continet.

97 *Quarto arguit Aureolus.* Quarto arguit Aureolus; illud est per se notum nobis, quod non potest cogitari, non esse; sed non potest mente concipi, Deum non esse: ergo Deum esse, est nobis per se notum. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; hæc propositio, *Deus non est*, habet repugnantiam ex terminis; sed propositio ex terminis immediatè repugnans, non potest mente concipi: ergo Deum non esse, mente cogitari non potest. Minor, & consequentia patent. Maior autem probatur; nam ille terminus *Deus*, significat id quo maius cogitari non potest, vt docent August. *lib. 1. de Doctrina Christiana capit. 7. & lib. 7. confessionum* Anselmus *in proslogio cap. 23. & 24.* Et Diu. Thom. *quæst. 10. de Verit. ar. 12. ad 2. 1. Contra Gent. cap. 11. in hac 1. p. q. 13. ar. 8. in corp. & in præsenti q. 2. ar. 1. ad 2.* sed ex terminis repugnat non esse id, quo maius cogitari non potest: ergo Deum non esse, repugnat ex terminis. Minor probatur; existens maius est ente non existente: ergo cogitatum existens, cogitatur maius, eo quod cogitatur non esse; sed ex terminis repugnat, cogitari aliquod maius, eo quo maius cogitari non potest: ergo ex terminis repugnat id quo maius cogitari non potest, cogitari non existens. Quo argumento vitus est Anselmus *in proslog. cap. 2. & 3.* ex quo intulit *cap. 4.* insipientem, cum in corde suo dixit, *non est Deus*, non attendisse rem significatam per nomen, sed tantum nominis significatione n: nam *S. Aug. S. Ansel. S. THO.*

si significatum nominis cogitasset, non potuisset, inquit Anselmus, Deo existentiam negare.

98 *Respondet D. Tho.* Respondet Diu. Thom. *in præsenti art. 1. ad 2. & 1. Contra Gentes cap. 11. in solutione primæ rationis*, fortè illos, qui Deo existentiam negant, negaturos etiam per nomen *Deus* significari id, quo maius cogitari non potest, quibus verbis videtur Angelicus Doctor, negare hanc esse huius nominis significationem. Cui doctrinæ adhæsit Durandus *in 1. dist. 3. q. 3. ad vltim. argum.* vbi docet, non esse per se notum, quod hæc sit ratio nominis, quod est Deus, nempe, Deus est, quo nihil maius cogitari potest, nec Anselmum id accipere, vt per se notum, sed tantum vt fide creditum; ait enim, credimus te esse aliquid, quo nihil maius cogitari potest, & addit Durandus, nec de omni cogitatione veritatem habere, sed tantùm de cogitatione vera; quia licet Deus sit, quo nihil maius esse possit, & quo nihil maius vere cogitari possit, potest tamen, quamuis falsò, cogitari aliquid maius Deo; ex quo sequitur, quod licet Deum esse, sit verum, non tamen est per se notum, quia oppositum per se notum quoad nos, non potest nec verè, nec falsè opinari.

99 *Respondetur in forma. Primo,* Iuxtà quam doctrinam argumentum facile corruit, negando, esse per se notum omnibus nomen *Deus* significare id quo maius cogitari non potest: quia licet re vera id significet, non tamen omnes illam significationem accipiunt, sed tantum fide creditur, vel discursu à posteriori ex effectibus colligitur, nec aliud Augustinus, & Anselmus docuerunt; ex quo tantùm sequitur, à nemine posse negari, supposita cogitatione, aut fide habita, aut humano labore acquisita, de vera significatione huius nominis significantis id, quo nihil maius potest verè cogitari, & in hoc sensu loquitur Anselmus *in prosologio cap. 4.* cum negat insipientem, cum negauit Deum, cogitasse significatum huius nominis *Deus*, quia nempe, non cogitauit cogitatione perfecta, fide habita, aut humana industria acquisita verum nominis significatum. Sic explicat Anselmum D. Th. *in 1. dist. 3. quæst. 1. art. 2. ad 4.*

100 *Secundo,* Secundo respondetur, distinguendo maiorem; quod non potest cogitari, nec vere, nec false, concedo maiorem; quod non potest vere cogitari non esse, nego maiorem: & sub eadem distinctione minorem, nego consequentiam. Nam, licet non possit Deus verè cogitari non esse, falsò tamen cogitari potest, & de facto insipiens id cogitauit. Vt autem esset omnibus per se notum Deum esse, necessarium erat, quod nec falsò cogitari posset, non esse; quia vt rectè inquit Durandus, oppositum per se noti omnibus, nec vere, nec falsò cogitari potest. Ad minoris probationem, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, distinguo maiorem: habet repugnantiam ex terminis ex parte rei significatæ, vt in se, concedo maiorem: habet repugnantiam ex terminis prout notis nobis, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet propositio repugnans ex terminis prout notis nobis, nequeat à nobis concedi, quæ vero repugnantiam habet ex terminis ratione rei significatæ prout in re; non autem prout in nostro intellectu, potest à nobis licet falsò concedi; & ita contingit in hac propositione, *Deus non est*; nam licet Deus prout in re repugnet negationi existentiæ; & consequenter à concipientibus illum prout in re est, nequeat concipi sub non existentia, prout tamen à nobis in hoc statu concipitur, hanc repugnantiam non explicat; & ideo hæc propositio, *Deus non est*, non est nobis repugnans ex terminis, nec est nobis per se falsa, sicut nec ista, *Deus existit*, est ex terminis per se nota, nec nobis est per se vera, quamuis sit per se nota, & per se vera secundum se.

101 *Ad probationem minoris respond.* Nec distinctionem istam infringit probatio minoris; nominis enim significatio non infert rem significatam existere, imo nec esse possibilem; cum plura significentur, quæ de facto non existunt, nec existere possunt, vt continet in hoc nomine complexo *mons aureus*, quod montem aureum significat, quin ex hoc inferatur, montem aureum existere, vel existere posse; & hoc nomen infinitum *non Deus*, significat negationem existentiæ Dei, quæ tamen impossibilis est: ergo ex hoc, quod nomen *Deus* significet id, quo nihil melius cogitari potest, non sequitur esse in rerum natura id, quo nihil melius, aut maius possit cogitari: ac proinde concepta significatione huius nominis *Deus* ex parte subiecti, potest concipi, licet falsò, sub negatione existentiæ, quod sufficit, vt hæc propositio, *Deus non est*, non sit per se repugnans, aut per se falsa, quoad nos.

Quæ doctrina est D. Thom. *q. 10. de Veritate art. 2. ad 2. 1. Contra Gentes cap. 11.* ad primam rationem; *& in hac q. art. 1. ad 2.* & iuxta illam in forma ad probationem minoris, concessa maiori, distinguo minorem: supposito quod id, quo maius cogitari non possit sit in rerum natura, concedo minorem; hac suppositione non facta, nego minorem, & consequentiam; nam licet supposito, quod existat in rerum natura aliquid eius, quo nihil maius cogitari possit, recte inferatur, existere necessario, nec posse non existere ob rationem in probatione adductā, quia nempe, eo ipso quod non existeret, perfectissimum non esset; quia tamen hæc suppositio non habetur ex nominis significatione, sed vel fide creditur, vel discursu, & ratione probatur; fit, vt Deum non existere, non sit nobis repugnans ex terminis. 102 *Doctrina tradita est Angelici Praeceptoris,*

Sed dices; audito hoc nomine *Deus*, saltem est in intellectu nostro id, quo maius cogitari non potest; sed cum existentia in nostro intellectu illius, quo maius cogitari non possit, non potest componi negatio existentiæ, vt concepta; ergo ex vi huius nominis *Deus* exprimitur aliquid repugnans negationi existentiæ, & consequenter hæc propositio, *Deus non existit*, est nobis repugnans ex terminis. Illatio tenet. Maior constat ex D. Thom. *1. Contra Gentes cap. 11. ad primam rationem*, ibi. *Ex hoc autem quod mente concipitur, quod profertur hoc nomine Deus, non sequitur Deum esse, nisi in intellectu, vnde nec oportebit, id, quo maius cogitari non potest, esse nisi in intellectu*: ergo iuxta Diu. Thom. audito nomine *Deus*, supposito eam esse illius significationem, necessario est in intellectu id, quo maius cogitari non potest. 103 *Dices,* S. THO.

Et confirmabis primo; non potest cogitari aliquid maius Deo; sed si posset Deus concipi non existens, posset cogitari aliquid maius Deo: ergo non potest sic concipi. Maior constat; nam Deus est id, quo maius cogitari non potest: ergo non potest cogitari aliquid maius Deo. Minor autem probatur; nam existens maius est, & perfectius, non existente; sed plura à nobis concipiuntur existentia: ergo si Deus potest concipi non existens, potest cogitari aliquid maius Deo. Confirmabis secundo; maius est id, quod non potest concipi non existens, eo quod potest non existens cogitari, sed Deus est maximus omnium, quæ esse vel intelligi possunt; ergo Deus non potest concipi, aut cogitari non existens. 104 *Confirmatur 1.* *Secundo;*

Respondeo, distinguendo maiorem; in nostro intellectu, vt simpliciter apprehendente, idest in simplici intellectus nostri apprehensione, concedo maiorem: vt compositiuè affirmante, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet hæc duo nequeant ab intellectu nostro compositiuè cognosci; Deo in re conuenit, esse id, quo maius cogitari non potest, & Deus non existit, vt argumentum conuincit, quod autem simplici apprehensione cognoscatur id, quo maius cogitari non potest, & de illo existentia negetur, non repugnat ex terminis, quatenus nobis notis, quia ex eo quod apprehendatur id, quo maius cogitari non potest, non sequitur esse in re; cum plura impossibilia, & quæ implicant contradictionem, à nobis apprehendantur, sintque in nostra apprehensione, vt hoc coniunctum, *mons aureus*, quod à nobis apprehenditur, sicut etiam à nobis significatur, & tamen est impossibile. 105 *Respondetur.*

Ad primam confirmationem, distinguo maiorem: conceptione vera habente fundamentum in re, concedo maiorem; conceptione falsa sine fundamento in re cognita, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, distinguo consequens eodem modo. Solum enim sequitur, non posse concipi Deum sub negatione existentiæ, conceptione fundata in imperfectione obiecti: non autem quod non possit, sic concipi conceptione fundata in debilitate nostri intellectus, quo genere conceptionis, inconueniens non est, concipi aliquid melius Deo; vt enim docet Diuus Thomas 1. *Contra Gentes cap. 11.* ad primam rationem, *non est inconueniens quolibet dato, vel in re, vel in intellectu, aliquid maius cogitari posse, nisi ei, qui concedit esse aliquid, quo maius cogitari non possit in rerum natura.* Verba sunt D. Tho. quorum sensus planus est quod licet, qui concedit, Deum in re ipsa esse id, quo maius cogitari non potest, nequeat concipere, esse 106 *Ad 1. confirmationem.* S. THO.

ali-

aliquid maius Deo; qui autem negat, Deum in re ipsa esse optimum cogitabile, quod negant, qui Deum non existere affirmant, potest concipere esse aliquid maius Deo, imò necessario id consequitur; cum ens melius sit non ente, ac proindè, qui concipit, Deum non esse, consequenter concipit, vt præstantius Deo quodlibet aliud existens.

107 *Explicantur quænam verba D. Th.* Nec obstant huic doctrinæ verba illa D. Tho. in solutione secundæ rationis: *Nec etiam oportet, vt secunda ratio proponebat, Deo posse aliquid maius cogitari, si potest cogitari non esse.* Quibus negare videtur, concipi aliquid maius Deo, ex eo quod concipiatur, non esse: Non inquam obstat: nam hæc verba accipienda sunt de conceptione vera, & fundata in re cognita; non autem de conceptione falsa, non habente fundamentum in re; quam esse germanam D. Th. intelligentiam, constat primò: quia aliàs sibi ipsi D. Tho. contradiceret, quod admittendum non est, maximè in eodem capite, & verbis ita immediatis. Deinde ex causali, quam assignat, his verbis: S. THO. *Nam quod possit cogitari, non esse, non ex imperfectione sui esse est, vel incertitudine; cum suum esse sit secundum se manifestissimum, sed ex debilitate nostri intellectus, qui eum intueri non potest per se ipsum, sed ex effectibus eius.* At ex eo quod Deum concipi non existentem, non oriatur ex imperfectione Dei, sed ex debilitate nostri intellectus, solum colligitur non posse cogitari aliquid maius Deo, cogitatione vera, & in Deo ipso fundata: non autem cogitatione falsa, ortaq; ex nostra imbecillitate: ergo sic sunt verba D. Th. accipienda.

108 *Ad 2. confirmationem.* Et ex his ad secundam confirmationem, distinguo maiorem: id quod non potest concipi non existens conceptione fundata in imperfectione obiecti, est maius, eo quod non potest concipi non existens, hoc genere conceptionis, concedo maiorem: conceptione, aut cogitatione non fundata in imperfectione obiecti, nego suppositum: & concessa minori, distinguo consequens: non potest sic concipi cognitione orta ex imperfectione Dei, concedo consequentiam: cogitatione orta ex imperfectione nostri intellectus, nego consequentiam. Nam licet sit dabile ens ita perfectum, vt non possit concipi non existens cogitatione in ipso fundata, & huius conditionis sit Deus; non tamen est dabile ens, quod non possit cogitari non existens, cogitatione orta ex debilitate nostri intellectus: vnde cum in maiori asseritur ens in cogitabile non existens, esse perfectius ente quod potest non existens cogitari, si de cogitatione in obiecti imperfectione fundata procedat, conceditur, cæterum Deus tali genere cogitationis non potest sub non existentia apprehendi: si autem de cogitatione non fundata in imperfectione obiecti accipiatur; cum ens huius conditionis non detur, neganda est maior propter falsitatem suppositi.

§. VII.

Cæteris argumentis occurritur.

109 *Quintum argumentum.* QVinto arguitur; hæc propositio, *Deus est existens*, est nobis per se nota: ergo Deum existere nobis per se notum est. Consequentia videtur bona, & antecedens probatur primò; *Antecedens probatur.* hæc propositio, *Deus est Deus*, est nobis per se nota; quia est identica; sed hæc, *Deus est existens*, etiam est identica; nam existentia est de essentia Dei, & cum illo identificatur: ergo est nobis per se nota. *Secundo.* Secundò probatur; hæc propositio, *quod existit, existit*, est nobis per se nota; sed nomen Dei proprium est; *qui existit*, vel *qui est*, vt constat Exodi 3. ergo hæc propositio; *Deus est existens*, nobis per se nota est. *Tertiò.* Tertio probatur; hæc propositio, *ens necessarium, est ens necessario existens*, est nobis per se nota; sicut hæc, *existens est existens*, non enim indigemus medio probatiuo prædictæ propositionis, sed explicatis terminis assensum illi præstamus; sed Deus est ens necessarium: ergo hæc, *Deus est existens*, est nobis per se nota.

Respondeo, negando antecedens. Ad primam proba-

110 *Responde tur ad primam probationem.* tionem, nego maiorem: nec obstat, quod identica sit; tunc enim propositio identica nobis est per se nota, quando extrema identitatis nobis per se nota sunt, & quia significatum nomine *Dei* nobis per se notum non est, dicta propositio nobis per se nota esse nequit. Quæ doctrina fortiùs militat in hac, *Deus existit*; nam quamuis existentia in re identificetur cum Deo; quia tamen Deum, vt est in se, non cognoscimus, nobis per se nota non est identitas existentiæ cum illo: Ita D. Th. *quæst. 10. de Veritate art. 12. ad 4.* ibi: *Dicendum, quod ratio illa procederet, si hoc nobis esset per se notum, quod Deitas sit esse Dei, quod quidem nunc nobis non est notum per se; cum Deum per essentiam non videamus; sed indigemus ad hoc tenendum, vel demonstratione, vel fide.*

Ad secundam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: ita vt nomen illud esse proprium Dei, sit nobis 111 per se notum, nego minorem: ita vt nobis per se notum *Ad 1. probationem resp. 1.* non sit, concedo minorem, & nego consequentiam: quia quamuis nomen, *qui est*, sit nomen proprium Dei, hoc tamen nobis per se notum non est; & ideò consequentia non tenet. Ita D. Thomas *quæst. 10. de Veritate art. 10. ad 10.* S. THO. quod ita procedebat: *Nomen Dei proprium est, qui est, vt patet Exodi 3. sed non potest cogitari, non non esse: ergo nec potest cogitari Deum non esse.* Cui argumento ita respondet: *Ad decimum dicendum, quod quamuis nomen Dei sit, qui est, non tamen hoc est per se notum nobis, vnde ratio non sequitur.*

Vel secundo responderi potest, concessa maiori, & mi- 112 nori, negando consequentiam; cum enim per nomen signi- *Secundo.* ficari possit, quod non est in re, ex eo quod hoc nomen *Deus* significet, *qui est*, non sequitur Deum esse in re; sed tantum in apprehensione: ex quo non sequitur esse ita in re, nec D. Tho. aduersatur huic doctrinæ, vt constat *ex solutione ad quartum argumentum*, vbi vt vidimus, argumento sumpto, ex eo quod nomen *Dei* significat id, quo maius cogitari non potest, ex quo inferebatur; Deum non posse sub non existentia concipi, duplicem solutionem adhibuit: primam, docens, fortè non admitti ab omnibus illam nominis significationem, quod idem est, atque asserere, nobis per se notum non esse nomen *Deus* ita significare. Secunda docens, ex eo quod ità significet, solum sequi id, quo maius cogitari non potest in apprehensione existere; ex quo non sequitur, esse in re: ac proinde nec colligitur, quod non possit concipi sub non existentia: ergo cum argumento sumpto ex hoc nomine, *qui est*, tradita solutione respondet, non excludit secundam à nobis traditam; cum eadem vtrobique sit ratio.

Ad tertiam, nego maiorem: non enim potest prædicta 113 propositio esse nota absque notitia coniunctionis necessita- *Ad Tertiam.* tis cum ente, quæ ponitur ex parte subiecti; cum per illius non suppositionem possit propositio esse falsa: & consequenter non potest esse nobis per se nota, nisi prædicta coniunctio nobis per se nota sit: non autem est nobis per se notum, dari aliquod ens necessarium, sed id solum fide, aut per discursum cognoscimus: ac proinde hæc propositio; *ens necessarium est ens necessario existens*, nobis per se nota non est.

Sed instabis primo; hæc propositio *ens necessarium, est* 114 *ens necessarium*, est nobis per se nota; cum sit identica; ni- *Instabis primo.* hil autem nobis notius, quam idem esse sibi idem: ergo hæc etiam est per se nota nobis, *ens necessarium, est ens necessario existens*. Patet consequentia; in prima namque definitum enuntiatur, in secunda definitio: non autem potest contingere, vt propositio enuntians definitum de aliquo, vel nota, vel per se nota sit, & eadem qualitate non gaudeat propositio definitionem enuntians; cum hæc notior sit quam illa, imò sit notificatiua illius: ergo si hæc propositio, *ens necessarium, est ens necessarium*, nobis per se nota est, etiam ista, *ens necessarium, est ens necessario existens*, nobis per se nota esse debet. Secundò: nam hæc propositio, *quod* *Secundo.* *est necessarium, existit*, est nobis per se nota, non minus quam ista, *quod existit, existit*, vel quam ista, *quod necessario existit, existit*: ergo etiam ista propositio, *ens necessarium existit, vel necessario existit*, nobis per se nota est.

Tertio; non enim est minus de essentia necessarij exi- 115 gentia existendi, quam de ratione impossibilis repugnantia ad existendum; sed hæc propositio, *impossibile non existit*, *Tertio.* est nobis per se nota: ergo hæc, *necessarium existit* nobis per se nota est; & consequenter hæc propositio, *ens necessarium existit, vel necessario existit*, erit nobis per se nota.

Denique instabis; nam quod ens necessarium, si non *Quarto.* est impossibile, existat nobis per se notum est; sed ens necessarium non potest apprehendi impossibile: ergo ens necessarium existere nobis per se notum est. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; necessarium namque, & impossibile sunt termini repugnantes: ergo nequit ens necessarium, impossibile apprehendi.

Respondeo ad primam replicam, negando antecedens. 116 Potest enim propositio identica esse falsa per non suppositionem subiecti, & constat in hac propositione, *Petrus hic* *Respond. ad 1.*

& nunc exercitè existens, hic & nunc exercitè existit, quæ identica est, & tamen falsa esse potest, si Petrus, cuius existentia in subiecto supponitur, non existat de facto, imò potest propositio identica esse in materia repugnante, vt constat in hac propositione, *homo necessarius, est homo necessarius*, quæ identica est; & tamen veritati repugnat, ex eo quod coniunctio necessitatis cum homine posita ex parte subiecti, impossibilis est; non ergo valet consequentia, est propositio identica: ergo est nobis per se nota, quandoquidem non valet: ergo est vera; sicut ergo potest propositio identica esse falsa per non suppositionem subiecti: ita potest non esse per se nota, ex eo quod aliquid, quod ex parte subiecti supponitur, nobis per se notum non sit: & ita contingit in hac propositione; *ens necessarium, est ens necessarium*, in qua ex parte subiecti supponitur coniunctio necessitatis cum ente, quæ nobis per se nota non est.

Ad secundam replicam, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discriminis habetur ex dictis;
117 *Ad secundam.* nam in antecedenti non coniungitur necessarium cum ente positiuo, sed quasi in abstracto importatur, vel in communi ad ens, & non ens; sic autem necessarium existere, nobis per se notum est; cum eo ipso, quod negetur ens necessarium existere, adstruatur necessariò non existere: nam ens necessarium, vel necessariò existit, vel necessariò non existit; eo quod non potest existere contingenter.
Ad tertiam. Ad tertiam, concessis maiori, & minori, & prima consequentia, nego secundam, quæ sub infertur ob rationem nuper traditam; quia nempè, in hac propositione *necessarium existit*, importatur necessarium in communi, abstrahendo ab ente, & non ente, qualiter necessarium existere nobis per se notum est, vt proximè dicebamus; in hac autem, *ens necessarium existit*, coniungitur necessitas cum positiua entitate, quæ coniunctio nobis per se nota non est; quæ doctrina etiam in impossibili tenet: nam licèt loquendo de impossibili in communi, nobis per se notum sit, non existere; si autem contractè sumatur, non est nobis per se notum, quod hoc, vel illud impossibile existentiæ repugnet, vt constat in pluralitate Deorum, quæ impossibilis, & implicans est, & tamen non est per se nota nobis illius impossibilitas, sed fide creditur, & ratione naturali probatur.

118 Ad vltimam, concessa maiori, nego minorem. Ad illius
Ad quartam. probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: necessitate, & impossibilitate affirmatis, concedo consequentiam: necessitate non affirmata, sed ex parte subiecti ingrediente, & impossibilitate affirmata, nego consequentiam. Nam licèt non possit intellectus de ente, de quo affirmat necessitatem, impossibilitatem affirmare; hanc tamen propositionem, *ens necessarium repugnat, vel est impossibile*, benè potest intellectus cognoscere illiq; assensum præstare, imò omnis negans enti necessario existentiam illud censet impossibile; nam ens necessarium, vel existit, vel est impossibile, cum non possit existere contingenter.

119 Denique arguitur; existere vltimum finem, nobis per
Sextum argumentum. se notum est: ergo etiam Deum existere. Consequentia tenet: nam ratio vltimi finis est prædicatum proprium Dei, & cum ipso conuertibile, non minùs, quàm ratio primæ causæ incausatæ; sed quia Deus demonstratiuè cognoscitur sub ratione primæ causæ, Dei existentia demonstratur, vt *Disput. sequenti* videbimus: ergo si Deum existere sub ratione vltimi finis nobis per se notum est, Deum existere,
Antecedens probatur 1. nobis per se notum erit. Antecedens autem ostenditur primò; quod enim omnes naturaliter desiderant, naturaliter etiam cognoscunt; cum desiderium, necessariò supponat cognitionem obiecti desiderati; sed omnes desiderant summum bonum, quod est idem, ac vltimus finis, vt docet Boetius *lib. 3. de Consolatione prosa 11*, ergo summum bonum, quod est idem ac vltimus finis, communi omnium conceptione cognoscitur.

Secundo probatur ex Augustino *lib. de Trinitate cap.*
120 *Secundo.* *4.* asserente, quod omnes homines naturaliter desiderant beatitudinem; sed beatitudo in adeptione summi boni, & vltimi finis consistit: ergo omnes appetunt summum bonum adipisci; & consequenter omnes summum bonum, & vltimum finem cognoscunt.
Tertio. D.THO. Tertio probatur ex D. Tho. *in 2. Sent. dist. 23. q. 1. art. 3. ad 3. ad 5. & dist. 42. q. 1. art. 5. ad 7. & in 4. dist. 49. q. 1. art. 3. ad 6. q. 5. de Malo art. 2. ad 3. & q. 7. art. 10. ad 8. de veritate q. 24. art. 12. ad 2. & q. 28. art. 3. ad 4. & 1. 2. q. 89. art. 6. in corpor. & solutione ad 3.* Vbi ait, quod omnis homo ad vsum rationis perueniens, tenetur sub culpa mortali ad Deum, vt vltimum finem conuerti, illumque super omnia efficaciter diligere; quam doctrinam omnes Angelici Præceptoris discipuli vnanimi consensu sequuntur; at si nobis per se notum non est, vltimum finem existere, non omnes ad vsum rationis venientes, dicta lege tenerentur: ergo vltimum finem existere, nobis per se notum est. Probatur minor; si namque vltimum finem existere, nobis per se notum non esset, posset ad minus pro breui tempore illius existentia ignorari inuincibiliter; sed nullus tenetur amare obiectum incognitum, nec ad illud se conuertere; cum cognitio obiecti amandi ex parte actus primi se teneat, vt voluntas possit amare: ergo si nobis per se notum non sit existere finem vltimum, non omnes primò ad vsum rationis venientes, tenentur illum diligere, nec in illum se conuertere.

Nec sufficit respondere, defectum cognitionis, sicuti & 121
defectum potentiæ, non arguere defectum obligationis; *Si respondeas 1.*
potest namque lex obligare, saltem excusabiliter, per accidens deficiente potentia adimpletiua præcepti, & hoc in casu ignorantiæ finis vltimi contingeret, quod scilicet, illum ignorans in primo instanti rationis dicta lege teneretur; per accidens tamen excusaretur à culpa in illius transgressione. Non inquam, sufficit; nam D. Th. loquitur de lege inexcusabiliter obligante omnes homines primò ad vsum rationis venientes: ergo argumentum factum dicta euasione non soluitur. Antecedens probatur; nam D. Th. loquitur de obligatione, quam non adimplentes incurrunt culpam mortalem; adimplentes autem statim iustificantur, vt inde probet, non posse culpam venialem cum sola culpa originali coniungi; sed transgressio legis obligantis excusabiliter non est peccatum mortale, nec veniale; ergo loquitur de lege inexcusabiliter obligante.

Nec sufficit respondere secundo, loqui D. Th. de obli- 122
gatione regulariter contingente, non autem in omni casu: *Si dicas secundo.*
prædicta autem ignorantia non potest regulariter contingere. Non inquam sufficit: nam hoc effugium ex dictis manet præclusum. Sequitur namque ex illo, quod saltem in *Contra.*
aliquo casu, etsi non ita frequenti, posset peccatum veniale cum solo originali coniungi; at hoc non potest admitti in doctrina D. Th. quod nempe in casu, etsi rarò, moraliter tamen possibili, peccatum veniale cum solo originali coniungatur, vt omnes discipuli D. Th. fatentur: ergo solutio tradita non potest in eius doctrina subsistere.

Tertio respondent docti Recentiores Thomistæ, omnes 123
homines, dum primò ad vsum rationis perueniunt, per se *Si dicas tertio.*
teneri ad dilectionem efficacem expressam Dei; vt est vltimus finis. & ad expressam conuersionem in ipsum; posse tamen in aliquo casu excusari à prædicta obligatione ob defectum cognitionis expressæ Dei, vt vltimi finis, quæ potest in aliquo casu contingere, cum contingat, aliquos ad vsum rationis venire, qui nomen Dei numquam audierunt; & consequenter carentes explicita cognitione Dei nedum, vt Auctoris supernaturalis, sed etiam vt Auctoris naturæ: ac proinde non potentes ipsum expressè diligere: voluntas namque non potest amare obiectum incognitum; & consequenter obiectum expressè non cognitum non potest expressè amare. Nullum tamen in illo instanti excusari ab obligatione diligendi Deum, saltem vt finem vltimum naturalem dilectione implicita, & virtuali contenta in amore, quo diligitur bonum honestum in communi, & in propositione efficaci viuendi secundum rectam rationem: nam cum hæc potissimè dictet, & innuat, Deum super omnia diligere, præcipuaq; ratio boni honesti consistat in ipso Deo, quisquis efficaciter diligit bonum honestum, & viuere secundum rectam rationem, implicitè, & virtualiter diligit ipsum Deum: ab hac autem obligatione nemo potest excusari, vbi primum ad vsum rationis peruenerit; eo quod omnibus in illo instanti intimatur lex naturalis quoad prima saltem principia, qualia sunt, bonum honestum amplecti, & viuere secundum rectam rationem, & si hoc præceptum impleuerint, statim iustificabuntur, si autem non adimpleuerint, mortalem culpam incurrent, quibus tota doctrina D. Th. saluatur, etiam si admittamus ignorantiam inuincibilem existentiæ vltimi finis. Ita doctissimi P.P. Salmanticenses, *Tom. 4. disp. 20. dub. 1. §. 3.*

Contra hanc tamen doctrinam obstare videtur primò; 124
nam amor boni honesti in communi non est amor boni ho- *Hæc solutio impugnatur primo.*
nesti super omnia; cum iste solum debeatur vltimo fini: bonum autem honestum vt sic, finis vltimus non sit, sed abstrahens à fine vltimo, & non vltimo; ergo in amore effi-

çaci

caci boni honesti in communi non continetur implicitè amor Dei super omnia; & consequenter, si admittitur excusatio ab obligatione amoris efficacis expliciti Dei, vt est vltimus finis, non manet lex inexcusabiliter obligans ad illius efficacem amorem, nec implicitum, nec explicitum. Secundò; nam propositum efficax viuendi secundum rectam rationem, & implendi totam legem, licèt sit virtualiter, & implicitè voluntas reflexa amandi efficaciter Deum, non tamen est virtualiter, aut implicitè amor efficax illius ergo in obligatione propositi efficacis viuendi secundum rectam rationem, non continetur virtualiter obligatio amoris efficacis Dei, vt Auctoris naturalis. Antecedens probatur; actus, quo aliquis vult expressè legem dilectionis adimplere, non est expressa dilectio: ergo voluntas implicita adimplendi legem dilectionis Dei, non est implicitè dilectio Dei; sed in proposito efficaci viuendi secundum rectam rationem solùm continetur implicitè voluntas adimplendi legem dilectionis: ergo in illo proposito non continetur implicitè, & virtualiter dilectio Dei, vt Auctoris naturalis.

Secundò.

125 Tertiò; nam in attritione efficaci requisita ad valorem sacramenti pœnitentiæ continetur propositum efficax nunquam peccandi de cætero, & consequenter propositum efficax adimplendi totam legem; & tamen attritio non est virtualis amor efficax Dei sub ratione vltimi finis; aliàs attritio requisita ad valorem sacramenti pœnitentiæ esset ad iustificationem extra sacramentum sufficiens quod nullus admittet: ergo in proposito efficaci viuendi secundum rectam rationem, adimplendique totam legem non continetur virtualiter amor efficax Dei, vt conditoris naturæ.

Tertiò.

126 Ad hoc argumentum respondeo negando antecedens. Ad primam probationem, concessa maiori, negando minorem. Vt enim explicat D. Th. *quæst. 10. de veritate art. 12. ad 5.* Boetius loquitur non de summo bono in se ipso, sed in sui similitudine; & sic omnia summum bonum desiderant; nihil enim est desiderabile, nisi in quantum in eo similitudo summi boni inuenitur: ex hoc autem non habetur, quod Deum esse, aut summum bonum, vel vltimum finem existere sit per se notum. Ad secundam probationem dicatur, D. Th. loqui de beatitudine in communi, quæ in ratione boni satiantis appetitum consistit, abstrahendo ab eo, in quo ratio huius boni inuenitur; vt sic autem omnes beatitudinem appetũt, quia omnes volunt suum appetitum satiari, non autẽ de beatitudine vera in speciali, quæ in sola Dei adeptione, & fruitione summi boni, & veri vltimi finis consistit, & sic sumptam, non omnes illam appetunt; quia non omnes sciunt cui rei communis ratio beatitudinis conueniat: quæ doctrina est expressa D. Th. *allegato in corpore*, vnde vt docet idẽ D. Th. 1. 2. q. 2. a. 1. aliqui beatitudinem in diuitijs constituerunt, alij in honoribus, alij in fama, & gloria, alij voluptatibus, aut in alijs bonis corporis. Contra quos agit D. Th. tota illa quæst. per plures articulos, concludens in vltimo, in nullo bono creato posse obiectiuam nostram beatitudinem constitui; sed tantùm in bono increato, & infinito; quia solùm in hoc bonum potest nostrum appetitum quietare, vtpote in quo solo plena boni ratio inuenitur, quod est nostræ voluntatis obiectum.

Vera solutio argumenti.

Ad 2. probationem.

127 Si opponas; omnis perfectio homini proportionata, terminat naturalem eius appetitum; sed beatitudo naturalis perfecta intra istum ordinem, in Dei amore, aut cognitione consistens, est perfectio homini proportionata: ergo terminat illius naturalem appetitum: ac proinde omnes homines naturaliter appetunt, non solum beatitudinem in communi, sed etiam in speciali. Ex quo vlterius fit, vt omnes Deum vt Auctorem naturalem, qua ratione est obiectum naturalis beatitudinis naturaliter cognoscant, & omnibus sit per se notum finem vltimum existere.

Insurges.

Respondeo, maiorem esse vniuersaliter verum de appetitu naturali innato, qui ad naturam consequitur, & termini cognitionem non supponit, non autem de appetitu naturali elicito, ad quem præter rationem perfectionis, & proportionis obiecti prærequiritur eius cognitio; ex quo solùm sequitur, omnes homines appetitu innato appetere beatitudinem naturalem, vtpotè perfectionem sibi consonam, & proportionatam: non autem quod omnes homines appetitu naturali elicito beatitudinem naturalem in speciali desiderent; quia non omnes illam in speciali cognoscunt. Iuxta quam doctrinam distinguenda est maior concessa minori distinguendum est consequens, concedo consequentiam de appetitu naturali innato, negando de elicito, & neganda est vltima consequentia. Nam ex appetitu naturali innato conueniente omni homini respectu beatitudinis naturalis sumptæ in speciali, non sequitur esse in omnibus cognitionem illius, quia huiuscemodi appetitus non sequitur formam apprehensam; sed formam naturalem.

Respondetur.

Ad vltimam probationem antecedentis, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, nego sequelam. Nam licet euidens, & demonstratiua cognitio Dei conditoris naturæ longa discussione indigeat, nec omnibus sit communis, ideoque possit sine culpa non haberi, multique de facto illa sine culpa carent; aliqua tamen cognitio, quæ ad regulandum illius amorem sufficiat, ita cuius prauia; adeòque facilis est, vt in nullo instanti, si obligatio adsit, qualiter in primo instanti vsus rationis contingit, homo rationis compos, illa possit sine culpa carere, de quo infra; & dato quod in alijs instantibus ignorantia inuincibilis Dei conditoris naturæ admittatur, in primo admittenda non est, in quo omnibus hominibus lex naturæ promulgatur; cumque principium totius legis sit dilectio Dei, saltem vt conditoris naturæ, præceptum diligendi Deum omni homini in prædicto instanti intimatur, imò omnes homines in illo instanti à Deo supernaturaliter illustrari, docent probabiliter plures, iuxta illud Ioannis 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 128

Ad vltimam probationem antecedentis.

Quomodo autem cum hoc componatur infidelitas negatiua, quam admittit D. Th. 2. 2. *quæst. 10. art. 1.* in illis, qui nihil de fide audierunt: quomodo etiam cum sola obligatione inexcusabili naturalis dilectionis, ad quam solam puerum in syluis nutritum inexcusabiliter in primo instanti obligari ex defectu inculpabili cognitionis Dei, vt Auctoris supernaturalis, plures probabiliter docent, teneat consequentia D. Th. quod non adimplentes, peccant, qui autem præceptum obseruant infallibiliter iustificantur, consequunturque remissionem originalis peccati, vt per hoc excludatur coniunctio peccati venialis cum solo originali, non est huius loci examinare; videantur Discipuli D. Th. 2. 2. *quæst. 10. art. 1. 1. 2. quæst. 89. art. 6. & quæst. 109. art. 3.* vbi nos duplici via huic difficultati occurremus, & vtramque doctis Recentioribus placuisse vidimus. 129

§. VIII.

Quid de intellectu Beatorum?

TERTIA CONCLVSIO, *Deum existere, est per se notum beatis.* Ita D. Th. *quæst. 10. de Veritate art. 12. ad finem corporis*, illis verbis: *Sed in patria vbi essentiam Dei videbimus, multo amplius erit nobis per se notum, Deum esse, quam nunc sit per se notum, quod affirmatio, & negatio, non sunt simul vera.* Quam doctrinam, etsi in præsenti art. 2. non tradiderit expressè, illam tamen satis insinuauit, docens Deum existere, ideo nobis per se notum non esse, quia in hac vita non scimus de Deo, quid sit at beati Dei essentiam quidditatiuè, intuitiueque cognoscunt: ergo illis per se notum est, Deum existere; sicut enim, negatio est causa negationis, ita affirmatio est causa affirmationis. 130

Tertia conclusio.

Et probatur; nam illa propositio est alicui per se nota, cuius prædicatum clauditur in ratione subiecti, quatenus cognitu ab ipso; sed existentia est de ratione Dei, vt cogniti à Beatis: ergo Deum existere ipsis per se notum est. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; existentia est de essentia Dei, vt in se; sed Deus vt in se est in intellectu Beatorum: ergo est de essentia Dei, prout est in beatorum intellectu. Confirmatur, Deum existere, est per se notum ipsi Deo, quia si videt, quatenus est; sed etiam beati per beatificam visionem Deum vt in se intuentur: ergo Deum existere ipsis per se notum est. 131

Probatur.

Confirmatur.

Sed oppones; attributa sunt Deo, vt in se essentialia; & consequenter sunt de conceptu Dei vt est in intellectu beati ipsum, vt in se concipientis; & tamen propositiones, in quibus attributa enuntiantur de Deo, non sunt per se notæ beatis: ergo ratio, qua nostram conclusionem probauimus, nullius efficaciæ est. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur; vt enim *Tractatu de scientia Dei*, cum frequentiori sententia docebimus, Deus habet scientiam strictè, non solùm creaturarum, sed etiam suorum attributorum; ex quo per bonam consequentiam infertur, etiam beatos scientiam strictè sumptam habere de attributis diuinis, & consequenter illa demonstratiuè, non solùm demonstratione *quia*, sed etiam demonstratione *propter quid* cognoscere; cum scientia, qua beati cognoscunt attributa per 132

Opponet.

per essentiam, sit scientia à priori; sed propositio cognita demonstratiuè non est per se nota demonstranti; nam propositio per se nota, idem est, quod propositio immediata; propositio autem cognita demonstratiuè, non est immediata; nam demonstratio est per medium: ergo propositiones, quibus attributa diuina de Deo, aut de illius essentia enunciantur non sunt per se notæ beatis.

133 *Prima solutio.* Huius argumenti solutio peruia est, si teneamus, existentiam esse primum prædicatum, quod in Deo cum fundamento in ipso noster intellectus concipit, ita vt per illam Dei essentia Metaphysicè constituatur: attributa namque illam constitutam supponunt, in illaque radicantur, & habent virtuale principium, ob quam causam possunt à priori demonstrari, & de facto à Theologis demonstrantur. Qua doctrina præsupposita, est argumento facto occurrendum, distinguendo maiorem: sunt Deo vt in se essentialia vt primò virtualiter Dei essentiam constituentia, nego maiorem: vt virtualiter supponentia Dei essentiam constitutam, concedo maiorem: & concessa minori, negando consequentiam. Attributa namque sicut in se præsupponunt virtualiter Dei essentiam constitutam, ita vt in intellectu beati illa constituta virtualiter, supponunt; vnde non conueniunt Deo vt à beatis concepto immediatè virtualiter bene tamen immediatè formaliter; & ideo propositiones, quibus attributa enunciantur de Deo, non sunt per se notæ, nec secundum se, nec beatis: existentia autem in sententia quam supponimus, est primum prædicatum Dei illum Metaphysicè constituens: ac proinde Deo conueniens immediatè, non solum immediatione formali, sed etiam per exclusionem mediationis virtualis: ideoque propositio enuncians existentiam de Deo, est per se nota secundum se, & per se nota beatis, Deum vt in se concipientibus.

134 *Pro 2. solutione notatur primo.* Quia tamen sententia negans, existentiam esse diuinæ essentiæ Metaphysicè constitutiuam est inter discipulos D. Th. probabilis, & forsan verior, vt sequenti disput. constabit, ideo aliter est argumento facto occurrendum, supponendo primò attributa virtualiter à diuina essentia distingui, vt disput. sequent. constabit: ac proinde quamuis Deo, vt in se essentialiter conueniant, essentialitate, vt ita dicamus formali, non tamen conuenientia essentiali virtuali; vnde sic sumpta non prædicantur de Deo in primo modo dicendi per se, sed in secundo; sicut proprietates prædicantur de essentia. *Secundo.* Notando secundo, non omnia attributa conuenire æquè primo virtualiter Deo, sed cum virtuali ordine, vnum altero mediante, sicut in creatis, non omnes proprietates æquè primo comparantur cum essentia, nec ab illa omnes immediatè dimanant, sed vna mediante alia, mediatione reali formali, quando sunt proprietates realiter inter se, & ab essentia distinctæ, v.g. voluntas conuenit naturæ intellectuali, & ab illa medio intellectu dimanat; intellectus autem est prima proprietas naturæ intellectualis, illi immediatè conueniens, & ab illa absque medio dimanans.

135 *Tertio.* Tertio supponendum est, ex dictis §. 3. quod vt aliqua propositio sit secundum se immediata, & per se nota, non est necessarium, quod illius prædicatum sit essentiale subiecto secundum esse formale, sed sufficit, quod in sui radice immediata essentialiter conueniat, idest, quod radix talis prædicati immediatè essentialiter conueniat subiecto propositionis; vnde propositio enuncians primam passionem, est secundum se per se nota, & immediata, vt ibidem asseruimus; quia cum ratio conueniendi subiecto sit ipsa subiecti essentia, & hæc à subiecto non distinguatur, conuenit subiecto absque medio: ac proinde propositio illam de subiecto enuncians, est secundum se immediata, & per se nota.

136 *Quarto.* Denique est supponendum, existentiam si ratione, & virtualiter à diuina essentia distinguitur, non coniungi cum essentia mediatè, etiam virtualiter, quia inter illam, & essentiam, nullum prædicatum mediat virtualiter ab vtraque distinctum: ac per consequens quamuis existentia secundum esse formale non conueniat Deo essentialiter conuenientia virtuali, in sui tamen radice immediata, Deo essentialiter conuenit; quia eius immediata radix est à Diuina essentia indistincta virtualiter: ac proinde Deo, vt est in intellectu beati conuenit immediatè, immediatione formali, & virtuali; ex quo vlterius fit, vt propositio enuncians existentiam de Deo, sit per se nota, & immediatè, & secundum se, & beatis: secus autem propositiones, quibus enunciantur attributa de Deo, excepto primo attributo, quod Deo immediatè virtualiter conuenit; eo quod inter illud & essentiam non mediat aliquod prædicatum virtualiter distinctum quod sit ratio conueniendi, vel dimanandi ab essentia.

137 *Secunda solutio.* Quibus præsuppositis, ad argumentum respondeo, loquendo de attributis præter primum, distinguendo maiorem: sunt Deo, vt in se essentialia formaliter, concedo maiorem: virtualiter in se, aut in sui radice immediata, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam existentia est Deo, vt in se essentialis virtualiter, esto non secundum suum esse formale, bene tamen secundum suam immediatam radicem; ideoque Deo immediatè conuenit formaliter, & virtualiter, tam in seipso, quam prout est in intellectu beati: ac proinde Deum existere, est per se notum beatis: secus autem Deum esse sapientem, misericordem, iustum, &c. quia huiusmodi prædicata conueniunt Deo virtualiter mediatè.

138 *Instabis primo.* Sed instabis primo; Deum esse iustum, misericordem, &c. est secundum se per se notum; & tamen non est per se notum beatis, Deum, vt in se intuentibus ergo ex eo quod Deum existere, sit per se notum secundum se, & vt est in se, sit intellectu beatorum, perperam intulimus, Deum existere, esse per se notum beatis. Consequentia tenet. Minor à Nobis asseritur, & maior probatur; vt enim §. 3. *solutione ad 1. argumentum* ex Mag. Bannez docuimus, Deum esse Trinum, est per se notum secundum se; sed omnia attributa immediatiùs Deo conueniunt quàm relatiuæ proprietates: ergo Deum esse iustum, misericordem, &c. quæ sunt prædicata absoluta, est secundum se per se notum.

139 *Secundo.* Secundo; nam eo ipso, quod existentia Dei virtualiter ab illius essentia distinguatur, non potest primum attributum Diuinum Deo immediatè conuenire: ergo doctrina solutionis traditæ non potest subsistere, nempè, id quod asseruimus, existentiam, & primum attributum Dei de illo enunciari propositionibus immediatis per se, & secundum se per se notis. Probatur antecedens; nam omnia attributa, etiam primum, Dei existentiam supponunt, & à diuina essentia vt existente virtualiter dimanant: ergo si hæc ab essentia virtualiter distinguitur, primum attributum non est essentiale Deo, nec secundum esse formale, nec in sui radice immediata.

140 *Resp. ad 1.* Respondeo ad primum, per se notum idem esse, quod sine medio notum, aut cognoscibile, mediatio autem est duplex nempè, formalis, & virtualis vnde per se, & immediatè notum dupliciter dici potest, primò per exclusionem medij realiter formaliter talis; secundo per exclusionem medij virtualis: quando ergo §. 3. asseruimus; *Deum esse Trinum*, esse secundum se per se notum, mediationem realem exclusimus; non autem mediationem virtualem, & hoc genere immediationis, etiam sunt per se notæ secundum se propositiones, quibus perfectiones absolutæ de diuina essentia enunciantur, & quoad hoc solùm Trinitatem personarum cum diuina existentia æquiparauimus.

141 *Ad secundum.* Ad secundam obiectionem dicatur, iuxta illam sententiam, vel existentiam diuinam esse primum attributum Dei, vel si à ratione attributi aliqua ratione excludatur, de quo *disp. sequenti*, attributa non dimanare ab essentia mediante existentia, vt principio *quo* dimanationis, sed solùm vt conditione principij, quemadmodum ad agendum, non vt principium, sed vt conditio concurrit, quæ mediatio non impedit, quod propositio enuncians primum attributum de Deo, sit secundum se immediata. Sicut non impediretur, quin anima rationalis, aut angelica natura esset immediatum operationis principium, quòd inter operationes, & naturam existentia mediaret; quo circa vt non dicantur immediata operandi principia, necessarium à D. Th. censetur, quod medient potentiæ proximè operatiuæ realiter ab illis distinctæ, & similiter, quod repræsentatio boni media cognitione facta requiratur, vt voluntas operatur, non tollit quin voluntas sit, & dicatur immediatum principium volendi.

142 *Secunda solutio adhibetur.* Secundo principali argumento respondeo notando in frequentiori Thomistarum sententia, scientiam strictè sumptam, quæ in Deo adstruitur respectu attributorum virtualiter esse distinctam à lumine principiorum, quo immediatè suam intuetur essentiam. Nam licet cognitio essentiæ, quæ est luminis principiorum, attributa etiam attingat, non tamen immediatè erga attributa versatur, sed mediante essentia, vt obiecto priùs cognito, & vt ratione cognoscendi attributa; cognitio autem attributorum scientifica

im-

immediatè attingit attributa; ideoque à priori cognitione, virtualiter distinguitur, de quo iusè *infrà q. 14. a. 1.* Ex quo sequitur, scientiam, quam beatus habet de attributis diuinis, distingui à visione beatifica, & per hanc non cognoscere demonstratiuè attributa, nec in essentia, aut per essentiam, vt per medium probatiuum existentiæ attributorum; sed illa in essentia attingit, vt in obiecto priùs cognito, & motiuo, rationeque cognoscendi, quæ mediatio non tollit à veritate cognita esse per se, & immediatè cognoscibilem; aliàs nulla veritas creata esset Deo per se nota cum nullam veritatem creatam cognoscat intellectus diuinus in se ipsa, vt in medio, & ratione cognoscendi.

143 *Respondetur in forma.* Ex quibus, argumento facto occurritur, concessa maiori, distinguendo minorem: non sunt per se notæ beatis, quatenus illas per beatificam visionem cognoscunt, nego minorem: pro vt alio lumine, nempe scientifico vtentibus, concedo minorem, & nego consequentiam: Ratio enim nostra procedit de beatis, vt beatis id est, cognoscentibus Deum per beatificam visionem, quæ ad Deum vt in se terminatur; ac proinde, quod est Deo in se sumpto essentiale, etiam est essentiale ipsi, vt visioni beatificæ obijcitur, & quod Deo secundum se immediatè conuenit, etiam conuenit immediatè Deo, vt est obiectum visionis; non autem de beatis, secundùm quod lumine scientifico vtentes, Deo perfectiones proprias attribuunt; cum enim prædictum lumen non sit principium cognitionis ad Deum, vt in se terminatæ, possunt, quæ in Deo in se ipso includuntur, non includi in ipso Deo, vt est talis cognitionis obiectum. An autem existentia diuina, supposito quod ab essentia distinguatur virtualiter, possit per prædictum lumen scientificum cognosci, à priorique demonstrari de Deo mediante diuina essentia, ex dicendis *Disputatione sequenti* constabit. Nec illa, quibus minorem probauimus, traditæ doctrinæ obstant; nam licèt propositio cognita demonstratiuè non sit immediata demonstranti, vt demonstranti, potest esse per se nota demonstranti, prout alio lumine illius veritatem cognoscenti: itaq; in beatis contingere, constat ex dictis.

144 *Dices.* Sed dices; non stat vnam, eandemque veritatem esse per se notam beatis, & ab ipsis demonstrabilem demonstratione à priori: ergo si propositiones enuntiantes attributa de Deo, sunt cognoscibiles demonstratiuè à beatis, non sunt ipsis per se notæ. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur; non stat vnam, & eandem veritatem esse secundum se per se notam, & secundum se à priori demonstrabilem; aliàs esset, & non esset immediata secundum se, quod implicatorium est: ergo pariter, non stabit vnam, & eandem veritatem esse per se notam beatis, & ab ipsis demonstrabilem; cum par ratio de absoluta, & comparatiua locutione eiusdem veritatis procedat.

145 *Respondetur.* Respondeo, distinguendo antecedens: per vnum, & idem lumen, quod sit cognitionis principium, concedo antecedens: per diuersa lumina, & principia cognoscendi nego antecedens, & consequentiam. Nec amplius probatio antecedentis conuincit; nam eo ipso quod immediatio, & demonstrabilitas conueniat eidem veritati comparatæ cum intellectu beati secundum diuersa principia, non conueniunt eidem propositioni mediatio, & immediatio secundum eandem rationem, sed secundum diuersas, immediatio sub lumine intuitiuo ad rem, vt in se terminato, & mediatio sub alio lumine rem, vt in se non attingente, distinguenteque obiectiuè medium cognitionis à veritate cognita: si autem aliqua veritas esset secundum se per se nota, & secundum se demonstrabilis, esset secundum vnam, & eandem rationem mediata, & immediata, quod implicat.

146 *Obiter notandum.* Obiter autem aduerto, quod iuxta istum modum dicendi non potest admitti in Deo scientia strictè sumpta suorum attributorum; si namque ratio cur beatus illa demonstratiuè cognoscit est, quia lumine scientifico illa, vt in se non attingunt, & inter essentiam, attributaque distinguunt, & in Deo cognitio attributorum non possit, non esse intuitiua: fit consequens, vt in illo, nequeat iuxta hunc modum discurrendi scientia strictè sumpta respectu attributorum constitui.

§. Vltimus.

Ex dictis vnum corollarium infertur.

EX dictis in hac disput. colligitur, veram esse Angelici Præceptoris doctrinam, diuidentem propositionem per se notam, in per se notam secundum se tantum, & secundum se, & quoad nos. Ita Auctores, quos pro vltima sententia retulimus. Et suadetur primò ex Phylosopho 1. Posteriorum cap. 3. vbi propositionem immediatam diuidens in positionem, & dignitatem, ait: *Positionem quidem dico; quam non est demonstrare, neque est necesse habere docendum quemlibet, quam vero necesse est, habere docendum quemlibet, dignitatem, vel maximam propositionem; sunt enim quædam huiusmodi.* Pro quorum clariori notitia videndus est Diuus Thomas ibi lectione 5. ex illis apertè constat dari propositionem immediatam, & secundum se indemonstrabilem, cui explicatis terminis quilibet necessariò assentitur, vt *quodlibet est, vel non est*: ac proinde est per se nota secundum se, & quoad nos, & propositiones, quæ secundum se medio carent, nec demonstrari possunt, quibus tamen non quilibet explicatis terminis necessariò assentitur, sed Doctore opus est ad assensum illis præstandum: ac proinde quamuis sint secundum se per se notæ, nobis tamen per se notæ non sunt. 147 *Illatio ex dictis.* *Suadetur primò ex Philosopho.*

148 *Secundo ratione.* Et quia res logica est, breuiter hac ratione probatur; nam omnis propositio cuius prædicatum est de ratione subiecti est per se nota; sed stat prædicatum esse de ratione subiecti in se ipso, & quatenus cognito à nobis, quia nempè, subiectum perfectè à nobis cognoscitur, vt in hac, *quodlibet est, vel non est: omne totum est maius sua parte*; nam quòd sit totum, & quòd sit ens à nobis claré cognoscitur; & stat prædicatum esse de ratione subiecti in se ipso, non tamen prout cognito à nobis, quia nempè, subiectum imperfectè cognoscimus, vt in hac *Deus est*, cuius subiectum à nobis in hac vita, non potest perfectè cognosci: ergo stat propositionem aliquam esse per se notam nobis, & secundum se, & per se notam secundum se, nobis autem non per se notam.

149 *Tertio aliter probatur.* Vel aliter hoc ipsum explicatur, & probatur; propositio dicitur per se nota per exclusionem indigentiæ medij probatiui distincti ab ipsa propositione; sed stat propositionem secundum se medio probatiuo non indigere, nec illo nos indigere ad illius cognitionem; & insuper stare potest, vt propositio ex se medio distincto non egeat, nos autem ad illius cognitionem medio probatiuo indigeamus: ergo est dabilis propositio per se nota ex se, & nobis, & propositio per se nota secundum se; nobis autem non per se nota. Consequentia cum maiori tenet. Minor etiam quoad primam partem est certa: pro secunda verò in qua esse potest difficultas, probatur primò: nam stat aliquid esse secundum se cognoscibile, & à nobis non cognosci, nec posse, saltem viribus naturæ: ergo pariter poterit stare, veritatem aliquam esse secundum se sine medio cognoscibilem, & non posse à nobis sine medio probatiuo cognosci. Secundo; vt enim docet Aristoteles 1. *Posteriorum cap. 2. & 3. 1. Physicorum cap. 1. & 1. Metaphysicæ cap. 1.* quædam sunt prius nota natura, quædam prius nota quoad nos, non autem natura: ergo stabit, aliqua esse ex natura sua sine medio cognoscibilia, quæ tamen à nobis sine medio nequeant cognosci: & consequenter erunt secundum se per se nota, non autem per se nota nobis. *Minor quo ad secundam partè probatur primo.* *Secundo, Arist.*

150 *Respondebis.* Respondebis, negando consequentiam. Nam priùs notum est indifferens ad priùs notum natura, & priùs notum quoad nos; esse autem per se notum, idem est, quod esse secundum se notum; ac proinde non potest diuidi in per se notum secundum se, & per se notum quoad nos: in bona enim diuisione, diuisum non debet cum aliquo ex membris diuidentibus coincidere; aliàs repugnabit alteri membro, quod in bona diuisione nequit contingere. Et quidem priùs natura notum, non potest rectè diuidi in priùs natura notum secundum se, & priùs natura notum nobis: ergo pariter per se notum non potest rectè diuidi in per se notum secundum se, & in per se notum nobis.

151 *Contra 1.* Sed contra primò ex iam dictis; nam per se notum non est idem, quod secundum se, aut ex natura sua cognoscibile, sed ly *per se*, indigentiam medij excludit; sed stat excludi hanc indigentiam ex parte obiecti attenta natura ipsius, non autem ex parte intellectus cognoscentis: ergo stat aliquid esse secundum se per se notum, quod ab aliquo intele-

intellectu non sit per se, idest, immediatè cognoscibile; ac proinde per se notum non est idem, quod notum secundum se, vel quod ex natura sua immediatè est cognoscibile.

Secundo. Secundò, & explicatur magis hoc ipsum: per se notum, idem est, quod sine medio est cognoscibile, idest, potens, sine medio à se distincto cognosci; sed stat obiectum aliquod posse cognosci quantum est de se, sine medio à se distincto, quod tamen non possit à nobis sine medio cognosci; ergo tale obiectum erit secundum se per se notum, nobis autem per se notum non erit.

152 *Tertio.* Denique; nam Deum esse sub ratione Deitatis, est per se notum, vt fatetur Theodorus Smising. cuius solutionem reijcimus *disput. 1. quæst. 1. num. 6.* & tamen Deum esse sub ratione Deitatis, nobis per se notum non est; ergo stat aliquam veritatem esse secundum se per se notam, quæ nobis per se nota non sit. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam huic propositioni, *Deus existit*, non statim explicatis terminis assentimur, sed fide, aut medio probatiuo indigemus ad assensum ei præstandum; ergo nobis per se notum non est, Deum existere sub ratione Deitatis.

153 *Respondebis primo.* Respondebis ex doctrina huius Authoris *ibidem numero 14.* primò, Deum sub ratione Deitatis non cognosci ab intellectu nostro in hac vita, sed tantum sub conceptu creatoris, vel primæ causæ incausatæ, quæ perfectiones attributales sunt à priori demonstrabiles de Deo per conceptum Deitatis, qui prior est, & attributa radicat; vnde sub priori ratione nobis in hac vita, nec notum, nec per se notum est, Deum existere; in patria autẽ, vbi Deũ sub ratione Deitatis cognoscimus, nobis per se notũ est.

Secundo. Vel secundò respondebis, quamuis prædicta veritas à nobis in hac vita cognosceretur per medium, & discursum à posteriori, non obstare quo minus sit per se nota: nam ratio per se noti non tollitur per medium à posteriori, sed solum per medium, & discursum à priori.

154 *Prima solutio impugnatur primo.* Sed neutra solutio satisfacit, & contra primam facit primò; nam Deum in hac vita cognoscimus eo modo, quo ipsum nominamus; sed nominamus ipsum, non solùm nominibus significantibus perfectiones attributales, sed etiam nomine illius significante naturam; nam hoc nomen *Deus*, non rationem aliquam attributalem, sed Deitatem ipsam significat; ergo Deum in hac vita cognoscimus, non solum secundum perfectiones attributales, sed etiam sub ratione Deitatis.

Secundo. Deinde; nam licet creaturæ immediatè solum repræsentent Deum, quatenus cum illis connexum, nempè, sub ratione exemplaris, finis, & causæ efficientis incausatæ; mediatè tamen ex illis Dei existentiam sub ratione Deitatis cognoscimus discurrendo: ergo in hac vita Deum cognoscimus sub ratione Deitatis. Antecedens probatur; nam facimus hunc discursum. *Ratio causæ incausatæ, & causantis à se, solùm potest enti à se conuenire; sed datur causa incausata, & causans à se; ergo datur ens à se; & consequenter Deus.* In quo discursu maior ex creaturis cognoscitur. Minor euidenti ratione probatur: ergo existentia Dei sub ratione Deitatis, & entis à se existentis, mediatè à nobis ex creaturis in hac vita cognoscitur.

155 *Secunda solutio reijcitur primo.* Deinde secunda solutio reijcitur; nam propositio per se nota, idem est, quod immediata: sed ratio immediatè noti, non solum tollitur per medium à priori, sed etiam per medium à posteriori: ergo ratio per se noti per vtrumque medium tollitur, ea ratione, qua medium est necessarium.

Secundo. Secundò; veritas petens, & potens quantum est de se, non aliter quàm per medium à posteriori cognosci, non esset de se immediata; ac per consequens non esset per se nota, nec etiam secundum se: ergo veritas à nobis non aliter cognoscibilis, quam per medium à posteriori, nobis immediata non est: ac per consequens nobis per se nota esse nequit.

156 Contrarium huius doctrinæ docent Molina, Vazquez, Arriaga, & Theodorus Smising. vbi supra §. 2. relati, cum hac differentia, quod aliqui eorum, nec ex parte rerum significatarum, nec in propositionibus distinctionem illam per se noti secundum se, vel quoad nos, posse sustineri, defendunt; alij tamen in rebus ipsis distinctionem admittunt, non verò in propositionibus, vnde Diuum Thomam diuidentem propositionem in per se notam secundum se tantum, & per se notam secundum se, & quò ad nos, asserunt impropriè loquutum fuisse; primum tuetur Smising.

Smising. Aureol. Aquil. pro se referens Scotum *in primo distinctione secunda, quæst. secunda* Aureolum *ibidem quæstione secunda art. 5.* Aquilam, *quæstione prima artic. primo.* Ocham. *dist. 3. quæst. 3.* & Gabrielem *quæst. 14.* *Ocham. Gabriel.* Secundum autem defendunt Molina, & Vazquez: Arriaga verò ab omnibus recedens, ideò prædictam reijcit diuisionem, quia censet omnem propositionem veram, esse secundum se notam; cumque propositio per se nota diuidat propositionem veram: fit consequens, vt non possit propositio per se nota diuidi in per se notam secundum se, & in propositionem per se notam nobis, sed ideò aliqua propositio dicitur per se nota, quia à nobis potest sine probatione cognosci.

Contra doctrinam nostram arguunt primo Scoti discipuli; nam veritas per se nota idem est, quod veritas per se nota secundum se; ergo veritas per se nota non est capax, vt diuidatur in per se notam secundum se tantum, & per se notam quoad nos. Consequentia patet. Nam bona diuisio non patitur, vt diuisum conuertatur, vel coincidat cum vno ex membris diuidentibus. 157 *Primum argumentum.* Antecedens autem probant primò, quia Aristoteles solum ex natura terminorum descripsit propositionem per se notam; at propositio per se nota ex natura terminorum, est propositio per se nota secundum se, & attenta propositionis natura: ergo veritas per se nota, idem est, quod veritas secundum se per se nota. *Antecedens probatur 1.*

Deinde: nam veritatem esse per se notam, non est esse actu cognitam, sed cognoscibilem tanquam euidentem ex terminis: actualis enim cognitio impertinens est ad naturam, & rationem veritatis obiectiuæ: ergo esse per se notam non sumitur per ordinem ad hunc, vel illum intellectum de facto, sic concipientem, sed adæquatè penes naturam ipsius veritatis pensatur; & consequenter idem est veritas per se nota, quòd per se nota secundum se. *Secundo.*

Confirmant, & vrgent primo; nam licet syllogismus necessarius secundum se, apud nos, vel nobis non necessarius, sed probabilis aliquando sit, non tamen diuiditur syllogismus necessarius in necessarium secundum se, & in necessarium secundum se; & quoad nos. ergo pariter quamuis veritas per se nota, aliquando nobis per se nota non sit; non ideò diuidenda est veritas per se nota in per se notam secundum se tantùm, & secundùm se, & quòad nos, sed solùm in veritatem per se notam & non per se notam simpliciter. Quod amplius explicari potest; veritas demonstrabilis non diuiditur in talem secundùm se, & secundùm se, & quòad nos; etsi plures veritates secundùm se demonstrabiles, à nobis demonstrabiles non sint: ergo pariter veritas per se nota non est diuidenda in secundum se, & quòad nos. 158 *Confirmatur 1.* Confirmant, & vrgent secundo; prius natura notum, non potest diuidi in prius natura notum secundùm se, & prius natura notum quòad nos: ergo pariter per se notum nequit diuidi in per se notum secundùm se, & per se notum quòad nos. *Secundo.*

Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem explico, & distinguo maiorem: ex natura terminorum secundùm se, vel prout in nostro intellectu obiectiuè, concedo maiorem: præcisè secundum se, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Cum enim termini, hoc est, extrema veritatis obiectiuæ, possint dupliciter sumi, vel in se vel prout nostro obiecta intellectui, & possit contingere, vt prædicatum inclusum in subiecto secundùm se sumpto, non includatur in eodem prout nostro intellectui obijcitur, eo quod subiectum imperfectè à nobis cognoscitur; consequens fit, veritatem aliquam esse per se notam, dupliciter posse contingere, nempè secundùm se tantùm, & secundùm se, & quòad nos: Primum, cum extremorum natura à nobis non penetratur: Secundum, cum perfectè à nobis cognoscitur, nec ex eo quod Aristoteles propositionem per se notam descripserit ex natura terminorum aliquid contra nos infertur, & quidem, quòd Aristoteles stet pro nostra sententia constat ex dictis. 159 *Respondetur ad primam probationem.*

Ad secundam concesso antecedenti; distinguo consequens: per ordinem ad hunc, vel illum intellectum, vt de facto sic cognoscentem, concedo consequentiam: vt potentem sic cognoscere, nego consequentiam; quamuis enim ad rationem per se notæ in veritate obiectiua, non exigatur de facto per se, & sine medio cognosci, nec vt sit secundùm se per se nota requiratur, quod possit per se cognosci à nostro intellectu, saltèm pro statu aliquo determinato; vt autem veritas aliqua sit nobis viatoribus per se nota, requiritur necessariò, quòd à nobis in hoc statu possit sine medio cognosci. Cum enim cognoscibilitas consequatur entitatem 160 *Ad secundam.*

titatem obiecti, & intellectum respiciat, modus cognoscibilitatis ex vtroque capite pensatur; ideòque stat veritatem aliquam per se, hoc est, immediatè secundum se cognoscibilem, non esse per se, hoc est, sine medio cognoscibilem ab hoc, vel illo intellectu, vel ab vno, & eodem intellectu secundum diuersos status, qualiter contingere vidimus in hac veritate, *Deus existit*, quæ secundum se est per se nota, & etiam intellectui nostro in patria, non tamen pro statu huius vitæ.

161 *Ad 1. confirmationem.* Ad primam confirmationem, nego antecedens. Nam licet forte diuisionem illam Aristoteles non fecerit; à quo nunc abstinemus; cum tamen propositio per se nota ab ipso, vt vidimus, diuidatur in propositionem, & dignitatem, quod est idem, ac in per se notam secundùm se tantum, & secundùm se, & quòad nos: fit consequens, vt etiam sylogismus necessarius, & veritas demonstrabilis eandem diuisionem admittat, imò prima facta, facere secundam superfluat; si namque veritas maximè cognoscibilis, qualis est veritas immediata potest nobis immediata non esse, & à nobis per se, hoc est, sine medio non cognosci, à fortiori veritas secundum se demonstrabilis, potest nobis demonstrabilis non esse.

Ad secundam confirmationem, concesso antecedenti,
162 *Ad secundam.* nego consequentiam. Ratio autem discriminis ex natura terminorum desumitur: nam prius natura idem est, quod prius secundum naturam suam; prius secundum suam naturam idem est, quod prius secundum se, & ideò prius natura notum coincidit cum priùs noto secundum se: ac proinde incapax est vt in priùs natura notum quòad nos diuidatur; at vero per se notum, non est idem, quod secundum se per se notum, sed est idem, quod sine medio cognoscibile, & quia hoc contingere potest dupliciter, nempè secundùm se, & ex parte intellectus concipientis: fit consequens, vt veritas per se nota, rectè diuidatur in per se notam secundum se tantùm, & per se notam quòad nos.

Secundò arguit Arriaga; propositio per se nota secun-
163 *Secundum argumentum.* dum se, & non quòad nos, dicit repugnantiam in terminis; ergo propositio per se nota non est capax, vt diuidatur in propositionem per se notam secundum se tantum, & secundum se, & quoad nos: Antecedens probatur; etenim per ly *quoad nos*; vel excluditur omnis intellectus, vel solus intellectus humanus: neutrum dici potest: ergo implicatur in terminis. Minor pro prima parte constat, non enim stat, veritatem aliquam esse per se notam secundum se, & non posse ab aliquo intellectu per se, & sine medio cognosci. ergo ly *quoad nos*, non potest omnem intellectum excludere. Pro secunda parte probatur; nam si soli homines excluduntur, impropriè dicitur nota secundum se, & non quoad nos; sed debuisset dici, alia est nota quòad nos, alia Angelis, & Deo; non tamen quòad nos, & sic clariùs procederetur. Facile tamen reijcitur; nam cùm diuiditur propositio in notam, & non notam, solum est sermo de nobis; Angelo namque, & Deo omnia sunt per se nota; & consequenter propositio per se nota, non debet diuidi in per se notam nobis, & in per se notam Angelis, aut Deo.

Respondeo, negando antecedens. Ad probationem
164 *Respondetur.* dicatur, ly *quoad nos* excludere intellectum humanum, & etiam posse excludere intellectum Angelicum, vt proprijs viribus intelligere potentem, cui aliqua veritas per se nota, potest per se nota non esse, vt constat in hac, *Deus est*, quæ est per se nota secundum se; & tamen Angelis per se nota non est, sed illam ex effectibus, vel in effectibus creatis à posteriori cognoscunt. Ad improbationem, nego antecedens: quod nempè, impropriè dicatur, per se nota secundum se, sed proprijssimè id dicitur, non quia propositio à se ipsa cognoscatur, sed quia attenta propria natura, potest, & petit per se hoc est, sine priori medio cognosci, sicut proprijssimè dicitur aliquid secundum se cognoscibile, quamuis à nobis nequeat proprijs viribus cognosci,
165 quia quantum est de se, capax est vt cognoscatur. Et sicut non ideò dicitur cognoscibile, quia ab extrinseco potest cognosci, sed quia ex se fundat cognoscibilitatem, & habet suæ cognoscibilitatis principia; ita propositio immediata, est per se nota, quamuis à Deo sit immediatè, & per se cognoscibilis; non tamen ideò dicitur per se nota, & immediata; quia est cognoscibilis immediatè, & per se à Deo, sed quia ipsa ex se talis conditionis est, vt si iuxta merita propriæ cognoscibilitatis attingatur, cognoscatur sine medio. In duobus autem arguens, hallucinari videtur; primo in eo quod censet, propositionem dici secundum se per se notam, quia sibi est nota per se; cum longè diuersum sit, esse secundum se immediatè cognoscibilem, & esse sibi per se cognoscibilem, primumque verissimum sit, & falsissimum secundum.

Arriaga hallucinatur.

Secundò; in eo quod existimat, valere istam conse 166 *Secundo.*
quentiam; *propositio per se nota, est à Deo immediatè cognoscibilis: ergo ideò est per se nota; quia à Deo potest immediatè cognosci*; Quod est arguere à simplici assertione ad propositionem causalem. Quamuis ergo propositio immediata, sit à Deo immediatè cognoscibilis, non tamen ideò est immediata, saltem vt ex prima radice, quia à Deo potest immediatè cognosci; sed ideò, quia secundum se caret medio; hoc autem explicatur per esse secundum se per se notum: ergo proprijssimum id dicitur. Falsum etiam est, quod prædictus Auctor addit, nempè, omnia esse per se nota Angelo, vel Deo; in primis namque Angelo, non omnia sunt per se nota cum hæc propositio, *Deus existit*, Angelo per se nota non sit. Deinde, propositio ex se mediata quamuis non cognoscatur à Deo per medium, quod sit causa cognitionis, cognoscitur tamen ab ipso per medium ex parte obiecti.

Sed contra hanc solutionem obijcies: nam iuxta illam,
ideò aliqua propositio dicitur per se nota secundum se, 167 *Insurges.*
quia si, vt est in se, cognoscatur, per se nota est cognoscenti; at hoc affirmari non potest: ergo doctrina tradita ruit. Probatur minor: omnis propositio vera talis conditionis est, vt si clarè, vt in se est, cognoscatur, appareat per se nota cognoscenti; sed non omnis propositio vera, est per se nota secundum se: nam propositio vera est, quæ diuiditur in per se notam, & non per se notam: ac proinde non omnis propositio vera, est per se nota: ergo non ideò propositio aliqua dicitur per se nota secundum se, quia si clarè cognoscatur, apparet per se nota cognoscenti.

Sic arguit prædictus Auctor, in quo etiam manife- 168 *Respondetur.*
stè hallucinatur, confundens veritatem notam cum veritate per se nota; cum longè diuersissima sint, & stat benè veritatem aliquam esse notam, & euidenter notam, non tamen per se notam. Ad primum namque sufficit, clarè cognosci. Ad secundum autem requiritur cognosci ratione sui, & non per medium à se distinctum. Vndè ad obiectionem respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, nego maiorem. Nam conclusio demonstrata clarè cognoscitur; & tamen non est per se nota cognoscenti; cum cognoscatur per medium cognitum prius, probatiuumque veritatis demonstratæ: ergo non omnis propositio vera talis conditionis est, vt si clarè cognoscatur, sit cognoscenti per se nota, quamuis illi nota sit.

Denique arguit Molina; nam estò loquendo de rebus 169 *Tertium argumentum.*
ipsis, vera sit doctrina tradita; non tamen est vera loquendo de propositionibus, quod nempè, detur propositio per se nota secundum se, quæ nobis per se nota non sit: ergo D.Th. prædicta diuisione diuidens propositionem, vel falsò, vel saltèm minùs propriè fuit loquutus. Consequentia tenet. Assumptum autem sic probat; vt enim propositio diuidatur in per se notam tantum, & in per se notam secundum se, & quoad nos, necessum est, quod vna, & eadem propositio sit secundum se per se nota, & non per se nota, quo ad nos; sed non est dabilis vna, & eadem propositio per se nota secundum se, & non per se nota quoad nos: ergo nequit sic diuidi propositio. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; nulla enim propositio est eadem, nisi iisdem conceptibus subsit; voces namque non faciunt propositionem, nisi prout subsunt conceptibus; sed stantibus eisdem conceptibus, cuilibet illos formanti, propositio est per se nota: ergo stante identitate propositionis, non stat esse per se notam secundum se, & non esse nobis notam. Maior cum consequentia tenet. Et minor probatur: conceptus ex quibus componitur propositio per se nota, faciunt naturaliter manifestam complexionem prædicati, & subiecti: ergo cuilibet illos formanti talem connexionem manifestant; & consequenter stante identitate conceptuum, non stat propositionem esse secundum se notam, & nobis non notam, aut vni, & non alteri notam.

Explicatur, & augetur difficultas; hæc propositio, *Deus*
est, prout à beatis profertur, & prout profertur à nobis, non 170 *Explicatur, & confirmatur.*
est eadem, sed diuersa; ergo non est verum de vna, & eadem propositione, quod sit per se nota secundum se, & non per se nota nobis. Consequentia patet: nam vt eadem propositio sit per se nota secundum se, & non quòad nos; re-

quiritur,

quiritur, quod eadem propositio sit per se nota illam concipienti, vt in se; ergo si respectu beati illam veritatem, vt est in se concipientis, non est eadem propositio, non datur vna, & eadem propositio secundum se per se nota, & non per se nota nobis. Antecedens autem probatur: nam voces non faciunt propositionem, nisi prout subsunt conceptibus; sed conceptus, quem beatus format de Deo, cui subordinatur hæc propositio, *Deus est*, quatenus ab ipso profertur, non est idem cum conceptu à nobis in hoc statu formato de Deo: cum ille sit quidditatiuus, & proprius, noster autem connotatiuus, & per alienas species formatus: ergo non est eadem propositio, quatenus à beato profertur, & prout profertur à nobis.

171 *Respondetur primo.* Huic argumento, quod ex Aureolo sumpsit Molina, respondeo, negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem distinguo maiorem: non est eadem propositio, nisi sub eisdem conceptibus, quoad formale propositionis, concedo maiorem: quoad materiale propositionis, & quoad veritatem significatam, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens; stante identitate formali, concedo consequentiam: stante identitate materiali, & obiectiua quoad veritatem significatam, nego consequentiam. Ita Capreolus *in 1. dist. 2. q. 2. art. 3. ad* 1. Aureoli *contra 2. conclus.* vbi ex D. Tho. *quodlib. 9. art.* 2. notat, quod in propositione vocali, vel scripta, tria considerantur, nempè vox ipsa propositionis, & sui termini. Secundò, conceptus mentis, quem vox immediatè significat. Tertiò, res ipsa, quam significat mediante conceptu.

172 Si ergo in propositione sint eædem voces, & idem conceptus intellectus, erit eadem propositio formaliter, & materialiter: si autem iidem conceptus, sed aliæ voces, vt contingit in Synonimis, tunc erit eadem propositio formaliter, sed non materialiter: si verò cum diuersitate conceptuum formalium circa eandem veritatem, sit identitas vocum erit diuersa propositio formaliter; eadem tamen materialiter, & ex parte veritatis significatæ: cum ergo docet D. Tho. vnam, & eandem propositionem esse secundum se per se notam; non autem per se notam nobis, loquitur de vna, & eadem propositione quoad materiale propositionis, & quoad veritatem significatam, non autem de identitate quoad formale propositionis; nam sic certum est, illum, cui propositio non est per se nota, non formare eosdem conceptus, quos format ille, cui est nota, quod maximè verum tenet in hac propositione, *Deus est*; ille namq; cui est per se nota, format visionem intuitiuam, & quidditatiuam Dei, quæ longè diuersa est à cognitione, & conceptu, quem viatores formant de Deo: ac proinde diuersa est propositio formaliter ab ea, qua viatores eandem veritatem significant; est tamen eadem materialiter, nempè, quoad vocem, & obiectiuè, nempè, quoad veritatem significatam: ex quibus constat solutio confirmationis.

173 *Secundo.* Vel secundò respondetur, negando iterum antecedens, Ad probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: nulla propositio significatiua, & formalis, concedo maiorem: obiectiua, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris. Sicut enim propositio significatiua coalescit ex conceptibus formalibus, & ad sui vnitatem, illorum vnitatem exposcit, ita obiectiua coalescit ex obiectiuis; & vt vna sit, non in formalibus, sed in obiectiuis conceptibus petit vnitatem. Cum ergo docet Diuus Thomas, vnam, & eandem propositionem esse secundum se per se notam; nobis autem non per se notam, non loquitur de propositione formali, sed de propositione obiectiua, hoc est, de veritate significata, & de connexione, quæ in obiecto reperitur inter subiectum, & prædicatum; sic autem verum est, esse vnam, & eandem propositionem, quæ secundum se, & ipsam intuenti, est per se nota, & nobis non intuitiuè, nec clarè, sed abstractiuè, & confuse ipsam concipientibus, per se nota non est; nam veritas huius propositionis, *Deus existit*, eadem est in se, & in intellectu beati, & in intellectu viatoris; & tamen secundum se, & beati est per se nota: intellectui autem viatoris non est per se nota.

174 *Obijcies primo.* Sed obijcies primò; veritas obiectiua non dicitur propriè propositio: ergo si Diuus Thomas in prædicta diuisione loquitur de propositione obiectiua, cum impropriètate loquitur. Antecedens probatur, ex definitione propositionis communiter à Dialecticis tradita, nimirum, quod est, *oratio verum, vel falsum significans.* Iuxta quam diffinitionem, sola propositio vocalis, aut mentalis, propriè propositio est, quæ sola propriè significat. Secundò; nam dato, quod propositio obiectiua propriè propositio sit, adhuc de illa non potest verificari de vna, & eadem propositione esse secundum se per se notam, & non per se notam nobis: ergo in quocumque sensu accipiatur, propositio est incapax diuisionis prædictæ. Consequentia est bona, & antecedens probatur, nam res significata non est propositio obiectiua, nisi prout obijcitur conceptibus mentis, sed res significata prout obijcitur conceptui quidditatiuo, & claro, & prout obijcitur conceptui connotatiuo, & confuso, quamuis sit eadem in esse rei, in ratione tamen propositionis obiectiuæ est diuersa: ergo non est eadem propositio obiectiua per se nota secundum se, & ipsam intuitiuè cognoscenti, & non per se nota cognoscenti, confusè, & abstractiuè; sed diuersa. *Secundo.*

175 *Minor probatur.* Major cum consequentia tenet. Minor autem probatur; variata ratione obiecti, variatur ratio propositionis obiectiuæ in quantum talis, cum propositio obiectiua in quantum talis intra lineam sit obiecti; sed in re significata, vt obiecta conceptui quidditatiuo, & conceptui connotatiuo, non est eadem ratio obiecti: ergo nec est eadem ratio propositionis obiectiuæ. Probatur minor: nam conceptus specificantur ab obiectis; & consequenter conceptibus essentialiter distinctis, debet respondere diuersitas in obiecto, etsi non entitatiua, saltem in ratione obiecti: sed conceptus quidditatiuus, & clarus, & conceptus confusus, & connotatiuus distinguuntur essentialiter: ergo in re cognita, & significata, prout terminat conceptum quidditatiuum, & clarum, & prout terminat confusum, & connotatiuum, non est eadem ratio obiecti in esse obiecti formaliter.

176 *Resp. ad primam.* Respondeo ad primam replicam, negando antecedens. Ad probationem dicatur: definitionem illam esse dialecticam, & quia dialecticus solùm considerat voces, & conceptus formales, in quantùm sunt signa obiectorum, ideò propositionem ita deffiniuit: Logicè autem loquendo, in obiectis propositio inuenitur, sicuti, & ratio prædicabilis, & subijcibilis, ratioque prædicati, & subiecti, ex quibus propositio consurgit, nec oportet vtrique propositioni obiectiuæ, nempè, & formali vnam assignare deffinitionem, sed duas, quarum vna ex alia facili ratione colligitur: ità vt propositio formalis sit oratio verum, vel falsum significans, & obiectiua dicatur connexio verè, aut falsò significata; sicut quamuis ratio veritatis in intellectu, & in obiecto inueniatur, non datur vna vtriusque definitio, sed veritas formalis dicitur adæquatio intellectus cum re; obiectiua autem dicitur adæquatio rei cum intellectu.

177 *Ad secundam resp. primo.* Ad secundam respondeo, negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem responderi potest primo, distinguendo maiorem: variata ratione obiecti *sub qua*, vel modi attingibilitatis passiuæ, nego maiorem: ratione formali *quæ* obiecti, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: Quia vt conceptus formales circa idem obiectum essentialiter distinguantur, non est necessaria diuersitas in ratione obiectiua formali *quæ*, sed sufficit diuersitas in ratione *sub qua*: nam eadem veritas, quæ est ratio formalis *quæ* obiecti, si sub diuersis abstractionibus attingatur, specificat actus essentialiter distinctos, & similiter eadem veritas attacta, quia reuelata, & attacta ratione sui, actus specie distinctos terminat; & similiter sub eadem abstractione, si diuerso modo attingatur, distinguit obiectiuè specificè actus, vt actus scientiæ, & actus opinionis ergà eandem propositionem, & sub eadem abstractione distinguuntur specificè ob diuersum modum tendendi, se tenentem ex parte ipsorum actuum, & ob diuersum modum terminandi, se tenentem ex parte obiecti; & tamen propositio obiectiua in ratione propositionis obiectiuæ non variatur, vt in eisdem exemplis conspicitur: nam hæc propositio, *Deus est*, hìc credita, visa in patria, & demonstrata in via, eadem est in ratione propositionis, eo quod licet rationes *sub quibus* obiectiuæ varientur, ratio tamen formalis *quæ* obiecti eadem est: idem ergo dicimus in propositione per se nota, & immediata secundum se, vt obijcitur cognoscenti immediatè,

diatè, & intuitiuè, & cognoscenti, mediatè confusè, & abstractiuè; quod nempè, est eadem in ratione propositionis obiectiuæ; quia licet rationes *sub quibus* obiectiuæ sint diuersæ, quod sufficit ad distinguendos actus, & conceptus formales; ratio tamen *quæ* formalis, nempè connexio prædicati cum subiecto, & veritas obiectiua eadem est.

Vel secundò responderi potest, distinguendo illam maiorem: variata ratione obiectiua intrinseca, & terminatiua in obiecto, concedo maiorem: ratione motiua, & extrinseca, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, 178 *Secundo.* nego consequentiam; quia vt conceptus Intuitiuus huius veritatis, *Deus est*, v. g. distinguatur essentialiter à conceptu abstractiuo, & connotatiuo, quem viatores illius veritatis habemus, non requiritur diuersa ratio formalis terminatiua in obiecto, sed sufficit diuersa ratio motiua; quæ de facto reperitur; nam cognitio intuitiua terminatur ad Deum, vt est in se, & à veritate increata, vt est in se ipsa, mouetur: cognitio autem de existentia Dei habita à nobis in via etsi terminetur ad veritatem increatam, non tamen mouetur ab illa, sed à veritate creata, ad cuius instar, & per cuius speciem cognoscitur, vt autem in veritate cognita sit diuersitas in ratione propositionis, non sufficit diuersa ratio motiua, præsertim extrinseca; vt constat in hac propositione, *Deus est*, quæ non est diuersa propositio, vt terminat fidem, à se ipsa, vt terminante notitiam intuitiuam. Et iuxta hanc doctrinam accipiendum censeo Caietanum *lib. 1. posteriorum cap. 3.* cum docet, distinctionem penes conceptus distinctos, vel confusos propositionis, quæ est secundum se immediata, non posse talem propositionem variare, quia sunt posteriores illa.

Maneat ergo verum, rectè à D. Th. diuidi propositionem per se notam, in per se notam secundùm se tantum, & secundùm se, & quoad nos, & insuper hanc subdiuidi in per se notam, quoad omnes, & per se notam non omnibus, 179 *Manet firma recta D. T. diuisio.* sed sapientibus. Prima est, cuius termini immediatè connectuntur, nobis tamen noti non sunt. Secunda, cuius termini omnibus sunt manifesti. Et tertia, cuius termini sunt noti solis sapientibus; & propositionem istam, *Deus est*, esse in primo genere collocandam, scilicet, propositionis per se notæ secundum se tantum respectu intellectus nostri pro hoc statu, quæ est doctrina D. Tho. *in præsenti art. 1.* Et hæc de ista Disputatione applicanda litteræ Magistri *in 1. dist. 3. §. 1. & 2*, vbi à D. Th. *q. 1. art. 2.* agitatur. *M. Sent.*

DISPVTATIO TERTIA.

An Deum esse sit demonstrabile, & quibus demonstrationibus?

§. I.

Deum posse viribus naturæ aliqua ratione cognosci, fides catholica est.

Nu. 1. *Deum cognosci per rationem naturalem supponitur.* Viso iam in præcedenti Disp. Dei existentiam nobis per se notam non esse, restat, vt examinemus qualiter à nobis viatoribus possit viribus naturæ cognosci, & quidem posse cognosci absolutè per rationem naturalem abstrahendo à cognitionis modo, extra controuersiam est apud Theologos, & præterquamquod ex dicendis à fortiori constabit, probatur apertè ex Paulo ad *Ad Rom. 1.* Romanos 1. illis verbis: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit; inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita, vt sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Quibus verbis, vt communiter exponunt interpretes, & præcipuè D. Th. ibidem *lect. 6.* inuehitur in Gentiles, *D. TH.* illosq; impietatis reprehendit; ità vt excusari non possint: *quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt,*

2 Quod autem cognouerint, probat, *quia quod notum est Dei*, idest, quod cognoscibile est de Deo ab homine per rationem, *manifestum est in illis*, idest, manifestum est eis, ex eo quod in eis est, idest, ex lumine intrinseco iuxta illud Psalm. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* *Psal. 4.* Et causam efficientem huiusmodi cognitionis exponens, ait; Deus enim in illis manifestauit, interiùs lumen naturale infundendo, & exteriùs proponendo signa suæ sapientiæ exteriora, scilicet creaturas sensibiles, in quibus, sicut in quodam libro, Dei cognitio legeretur, quæ autem cognouerint, ait esse *Ioan. 1.* *inuisibilia Dei*, idest, quæ à nobis in præsenti vita videri *Timoth. 1.* clarè non possunt. Ioannes 1. *Deum nemo vidit vnquam*, scilicet, per essentiam, viuens in hac vita mortali, & ad Timotheum 1. *Regi sæculorum, immortali, & inuisibili.*

3 Dicit autem in plurali *inuisibilia*, quia quamuis diuina essentia vna sit, à nobis ex analogia ad creaturas sub multiplici ratione cognoscitur, nempè, sub ratione sapientiæ, bonitatis, virtutis, &c. ait ergo: *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi* idest, à nulla creatura, siue homine, siue Angelo; nulla enim creatura, siue homo, siue Angelus potest ex proprijs viribus Dei essentiam in se ipsa videre, vnde de Seraphin dicitur Isaiæ 6. *Quod duabus alis velabant*; *Isa. 6.* vel à creatura mundi, idest ab homine, qui dicitur creatura mundi, quia cum omni creatura communicat; habet enim commune cum lapidibus esse, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, vt exponit Gregorius super illud Marci vltimo: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* *Marci vltimo.* Vel dicitur mundi creatura, propter suam excellentiam, quia solum minoratus ab Angelis, omnibus alijs excellit; iuxta illud Psalm. 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis, omnia subiecisti sub pedibus eius.* *Psal. 8.*

Medium autem cognitionis exterius explicans ait: *Per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*; sicut enim ars, 4 inquit D. Th. manifestatur per artificis opera, ita Sapientia supremi artificis Dei per creaturas manifestatur, iuxta *Sapient. 13.* illud sapientiæ 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri*: & Psalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*: ergo iuxta Paulum, homo naturali *Psal. 18.* ratione Dei vnius existentiam cognoscit: Patet consequentia primò, nam Paulus distinguit inter id, quod Dei *Cōsequentia patet primo.* est notum, inquiens, *quod notum est Dei*, & id quod ignotum est, nempe inter Deum vnum, & Trinum; at nisi accipiatur de eo quod notum est, idest, cognoscibile per rationem naturalem, vt exponit D. Thomas, & communiter interpretes, nequit hæc distinctio subsistere; cum per gratiam omnia sint cognoscibilia: ergo existentia Dei vnius, vel vnius primæ causæ, potest ratione naturali cognosci.

5 Secundo; nam cognitio Dei, quæ ex effectibus naturalibus, & sensibilibus potest haberi, est cognitio naturalis; *Secundo.* sed loquitur de cognitione Dei habita per effectus sensibiles; ergo sentit esse naturalem. Denique; nam reprehen- *Tertio.*

dit gentiles, eo quòd cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, docetque inexcusabiles fuisse, sed gentiles fide supernaturali caruerunt: ergo cognitio Dei, qua potuerunt regulari ad illum glorificandum, illique gratias agendum, non fuit supernaturalis: In eandem veritatem conspirant Ecclesiæ PP. quos suprà retulimus, & inferiùs ponderabimus, Chrisostomus, & Ambrosius in prædicta verba Pauli, Augustinus *lib. 10. confessionum cap. 6.* Prosper *lib. de vocatione gentium cap. 4.* Fulgentius ad Monimum *cap. 18.* aliique PP. dicta verba Pauli explicantes.

6 *Si oppones primò.* Si opponas primò; Augustinum *lib. 2. de ciuitate Dei cap. 7.* vbi de Philosophis agens ait: *Quidam eorum quædam magna de Deo, quantum diuinitùs adiuti sunt inuenerunt;* sed ad cognitionem naturaliter possibilem speciale Dei adjutorium necessarium non est: ergo cognitio, quam Philosophi habuerunt de Deo, non erat viribus naturæ possibilis. *Respondetur.* Resp. August. solum adiutorium Dei exigere, non autem adiutorium speciale, quod specialis gratia sit; sed generale, quod specialis gratia non est; sed inclusa in dono creationis: hanc autem exigi ad cognitionem naturalem de Deo non negamus. Vel si ad talem cognitionem adiutorium speciale ab Augustino exigatur, non est Dei, vt Auctoris supernaturalis, sed vt conditoris naturæ, cuius indigentia cognitioni naturali non obstat; nam adiutorium speciale Dei conditoris naturæ ad aliquos actus bonos entitatiuè naturales requiri, docet communis sententia *1. 2. quæst. 109.* vt ad dilectionem efficacem Dei vt finis naturalis, & ad victoriam grauis tentationis ex honesto naturali motiuo.

7 *Si oppones 2.* Si opponas secundò, Prosperum *lib. 2. de vocatione gentium cap. 17.* illis verbis: *Tam acerbo humana natura vulnere sauciata est, vt ad cognitionem Dei neminem spontanea contemplatio valeat erudire, nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit:* ergo iuxta Prosperum vires naturæ ad Dei cognitionem sufficientes non sunt aliàs veræ lucis discussio ad illam necessaria non esset. Respondeo, Prosperum loqui de cognitione Dei qualiter ad salutem oportet; ad hanc autem gratiam requiri, nec sufficere vires naturæ certum est; & eodem modo accipiendi sunt Damascenus *lib. 1. fidei orthodoxæ cap. 3.* Dei gratiam exigens ad omninò cogitandum de Deo, aliique PP. si aliquando gratiæ Dei, ipsius referant cognitionem. Vel nomine gratiæ, non donum supernaturale, sed adiutorium generale inclusum in dono creationis, vel speciale Dei conditoris naturæ, accepisse possunt explicari.

8 *Insurges.* Si obijcias; nam Diuus Prosper vulneri contracto ex peccato originali refert indigentiam gratiæ in nobis ad diuinam cognitionem; sed indigent a gratiæ ad cognitionem salutarem, & prout ad salutem oportet, non oritur in homine ex vulnere contracto ex peccato originali, quo humana natura est fauciata, sed extrinseca insufficientia naturæ; cum cognitio salutaris supernaturalis sit: ac proinde supra vires naturales in quocumque statu considerentur: ergo non benè explicantur de cognitione salulari, & ad salutem proficua.

9 *Respondeo.* Respondeo, homini in quocumque statu fuisse necessariam supernaturalem ad opera salutaria; cæterùm in homine sano hæc gratia pertinebat ab auxilia generalia, non ordinis naturæ, sed gratiæ; at verò in homine lapso specialis gratia est adhuc intra illum ordinem. Et insuper ex peccato contracta fuit vberioris gratiæ indigentia ad opera salutaria, quæ in homine integro, & sano necessaria non est, & huius gratiæ vberioris indigentiam in homine lapso refert Prosper, vulneri, quo humana natura fuit ex peccato originali sauciata; sed de his *1. 2. quæst. 109.* vbi de necessitate gratiæ ad rectè operandum tractatur.

10 *Oppones tertiò.* Oppones tertiò; nihil enim per sibi dissimile potest cognosci; at creaturæ licet Deo assimilentur in communibus prædicatis, nempè entis substantiæ, viuentis intellectualis; in eo autem quod proprium est Dei, sunt ipsi dissimiles; ergo ex creaturis non potest Deus secundum sibi propria cognosci. *Respondetur.* Respondeo distinguendo maiorem; vt per medium *formale, & in quo,* concedo maiorem: vt per medium per *quod, & instrumentale,* nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens, distinctione maioris; solùm enim sequitur Deum, vt à creaturis distinctum non posse per illas vt per speciem impressam, vel expressam, quæ sunt medium cognitionis *formale, & in quo* cognosci: non autem quod per illas cognosci non possit, vt per medium *per quod, & instrumentale;* licet namque formalis repræsentatio in similitudine petat fundari, vt docet D. Th. *infra quæst. 12. art 2.* repræsentatio tamen instrumentalis non petit pro fundamento similitudinem repræsentantis cum obiecto repræsentato, sed supra dependentiam fundatur; vnde quamuis creaturæ Deo dissimiles sint in prædicatis peculiaribus Dei, quia tamen ab illo dependent, possunt ducere in illius cognitionem, vt obiecta cognita, & vt signa instrumentalia.

11 *Si dicas.* Si dicas; omnis cognitio præsupponit speciem obiecti cogniti: ergo si Deus ex creaturis cognoscitur, necessariò debet aliqua species Deum repræsentans supponi; cumque species increata non sit, erit necessariò creata; sed vt in solutione docuimus, species vt repræsentet, debet assimilari cum obiecto repræsentato in eo, quod repræsentat: ergo debet dari species, & forma creata cum Deo in prædicatis proprijs conueniens, vt ex creaturis Dei cognitio secundùm propria Dei prædicata habeatur; at nulla forma creata potest cum Deo in prædicatis proprijs conuenire, aut Deo in proprijs assimilari: ergo ex creaturis non possumus in Dei cognitionem venire.

12 *Respondetur.* Respondeo, concesso antecedenti, & prima consequentia, distinguendo minorem subsumptam; species immediata rei prout in se, concedo minorem: species mediata, & in alio, nego minorem, & consequentiam. Cum enim Deum in creaturis, & ex creaturis cognoscimus, species, quæ est illius cognitionis principium, non est species immediata Dei, sed species repræsentans immediatè creaturas, & in illis Deum vt illarum causam, ratione dependentiæ creaturarum ab ipso; licèt autem species repræsentans rem aliquam immediatè in se ipsa, debeat illi assimilari; quando species immediata non est, non est necessarium quod cum illa assimiletur, sed sufficit, quod habeat similitudinem cum obiecto primario repræsentato *in quo,* vel *ex quo* res illa secundò repræsentatur; hinc intellectus noster per speciem entis realis, ens rationis cognoscit, quamuis talis species non assimiletur enti rationis, & Deus per propriam essentiam vt speciem, comprehensiuè cognoscit creaturas, quamuis diuina essentia illis non assimiletur. Videatur D. Th. *quæst. 2. de veritate art. 3. ad 5. super Boetium de Trinitate quæst. 1. art. 2.* & pluribus alijs locis, quos lato calamo refert Capreolus *in 1. dist. 3. quæst. 1. art. 1. & 3.*

13 *Instabis.* Sed instabis; non potest Deus per creaturas cognosci sine specie expressa Dei immediatè ad ipsum terminata; sed non minus repugnat species expressa, quæ sit immediata Dei, quam species impressa: ergo non potest Deus per creaturas cognosci. Consequentia est bona. Minor videtur certa; non enim minus est de ratione speciei expressæ conuenientia cum obiecto, & similitudo cum illo, quam de ratione speciei impressæ: ergo si repugnat species impressa Deum immediatè repræsentans, etiam repugnabit expressa. Maior autem probatur, non stat Deum per creaturas ab intellectu nostro cognosci, quin detur duplex cognitio, vna Dei, & altera creaturarum, quarum prima ex secunda procedit ad Deumque immediatè terminatur; sed cognitio ista, quæ immediatè terminatur ad Deum non stat sine specie expressa, quæ sit immediata Dei: ergo non potest Deus per creaturas cognosci sine specie expressa immediata ipsius Dei. Maior cum consequentia tenet; Minor autem probatur; cognitio immediata Dei non solum est contemplatio, sed etiam est dictio, & consequenter proprium conceptum producit, in quo Deum abstractiuè contemplatur; sed conceptus hac cognitione productus repræsentat immediatè Deum, sicut cognitio, quam terminat immediatè, terminatur ad Deum: ergo cognitio Dei per creaturas immediatè ad ipsum terminata, non stat absque specie expressa, quæ sit immediata Dei.

14 *Respondetur.* Respondeo, distinguendo maiorem; sine specie expressa Dei immediata motiuè, & terminatiuè, nego maiorem; immediata terminatiuè tantum, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nec probatio maioris obstat traditæ distinctioni; nam cognitio Dei ex cognitione creaturarum deducta, etsi ad Deum immediatè terminetur, quia nempe inter illam, & Deum non mediant creaturæ, vt cognitæ; quia per illam non cognoscuntur, sed cognitæ supponuntur per aliam, ex qua per discursum Dei cognitio causatur; non tamen à Deo mouetur, sed à creaturis, ad quarum instar, & per quarum speciem causatur, vnde non est cognitio Dei immediata motiuè, & terminatiuè, sed terminatiuè tantum; ac proinde non petit conceptum, vel speciem expressam producere,

quæ sit immediata Dei motiuè; & terminatiuè, sed quæ sit Dei terminatiuè immediatè; eo quod inter illam, & Deum non mediant creaturæ, vt obiectum per ipsam representatum, quæ tamen à creaturis moueatur, quia ad illarum instar, Deum quòad *an est*, representat, & quia per illarum speciem producitur; dari autem speciem expressam immediatè Deum representantem, hoc genere immediationis, nullum inconueniens est: imò esse necessario admittendam,

Capreolus. docet Capreolus *in 1. dist. 1. quæst. 2. art. 1. conclus.* 8. probatque ex D. Th. 1. *Contra gentes cap.* 14. vbi docet,

S. THO. quod licet de Deo in hac vita non sciamus de Deo quid est; potest tamen considerari in quodam conceptu composito ex aliquo communi conceptu, & ex multis differentijs negatiuis, per quas cognoscimus eius differentiam à creaturis.

15 *Tacitæ obiectioni respondetur.* Nec sequitur posse dici, Deum in se ipso per talem speciem cognosci; vt enim docet D. Th. *quæst. 2. de veritate art. 3. ad 5. Tunc aliquid in se ipso cognoscitur, quando ex ipsa re intellecta, vel cognita formatur acies intuentis.* Prædicta autem species, etsi ad Deum terminetur, non tamen ex ipso formatur, sed ex creaturis prius cognitis à quibus ad Dei representationem mouetur: vel potest dici terminari ad Deum in se ex parte rei representatæ; non autem ex parte medij; sicut de creaturis loquens D. Th. *infra quæst.* 14. *art.* 5. docet cognosci à Deo in se ipso ex parte medij, & in se ipsis ex parte rei cognitæ, terminantisque cognitionem.

16 *Instabis primò.* Sed instabis primò; species expressa Deum secundum prædicata propria representans terminatiuè immediatè, debet continere in genere intelligibili prædicata propria Dei; sed non potest forma creata Deum hoc modo continere: ergo nec ipsum immediatè adhuc terminatiuè representare. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; continentia intelligibilis speciei expressæ fundatur in similitudine vniuoca illius cum obiecto representato, vt ex D. Th. *infra quæst. 12. art. 2.* docent frequenter Thomistæ; ex quo inferunt, repugnare speciem expressam creatam Deum quidditatiuè representantem; sed hæc conuenientia vniuoca, vel vniuoca similitudo cum Deo, repugnat formæ creatæ, adhuc in linea, & genere intelligibili, ex communi Thomistarum doctrina, cum D. Tho. vbi proximè: ergo nequit forma creata Deum intelligibiliter continere; & consequenter, nec potest illum immediatè, terminatiuè representare.

17 *Instabis secundò.* Instabis secundo; nam sequitur ex tradita solutione, esse possibilem speciem impressam creatam immediatè Deum representantem abstractiuè, & quoad *an est*; consequens aduersatur communi Thomistarum doctrinæ 1. p. *quæst.* 12. *art.* 2. ergo est insufficiens solutio. Probatur sequela, non minùs est de ratione speciei expressæ conuenientia cum obiecto in eo quod representatur per ipsam, quam de ratione speciei impressæ: imò verbum, aut species expressa, cum expressiùs representet, strictiori titulo illam conuenientiam petit; sed hoc non obstante potest dari species expressa immediata Dei abstractiua: ergo etiam erit dabilis impressa.

18 *Respondetur ad 1.* Respondeo, distinguendo maiorem: continentia intelligibili imperfecta, & quoad *an est*, concedo maiorem: continentia intelligibili perfecta, & quidditatiua, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Cui distinctioni non obest probatio in contra; Nam licèt continentia perfecta, & quidditatiua petat perfectam similitudinem formæ continentis cum obiecto representato; imperfecta autem, & quoad *an est*, non petit in forma sic continente similitudinem vniuoca cum obiecto, quod representat, sed sufficit similitudo imperfecta, & analoga cum illo; tum, quia aliàs non solùm quoad *an est*, sed etiam quoad *quid est*, & quidditatiuè ipsum representaret, cuius contrarium supponitur. Tum etiam, quia cum non moueatur ab illo immediatè, sed tantùm terminatiuè illud obiectum respiciat; motiuè autem creaturam, ex qua causatur, non tam cum Deo illius habitudinem terminante, quàm cum creatura mouente, petit commensurari.

19 *Ad secundam.* Ad secundam replicam respondeo, distinguendo consequens: speciem impressam Deum representantem immediatè motiuè, & terminatiuè, nego sequelam: immediatè tantùm terminatiuè, concedo sequelam. & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Cum enim 1. p. *quæst. 12. art. 2.* negant discipuli D. Thomæ possibilitatem speciei impressæ immediatè Deum representantis, loquuntur de specie immediata Dei motiuè, & terminatiuè, qua Deus prout est in se, quidditatiuè possit cognosci non autem de specie impressa, quæ licet immediatè terminetur ad Deum, non tamen ab illo moueatur, qualem nos fatemur possibilem cum Capreolo *in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 1. conclus.* 8.

20 *Assignatur differentia inter species impressas.* Et ratio differentiæ inter vnam, & alteram speciem est; nam species impressa est virtus obiecti sub ratione motiui ad intellectionem, & consequenter cum illo, vt motiuo petit conuenientiam habere in gradu immaterialitatis, ideoque Deus in ratione obiecti motiui non potest per speciem creatam ad sui cognitionem concurrere, quia omni formæ creatæ repugnat in gradu immaterialitatis cum Deo conuenire: species autem ad Deum quoad *an est* immediatè terminata, non tamen ab ipso mota, sed à creatura, non petit conuenire cum Deo terminante, sed cum creatura mouente in gradu immaterialitatis, & idcirco non repugnat.

21 *Intellectus in via potest formare speciem impressã.* Modum autem, quo intellectus noster in via formare potest speciem impressam Dei, quæ immediatè ad ipsum terminetur, licet à creaturis moueatur, colligo ex D. Th. 1. *p. q. 12. art. 9. ad 2.* vbi docet quod sunt aliquæ potentiæ cognoscitiuæ, quæ ex speciebus primo conceptis, aliàs formare possunt, sicut imaginatio ex præconceptis speciebus montis, & auri format speciem montis aurei, & intellectus ex præconceptis speciebus generis, & differentiæ format rationem speciei, & similiter ex similitudine Imaginis formare possumus in nobis similitudinem eius, cuius est imago.

22 *Intentum probatur ex D. Th.* Vbi D. Tho. loqui non de specie expressa, sed impressa, patet. Nam loquitur de specie, quæ est cognitionis principium: hæc autem est species impressa. Sicut ergo intellectus ex similitudine imaginis format speciem exemplaris, vel prototypi, ita ex similitudine creaturæ dependentis à Deo adiuncta cognitione Dei, potest intellectus elicere speciem impressam immediatè terminatam ad Deum, ipsum representantem quoad *an est*, quæ quidem erit immediata Dei terminatiuè; eo quod inter illam, & Deum non mediat creatura, vt obiectum *quod* per illam representatum: non tamen motiuè: sed illius obiectum motiuum erunt creaturæ, ex quarum speciebus causatur, & ad quarum instar per talem speciem Deus representatur; sicut species impressa entis rationis elicita ab intellectu, media specie entis realis, quam plures Thomistæ admittunt, etsi ad ens rationis immediatè terminetur, non ab illo, sed ab ente reali mouetur; quia ens rationis ad instar entis realis representat, & ex illius specie causatur.

23 *Si opponas 1.* Si opponas; Diuum Thomam loco proximè allegato, vbi ex tradita doctrina sic intulit: *Et sic Paulus, vel quicumque alius videns Deum ex ipsa visione essentiæ diuinæ potest formare in se similitudines rerum, quæ in essentia diuina videntur, quæ remanserint in Paulo, etiam postquam desijt Dei essentiam videre; ista tamen visio qua videntur res per huiusmodi species sic conceptas, est alia à visione, qua videtur res in Deo.* Ex quibus verbis hoc argumentum consurgit; species formatæ de creaturis mediante visione Dei, non à Deo, sed à creaturis obiectiuè mouentur; & tamen formantur mediante specie diuinæ essentiæ, quæ est principium visionis beatificæ: ergo si intellectus creatus mediante specie creaturæ format speciem representantem Deum, non mouebitur obiectiuè talis species à creatura, etsi per illius speciem formetur, sed à Deo, ad quem immediatè terminatur: Consequentia tenet à paritate rationis.

24 *Maior probatur primò.* Minor supponitur, & maior probatur primo; nam vt docet D. Tho. mediantibus prædictis speciebus non videntur creaturæ in Deo, sed immediatè in se ipsis, cum cognitionem creaturarum mediantibus illis speciebus elicitam distinguat à visione, qua creaturæ videntur in Deo; sed si species illæ Deum haberent pro obiecto motiuo, cognitio ex illis causata non esset creaturarum in se ipsis, sed tq Deo obiectiuè mouente: ergo species illæ formatæ de creaturis mediante visione Dei, non à Deo, sed à creaturis mouentur.

25 *Secundò.* Secundò; si enim Deus est obiectum motiuum talium specierum, cum illo, & non cum creaturis, deberent in gradu immaterialitatis conuenire, sicut species terminatæ ad Deum, quia mouetur à creaturis, non cum Deo, sed cum creaturis commensuratur in gradu immaterialitatis, vt paulò ante dicebamus; sed species illę non conueniunt cum Deo in gradu immaterialitatis, sed cum creaturis; aliàs implicarent: ergo non Deum, sed creaturam habent pro obiecto terminatiuo, & motiuo.

26 *Respondetur.* Respondeo concessis maiori, & minori, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam Deus sicut in essendo; ita etiam in repræsentando continet perfectissimè creaturas, & esse obiectiuum illarum, & sicut ob hanc rationem potest per se ipsum causare efficienter species impressas rerum, illas in se ipsis terminatiuè, & motiuè attingentes, vt patet in speciebus Angelicis, quæ à solo Deo causantur, & Angelos in seipsis repræsentant, non minus perfectè, quam si ab illis deriuarentur: ita mediante diuina essentia mentibus beatorum vnita, quæ est principium visionis Dei, & in illo creaturarum, possunt ab intellectu beati formari species creaturarum, illas in se terminatiuè, & motiuè referentes, non minus perfectè, quam si tales species essent deriuatæ à rebus: creaturæ autem non continent Deū repræsentatiuè perfectè, sed imperfectè, nec repræsentant Deum, nisi quatenus cum illis in ratione causæ connexum, & ideò medijs speciebus creaturarum non potest elici species, Deum perfectè repræsentans, sed imperfectè, & quòad *an est*, nec repræsentans ipsum absolutè, sed connotatiuè ad creaturas, & ad instar illarum; eo autem ipso quod species sic elicita, Deum ad instar creaturarum repræsentet, ex quarum speciebus fuit causata, non potest à Deo, sed à creaturis moueri, nec principiare cognitionem Dei in ipso, sed Dei in creaturis, vel ex creaturis.

§. II.

Referuntur sententiæ circa primam partem dubij, & prima conclusio statuitur.

HOc igitur ita supposito; quod in examen vertimus est, an Deum esse, possit euidenter demonstratiue cognosci, ita vt ratio, qua ex viribus naturæ Deum esse probamus, sit demonstratiua, & euidens? Qua in re quatuor referuntur sententiæ. Prima negat, posse à nobis pro hoc statu Dei existentiam demonstrari, & ratione naturali euidenti cognosci. Ita quidam, quos sine nomine refert D. Thomas 1. *Contra gentes cap.* 12. Illam tenet Aliacensis *in primo dist.* 2. *quæst.* 3. Gabriel *q.* 10. *art.* 2. *conclus.* 2. *&* 3. Maior *q.* 1. *conclus.* 2. Andræas Castro *q.* 4. & Cirtecien. Maior *q.* 1. *conclus.* 2. Tribuitur etiam Caluino *lib.* 1. *institutionum cap.* 2. *sect.* 2. vbi rationes, quibus vsi sunt Scholastici ad probandum Deum esse, vocat frigidas speculationes.

27 *Sensus difficultatis aperitur, & proponitur prima sententia.* D. THO. *Aliacens.* *Gabriel.* *Maior.* *Castro.* *Cirtercs.* *Caluino.*

28 *Secunda.* *Fasolis.* *Scotus.* *Ocham.* *Gabriel.* *Rubion.* *Smising.* Secunda sententia docet, posse existentiam diuinam à priori demonstrari de Deo à beatis per visionem intuitiuam, & à viatoribus per cognitionem euidentem abstractiuam supernaturaliter pro statu viæ possibilem. Pro hac refert Fasolis *in præsenti art.* 2. *dubit.* 1 Scotum *in* 1. *dist.* 2. *q.* 2. *§ sed si quæritur, & ibidem* Scoti discipulos, Ocnamum *dist.* 3 *q.* 4. *littera f.* Gabrielem *q.* 4. *a.* 2. *conclus.* 3. Rubionem *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 2. *conclus.* 4. Quam sententiam sequitur Theodorus Smising. *Tract.* 1. *de Deo disp.* 1. *q.* 5. *nu.* 74. loquendo de existentia Dei non sub ratione loquendo. Deitatis, sed sub ratione attributali primæ causæ incausatæ, entisque necessarij, sub qua à nobis viatoribus ex effectibus cognoscitur, audens sub hac ratione posse ab Angelis à priori demonstrari non solum per visionem beatam, sed etiam per conceptum definitiuum, abstractiuum, quem iuxta Scotum habent à primo suæ conditionis instanti.

29 *Tertia.* *Suarez.* *Dionis.* Tertia docet, posse existentiam à priori demonstrari de Deo viribus naturæ pro hoc statu. Hanc tenet Suarez 2. *tom. metaphysicæ disp.* 29. *sect.* 3. vbi docet, quod licet simpliciter loquendo, non possit demonstrari à priori Deum esse. Tum, quia esse Dei causam non habet. Tum etiam; quia quamuis illam haberet, non tamen ita exacte, & perfecte à nobis cognoscitur Deus, vt illam ex proprijs principijs assequamur, quo sensu interpretatur Dionysium *cap.* 7. *de diuinis nominibus*, dicentem, nos non posse Deum ex propria natura cognoscere; nihilominus tamen postquam à posteriori est aliquid demonstratum de Deo, ex vno attributo possumus aliud à priori demonstrare, & hoc genere demonstrationis potest, Deum esse, à priori demonstrari; ita vt primò ex effectibus creatis demonstretur à posteriori dari ens per se necessarium, de quo primo cognoscatur esse, deinde esse ab intrinseco necessarium, & ex hoc, esse vnicum in tali ratione, & modo essendi; ac tandem ex hoc concludatur, tale ens necessarium, esse Deum.

30 *Vltima sententia.* Vltima sententia docet, demonstrari posse à nobis in statu viæ demonstratione à posteriori ex effectibus creatis, non autem demonstratione à priori. Ita communiter Theologi. Capreolus *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. Hispalensis ibidem, Durandus *quæst.* 1, Caietanus, Bannez, Zumel, Nazarius, S. Thoma, Andræas à Cruce, & alij Thomistæ *in præsenti art.* 2. *&* 3. ex PP. Societatis Molina *art.* 2, *in commento*, Valentia *puncto* 2. Vazquez *disp.* 20. *cap.* 3. & quoad primam partem Suarez *Tom.* 2. *Metaphysicæ disp.* 29. *sect.* 1. *& sequentibus, &* 1. *p. lib.* 1. *de essentia Dei cap.* 1. Tanerus *Tomo* 1. *in* 1. *p. disp.* 2. *quæst.* 1. *dub.* 3. Fasolis *art.* 2. *dubit.* 1. *&* 2. Granadus *contro.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *sect.* 1. Franciscus de Lugo *lib.* 1. *de Deo vno disp.* 14. *cap.* 2. *dicto* 3. *&* 4. Arriaga *Tract. de Deo vno disp.* 2. *sect.* 2. quos alij Recentiores ex eadem familia sequuntur. *Capreolus.* *Hispal.* *Durand.* *Caiet.* *Molina.* *Valent.* *Vazquez.* *Tanerus.* *Fasolis.* *Granad.* *Lugo.* *Arriaga.*

31 *Prima conclusio.* PRIMA CONCLVSIO. *Si existentia est primum prædicatum diuinam essentiam constituens, nullo modo à priori potest demonstrari de Deo. Si autem ratione, & virtualiter ab essentia distinguatur, non potest demonstrari de Deo demonstratione à priori secundum se, benè tamen demonstratione à priori quoad nos.* Prima pars huius conclusionis certissima est; nam demonstratio à priori supponit prædicatum prius, ratione cuius subiecto, de quo fit demonstratio, forma illa demonstrata conueniat; ergo si existentia est primum prædicatum diuinam essentiam metaphysicè constituens non potest à priori demonstrari de Deo.

32 *Secunda pars ostenditur* 1. Deinde secunda pars conclusionis ostenditur primo; vt enim docet D. Th. *in præsenti art.* 1. Deum existere, est per se notum secundum se; sed propositio per se nota secundum se non potest demonstrari à priori per medium secundum se: ergo sic non potest demonstrari existentia de Deo. *Secundo.* Secundò, nam esto existentia non sit primum prædicatum Dei essentiam metaphysicè constituens, inter illam tamen, & essentiam nullum prædicatum mediat virtualiter ab vtraque distinctum, ratione cuius existentia Deo conueniat; sed demonstratio à priori secundum se alicuius prædicati, procedit per medium saltem virtualiter distinctum à subiecto, de quo fit demonstratio, & à prædicato, quod demonstratur: ergo existentia nequit demonstrari de Deo hoc demonstrationis genere.

Tertio. Denique; nam prima passio non potest de subiecto demonstrari demonstratione à priori secundum se, quia inter illam, & subiectum, inspecta secundum se, medium non intercedit, vt docent Caietanus 1. *posteriorum cap.* 2. *&* 3. Soto *quæst.* 2. *ad* 9. Ferrara 1. *Contra gentes cap.* 11. & frequenter nostri Thomistæ; sed hæc ratio omninò militat in existentia diuina, esto per rationem distinguatur ab essentia, vt constat ex dictis: ergo adhuc prædicta distinctione admissa, non potest demonstrari de Deo demonstratione à priori secundum se. *Caietan.* *Soto.* *Ferrara.*

33 *Vltima pars conclusionis probatur* 1. Tandem vltima pars nostræ concl. ostenditur 1. vt enim docet Capreolus *in* 1. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 1. Aureoli *contra* 1. *concl.* prima passio potest de subiecto à priori demonstrari, quod probat ex D. Th. 2. *posteriorum cap.* 4. vbi ait: *Oportet concludere passionem de subiecto per definitionem passionis, & viterius definitionem passionis concludere de subiecto, per definitionem subiecti.* Quæ doctrina intelligenda est de demonstratione à priori, non secundum se, sed quòad nos, expresse tradunt Caietanus, Ferrariensis, & Soto, vbi proximè, quos refert, sequiturque Magister Prado olim Primarius Complutensis dignissimus *lib.* 6. *Logicæ q.* 3. *§.* 4. & probat ex D. Th. *Opusc.* 38 *in principio Opusc.* 39. *cap.* 12. *Opusc.* 48. *tract. de demonstratione cap.* 5. *&* 1. *posteriorum lectione* 2. At prima passio licet secundum se ab illa, & essentia distincta, connectitur cum subiecto: ergo quamuis existentia diuina sine medio connectatur, copuleturque cum Deo, poterit demonstrari de ipso demonstratione à priori, non secundum se, sed quoad nos. S. THO. *M. Pr.*

34 *Secundo.* Secundo probatur; nam vel intellectus, vel scientia, vel voluntas sunt primum attributum Dei; at intellectum, vel scientiam, probat D. Thomas de Deo *infra q.* 14. *art.* 1. & voluntatem probat *q.* 19. *art.* 1. cuius rationes vt demonstratiuas à priori communiter accipiunt Thomistæ: ergo supposita distinctione rationis existentiæ ab essentia diuina, potest à priori demonstrari de Deo demonstratione à priori quoad nos. Patet consequentia primò; non enim alia ratione primum attributum potest demonstrari à priori de Deo, nisi quia per rationem ab essentia distinguitur: ergo admissa simili distinctione in existentia ab essentia, poterit similiter demonstrari. Secundo, nam primum attributum immediatè cum essentia connectitur; alias primum attributum non esset; & tamen demonstratur demonstratione à priori quoad nos: ergo pariter quamuis existentia

diuinæ immediatè conueniat essentiæ, poterit demonstrari à priori hoc demonstrationis genere.

35 *Tertiò probatur.* Denique probatur; etenim demonstratio à priori quòad nos, illa est, in qua prædicatum aliquod demonstratur de subiecto media deffinitione subiecti, quæ ideò dicitur demonstratio à priori, quia medium quod assumitur, causa est, vel ratio conueniendi prædicatum; ideò autem dicitur à priori tantum quòad nos; quia medium, nempè deffinitio, non differt in re à subiecto, nec reali, nec virtuali distinctione, sed tantùm ratione nostra penès explicitum, & implicitum, v. c. in hoc discursu: *Omne animal rationale est proximè intellectiuum, homo est animal rationale*, in quo animal rationale, quod assumitur pro medio, est deffinitio hominis, solùmque penès implicitum, & explicitum differt ab homine; at existentia, supposito quod ratione differat ab essentia in Deo, potest demonstrari de ipso mediante deffinitione essentiæ; ergo potest demonstrari demonstratione à priori quòad nos. Consequentia est bona. Maior certa, supposito quod sit dabile illud genus demonstrationis. Minor autem probatur; ideò intellectus potest demonstrari de Deo mediante deffinitione naturæ diuinæ, quia natura est radix intellectus, & hanc radicationem explicat deffinitio naturæ diuinæ, sed supposito, quod essentia distinguatur ratione, & virtualiter ab existentia, hæc in illa radicatur, & rationem huius radicationis explicat deffinitio essentiæ: ergo potest existentia demonstrari de Deo mediante deffinitione essentiæ.

36 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & vrgetur; quod intellectus diuinus sit semper in actu intelligendi, potest demonstrari à priori, supposito quod actualis intellectio virtualiter, & ratione distinguatur ab illo: ergo supposita simili distinctione inter essentiam, & existentiam, potest etiam demonstrari, quòd essentia semper sit in actu essendi. Consequentia patet; nam supposita distinctione essentiæ, & existentiæ, eodem modo comparatur existentia ad essentiam, quo intellectio ad intellectum, nempè, vt vltima actualitas, quælibet in propria linea. Antecedens autem probatur. Nam hæc consequentia est bona: *Intellectus summè immaterialis, & summè actualis, necessariò est in actu intelligendi; sed intellectus diuinus summè immaterialis, & summè actualis est: ergo necessariò est in actu secundo intelligendi.* At supposita distinctione virtuali intellectionis ab intellectu nihil deficit prædicto discursui, vt obtineat rationem demonstrationis: ergo distinctione illa supposita, potest demonstrari à priori, intellectum diuinum semper esse in actu intelligendi.

37 *Secundò.* Confirmatur, & vrgetur secundo. Supposito namque existentiam distingui ab essentia diuina, potest hic discursus formari. *Omne ens summè actuale, actualitate essentiæ, necessariò est in actu existendi; Deus est summè actualis actualitate essentiæ: ergo necessariò existens.* At supposita distinctione actualitatis essentiæ, & actualitatis existendi in Deo, nihil deficit discursui facto, vt sit demonstratio à priori: ergo illa distinctione supposita, potest existentia à priori, demonstrari de Deo. Cumque non sit demonstratio à priori secundum se, erit demonstrabilis demonstratione à priori quòad nos. Quod ampliùs ex solutione argumentorum constabit.

§. III.

Argumentis in contrarium occurritur.

38 *Primum argumentum contra 2. partem conclusionis.* Contra secundam partem nostræ conclusionis arguitur primò ex Diuo Thoma *in præsenti art. 2.* vbi distinguens, demonstrationem *quia*, & *propter quid*, seu demonstrationem à priori, & per causam, & demonstrationem à posteriori, & per effectus, docet, demonstrari posse ex effectibus creatis, quod est demonstrari à posteriori, omittens alium demonstrationis modum: ergo sentit, nullatenus posse demonstrari demonstratione à priori. Patet *Patet consequentia primò.* consequentia primò; quia aliàs Diuus Thomas diminutè processisset, vnum demonstrationis modum explicans, & alium omittens. *Secundò.* Secundò; nam expressam mentionem faciens illius duplicis modi demonstrandi, vnumque affirmans, & alium omittens, illum videtur excludere. Con- *Confirmatur primò.* firmatur primò; nam iuxta D. Thom. *in præsenti art. 1.* Deum esse est, per se notum secundum se; sed propositio per se nota secundum se, etsi possit demonstrari à posteriori; à priori tamen indemonstrabilis est, vt *Disp. præced.* dicebamus; ergo existentia non potest vllo modo à priori demonstrari de Deo. Confirmatur secundò; vt enim docet *Secundò.* D. Th. *q. 3 sequenti art. 4.* existentia conuenit essentialiter Deo; sed prædicata essentialia non possunt à priori demonstrari de subiecto, cui sunt essentialia: ergo nequit existentia aliquo modo demonstrari à priori de Deo.

39 *Respondetur.* Respondeo, D. Thom. *in præsenti art. 2.* loqui de demonstratione à priori simpliciter per causam, quæ realiter causa est; sic autem non potest existentia demonstrari de Deo, quia existentia Dei causam sui realem non habet; quod autem sic accipiendus sit, patet, nam *1. Contra Gentes cap. 25.* proximè ad finem, ex hoc, quod Deus deffiniri à nobis non potest, quia deffinitio est ex genere, & differentia, quæ in Deo non inueniuntur, infert, quod non potest demonstratio de Deo fieri, nisi per effectum; quia principium demonstrationis est deffinitio eiusdem, de quo sit demonstratio. Verba sunt Diui Thomæ, quibus respectu omnis prædicati diuini excludit à Deo demonstrationem à priori, docens, solùm posse demonstrationem de Deo fieri per effectum, quæ verba necessario sunt accipienda de demonstratione à priori simpliciter, hoc est, per causam realem conclusionis demonstratæ, quæ sola simpliciter causa est; nam quòd possint attributa demonstrari de Deo demonstratione à priori, non per causam, sed per rationem virtualem, non potest in doctrina Diui Thomæ negari; cum ipse vt vidimus, intellectum, & voluntatem demonstret à priori de Deo, & *quæstione præcedenti*, doceat, Theologiam esse verè, & propriè scientiam, & articulo septimo habere pro obiecto, vel subiecto Deum, ex quo manifestè infertur, aliquid à priori demonstrare de Deo; cum omnis scientia à priori proprietates de suo subiecto demonstret. Pariter ergo in præsenti, diuidens demonstrationem *in quia*, & *propter quid*, loquitur de demonstratione *propter quid*, tali simpliciter, idest per causam veram, & realem, & quia hæc locum non habet respectu existentiæ Dei, ideò absolutè conclusit, posse demonstrari ex effectibus, alium demonstrationis modum omittens.

40 *D. Thom. diminutè non processit.* Nec sequitur, Diuum Thomam diminutè processisse; nam in præsenti Diuus Thomas solum inquirebat medium necessarium ad cognitionem euidentem existentiæ diuinæ, & quia demonstratio ex effectibus medium necessarium est, sine quo nequit à viatoribus euidenter, Deum existere, cognosci: demonstratio autem à priori, quam non possibilem iudicamus, medium necessarium non est, ideò Diuus Thomas eius mentionem non faciens, diminutè non processit.

Ad 1. confirmat. Ad primam confirmationem dicatur, rationem per se notam secundum se alicuius propositionis, si sit per se nota, solum realiter excludere medium reale realiter ab extremis distinctum; si autem sit per se nota virtualiter, qualis est hæc, *Deus existit* excludere medium virtuale, quod sit à subiecto virtualiter distinctum; & consequenter demonstrationem à priori secundum se, non tamen excludere medium quòad nos; ac proindè, nec quod sit demonstrabilis demonstratione quòad nos à priori.

41 *Ad secundam.* Ad secundam dicatur, Diuum Thomam posse explicari de identitate reali formali existentiæ cum diuina essentia, cum qua identitate compatitur distinctio virtualis, & rationis ratiocinatæ, quæ sufficit, vt possit demonstrari à priori. De qua autem identitate sit accipiendus, *Disput. sequenti* videbimus: modò namque solùm resoluimus, posse existentiam demonstrari à priori de Deo sub conditione, quòd ab illius essentia ratione, & virtualiter distinguatur.

42 *Secundò argum.* Secundò Recentiores obijciunt; etenim ad demonstrationem à priori requiritur, vt à demonstrante habeatur deffinitiuus conceptus subiecti; sed in hoc statu non habemus deffinitiuum conceptum de Deo; ergo non possumus de illo existentiam demonstrare, demonstratione à priori. Consequentia tenet. Minor supponitur. Et maio- *Maior probatur primò.* rem probant primò ex Philosopho *6. Metaphysica cap. 1. 2. de anima cap. 2. & 1. posteriorum cap. 17.* asserente, deffinitionem subiecti esse medium in demonstratione potissima, & à priori; quod etiam docuisse videtur Diuus Thomas *1. posteriorum cap. 1.* vbi ait: *Oportere concludere passionem de subiecto per deffinitionem passionis, & deffinitionem passionis per deffinitionem subiecti*: ergo iuxta Aristotelem, & D. Thom. omnis demonstratio à priori, tandem reducitur in deffinitionem subiecti; & consequenter sine conceptu deffinitiuo subiecti, nihil potest à priori concludi de ipso.

43 *Secundo.* Secundò probant maiorem; nam tertia passio demonstratur à priori immediatè per secundam, hæc per primam, & prima non potest euidenter demonstrari, nisi assumpto pro medio deffinitione subiecti; at sine euidentia omnium præmissarum, à quibus proximè, vel remotè dependet conclusio, non potest conclusio euidenter cognosci, quod requiritur, vt demonstretur demonstratione à priori: ergo in demonstrante à priori necessariò prærequiritur deffinitiuus, & quidditatiuus conceptus subiecti. Quæ ratio fundamentum habet in Diuo Thoma *primo Contra Gentes capite vigesimo quinto*, illis verbis: *S.THO.* *Ex hoc etiam patet, quod Deus deffiniri non potest, quia omnis deffinitio est ex genere, & differentia. Patet etiam, quod non potest demonstratio de ipso fieri, nisi per effectum, quia principium demonstrationis est deffinitio eiusdem, de quo fit demonstratio.*

44 *Respond.* Respondeo hoc argumentum, si quid probat, conuincere, nec Theologiam, nec Metaphysicam posse aliquid à priori demonstrare de Deo, quod falsum est; nam Metaphysica demonstrat plures Dei proprietates, & similiter Theologia: aliàs vera scientia non esset, contra Diuum Thomam *quæstione præcedenti articulo secundo*, sicut ergo vt Metaphysica demonstret aliqua attributa Dei, sufficit conceptus deffinitiuus Dei imperfectus, & connotatiuus, qui ex naturæ viribus potest haberi, cognoscendo, Deum esse ens à se, actum purum, summeque actualem; ita sufficit, vt demonstrare possit à priori existentiam; & sicut Theologia easdem proprietates demonstrat ex principijs Fide creditis, ita & existentiam poterit demonstrare à priori; quomodo autem cum hoc stare possit, quod Theologia sit cum proprietate scientia, discutitur *vbi proximè*: nobis namque ad rem præsentem sufficit, quod sicut Metaphysica, & Theologia aliquas Dei proprietates demonstrat, ita possit demonstrare existentiam, nec Philosophus aduersatur: nam vel loquitur de demonstratione perfectissima, quæ petit tandem in quidditatiuam subiecti deffinitionem resolui, vel accipiendus est de deffinitione subiecti imperfecta, & connotatiua.

45 *Nec D.Thomas nobis refragatur.* Nec similiter Diuus Thomas potest nobis refragari; cùm iuxta ipsum *quæstione præcedenti artic. secundo*, Theologia verè sit scientia, & habeat Deum pro obiecto, vt docet idem Diuus Thomas *quæstione præcedenti articulo septimo*, & consequenter à priori Dei proprietates demonstret; vnde loco in contrarium adducto, vel explicandus est de demonstratione perfectissima, quæ vt *proximè* dicebamus, petit vltimo resolui in deffinitionem quidditatiuam subiecti; vel accipiendus est de demonstratione à priori per causam veram, & realem conclusionis demonstratæ, quo genere demonstrationis, nihil potest demonstrari de Deo.

Quod autem deffinitio connotatiua sufficiat, vt aliquid
46 *Deffinitione connotatiua demonstratur aliquid à priori de Deo.* possit à priori demonstrari de Deo, constat ex Diuo Thoma *quæstione præcedenti articulo 7. ad 1.* quod ita procedebat: *Inqualibet scientia oportet supponere de subiecto, quid est, secundum Philosophum in primo posteriorum; sed hæc scientia non supponit de Deo, quid est; dicit enim Damascenus, in Deo, quid est, dicere impossibile est: ergo Deus non est subiectum huius scientiæ.* Cui argumento ita respondet: *Ad primum dicendum quod licèt de Deo non possimus scire, quid est; vtimur tamen eius effectu in hac doctrina, vel naturæ, vel gratiæ loco deffinitionis, ad ea, quæ de Deo in hac scientia considerantur, sicut in aliquibus scientijs Philosophicis demonstratur aliquid de causa per effectum, accipiendo effectum loco deffinitionis causæ.* Hæc D. Thomas: quorum sensus est, quod licèt in hac vita non possimus, Deum quidditatiuè cognoscere, vel deffinire; quia deffinitio quidditatiua est per speciem propriam rei, cuius est deffinitio, & non possumus habere speciem propriam de Deo, ipsum tamen per effectus cognoscimus, & de illo per effectus cognito, potest aliquid demonstrari, & in hoc effectus gerit locum deffinitionis; nam per deffinitionem cognoscimus deffinitum, & de illo cognito aliqua demonstramus.

47 *Tertio obijciunt.* Tertiò obijciunt; medium à priori alicuius veritatis debet præexistere ad illam aliquo genere prioritatis; sed pro priori ad existentiam Dei nullum prædicatum diuinum potest præconcipi existens: ergo existentia diuina non potest à priori demonstrari de Deo. Consequentia tenet. Minor est certa; non enim potest concipi effectus, vel quasi effectus formalis non concepta forma; sed effectus, vel quasi effectus formalis existentiæ diuinæ est existens diuinum: ergo nullum prædicatum Dei potest concipi, vt existens, non concepta diuina existentia; & consequenter ante illam, vel pro priori ad illam, non potest concipi existens aliquod prædicatum diuinum. Maior autem probatur; vt enim probetur existere prædicatum aliquod radicatum in alio, debet prius probari, vel concipi existens prædicatum in quo radicatur, sed medium à priori probatiuum alicuius veritatis radicat talem veritatem: ergo debet præconcipi, vt existens ad illam.

Sic arguit Arriaga alijs argumentis reiectis vbi *supra numero 12.* vt probet existentiam diuinam non posse à priori demonstrari de Deo vllo genere demonstrationis; eius tamen argumentum ex falso principio procedit, quod nempè, medium à priori probatiuum alicuius veritatis debeat præexistere ad illam, quod esse falsum patet; nam scientiæ de obiectis creatis à priori, illorum proprietates demonstrant, vnam proprietatem per aliam, & primam per deffinitionem subiecti; & tamen nec prima proprietas, quæ est medium probatiuum secundæ, nec essentia subiecti, per cuius deffinitionem, vt per medium à priori prima passio demonstratur, supponuntur existentes; aliàs de rebus non existentibus scientia non esset: ergo principium, cui argumentum factum fidit, nempè, medium à priori probatiuum alicuius veritatis debere ad illam præexistere, est falsum; & consequenter ex illo nullum argumentum conficitur. 48 *Hoc argumentum procedit ex falso principio.*

Et ratio est in promptu; nam cognitio scientifica non nititur existentiæ subiecti, de quo demonstrat passiones; 49 *Explicatur hoc, & redditur ratio.* sed tantum connexioni necessariæ extremorum cum medio, ex qua infert necessariam connexionem extremorum inter se, mediante hoc verbo *est*, non vt importante existentiam, sed tantum connexionem prædicati cum subiecto; aliàs hæc propositio, *homo est animal rationale*, & aliæ, quæ necessariæ sunt, æternæ veritatis non essent: ergo medium probatiuum à priori alicuius veritatis non petit præexistere ad illam, nec concipi, vt ad illam præexistens; aliàs sicut existentia contingenter conuenit cuilibet enti creato: ita etiam veritas cognitionis scientificæ, cuiusuis obiecti creati contingens deberet esse, quod nullus hucusque dixit.

Potest tamen aliter hoc argumentum proponi, & dupliciter: primò absolutè de omni medio probatiuo loquendo, in hunc modum. Nam estò medium à priori 50 *Hoc argumentum proponitur aliter primo.* non petat actu præexistere, petit tamen posse præexistere ad veritatem probatam; sed diuinæ formalitates, non solum non præexistunt, sed nec etiam possunt præexistere ad diuinam existentiam, aut concipi pro priori ad illam existentes: ergo nullum prædicatum diuinum potest esse medium, per quod à priori diuina existentia probetur.

Minor, & consequentia patent. Maior autem probatur; nam medium à priori est causa veritatis demonstratæ per ipsum; sed causa petit, posse ad effectum præexistere; cum sit prior illo, nec nisi vt existens possit exercitium causæ obtinere: ergo medium à priori petit posse præexistere ad veritatem, quæ per ipsum à priori demonstratur.

Vel aliter, & proximius ad rem nostram potest idem argumentum formari; nam estò medium à priori creatum 51 *Aliter 2°.* non petat præexistentiam ad veritatem demonstratam per ipsum: prædicatum tamen diuinum, vt sit medium à priori talem præexistentiam petit; sed respectu diuinæ existentiæ, huiusmodi præcedentia repugnat in diuinis prædicatis: ergo nullum prædicatum diuinum potest esse medium, quo à priori Dei existentia probetur. Maior, quæ sola probationem desiderat, ita probatur; medium enim à priori causa est formalis, aut virtualis veritatis demonstratæ: ergo debet illam præcedere in aliquo genere causæ; & consequenter præconcipi, vt existens, aut possibile; sed prædicata diuina non possunt, vt possibilia cognosci, cum illis sit essentialis existentia: ergo necessariò debent præconcipi, vt existentia ad veritatem, quæ per illa demonstratur.

Cæterùm, nec etiam aliquo ex his modis propositum 52 *Resp. ad argumentum 1. modo propositum.* contra nostram conclusionem conuincit: non primo modo; nam medium à priori solum petit veritatem demonstratam præcedere prioritate causalitatis; hæc autem stat sine prioritate existendi: ergo de ratione medij à priori alicuius veritatis non est, quod præintelligatur, vel possit præintelligi

intelligi existens ad illam. Et quidem materia pro priori ad formam non concipitur existens, vt *in 2. Physicorum* docetur à nostris Thomistis; & tamen pro illo priori causalitatem exercet in formam: essentia etiam, quæ in sententia Diui Thomæ realiter ab existentia distinguitur, est causa existentiæ, nedum materialis, verùm etiam effectiua per modum principij dimanationis, vt plures Thomistæ docent; & tamen pro priori ad existentiam non concipitur, nec potest concipi existens: stat ergo præcedentia causalitatis ad medium à priori sufficiens, sine eo quod medium præintelligatur, nec possit præintelligi existens ad veritatem demonstratam per ipsum.

53 *Ad arg. 2. modo formatũ.* Et ex his ad idem argumentum, prout secundo modo formatur, occurritur, negando maiorem: etenim essentia creata, quæ realiter ab existentia distinguitur, illam realiter radicat, vt plures probabiliter docent, quin præintelligatur existens: ergo pariter essentia diuina, si virtualiter ab existentia distinguatur, erit virtualis radix illius, quin ad hoc sit necessarium, quod præintelligatur existens, nec sub actu existentiæ, sed solum sub actualitate entitatiua essentiæ. Nec vrget probatio in contra; sicut enim in communi Thomistarum doctrina distinguentium realiter essentiam ab existentia in creaturis, datur medium inter statum puræ possibilitatis, & statum existentiæ, nempè, signum illud, in quo essentia concipitur sub actualitate essentiæ, nondum concepta vt existens, sed vt causans realiter existentiam: ita essentia diuina distincta virtualiter ab existentia, pro signo, pro quo intelligitur virtualiter existentiam præcedere, non concipitur vt existens formaliter, nec concipitur vt possibilis, sed sub actualitate entitatiua essentiæ radicantis actu existentiam, & ad hoc, quod diuinis prædicatis possibilitas repugnet, sufficit, quod illis sit essentialis existentia vt in radice, & vt actu in illis implicata, quamuis de illorum essentia non sit Metaphysicè constitutiuè, nec vt importata explicitè, de quo Disputatione quarta. Et quidem si supponatur, existentiam diuinam virtualiter ab essentia distingui, hæc doctrina necessariò est admittenda, quandoquidem, eo ipso quod virtualiter distinguantur, virtualiter essentia præcedit; & aliàs illam infallibiliter infert, & totum hoc verificatur sine eo quod præintelligatur existens: ero illa sententia supposita, præconcipi vt existens, vel posse vt existens præconcipi, in medio à priori probatiuo, necessarium non est, ac proinde ex hoc principio nihil contra Nos concluditur.

54 *Quartum arg.um.* Denique arguitur; demonstratio à priori quoad nos, illa est, in qua pro medio assumitur definitio subiecti, quæ quia à subiecto non distinguitur in re, nec formaliter, nec virtualiter, sed solum ratione nostra, dicitur medium quoad nos, non tamen secundum se, & demonstratio constans ex deffinitione subiecti, dicitur demonstratio à priori solùm quoàd nos: ergo vt existentia demonstretur à nobis naturaliter de Deo, hoc demonstrationis genere, debet pro medio assumi deffinitio Dei, vt media deffinitione, Deum existere probetur; sed hoc fieri naturaliter non potest: ergo nequit naturaliter demonstrari existentia de Deo demonstratione à priori quoàd nos. Prima consequentia non indiget probatione. Antecedens probatur, & explicatur in demonstratione, qua prima passio demonstratur de subiecto, v. c. *Omne animal rationale est proximè intellectiuum; homo est animal rationale; ergo est proximè intellectiuus.* In qua pro conclusione infertur potentia proximè intellectiua, quam supponimus, esse primam hominis passionem; subiectum de quo demonstratur, est homo; medium autem est illius deffinitio, nempè, animal rationale, quæ quia ab homine non distinguitur in re, nec formaliter, nec virtualiter, non est medium à priori secundum se: quia tamen per rationem nostram deffinitio hominis differt ab homine: ideò dicitur medium à priori, quoàd nos, & demonstratio intellectus per illam dicitur demonstratio à priori, non secundùm se, sed quoàd nos.

55 *Minor sub sumpta ostenditur 1.* Minor autem subsumpta, ad quam tota difficultas deuoluitur, ostenditur primò, vt enim docet Diuus Thomas 1. *Contra Gentes cap. 25.* verbis superiùs relatis, Deus à nobis deffiniri non potest; cum enim deffinitio constet ex genere, & differentia; Deus autem sub genere non contineatur, est deffinitionis incapax: ergo non potest aliquid demonstrari de Deo media illius deffinitione.

Secundò. Secundò; vt enim docet Diuus Thomas *quæst. 2. de Veritate art. 3. 1. Contra Gentes cap. 14. & super Boëtium de Trinitate quæst. 1. art. 2.* de Deo in via non possumus cognoscere, quid est, sed quia est, sed vt media deffinitione Dei existentia probaretur, deberet cognosci de Deo, quid est; aliàs existentia per se ipsam probaretur; nam cognitio Dei, quia est, idem est, ac cognitio existentiæ. ergo nihil potest à nobis demonstrari de Deo, media illius definitione.

56 *Tertiò.* Denique probatur; estò namque admittatur cognitio aliqualiter definitiua Dei viribus naturæ habita, hæc tamen non potest esse medium probatiuum existentiæ diuinæ: ergo non potest viribus naturæ media definitione Dei, illius existentia à priori probari. Consequentia est bona, & antecedens probatur; nam de ratione demonstrationis est, vt à notioribus ad minùs nota procedat; aliàs argumentum inutile esset, vnde Diuus Thomas *in præsenti articulo secundo in corpore*, inde probat, Deum posse à nobis demonstrari à posteriori, quia causa quæ habet effectus notiores se, potest ex illis à posteriori cognosci demonstratiuè, & quia Deus, causa huius conditionis est, infert, posse à nobis illius existentiam demonstratiuè cognosci ex effectibus creatis, clarè indicans de ratione demonstrationis esse à notioribus ad minus nota procedere: ergo demonstratio à priori secundum se, petit procedere à notioribus secundùm se: demonstratio autem à priori quoàd nos petit à notioribus nobis procedere; sed quamuis possit Deus à nobis per hoc statu aliqualiter definiri, cognoscendo de ipso connotatiuè, quod sit ens increatum, & à se, nobis tamen notius est, quod existat, quàm quid sit: ergo existentia non potest à priori demonstrari per definitionem essentiæ.

57 *Minor ostenditur primò.* Minor ostenditur primò; nam iuxta Phylosophum 1. *posteriorum*, quæstio, *an est*, in nobis præcedit quæstionem *quid est*, quia vniuersaliter de rebus respectu nostri loquendo, facilior est prima, quàm secunda quæstio; & consequenter prima, quàm secunda cognitio; ergo Deum existere notius nobis est, quàm quid sit.

Secundò. Secundò; nam Deus à nobis pro hoc statu non nisi ex effectibus creatis naturaliter innotescit; sed effectus creati manifestè Deum existere indicant, secùs autem quid Deus sit: ergo Deum existere, notius nobis est, quàm quid sit, adhuc illo modo, quo potest à nobis imperfectè, connotatiuèque definiri.

58 *Amplius vrgetur.* Quod amplius vrgetur; nam cognitio quid sit Deus, necessariò supponit cognitionem, *an sit*: ergo cognitio diffinitiua essentiæ diuinæ imperfecta, quæ à nobis in hoc statu potest haberi, necessariò præsupponit cognitionem euidentem existentiæ Dei; sed cognitio demonstratiua non supponit necessariò cognitionem euidentem veritatis demonstratæ; aliàs demonstratio prorsus inutilis esset; cum actum ageret, quod contra rationem demonstrationis esse videtur: ergo existentiam Dei non potest à nobis demonstrari per definitionem Dei; ac per consequens nullo modo potest à nobis demonstratiuè à priori cognosci.

59 *Resp. ad primam probationem minoris sub sumpta.* Respondeo, concesso antecedenti, & prima consequentià, negando minorem subsumptam. Ad primam probationem dicatur Diuum Thomam loqui de propria definitione, quæ petit ex genere, & differentia constare, & quia Deus sub genere non continetur, vt docet Diuus Thomas ibidem, ideò definitione, quæ propriè fit definitio, definiri non potest; non tamen negat, quod definiri possit definitione, quæ impropriè fit definitio, quæ constat ex aliquo prædicato, in quo cum creaturis conueniat, & alio, quo ab illis differat, Deoque sit proprium, quatenus à creaturis distincto, v. c. cognoscendo, quid sit ens increatum, & à se, & quid sit causa incausata, in quibus definitionibus datur aliquid, in quo cum creaturis conuenit analogicè, nempè, ratio entis, & ratio causæ, & aliud, quo ab illis distinguitur, nempè, ratio à se, increati, & ratio incausati; & quod iste definitionis modus ad demonstrationem à priori sufficiat; constat, primò in ente, de quo Metaphysica proprietates à priori demonstrat, & tamen ens propriè definiri non potest: cum non sit genus, nec ex genere, & differentia componatur. Deinde; quia alias, nec Metaphysica, nec Theologia aliquid posset à priori demonstrare de Deo, quod est contra D. Thom. vt vidimus *supra* in solutione secundi argumenti.

Ad secundam probationem, concessa maiori, nego mino-

60 *Ad 2. probationem.* minorem; nec sequitur existentiam Dei per se ipsam demonstrari. Nam cognitio illa, qua quid sit, de Deo in hoc statu cognoscimus, non dicitur cognitio *quia est*, quia sit cognitio existentiæ, sed quia quamuis sit cognitio essentiæ, & quidditatis diuinæ, non tamen habetur, per speciem propriam, nec alicuius Deum perfectè continentis, sed per species creaturarum imperfectè, & inadæquatè Deum repræsentantes. Tunc autem solum aliquid quidditatiuè cognoscitur, & tunc intellectus noster dicitur de aliquo scire, quid est, quod idem est, atque ipsum quidditatiuè cognoscere, quando concipit aliquam formam de ipsa rei quidditate, quæ per omnia ipsi respondet; quidquid autem intellectus noster concipit in hoc statu de Deo, est deficiens à repræsentatione eius, & ideò non cognoscimus in hoc statu quidditatiuè Deum.

Quæ doctrina est D. Thom. *quæst. 2. de Veritate art. 1. ad 9.* ex qua rectè intulit Capreolus 1. *Sentent. dist. 2. quæst. 1. art. 3. in solutione ad 7.* Scoti *contra 5. conclus.*

61 *Tota hæc doctrina est D. Th.* omnem cognitionem, quam de Deo habemus in via, dici cognitionem, *quia est*; non verò *quid est*, non quia non sit cognitio quidditatis, sed quia non est cognitio quidditatiua, & hoc ideò, quia non per speciem propriam perfectè continentem quidditatem obiecti, sed per species effectuum, diuinum esse, & Deum imperfectè repræsentantes. Et quidem istæ duæ probationes minoris, non solum procedunt contra demonstrationem à priori existentiæ de Deo, sed etiam contra demonstrationem à priori attributorum, vt *in solut. ad 2.* notauimus.

62 *Sed dices S. THO.* Sed dices, Deus in statu viæ non potest à nobis cognosci, ita vt de eo, sciatur *quid est*, sed *quid non est*, vt docet D. Thomas 3. *Contra Gentes cap. 44. 1. Sentent. dist. 8. q. 1. art. 1. in corp.* Et *dist. 22. q. 1. art. 2. & q. 10. de Veritate art. 11. ad 4. & 5. argumentum*, illis verbis: *Ad quintum dicendum, quod intellectus noster, etiam in statu viæ diuinam essentiam aliquo modo cognoscere potest, non vt de ea, quid est, sed solum quid non est.* Sed admisso Deum à nobis pro hoc statu cognosci cognitione definitiua connotatiuè, non stat veritas prædictæ doctrinæ, & discrimen statuum inter *quid sit*, & *quid non sit*, quantum ad cognosci à nobis: ergo Deus pro hoc statu neutiquam potest definitiuè cognosci. Probatur minor, quid non sit Deus, non cognoscitur à nobis quidditatiuè, sed tantum connotatiuè, cum non per speciem propriam, vel alicuius Deum continentis perfectè prædicta cognitio habeatur: ergo si Dei *quid est*, à nobis in hoc statu connotatiuè cognoscitur, nullum est discrimen quantum ad cognosci à nobis inter *quid sit*, & *quid non sit*: ac proinde, vt hoc discrimen, subsistat asserendum est, Deum à nobis neutiquam quoad suam quidditatem cognosci.

63 *Resp. 1.* Respondeo primò, nec *quid sit Deus*, nec *quid non sit*, à nobis pro hoc statu quidditatiuè cognosci, sed tantum connotatiuè; est tamen hæc differentia, quod propositiones affirmatiuæ explicantes *quid sit Deus*, verificantur de ipso quoad rem significatam tantum, non verò quoad modum significandi; & quia, vt essent cum omni proprietate veræ, debebant quoad vtrumque verificari: fit consequens, vt non verificentur de ipso omni modo propriè; negatiuæ autem explicantes *quid non sit*, quia remouent quoad vtrumque, nempe, quoad rem significatam, & quoad modum significandi, ea quæ de Deo negantur, sunt cum maiori proprietate veræ, & ob hanc maiorem proprietatem dicit Diuus Thomas de Deo à nobis cognosci, *quid non sit*: non autem *quid sit*. Quæ doctrina est Diui Thomæ *in 1. distinct. 22. quæst. 1. art. 2. ad 1.* Quod ita procedebat:

64 *Hæc etiam est doctrina D. Th.* *Nihil propriè dicitur de aliquo, quod verius negatur de ipso, quam affirmetur; sed secundum Dionysium secundo capite Cælestis Hyerarchiæ, verius omnia nomina, quæ de Deo dicuntur, de ipso negantur, quam affirmantur, vnde dicit, quod negationes in diuinis sunt veræ, affirmationes incompactæ: ergo & cætera.*

Cui argumento ita respondet: *Ad primum dicendum,*

65 *quod cum in nomine duo sint, modus significandi, & res significata, semper secundum alterum potest remoueri à Deo, vel secundum vtrumque; sed non potest dici de Deo, nisi secundum alterum tantum, & quia ad proprietatem, & veritatem affirmationis requiritur, quod totum affirmetur: ad proprietatem autem negationis sufficit, si alterum desit; ideo dicit Dionysius, quod negationes sunt absolutè veræ, sed affirmationes, non nisi secundum quid, quia quantum ad significatum tantùm, & non quantum ad modum significandi,*

Id ipsum docet Diuus Thomas *in hac 1. p. infra quæst. 13. art. 3. ad 2.* vbi cum sibi obiecisset eandem auctoritatem Dionysij, his verbis respondet: *Ad secundum dicendum, quod ideo huiusmodi nomina dicit Dionysius negari à Deo, quia id quod significatur per nomen, non conuenit eo modo ei, quo nomen significat, sed excellentiori modo, vnde ibidem dicit Dionysius, quod est super omnem substantiam, & vitam.* Id ipsum docet *art. 2. ad 1.*

Secundò respondeo, admissa doctrina Diui Thomæ, negando minorem. Ad illius probationem, admisso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discriminis 66 *2. Respondetur.* est; nam cognoscere quid sit res, dicit non solam cognitionem quidditatis, sed etiam modum perfectum cognoscendi, scilicet, per propriam speciem adæquatè repræsentantem obiectum, vt ex Diuo Thoma vidimus: cognoscere autem, quid non sit, modum istum non importat, sed solam remotionem alicuius prædicati, & ideò quamuis *quid non sit Deus*, non cognoscatur à nobis quidditatiuè, dicitur à nobis absolutè cognosci quoad *quid non sit*; non autem absolutè dicitur à nobis pro statu viæ Deum *quoad quid sit* cognosci.

Quæ doctrina est Diui Thomæ adiuncto commento 67 *Hæc doctrina etiam desummitur ex D. Thoma.* Caietani *infra q. 13. art. 2. ad 1.* quod tale erat: *Dicit Damascenus, oportet singulum eorum, quæ de Deo dicuntur, non quid est, secundum substantiam significare, sed quid non est, ostendere, aut habitudinem quandam, aut aliquid eorum, quæ sequuntur naturam, vel operationem.* Ex quo inferebat D. Thomas, nullum nomen impositum à nobis ad Deum significandum, de Deo dici substantialiter. Cui argumento ita respondet. *Ad secundum dicendum, quod Damascenus, ideo dicit, quod hæc nomina non significant, quid est Deus quia à nullo istorum nominum exprimitur Deus perfectè: sed vnumquodque imperfectè, eum significat, sicut & creaturæ imperfectè eum repræsentant.*

68 Vbi Caietanus *in responsione ad 2. aduerte, quod apud excellentes Doctores non est idem significare, quid est, & esse nomen substantiale, quoniam ad primum exigitur perfectio, ad secundum non vt in littera dicitur*: ergo iuxta D. Thomam, & excellentes Doctores, significare quid est, dicit, non solùm significare substantiam, vel quidditatem, sed illā perfectè significare; & consequenter, cognoscere quid est rei, non solam cognitionem quidditatis, sed etiam modum perfectum cognitionis importat; cognoscere autem, quid nō sit, de aliqua re, modū istum perfectionis non dicit.

69 *Ad vltimam probationem minoris, Respondetur.* Ad vltimam probationem, minoris, nego antecedens. Ad illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam pro secunda parte consequentis; Demonstratio namque, non ideò dicitur à priori quoad nos, quia procedat à notioribus nobis, sicut demonstratio à posteriori, sed quia medium probatiuum non distinguitur à subiecto de quo fit demonstratio inspecto secundum se, & sumpto, prout in re, nec distinctione reali, nec formali, nec virtuali, sed solùm distinctione rationis penes implicitum, & explicitum, & quia vt esset demonstratio à priori secundùm se, oportebat, vt medium non solum distingueretur à veritate demonstrata, sed etiam à subiecto, aliquo ex prædictis modis; ideo talis demonstratio dicitur à priori, quoad nos; non quia à notioribus nobis procedat. Et quidem secunda passio nobis est notior, quam prima, cum possit per illam à posteriori probari, & prima passio nobis notior est, quam essentia, cum essentia per primam passionem à posteriori monstretur: & tamen secunda passio demonstratur à priori per primam, & hæc à priori quoad nos demonstratur per essentiæ definitionem: ergo ex eo quod Deum existere, nobis notius sit, quàm quid est, perperā infertur, nō posse existentiā demonstrari de Deo per definitionē ipsius.

70 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, concesso antecedē[n]ti, & prima consequentia, distinguo minorem subsumptam; non supponit cognitam veritatem demōstratam omni cognitionis modo, cōcedo minorem aliquo modo cognitionis, nego minorem, & consequentiam. Vt enim demonstratio inutile argumentum non sit; sufficit, quod non supponat veritatem demonstratam cognitam eo modo, quo per demonstrationem cognoscitur: si demonstratio sit à priori, sufficit, quod nō supponat illam cognitam à priori; si autem sit demonstratio à posteriori, quod non supponat veritatem demonstratam cognitam à posteriori, & hoc in existentia diuina contingit, licet enim cognitio definitiua connotatiua Dei, illam cognitam à posteriori ex creaturis supponat, non tamen illam necessario præsupponit cognitam à priori.

Vnde

Vnde ex illa argumentum vtile fit, vt à priori existentia cognoscatur; & quidem facta demonstratione à posteriori essentiæ hominis per primam passionem, potest eadem prima passio à priori per definitionem hominis demonstrari; & tamen iam supponitur euidenter cognita prima passio; ergo huiusmodi suppositio non obest. Hinc etiam plures docent, Deum primò in se, & ex se à priori cognoscens creaturas; ex creaturis, & in creaturis se ipsum à posteriori cognoscere, quæ sententia quamuis Nobis grata non sit, non tamen ex inde reijcitur, quia creaturæ cognitæ supponantur, sed quia ex creaturis non potest Dei perfecta cognitio consurgere, Deo autem imperfecta cognitio repugnat.

§. IV.

Posse à posteriori ex creaturis demonstrari Deum esse, authoritate, & ratione probatur.

73 Secunda conclusio. Secunda Conclusio, *Deum existere, potest ex creaturis ratione euidenti, & demonstratiua à posteriori cognosci.* Ita communiter Theologi in eo gradu certitudinis, vt oppositam sententiam quidam hæreticam censeant, alij erroneam, alij parùm in fide securam, alij errori proximam, alij denique temerariam, quorum censuras referunt, approbantque Tannerus, Fasolis, & Arriaga vbi supra. Probatur conclusio primò ex illo Pauli ad Romanos 1. *Inuisibilia enim ipsius, id est, Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ex quibus verbis, vt communiter explicantur à Patribus constat, Deum posse ex creaturis cognosci; at cognitio de qua Paulus ibi loquitur, est cognitio clara, & euidens, vt constat ex illo verbo *conspiciuntur*, quod claram, euidentemque cognitionem significat; ergo iuxtà Paulum, potest ratione euidenti naturali sumpta ex creaturis, Dei existentia cognosci. Quod etiam probatur ex illo Sapientiæ 13. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterat creator omnium videri,* vbi ponderanda sunt illa verba, *cognoscibiliter poterat creator omnium videri*, quibus clara, & euidens cognitio creatoris, ex creaturis habita denotatur: ergo iuxta hæc, aliaq; testimonia videtur necessariò asserendum, posse Deum per creaturas, & ex illis euidenti cognitione quoad existentiam cognosci.

Probatur conclusio primò ab authoritate, — *Secundo,*

47 Huic argumento ex scriptura sumpto, quo Auctores nostræ sententiæ ad oppositam variè damnandam, mouentur, respondet Vazquez *vbi supra cap. 3. num. 8.* quod licèt nostra sententia sit vera, & communis iam apud Theologos, non tamen eius veritas his testimonijs probatur. Nam verbum illud *conspicio*, & illud verbum *videri cognoscibiliter*, quibus clara, & euidens conditoris cognitio insinuatur, possunt non pro clara, & euidenti cognitione vsurpari, sed pro quadam notitia intellectus cum assensu determinato, esto euidens, & clara non sit, sed probabilis, aut certa moraliter: ac proinde ex prædictis testimonijs non rectè opposita sententia damnatur; cuius iudicio subscribunt Franciscus de Lugo *vbi supra*, & Theodorus Smising. *tract. 1. disp. 1. de existentia Dei quæst. 4. num. 61.* vbi addit, posse oppositam sententiam, non solùm absque erroris, & temeritatis in fide periculo sustineri, sed etiam absque temeritate in Theologia; solùmque esse temerariam in phylosophia; eò quòd est contra communiorem Scholasticorum, quatenus Philosophorum sententiam firma satis ratione subnixam.

Respondetur Vazquez. — *Vazquio subscribunt Franciscus de Lugo, & Smising.*

74 Primum motiuum. Ducuntur hi Auctores primò; nam verbum *videri* indifferenter in scriptura vsurpatur, etiam pro notitia ineuidenti, siue certa fidei diuinæ, siue coniecturali, aut fidei humanæ. Sic Ioann. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*, id est, credit, vnde subditur, *non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? &c.* & Genesis 3. *Vidit mulier, quod lignum esset bonum ad vescendum*, id est, ex odore, & colore conіecit, quæ coniectura solum probabilis est. Verbum etiam *conspici* quandoque pro notitia ineuidenti vsurpatur, quandoquidem verbum manifestari, quod idem significare videtur, ac verbum conspici, quandoque accipitur pro notitia ineuidenti fidei diuinæ, vt constat Ioannis 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi*, necnon etiam fidei humanæ, iuxta illud Ecclesiast. 8. *Non omni homini cor tuum manifestes*: ergo ex testimonijs adductis non probatur possibilis notitia euidens, & clara Dei habita ex creaturis.

Ioan. 14. — *Gen. 3.* — *Ioan. 17.* — *Eccl. 8.*

75 Deinde; nam Paulus de ea cognitione loquitur, quæ sufficit, vt homines Deum non colentes, nec vt Deum glorificantes, inexcusabiles sint, vt constat ex verbis adiunctis ibi: Ita vt sint inexcusabiles, qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt; sed ad hoc non requiritur euidens cognitio creatoris, sed sufficit cognitio moraliter certa, vel probabilissima, & prudens: ergo hac concessa, rectè prædicta verba saluantur; ac proinde non colligitur ex illis notitia euidens, clara, & demonstratiua creatoris, possibilis ex creaturis. Consequentia tenet, Maior videtur certa; nam intentum Pauli erat reprehendere Gentiles, eò quòd cum cognouissent Deum, ipsum non glorificauerunt: quod autem cognouerint, probat, *nam inuisibilia Dei à creatura mundi*, id est, ab homine, vt in principio disputationis exposuimus, *per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*: ergo de ea notitia loquitur, quæ sufficit vt excusationem ignorantiæ non habeant Gentiles, Deum non glorificantes.

Secundū motiuum.

Minor autem ostenditur primò; nam si aliquis, modo Christum negaret, excusari non posset; at non quia euidentem notitiam illius habere posset, sed quia fide, & notitia prudenti credere potuisset: ergo notitia ineuidens, vel certa moraliter, vel probabilissima, & prudens creatoris habita, vel possibilis haberi ex creaturis, sufficit, vt gentes Deum non glorificantes, eique verum cultum negantes, inexcusabiles fuerint. 76

Minor probatur primò.

Præterea; nam inexcusabilitas in non colendo, nec glorificando Deum, non solùm huius sæculi, aut gentilitatis sapientibus conuenit, sed omnibus etiam insipientibus, & ignorantibus est communis; sed notitia euidens creatoris habita ex creaturis, in solis sapientibus de facto inuenitur, & aliquibus non est possibilis; plures enim inter Gentiles erunt incapaces formandi discursum euidentem, quo ex creaturis in euidentem Dei notitiam assurgant, sicut modo plures sunt huius notitiæ incapaces ob ingenij hebetudinem, qui tamen non excusantur, si Deo cultum debitum non tribuant, aut ipsum, vt par est non glorificent: ergo euidens, clara, & demonstratiua Dei cognitio, nec vt habita de facto, nec vt possibilis haberi ex creaturis, necessaria est, vt homines Deum non colentes inexcusabiles sint. *Secundò,*

Denique arguit Vazquez ex Gregorio Nazianzeno *Oratione 34.* quæ est secunda de Theologia non longè à principio, vbi ait; *Etenim quod Deus sit, ac princeps quædam causa, quæ res omnes procreauit, atque conseruat, Tum, oculi ipsi, Tum lex naturalis docet. Illi, dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt: hæc autem Deum per res oculis subiectas, ac recto ordine collocatas, auctorem earum coniectura quadam colligit.* Vbi inquit Vazquez, non dixit Nazianzenus euidenti ratione, sed coniectura quadam ex rebus visis collig. Deum esse, hac ergo coniecturali notitia concessa, sufficienter testimonia adducta explicantur; & consequenter ex illis perperam infertur possibilis euidens, & demonstratiua Dei conditoris cognitio possibilis ex creaturis. 77

Tertium motiuum.

Huic tamen doctrinæ non acquiescunt Auctores nostræ sententiæ, & reijcitur primò; nam verba Scripturæ accipienda sunt iuxta communem Patrum, aut Scholasticorum sensum, sed ferè omnes Scholastici, exceptis illis, quos pro prima sententia retulimus, verba Pauli accipiunt de cognitione euidenti, arguentes ex illis verbis, vt probent, posse Dei existentiam ex creaturis demonstrari: ergo sic sunt accipienda. Deinde; nam verba scripturæ accipienda sunt in toto rigore absque inconuenienti possibili; sed ex eo quod accipiantur pro cognitione euidenti Dei habita ex creaturis, nullum inconueniens sequitur: ergo sic accipi debent. Præterea: nam verbum *conspicere*, & verbum *videre* rigorosissimè accepta, denotant claram intuitiuamque notitiam, & in sensu minùs strictò proprio tamen, denotant euidentem cognitionem, esto intuitiua non sit, at verò pro ineuidente, aut probabili, non nisi impropriè accipiuntur; at nulla est ratio cogens, vt in sensu improprio accipiantur, relicto secundo sensu, qui proprius est etsi non omnino strictus, & rigorosus: ergo absque vllo fundamento in sensu ita lato explicantur. 78

Hæc doctrina reijcitur 1. — *Secundò;* — *Tertiò.*

Quod amplius vrgetur; nam verba illa quandoque in scriptura accipiuntur pro notitia coniecturali, non probabilissima, nec moraliter certa, vt constat ex illo Genesis 3. *Vidit mulier lignum, quod esset bonum ad vescendum, &c.* idest, ex odore, & colore conіecit, vt contrarij Auctores explicant, quæ coniectatio moraliter certa non est, cum sæpè illa signa fallant; & tamen verba Pauli non possunt in 79

Vrgetur amplius primò.

in hac acceptione vsurpari; aliàs ex tali notitia Deum non colentes, non essent inexcusabiles; ad hoc enim, vt contrarij Auctores fatentur, requiritur notitia certa metaphysicè, aut moraliter, vel saltem probabilissima, & prudens assensus: ergo ex eo quòd, quandoque in Scriptura accipiantur pro notitia ineuidente probabilissima, aut certa metaphysicè, aut moraliter, non licet colligere, sic esse in præsenti accipienda. Confirmatur, & vrgetur secundò; verbum *conspicere* & verbum *videre*, nullibi in Scriptura vsurpantur pro notitia ineuidenti, nisi ex eò quòd pro notitia euidente sumantur, aliquod inconueniens sequatur; sed ex eo quod in testimonijs adductis pro euidenti notitia vsurpentur, nullum inconueniens sequitur: ergo sic sunt vsurpanda.

Confirmatur 2.

80 Denique argumentor ad hominem contra Theodorum Smising. nam vt hic Auctor fatetur, asserere, Dei existentiam non posse ex creaturis cognitis euidenter demonstrari, est temerarium phylosophycè; & hoc ideo, quia est contra communiorem sententiam Scholasticorum, vt Phylosophorum firma ratione phylosophyca subnixam; sed etiam est contra communiorem sententiam Scholasticorum, vt Theologorum vt entium firma ratione Theologica sumpta ex prædictis testimonijs Scripturæ: ergo etiam est temerarium Theologicè. Confirmatur. Auctores pro prima sententia adducti, & Phylosophi, & Theologi erant; Auctores etiam omnes pro nostra sententia relati, & Philosophi, & Theologi sunt, & vt tales nostram sententiam tuentur: ergo si contra illos opinari, vt Phylosophos, est phylosophycè temerarium, contra illos vt Theologos ire, erit temerarium Theologicè.

Arguitur ad hominẽ contra Theodorũ Smising.

Confirmatur.

81 Si dicas; discrimen esse; nam ratio, qua vt Philosophi vtuntur, firmissima est, nec potest, nisi proterue illius vis declinari, & ideò contrarium censentes temerariè in phylosophia opinātur: ratio autem Theologica vrgentis non est, & quæ facile diluitur, & ideò contraria sententia non est temeraria in Theologia. Sed contra primò: nam iuxtà hanc solutionem tota temeritas contrariæ sententiæ ex ratione, cui opponitur, sumitur; non verò ex auctoritate Doctorum veræ sententiæ tuentium: ergò superflue hic Auctor temeritatem phylosophycam probat, ex eo quod sententia negans demonstrabilitatem existentiæ diuinæ ex creaturis, opponitur communi sententiæ Phylosophorum.

Si dicas.

Contra 1.

82 Secundò; nam Theologi probantes ex prædictis testimonijs Scripturæ demonstrabilitatem existentiæ diuinæ ex creaturis, existimant, se firma ratione Theologica vti, illiusque vim non nisi protetuè posse declinari: nec obstat hoc à prædicto Auctore negari; nam etiam qui primam sententiam tenent, proteruitatem negabunt: ergo nullum est fundamentum, vt prædictus Auctor asserat, esse temerarium phylosophycè, negare demonstrabilitatem diuinæ existentiæ ex creaturis, & neget temeritatem Theologicam. Quod ampliùs vrgetur; nam ad negandam demonstrabilitatem prædictam suppetunt contrarijs Auctoribus rationes aliquæ Phylosophycæ, quæ licèt non conuincant, habent tamen aliquitem apparentiam; at ex Scriptura, nec apparens argumentum potest sumi pro demonstrabilitate neganda; & pro illa suadenda, firmum argumentum adest, vt constat ex dictis: ergo potiori iure debet contraria sententia Theologicè, quàm Phylosophycè temeraria censeri. Vnde Diuus Thom. *quæst. 10. de veritate art. 12.* contrariam sententiam manifestè falsam dixit 1. *Contra Gent. cap. 12.* illam vocauit temerariam.

Secundò.

Confirmatur.

83 Nec motiua, quibus contrarij Auctores ducuntur alicuius ponderis sunt. Ad primum constat ex dictis. Tunc enim alijs locis Scripturæ verba illa in laxiori sensu vsurpantur, cum textus alium strictiorem non permittit, & cum ex illo inconueniens aliquod sequitur, quorum neutrum in præsenti contingit, & ideò necessum non est, illa verba à proprio ad improprium sensum detorquere. Ad secundum, nego maiorem, quòd de illa sola cognitione loquatur, quæ sufficit, vt homines Deum non colentes inexcusabiles sint; nam licèt scopus Pauli hic esset, nempè, reprehendere Gentiles, eò quòd Deum non glorificauerunt, & ex hoc fine tantùm, cognitio euidens creatoris non inferatur possibilis; quia tamen verba, quibus cognitionem illam explicuit euidentem denotant cognitionem, si proprie accipiantur, vt vidimus, ideo de hoc genere cognitionis sunt accipienda.

Respondetur ad primũ motiuũ contrariorum.

Ad secundũ respondetur 1.

84 Vel secundò dicatur; Paulum reprehendere Gentiles, inter quos plures erant sapientes, quibus cognitio euidens creatoris ex effectibus creatis erat possibilis, illamque habuerunt de facto; licet autem cognitio euidentiam non attingens, sufficiens sit ad inexcusabilitatem, in Deum non colendo, inducendam, cognitio tamen euidens creatoris fortiùs inexcusationem inducit, & aggrauat culpam, ideòque vt illos magis inexcusabiles redderet, & illorum culpam augeret, fuit de cognitione euidente loquutus.

Secundò.

85 Ad tertium dicatur; ex creaturis posse Deum euidenter, & probabiliter etiam cognosci: ac proinde, ex eo quod Nazianzenus cognitionem probabilem, & coniecturalem affirmet, non sequitur, euidentem negare. Vel secundò dicatur, Nazianzenum retorico stylo magis, quam Scholastico vtendo cognitionem Dei ex creaturis, coniecturam appellare, quia per discursum habetur. Et quidem auctoritas Nazianzeni, si aliquid probaret, conuinceret, non posse Deum ex creaturis euidenter cognosci: ad hoc autem non potuit à prædicto Auctore induci; aliàs contra se ipsum argueret, qui, licet contendat, cognitionem euidentem creatoris non colligi ex verbis Pauli, illam tamen fatetur cum communi sententia possibilem: ergo extra rem, vel contra se ipsum vtitur argumento ex Nazianzeno desumpto.

Ad tertiũ respondetur primò. Secundò.

86 Deinde probatur rationibus primò in hunc modum; si non posset existentia demonstrari de Deo; sequeretur, non esse aliquam scientiam supra scientiam naturalem, hoc est supra phylosophiam, consequens est falsum; omnes enim Phylosophi, & Theologi præter physicam naturalem, & supra illam, scientiam aliam esse fatentur, videlicet, metaphysicam: ergo potest, Deum existere, à posteriori demonstrari. Probatur sequela; si suprà substantias sensibiles non esset alia scibilis, id est, de qua possunt proprietates scientificè demonstrari, non esset alia scientia supra physicam naturalem; sed si non posset existentia demonstrari de Deo, non esset alia substantia scibilis supra substantias sensibiles: ergo non esset alia scientia supra physicam naturalem. Consequentia tenet. Maior est certa; quia ad considerationem substantiarum sensibilium, sufficit phylosophia: ergo si non est alia substantia supra sensibiles, non daretur supra illam alia scientia. Minor autem probatur; de subiecto non cognito euidenter, saltem quoad *an est*, non potest aliquid scientificè naturaliter demonstrari; sed si non posset à posteriori demonstrari existentia de Deo, Deus non esset cognoscibilis euidenter quoad *an est*; cum talis cognitio ex terminis non habeatur, vt constat ex dictis, & fatentur illi, contra quos nostra conclusio procedit: ergo si de Deo non potest existentia demonstrari, non erit alia substantia scibilis præter substantias sensibiles, & consequenter alia scientia supra Phylosophiam non erit.

Conclusio probatur primò ratione.

87 Qua ratione vsus est D. Thomas 1. *contra Gentes cap. 12.* his verbis: *Tum ex ipso scientiarum ordine; nam si non sit aliqua scibilis substantia supra substantiam sensibilem, non erit aliqua scientia supra naturalem*, sumpta ex Phylosopho 6. metaphysicæ textu 3. apud Diuum Thomam lectione 1. ubi: *Si igitur non est aliqua alia substantia præter eas, quæ natura consistunt, naturalis profectò prima scientia esset, &c.*

Hac ratione vsus est D. Thom.

88 Sed dices; ad hoc quod detur scientia naturalis; supra phylosophiam sufficit dari substantias spirituales creatas, quæ sunt motrices cœlorum: ergo ex hoc inconuenienti non probatur demonstrabilitas existentiæ Dei, qui est substantia spiritualis increata. Probatur antecedens primò; substantia spiritualis creata non est scibilis per physicam naturalem, nec de illa possunt passiones demonstrari à phylosophia, cuius obiectum est ens materiale concretum quidditati sensibili: ergo per hoc, quod detur substantia spiritualis creata scibilis, necessariò adstruitur scientia supra Phylosophiam, quæ talem substantiam consideret, & de illa passiones demonstret. Secundò idem antecedens probatur; ens creatum commune substantiæ sensibili, & substantiæ spirituali non consideratur à physica naturali, nec potest directè considerari; & consequenter alia scientia est necessaria, quæ circa tale obiectum versetur, & supra physicam sit, vtpote nobilius attingens obiectum; sed per hoc, quod detur substantia spiritualis creata, necessariò datur gradus entis vtrique substantiæ communis: ergo necessariò adstruitur scientia supra phylosophiam existens.

Antecedens probatur 1.

Secundò.

89 Respondeo primò, concesso antecedenti, distinguendo consequens, non probatur demonstrabilitas existentiæ Dei secundum vltimam differentiam, vel quasi differentiam deitatis, concedo consequentiam; secundum rationem substan-

Respondetur 1.

ſtantiæ immaterialis, & immobilis motu corporeo, nego conſequentiam: hac autem ratione non intendit D. Thom. probare demonſtrabilitatem exiſtentiæ Dei, ſecundum quod à ſubſtantia immateriali creata diſtinguitur, ſed ſecundum gradum immaterialitatis, & immobilitatis Dei, & ſubſtantiæ immateriali creatæ communem.

Secundo, Secundò reſpondeo diſtinguendo antecedens: ad hoc, quod detur ſcientia ſupra phyloſophiam, quæ diuina ſit obiectiuè qualiter eſt metaphyſica, nego antecedens: quæ diuina obiectiuè non ſit, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Nam ſcientia, quæ ſupra phyloſophia adſtruitur, videlicet metaphyſica, eſt diuina obiectiuè inadæquatè habens pro primario obiecto ens commune creato, & increato; ac proinde ens increatum, & diuinum ſub obiecto ſui ſpecificatiuo comprehendens: hæc autem de medio tollitur, niſi detur ſubſtantia ſpiritualis increata ſcibilis; & conſequenter deſtruitur, niſi Dei exiſtentia à poſteriori ſit demonſtrabilis, & de huiuſmodi ſcientia intelligitur inconueniens à D. Thoma illatum; ex eo quod Dei exiſtentia demonſtrabilis non ſit.

90 *Tertio,* Tertiò reſponderi poteſt, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Si namque Dei exiſtentia demonſtrari naturaliter non poſſet, nec exiſtentia Angelorum poſſet naturaliter demonſtrari; & conſequenter ſi ſubſtantia immaterialis increata ſcibilis non eſt, nec etiam erunt ſcibiles ſubſtantiæ immateriales creatæ; & conſequenter ſi exiſtentia Dei non poſſet demonſtrari ex creaturis, rectè infert Diuus Thomas, non dari ſcientiam ſupra phyloſophiam naturalem. Aſſumptum probatur; nam præcipua ratio mouens Phyloſophos, quos Diuus Thomas impugnat, vt negarent demonſtrabilitatem exiſtentiæ Dei ab intellectu viatoris, erat; quia principia demonſtrationis à ſenſu originem ſumunt: ſenſus autem vltra ſenſibilia non aſcendit, quæ ratio æquè militat reſpectu ſubſtantiæ immaterialis increatæ, atque reſpectu creatæ: ergo ad hominem contra illos rectè arguit Diuus Thomas, quod ſi non detur ſubſtantia increata ſcibilis, non dabitur ſcientia ſupra phyſicam naturalem; per conſequentiam mediatam, altera ſubintellecta, quod nempe, ſi illa ſcibilis non eſt, nec ſubſtantia immaterialis creata erit naturaliter ſcibilis, ex quo rectè inconueniens illatum deducitur.

91 *Vltimo probatur concluſio ratione D. Tho.* Denique probatur concluſio ratione Diui Thomæ *in præſenti art. 2. in corpore*; nam cauſa habens effectus notiores ſe, poteſt ex illis à poſteriori euidenter cognoſci, & quoad *an eſt* demonſtrari; ſed Deus habet effectus ſe ipſo nobis notiores: ergo ex illis poteſt Dei exiſtentia euidenter demonſtrari. Conſequentia eſt bona. Minor certa; nam effectus creati omnes cauſantur à Deo, & ſunt nobis Deo notiores: ergo Deus eſt cauſa habens effectus notiores. Maior autem probatur; nam licet cauſa cum effectu, vt exiſtente connexionem neceſſariam non habeat, effectus tamen exiſtens neceſſariò cauſam exiſtentem ſupponit, & cum illa vt exiſtente connectitur: ergo ex illo cognito euidenter exiſtentia cauſæ deducitur; & conſequenter ſi intellectui notior ſit effectus, quam cauſa, poterit ex illo cognito, exiſtentia cauſæ demonſtrari.

§. V.

Argumentis in contrarium occurritur.

92 *Primum argumentum.* CONtra iſtam concluſionem obſtat primo argumentum quod §. 1. diluimus. Deinde arguitur: omnis noſtra cognitio in hac vita à ſenſu ducit originem ob dependentiam, quam anima vnita corpori habet à ſenſibus in intelligendo, iuxtà illud commune axioma; *Oportet intelligentem, phantaſmata ſpeculari*; ſed Deus, vtpotè omninò immaterialis, non continetur in ſenſibus, quorum obiecta ſunt aliquid materiale, & ſenſibile: ergo nequit à nobis in præſenti vita cognoſci; & conſequenter illius exiſtentia non poteſt euidenter demonſtrari. *Solutio D. Tho.* Huic argumento reſpondet D. Tho. 1. *Contra Gentes cap. 12. in fine*, conceſſis maiori, & minori, negando conſequentiam: quia licet Deus omnia ſenſibilia, & omnes ſenſus excedat, illius tamen effectus, ex quibus ſumitur demonſtratio ad probandum Deum eſſe, ſenſibiles, & materiales ſunt, & ſic noſtræ cognitionis origo, etiam de his, quæ ſenſum excedunt, in ſenſu eſt, & ex illo deſumitur.

93 *Inſurget primo,* Sed contra primò; licet res ſenſibiles ſint effectus Dei, & percipiantur à ſenſu, non poteſt ex illis, aut in illis Deus per ſenſum cognoſci: ergo quamuis res ſenſibiles ſint effectus Dei, & cognoſcantur ab intellectu, non poteſt ex illis Deus cognoſci ab intellectu. *Secundo;* Secundò; res ſenſibiles non poſſunt Deum repræſentare: ergo in effectibus ſenſibilibus, aut ex illis, non poteſt Deus aut illius exiſtentia cognoſci. Conſequentia tenet; quia ex obiecto cognito non poteſt aliud cognoſci, niſi ab illo repræſentetur. Antecedens autem probatur; quia phantaſmata ſunt ſenſibilia, & materialia non poſſunt Deum repræſentare; aliàs ſenſus interiores poſſent cognoſcere Deum: ergo nulla res ſenſibilis poteſt Deum repræſentare.

94 *Tertio,* Tertiò; ſpecies, quibus intellectus noſter intelligit pro hoc ſtatu coniunctionis animæ ad corpus, ſunt in repræſentando materiales; ſed media ſpecie materiali in repræſentando, non poteſt res immaterialis cognoſci: ergo ex effectibus ſenſibilibus non poteſt ſumi demonſtratio ad probandum Deum eſſe. Conſequentia patet; vt enim ex effectibus ſenſibilibus ſumeretur demonſtratio, oportebat, vt ſpecies illæ, quibus effectus ſenſibiles cognoſcuntur, eſſent cognitionis Dei principium: ergo ſi tales ſpecies nequeunt cognitionem Dei cauſare, non poteſt ex effectibus ſenſibilibus ſumi demonſtratio Dei; Maior videtur certa; nam ſpecies pro hoc ſtatu ſunt abſtractæ à phantaſmatibus: ergo ſolùm repræſentant naturam contentam in illis, licèt in vniuerſali, & in communi. *Minor prob. 1.* Minor autem probatur primò; quia namque phantaſmata ſunt in repræſentando materialia, non poſſunt rem immaterialem repræſentare: ergo ſpecies in repræſentando materiales non poſſunt repræſentare obiectum immateriale.

95 *Secundo,* Secundò; potentia in cognoſcendo materialis non poteſt rem immaterialem cognoſcere: ergo ſpecies in repræſentando materialis, non poteſt rem ſpiritualem repræſentare. *Tertio,* Tertiò, & à priori; nulla enim potentia, nullus habitus, & nulla ſpecies poteſt extra ſuum obiectum ſpecificatiuum exire; quo circa potentia ſenſitiua non poteſt percipere Angelum, nec intellectus noſter poſſet Deum quidditatiuè cognoſcere, ſi Deus vt cognoſcibilis quidditatiuè, eſſet extra obiectum ſpecificatiuum illius, vt docetur ab omnibus *infra q. 12. art. 1.* ſed res ſpiritualis non continetur intra obiectum ſpecificatiuum ſpeciei, quæ in repræſentando eſt materialis; cum illius obiectum ſpecificatiuum ſit natura materialis in communi: ergo nequit per illam repræſentari.

96 *Confirmatur 1.* Confirmatur primo ex D. Tho. 3. *Contra Gentes cap. 45.* illis verbis: *Sequitur itaq; quod intellectus noſter poſſibilis nullo modo poſſit intelligere ſubſtantias ſeparatas.* Quæ verba procedunt de intellectu noſtro poſſibili pro ſtatu coniunctionis cum corpore: ergo multò minùs poteſt intelligere ſubſtantiam increatam, vtpotè, quæ magis diſtat ab obiectis ſenſibilibus, quam ſubſtantiæ creatæ immateriales. *Secundo, S. THO.* Confirmatur ſecundò ex D. Tho. *in hac 1. p. q. 88. art. 2. ad vltim.* illis verbis. *Vnde per ſimilitudines rerum materialium aliquid affirmatiuè poteſt cognoſci de Angelis ſecundũ rationem communem, licèt non ſecundum rationem ſpeciei: de Deo autem nullo modo*; at per demonſtrationem exiſtentiæ Dei aliquid de Deo affirmatiuè cognoſcitur: ergo per ſpecies, quæ ſunt ſimilitudines rerum corporalium, non poteſt haberi de Deo cognitio demonſtratiua.

97 *Reſp. ad primã impugnationem.* Ad hoc argumentum reſpondeo ſolutione data ex Diuo Thoma, quæ optima eſt, nec obiectionibus factis infirmatur. Ad primam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam ſenſus, vtpotè potentiæ materiales, adæquantur cum obiecto materiali, & ſenſibili; ideóque nec imperfectè ex proprijs, nec perfectè ex eleuatione poſſunt attingere Deum, de quo D. Thomas *infra q. 12. art. 3.* obiectum autem intellectus noſtri eſt ens in quantum ens, ſub quo Deus continetur; ideóque ex effectibus creatis, à quibus repræſentatur, poteſt Deus ab intellectu noſtro imperfectè cognoſci, ad illumque perfectè cognoſcendum eleuari. *Ad ſecundam.* Ad ſecundum, nego antecedens. Ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ratio autem diſcriminis eſt; nam repræſentatio phantaſmatis, ſicuti, & repræſentatio ſpeciei fundatur in ſimilitudine, quæ inter phantaſma, & Deum non reperitur, niſi tantùm analoga, & in ratione entis, quæ ad repræſentationem formalem non ſufficit; repræſentatio autem effectuum ſenſibilium reſpectu Dei, fundatur in dependentia, eſt enim repræſentatio non formalis, ſed inſtrumentalis, & quia quamuis effectus ſenſibiles ſint materiales eſſentialiter, dependent à Deo: ht conſequens, vt ipſum ſufficienter repræſentent, ad hoc, quod ex illis cognitis Dei exiſtentia à poſteriori inferatur.

Ad

98 *Ad tertiam.* Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem. Ad primam probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: non possunt repræsentare formaliter, concedo consequentiam: virtualiter, subdistinguo consequens: absolutè, & quidditatiuè, concedo consequentiam: connotatiuè, & quoad *an est*, nego consequentiam: itaque phantasma, quia repræsentat aliquid materiale modo materiali, nec formaliter, nec virtualiter potest Deum repræsentare: species autem abstractæ à phantasmatibus, etsi non possint repræsentare Deum perfectè, & quidditatiuè, nec formaliter immediatè: mediatè autem, & virtualiter Deum repræsentare possunt, repræsentando effectus creatos dependentes ab ipso, ex quorum cognitione Dei cognitio quoad existentiam deducitur; & hoc ideò, quia quamuis rem materialem in communi repræsentant; illam tamen repræsentant modo immateriali, ex quo nascitur vt sint principia cognitionis spiritualis attingentis effectus, vt effectus secundum ordinem, quem dicunt ad Deum, & mediante ista cognitione causare possunt cognitionem Dei.

99 *Ad secundam minoris probationem.* Et ex his ad secundam minoris probationem constat solutio: potentia namque materialis in cognoscendo, materiali modo cognoscit obiectum, non attingendo ordinem effectus ad causam, ideòque non potest Deum vllo modo cognoscere, quæ ratio cessat in specie impressa rei materialis, vt constat ex dictis. *Ad tertiam.* Ad tertiam, concessis maiori, & minori, distinguo consequens: non potest res spiritualis per speciem rei materialis repræsentari immediatè, & formaliter, concedo consequentiam: virtualiter, & mediatè, nego consequentiam: nec per hoc, quod species materialis virtualiter, & mediatè repræsentet rem spiritualem, transcendit suum specificatiuum obiectum, quia rem spiritualem repræsentat virtualiter per ordinem ad rem corporalem, & ad instar illius; sic autem benè potest habitus, vel potentia versari erga id, quod non continetur formaliter intra suum specificatiuum obiectum, quin excedat illud.

100 *Aliqua exempla adducuntur.* Vt constat in charitate specificata à Deo, & tamen attingente proximum ratione Dei, & in ordine ad illum; in nostro intellectu specificato ab ente reali; & tamen attingente ens rationis per ordinem, & connotationem ad ens reale, & in intellectu diuino specificato à diuina essentia adæquatè, & tamen attingente creaturas in essentia, & ratione essentiæ diuinæ; & omnium ratio eadem est; quia, nempe, vt potentia, species, vel habitus non exeat extra suum obiectum specificatiuum, sufficit, vt si circa aliquid intra obiectum, à quo specificantur, non contentum, versentur, illud attingant per ordinem ad obiectum, à quo suam specificationem accipiunt: igitur ex eo quod species abstractæ à sensibus specificentur ab ente materiali, & sensibili, solum sequitur, quod nec formaliter, nec virtualiter possint repræsentare substantias immateriales in se, & ratione sui: non autem, quod virtualiter, mediatè, & in ordine ad ens materiale, & per connotationem illius substantias immateriales repræsentare non possint.

101 *Ad confirmationem.* Ad primam confirmationem dicatur, D. Th. illis verbis non negare, quod intellectus noster possibilis per species abstractas à phantasmatibus cognoscat substantias immateriales imperfectè, & connotatiuè, sed tantum quidditatiuè; vnde cum ait, nullo modo cognosci, sic est accipiendus nullo modo sufficiente ad cognitionem quidditatiuam substantiarum separatarum à primo genere vsque ad vltimas differentias illarum. Quod dixit, quia *cap. 41.* probauerat, non posse à nobis pro hoc statu substantias immateriales cognosci quidditatiuè per studium, & inquisitionem scientiarum speculatiuarum, vt Abempace asserebat *cap. 42* non posse quidditatiuè cognosci per vnionem intellectus agentis, vt formam cum intellectu possibili, vt docebat Alexander. Et *cap. 43.* non posse id fieri per intellectum possibilem incorruptibilem, & nobilque separatum, vt volebat Auerroes. Tandem *cap. 45.* concludit intellectum nostrum possibilem nullo modo posse substantias separatas intelligere, id est, nullo modo sufficiente ad cognitionem quidditatiuam, de qua prædicti Philosophi loquebantur, & quam D. Tho. in illis capitibus reijcit.

102 *Ad secundam confirmationem.* Ad secundam confirmationem dicatur: per cognosci affirmatiuè, intelligi à Diuus Thomas cognosci quidditatiuè, & statuit hanc differentiam inter Angelos, & Deum, quod Angeli conueniunt in genere cum substantijs materialibus, quas quidditatiuè per species à phantasmatibus abstractas cognoscimus; & consequenter substantias immateriales creatas cum his quidditatibus genericè conuenientes, quidditatiuè cognoscimus secundum gradum genericum: Deus autem cum nulla substantia creata conuenit in genere physico nempè, in materia, nec etiam in genere Logico; nam vt docet Diuus Thomas *infra quæst. 13. art. 5.* omnia, quæ Deo, & creaturis sunt communia, analogicè dicuntur; & ideò Deum, nec secundum genus, nec secundum vltimam differentiam possumus per species materiales quidditatiuè cognoscere, & in hoc stat differentia à Diu. Thom. assignata, cum qua rectè componitur doctrina tradita à D. Tho. *in præsenti*, quod Deum ex creaturis cognitis per species abstractas à sensibus cognoscamus quoad *an est*, & ex illis Dei existentia demonstratiuè à posteriori attingatur.

Sed obstat contra hanc doctrinam alia eiusdem Diu. Thom. 3. *Contra Gentes cap. 41.* vbi supponens ex his, quæ *lib. 2. cap. 98.* docuerat, intellectuales substantias separatas cognoscendo essentiam suam, Deum qui est illarum causa, per modum cuiusdam visionis cognoscere, intulit, quod si intellectus noster possibilis per species abstractas à phantasmatibus, posset quidditatiuè substantias separatas cognoscere, Deum videret eo modo, quo substantiæ separatæ Deum in se ipsis vident: *Si autem*, concludit Diuus Thomas *per cognitionem, quæ est ex phantasmatibus, nullo modo possit peruenire ad intelligendas substantias separatas, non erit possibile, quod homo in statu huius vitæ prædictum modum diuinæ cognitionis assequatur*; a. homo in statu huius vitæ non potest substantias immateriales creatas prædicto modo cognoscere, scilicet, quidditatiuè, de quo modo cognitionis loquebatur, vt expressè docet D. Thom. *cap. alleg. & seqq.* ergo non potest modum illum cognoscendi Deum assequi; at modus ille cognitionis Dei, quem medijs substantijs separatis cognitis quidditatiuè homo consequeretur, non esset cognitionis Dei quidditatiuæ, sed quoad *an est*, & demonstratiuè à posteriori: ergo ex sensibilibus, quæ per species abstractas quidditatiuè cognoscit intellectus noster pro hoc statu, non cognoscit Deum euidenter quoad *an est* à posteriori. 103 *Opponens contra hanc doctrinam aliam eiusdem D. T.*

Respondeo admissa vt iacet doctrina D. Tho. & concessa minori, distinguendo consequens: non potest modum illum cognoscendi assequi simpliciter veluti genericè, nego consequentiam: specificè, concedo consequentiam: & concessa minori sub sumpta, distinguo vltimum consequens: ea perfectione, qua Deum cognosceret, si substantias separatas quidditatiuè cognosceret, concedo consequentiam: cum minori perfectione nego consequentiam; vt enim docet D. Tho. *in hac 1. par. qu. 57. art. 3.* Angelus cognoscendo suam essentiam cognoscit Deum, cuius essentia Angeli est similitudo, & effectus, perfectiori modo, quam nos Deum ex sensibilibus cognoscamus; cuius ratio est; nam quo effectus cognitus est perfectior, eò magis ostendit virtutem causæ, & quo similitudo cognita maior est eò perfectius in cognitionem sui ducit: Angelus autem est perfectior similitudo Dei, & perfectior effectus, quam sensibiles creaturæ, vtpotè, in quo Imago Dei reperitur: secus autem in rebus sensibilibus, in quibus solum ratio vestigij inuenitur vt docet D. Thom. *1. par. quæst. 44. art. 7. & qu. 103. art. 2. & seqq.* & quamuis in homine Dei imago reperiatur, Angelus magis est ad Imaginem Dei, quam homo, vt docet D. Thom. *proximè relato art. 3.* Ideoq; Angelus cognoscendo suam essentiam, perfectius Deum in illa cognoscit, quam Deus cognoscatur à nobis in effectibus sensibilibus: si ergo homo ex sensibilibus posset substantias separatas quidditatiuè cognoscere, posset cognoscere Deum ea perfectione, qua cognoscitur ab Angelo, & quia ad hoc peruenire non potest, nequit Deum ea perfectione cognoscere, & hoc est, quod docet D. Thom. vbi in argumento obijcitur; ex hoc tamen non colligitur, quod ex effectibus sensibilibus Deum quoad *an est*, demonstratiuè non cognoscat. 104 *Respondetur.*

Secundò arguitur; in Deo namque idem est essentia, & esse; sed non potest per rationem naturalem cognosci, quid Deus sit: ergo nec potest ratione naturali, Deum esse demonstrari. Probatur consequentia: nam eo ipso, quod in Deo idem sint essentia, & esse, idem est scire *quid sit*, & scire *an sit*: ergo si non potest ratione naturali sciri *quid sit*, non potest sciri *an sit*; & consequenter non potest demonstrari Deum existere. Ad hoc argumentum respondet D. Tho. 1. *Contra Gentes cap. 12.* ad primam ratio- 105 *Secundum argumentum.* *Solutio D. Tho.*

ratio-

rationem quod *esse* dupliciter sumitur: primò vt significat existentiam, qua res aliqua existit in se: secundò, vt significat compositionem intellectus; priori modo sumptum, est idem quod essentia Dei, & sic non cognoscitur à nobis per rationem naturalem; nam quale sit esse Dei nobis in hac vita est ignotum; secundo autem modo sumptum, non est idem, quod essentia in Deo, & sic acceptum cadit sub demonstratione.

106 *Insurges contra hanc solutionem.* Sed contra hanc solutionem objicies; demonstratio non cadit supra compositionem intellectus, sed supra ipsam existentiam quatenus est in re; sed existentia Dei in re, idem est, quod essentia: ergo demonstratio cadit supra existentiam Dei, vt est idem quod essentia; & consequenter non poterit cognosci Deum existere, nisi quid sit, cognoscatur. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; demonstratio cadit supra id, quod demonstratur; sed per demonstrationem existentiæ Dei, non demonstratur compositio intellectus, sed ipsa existentia prout in re; non enim demonstratur, quod intellectus existentiam Dei concipiat, sed quod Deus existat in re: ergo demonstratio non cadit solum supra compositionem intellectus, sed supra existentiam Dei, quatenus est in re. *Respond.* Respondeo, demonstrationem cadere supra vtrumque, supra compositionem intellectus, & supra existentiam enunciatam de re; demonstratur namque veritas formalis, quæ consistit in compositione intellectus, & veritas obiectiua, in qua enuntiatur existentia de Deo, hæc tamen demonstratur, prout subest compositioni intellectus; & quia existentia Dei, prout subest compositioni nostri intellectus distinguitur ab essentia: fit consequens, vt quatenus demonstrata, non sit idem cum essentia, & quod possit demonstratiuè de Deo sciri, quod sit, quin de illo cognoscatur, quid sit.

107 *In forma.* Ex qua doctrina ad obiectionem in forma respondeo, distinguendo maiorem pro secunda parte: demonstratio cadit supra existentiam quatenus est in re adæquatè, nego maiorem: inadæquatè concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet existentia Dei in re, idem sit quod essentia; & consequenter non possit concipi prout est in re, quin essentia concipiatur, & quidditatiuè cognoscatur, quia tamen per demonstrationem non cognoscitur existentia Dei, quatenus est in re, sed prout objicitur nostro intellectui distinguenti existentiam ab essentia: fit, vt quatenus demonstratur, non sit idem, quod essentia, & quod possit de Deo demonstrari quod sit, quin de illo cognoscatur quid sit. Vnde quando D. Th. negauit demonstrationem cadere supra esse Dei, sic intelligendus est, quod non cadit supra esse Dei, ipsum prout in se concipiendo quidditatiuo, & perfecto conceptu: non autem negauit cadere supra esse Dei, vt conceptum connotatiuè, & imperfectè, & vt obiectum compositioni nostri intellectus.

108 *Tertium argumentum.* Tertiò arguitur; causa namq; per effectum sibi improportionatum, & ab illa deficientem demonstrari non potest; sed effectus Dei sunt improportionati Deo; ab illoq; deficientes; cum Deus sit infinitus per essentiam, creaturæ verò finitæ: finiti autem ad infinitum proportio non est, & finitum infinitè deficit ab infinito: ergo demonstrari per effectus non potest; & consequenter existentia Dei est indemonstrabilis à posteriori ex creaturis. *Respond. ex D. Th.* Respondebis cum D. Tho. *in præsenti art. 2. ad 3.* per effectus improportionatos causæ, & ab illa deficientes, non posse perfectè cognosci causam, hoc est, quidditatiuà; aut comprehensiua cognitione: imperfectè autem, & quoad *an est*, ex quocumq; effectu, etiam improportionato potest optimè cognosci; eo quod cum effectus à causa dependeat, posito effectu, necesse est causam præexistere: vnde ex eo quod creaturæ sint effectus improportionati Deo, solum sequitur, quod per illas, aut ex illis Deus perfectè, & quidditatiuè cognosci non possit.

109 *Opponas 1.* Sed contra primò; non minus petit imago suum exemplar repræsentare, & ducere in illius cognitionem, quam effectus in cognitionem causæ; sed quamuis in imagine perfecta possit exemplar perfectè cognosci, in imagine imperfecta, deficienteque ab exemplari, non potest imperfecta exemplaris cognitio haberi: ergo estò effectus proportionati cum causa, & ab illa non deficientes, possint perfectam causæ cognitionem efficere, qui tamen à causa deficiunt, & cum illa proportionem non habent, nec imperfectam causæ cognitionem causabunt. Consequentia tenet:

Maior constat à paritate rationis, & insuper: nã imago perfecta, quia perfecta imago est, perfectè suũ exẽplar repræsentat, non minus quàm effectus adæquans virtutem causæ repræsentat suam causam: ergo non minùs est de ratione imaginis exemplar repræsentare, quam de ratione effectus repræsentare causam. Minor autem probatur: vt enim docet D. Tho. *in hac 1. p. q. 93. art. 5.* in homine est imago Dei quantum ad Trinitatem personarum; & tamen vt idem D. Th. docet *in eadem 1. p. q. 32. art. 1. & art. 5. citato ad 3. argumentum*, non potest in homine Trinitas personarum cognosci, non solum cognitione quidditatiua, sed etiam cognitione imperfecta, & quoad *an est*; & hoc ideò, vt docet D. Th. quia homo perfecta imago Trinitatis non est: ergo in imagine imperfecta, deficienteque ab exemplari, non potest haberi cognitio adhuc imperfecta exemplaris. S. THO.

110 *Secunda.* Secundo; nam si effectus duceret in cognitionem causæ, quia talis, effectus magis causæ; hoc est, causæ perfectioris, magis duceret, & maximè duceret in cognitionem maximè causæ, hoc est, perfectissimæ causæ, iuxta illud commune axioma, *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*, sumptum ex Philosopho *lib. 2. Topicorum cap. 4.* vbi docet. *Quod si voluptas, bonum, magis voluptas, magis bonum, etsi iniuriam facere malum, & magis iniuriam facere, magis malum*; sed vt idem Philosophus docet *lib. de causis propositione 1.* prima causa est maximè causa: ergo si effectus duceret in cognitionem causæ, effectus primæ causæ maximè duceret in eius cognitionem: ac proinde ex effectibus creatis posset haberi cognitio perfecta, & quidditatiua Dei, cuius contrarium ab Angelico Doctore docetur. *Arist.*

Tertiò; nam effectus existens, non necessario petit causam existentem formaliter in se ipsa, sed ad summum virtualiter, hoc est, in aliqua sui virtute, vt constat in prole genita medio semine deciso, postquam generans est mortuum: ergo ex effectibus Dei non potest illius existentia in se ipso formaliter demonstrari. *Tertio.*

111 *Respondetur ad primam oppositionem.* Respondeo ad argumentum solutione data à D. Tho. Ad primam replicam explico, & distinguo maiorem: exemplar per se exactum ab imagine, & à quo per se dependet quarto modo perseitatis, concedo maiorem: exemplar non per se tale attenta exigentia imaginis, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nec probatio minoris obstat traditæ distinctioni. Pro cuius explicatione est notandum ex D. Th. *infra q. 113. art. 1.* ad rationem imaginis requiri similitudinem, & insuper expressionem ab alio, hoc est, quod imago causetur, vel procedat ab eo, cuius est imago: ex quo per euidentem illationem colligitur ad rationem per se imaginis requiri per se causari, vel per se procedere ab eo, cuius est imago. Secundo aduertendum est, creaturas, etsi à Deo Vno, & Trino causentur; per se tamen non exigere Trinitatem in principio, sed tantum per se à Deo vt Vno dependere, vnde quamuis Deo conueniat per se esse Trinum perseitate entitatiua, non tamen conuenit ipsi per se, vt principio creaturarum qui est quartus modus perseitatis, ex quo D. Tho. *infra q. 32. art. 1.* intulit, posse nos per rationem naturalem ex effectibus creatis, Deum vt vnum cognoscere: secus autem Deum vt Trinum. *Aduerte primo. Secundo.*

112 *Angelus, & homo per se tãtum sunt Imago Dei vt vni.* Ex quibus clarè colligitur, hominem, & Angelum; qui sunt intellectualis naturæ, esse per se factos ad Imaginem Dei, vt vnius; Dei autem vt Trini non per se quarto modo perseitatis, quod etiam non obscurè insinuatur à D. Th. *infra q. 113. art. 5.* vbi docet, in homine esse Imaginem Dei, & quantum ad diuinam naturam, & quantum ad Trinitatem personarum; quia in ipso Deo, in tribus personis vna existit natura; at naturam diuinam existere in tribus personis, ab homine non exigitur per se: ergo nec per se homo est imago imperfecta Trinitatis, ideoque ex vi cognitionis hominis, quamuis sit Trinitatis imago, non potest Trinitas personarum cognosci; benè tamen Deus vt vnus, qua ratione per se est causa creaturarum, & creaturæ ab illo per se dependent, potest euidenter cognosci.

113 *Si opponas.* *Respond.* Si opponas, D. Th. *q. 113. art. 5. ad 3.* ideò asserere, non posse Deum vt Trinum in homine cognosci, quamuis in illo sit Trinitatis Imago; quia est Imago Trinitatis imperfecta; non autem, quia non sit per se imago Trinitatis: ergo solutio à nobis tradita menti Angelici Præceptoris non congruit. Respondeo, concedendo primam partem antecedentis, & negando secundam. Nam licet id D. Th.

istis verbis non expressetit, implicitè tamen id docuit; nam vna ex imperfectionibus Imaginis Trinitatis, quæ in homine reperitur, est non exprimi, nec causari per se à Deo quatenus Trino, & hæc sola est, quæ sufficit, & requiritur, vt ex vi cognitionis hominis non possit euidens cognitio Trinitatis haberi: quod probo; nam etiam Dei vt vnius homo perfecta imago non est, vt omnibus est manifestum, docetque D. Th. *q. citata art. 1. in corpore*; & tamen existentia Dei vnius ex homine euidenter cognoscitur: ergo quod Deus vt Trinus in illo, aut ex illo nequeat euidenter cognosci non procedit ex quauis imperfectione, sed ex illa, quam assignauimus, nempè, quia per se imago Trinitatis non est; eo quod per se à Deo vt Trino non exprimitur, nec causatur: ac proinde D. Tho. id reducens ad imperfectionem in ratione imaginis Trinitatis, fuit de hac imperfectione loquutus, quandoquidem alia non sufficit.

Ad secundam, qua Scotus apud Capreolum *in 1. dist. 2.*
114 *Ad secundam obiectionem resp.* *q. 1. art. 2.* leniter fuit conuictus ad asserendum posse substantias separatas cognosci quidditatiuè ex effectibus sensibilibus. Respondeo, negando sequelam, quam non conuincit probatio sumpta ex auctoritate Aristotelis; quod namque effectus possint ducere in suæ causæ cognitionem, non pensatur solum penes rationem causæ, sed etiam penes perfectionem effectus, & penes proportionem cum causa, vnde quamuis Deus sit in ratione causæ perfectior, quam cæteræ causæ secundæ, quia tamen cum istis possunt proprij effectus adæquari, & illarum exhaurire virtutem: secus autem causæ primæ: fit consequens, vt possit à nostro intellectu perfectiùs causa secunda, quàm prima per suos effectus cognosci; vt enim docet D. Th. *in hac 1. p. q. 12. art. 12.* quia creaturæ sensibiles sunt effectus, Dei virtutem non adæquantes, non potest ex illis tota Dei virtus cognosci: ac proinde nec illius essentia videri, aut quidditatiuè cognosci; quia tamen sunt effectus à prima causa dependentes, possumus ex illis existentiam Dei, vt est prima causa cognoscere.

Ad vltimam obiectionem, concesso antecedenti, lo-
115 *Ad Tertiam.* quendo de causa vt sic, nego consequentiam. Tùm, quia prima causa non potest operari per virtutem distinctam à se; ac proinde vt operetur, requiritur, quod existat in se ipsa formaliter. Tum etiam, quia de ratione causæ efficientis, vt sic est, quod aliquando extiterit; aliàs non posset virtutem à se diffundere, in qua existeret virtualiter; causa autem prima non potest extitisse, & non existere, quod ratione naturali probatur ex illius summa actualitate, ideoque semel illius existentia ex effectibus demonstrata, cognoscitur, quod existat de facto.

§. VI.

Secunda pars disputationis resoluitur.

CIrca secundum, quod in hac Disputatione examinandum proposuimus videlicet, quibus demonstrationi-
116 bus demonstretur, Deum existere, ferè omnes Theologi conueniunt in demonstratione sumpta ex diuina efficientia: in alijs autem demonstrationibus dissident, & præcipuè in ea, quæ sumitur ex motu: quibusdam asserentibus, ex motu, non posse Dei existentiam demonstrari, alijs è contra affirmantibus, quos dabimus nostram exponentes sententiam. Pro quo sit.

PRIMA CONCLVSIO. *Ex motu rectè probatur, de-*
117 *Prima conclusio.* *monstraturque a posteriori, existere primum principium immobile.* Ita D. Th. *1. Contra Gentes cap. 3. & in hac q. art. 3.* Capreolus *in 1. dist. 3. q. 1. art. 1. ratione 2.* Ferrara *1. Contra Gentes cap. 13.* Caietanus, Bannez, Zumel, Nazarius, Sancto Thoma. Alijque discipuli D. Thomæ, circa istum articulum; cum discrimine infra explicando. Eandem conclusionem sequuntur ex PP. Societatis Granadus *controu. 1. tract. 1. disp. 2.* Fasolis *art. 3. dubitat. 7.* & nonnulli alij Recentiores, contra Suarez in Metaphysica *disp. 29. sect. 1. & 8.* quem frequentiùs Societatis Recentiores sequuntur, quibus adhæsit Theodorus Smising. *tract. 1. de existentia Dei disp. 1. q. 6. num. 76.* existimantes, ex motu non posse vlla ratione Dei existentiam demonstrari; eo quod falsum est illud principium, cui innititur demonstratio sumpta ex motu, nimirum, *omne quod mouetur, ab alio mouetur.*

S. THO. Capreolus. Granad. Fasol. Suarez. Smising.

Contra quos non aliter nostra conclusio probatur, quam
118 *Prob. conclusio formando axioma Philosophi.* demonstrationem formando in hunc modum; nam omne quod mouetur, ab alio mouetur; sed non potest in mouentibus, & motis dari processus in infinitum: ergo necessario est sistendum in principio mouente, & immobili; & consequenter existentia primi mouentis immobilis, rectè ex motu demonstratur. Secunda consequentia ex prima clarè colligitur, prima ex præmissis deducitur. Minor ex dicendis in simili §. *sequenti* constabit. Maior autem, quam contrarij negant, & ad quam tota difficultas deuoluitur, est Philosophi *lib. 7. Physicorum ferè per totum. Et lib. 8. à textu 27.* adeòq; certam censuit sapientissimus Magister Soto *lib. 8. Physicorum q. 3.* vt dicere non dubitauerit, esse quasi dignitatem in Physica.

Et probatur primò à Philosopho inductione; quæ nam- 119 *Maior probatur primo à Philosopho inductione.*
que violenter mouentur citra omne dubium est, quod non à se, sed ab alio moueantur, similiter non viuentia, vt grauia, & leuia, non à se, sed à generante mouentur, quod docet Philosophus *textu 27. 28. 29. & 30.* vbi quatuor rationibus probat, non à se, sed ab alio moueri, & 33. concludit, moueri per se à generante: & patet; vt enim docet Philosophus *textu 20.* moueri à se, est peculiare, & proprium viuentium, per idque à non viuentibus differunt, quod indubitatum semper Philosophis extitisse, docet Magister Soto, vbi *supra*, probaturque ex Platone in Phædro, vbi nullum aliud inter viuentia, & non viuentia discrimen constituit, quàm quòd viuentia habent internum motorem, res verò inanimæ non nisi externum.

Deinde; in viuentibus, quæ à se ipsis mouentur, assignatur pars per se mouens à parte per se mota distincta, vt in homine, cor est mouens, & cæteræ partes, motæ: ergo verum est vniuersaliter, quod omne, quod mouetur ab aliquo principio distincto mouetur.

Secundò maiorem probat; nam quod mouet, est in actu: 120 *Secundò prob. maior ab eodem Philosopho.*
vnum quodque enim agit in quantum est in actu; quod mouetur est in potentia, vnde motus à Philosopho *lib. 3. Physicor.* definitur, quod sit actus entis in potentia secundum quod in potentia; sed idem secundum idem non potest esse in actu, & in potentia respectu eiusdem formæ; cum esse in actu dicat possessionem formæ, esse autem in potentia dicat carentiam illius, & implicatorium sit vnum, & idem, prout vnum, & idem est, eandem formam habere, & simul illa carere; ergo idem secundum quod idem, non potest esse mouens, & motum; & consequenter omne quod mouetur, mouetur ab aliquo à se distincto.

Huic vltimæ probationi respondent contrarij Aucto- 121 *Resp. contrarij huic vltimæ probationi.*
res, esse in actu formali, & in potentia formali, vnum, & idem, & respectu eiusdem formæ implicationem inuoluere: secus autem esse in actu virtuali, aut eminentiali, & in potentia formali; hoc namque, tam longè distat, vt implicatorium sit, vt in multis reperiatur, quod varijs exemplis probant, quæ à Discipulis D. Tho. in Physica examinantur, nec Nobis in præsenti recensere licet; quia merè Philosophica sunt, aliqua tamen in decursu attingemus.

Euasio ista variè à Thomistis reijcitur, à Nobis tamen 122 *Contra ...*
breuiter præcluditur, primò; nam si vera est solutionis doctrina, sequeretur, absq; vlla necessitate in viuentibus partem per se mouentem à parte per se mota distingui: consequens est falsum; natura namq; sicut in necessarijs non deficit, ita nec in superfluis abundat: ergo falsum est, quod in tradita solutione docetur. Patet sequela; nam iuxta hanc solutionem, idem secundum idem, hoc est, absque reali distinctione, potest efficere, & recipere motum per continentiam in actu virtuali, aut eminentiali, & per carentiam formalem: ergo vt viuens efficienter causet motum, & illum in se recipiat, necessaria non est prædicta realis distinctio inter partem mouentem, & motam, sed poterit secundum se totum esse principium effectiuum motus, & eiusdem receptiuum.

Secundò; nam motus, de quo in præsenti loquitur Phi- 123 *Secundò ...*
losophus est actus imperfecti, cuius imperfectio in eo posita est, quod sit in potentia ad formam, ad quam mouetur; sed quod est in actu virtuali, aut eminentiali, non est imperfectum hoc genere imperfectionis, quamuis careat forma secundum esse formale: ergo quod mouetur motu, qui est actus imperfecti non potest esse in actu, aliquo ex prædictis modis. Probatur minor; intellectio non est motus qui sit actus imperfecti, imò contra intellectionem, & alios similes actus, motus, qui est actus imperfecti diuiditur, & hoc non alia ratione, nisi quia intellectus in actu virtuali ad intellectionem supponitur; & tamen pro priori ad intellectionem est ad illam in potentia formali: ergo quod est in actu virtuali, aut eminentiali, quamuis sit in

potentia formali; non est imperfectum ea imperfectione, quæ ad motum, qui est actus imperfecti, requiritur.

124 *Obijciunt 1. aduersarij contra principium Philosophi.* Contra principium, cui innititur hæc demonstratio, nimirum, omne quod mouetur, ab alio mouetur, plura opponunt Auctores oppositi: primò; nam grauia, & leuia à se ipsis mouentur in sua loca naturalia. *Secundo.* Secundò; aqua calida à se ipsa, & non ab alio mouetur; cum recuperat pristinam frigiditatem. *Tertio.* Tertiò; essentia se ipsa causat, & recipit proprietates: falsum ergo est, idem non posse à se ipso moueri. *Resp. ad 1. & 2.* Ad quæ facilè à Thomistis respondetur, negando primum exemplum; vt enim ex Aristotele vidimus, grauia, & leuia non à se, sed à generante mouentur. Nec obstat, generans quandoque non existere, cum grauia mouentur: sufficit namque, quod existant virtualiter in grauitate sicut generans per existentiam virtualem in semine, efficienter concurrit ad prolis generationem. Et eodem modo ad secundum respondent. *Ad tertiũ.* Ad tertium dicatur; essentiam non esse principium effectiuum suarum proprietatum, sed efficienter à causante essentiam, ad quam consequuntur, ipsa essentia concurrente, non vt principio effectionis, sed tantum dimanationis. Sed de his plura 2. *Physicorum*, vbi agitur, an substantia sit operatiua immediatè. Et 8. *Physicorum*, vbi latè de motu inanimatorum tractatur.

125 *Obijcies quarto.* Deinde obijciunt; intellectus secundum vnam, & eandem rationem intelligendo se mouet: ergo idem potest à se ipso moueri. Probatur antecedens; intellectus absque reali distinctione efficit, & recipit intellectionem; sed in quantum efficit, mouet, & in quantum recipit intellectionem, mouetur: ergo absque reali distinctione est mouens, & motum. *Resp. 1. ab aliquibus Thomistis.* Huic argumento occurrunt nostri Thomistæ, negando antecedens; intellectus namque sub specie, est principium effectiuum intellectionis; nudè sumptus, illam recipit; cumque intellectus cum specie realiter à se ipso nudè sumpto distinguatur, fit consequens, vt saluetur realis inter mouens, & motum distinctio.

126 *Si opponas.* Si opponas, voluntas respectu volitionis secundum vnam, & eandem rationem, est principium effectiuum, & subiectum receptiuum illius: ergo secundum idem, est mouens, & motum, & consequenter frustra in intellectu ad prædictam distinctionem recurritur. Antecedens probatur; nam voluntas se sola est principium effectiuum; nam finis non concurrit efficienter ad volitionem, & est subiectum receptiuum: ergo absque reali distinctione efficit, recipitque volitionem. *Resp. Soncinas.* Respondent aliqui, negando antecedens: nam licet finis non concurrat ad actum voluntatis efficienter, apprehensio tamen obiecti ad illam efficienter concurrit, vnde voluntas sub notitia obiecti est principium effectiuum, & nudè sumpta subiectum: ac per consequens iam datur distinctio inter mouens, & motum. Ita Soncinas *lib. 9. Metaphysicæ q. 13.* & probat ex D. Thoma *in 2. dist. 24. q. 2. art. 1.* vbi docet, quod ratio elicit actum voluntatis.

127 Hæc tamen solutio displicet frequenter Thomistis, qui, nec fini, nec notitiæ finis concursum effectiuum in actum voluntatis attribuunt, sed tantum obiectiuum fini: apprehensioni autem concursum per modum conditionis concedunt. *Alij respondent Secundo.* Secundò alij respondent; voluntatem sub intentione finis, & ratione illius se mouere ad electionem, & nudè sumptam illam recipere; inter voluntatem autem, vt stat sub electione, & voluntatem nudam, realis intercedit distinctio; at in ordine ad intentionem voluntatem non se mouere, sed moueri ab Auctore naturæ: *Si obijcias.* Si obijcias; intentio est actus vitalis: ergo actiuè à voluntate procedit; & consequenter voluntas est principium efficiens illius; aliàs illam recipit: ergo efficit, & recipit intentionem. *Respond.* Respondent; intentionem esse à voluntate elicitiuè, non applicatiuè, & primum ad rationem actus vitalis sufficere: ex quo solum sequitur, quod voluntas se moueat per intentionem: non autem quod se moueat ad illam: quia ad hoc necessarium erat, quod per aliquid à se distinctum, & à se ipsa causatum antecedens intentionem finis se applicaret, & determinaret ad intentionem.

128 *Hæ solutiones ad mentem Philosophi non sunt.* Hæc tamen omnia, quæ a Thomistis docentur de intellectu, & voluntate, etsi veram contineant doctrinam, de qua 1. 2. *q. 9. & 10.* ad mentem tamen Philosophi in præsenti non sunt. Quod probo; etenim ex mente Philosophi, non sufficit distinctio realis includentis ab incluso, vt aliquid possit esse mouens, & motum; sed iuxta doctrinam traditam hæc distinctio est sufficiens; ergo & si vera sit, mentem tamen Aristotelis in præsenti non saluat; Consequentia tenet. Minor constat; nam intellectus cum specie, & intellectus nudè, solum distinguuntur distinctione reali includentis ab incluso, voluntas etiam vt stat sub intentione à se ipsa nudè sumpta, sola hac distinctione distinguitur: & tamen intellectus cum specie mouet, & nudè, mouetur, voluntas sub intentione est mouens, & nudè sumpta mota: ergo iuxta doctrinam traditæ solutionis, distinctio includentis ab incluso est sufficiens inter mouens, & motum.

129 *Maior probatur primo.* Maior autem constat primò; nam ex eo quod idem non potest à se ipso moueri, infert Aristoteles assignandam esse in viuente, vt se moueat, partem per se mouentem distinctam à parte per se mota; at hæc consequentia est nulla, si ad rationem mouentis, & moti illa distinctio sufficeret, ergo ad saluandam mentem Philosophi in sufficiens est distinctio realis includentis ab incluso, ad hoc, quod aliquid possit esse mouens, & motum. *Secundo.* Deinde; nam ex eo quod idem non potest à se ipso moueri, infert Aristoteles, & cum illo discipuli D. Thomæ, grauia, & leuia non à se, sed à generante moueri; at si distinctio includentis ab incluso sufficeret, hæc consequentia esset nulla; possent namque Auctores contrarij dicere, substantiam grauis ratione grauitatis, & vt stat sub illa, mouere, & ratione sui, seorsim à grauitate moueri, & recipere motum: ergo idem quod prius.

130 *Secundo probatur assũptũ.* Præterea probatur assumptum; nam iuxta doctrinam traditæ solutionis, etsi idem vt idem absque reali distinctione non possit se ipsum applicatiuè mouere, potest tamen elicitiuè; nam voluntas se ipsa absque reali distinctione intentionem elicit, & recipit; & consequenter se mouet elicitiuè, quamuis non applicatiuè, eo quod non se applicat ad intentionem finis per aliquid à se ipsa causatum antecedenter; at iuxta Aristotelem nequit idem à se ipso elicitiuè moueri: ergo doctrina traditæ solutionis non saluat mentem Philosophi. Probatur minor; nam ex eo quod idem à se ipso moueri secundum idem non potest, infert Aristoteles, & cum illo nostri Thomistæ, grauia, & leuia non posse moueri à se ipsis; eo quod in illis non datur pars per se mouens distincta à parte per se mota; at non solum negatur grauia, & leuia à se ipsis applicatiuè moueri, sed etiam, quod à se ipsis moueantur elicitiuè: ergo principium hoc, quod idem nequit secundum eandem partem à seipso moueri, prout ab Aristotele sumitur, accipiendum est non solùm de mouente applicatiuè, sed etiam elicitiuè.

131 *Explicatur.* Explicatur, & vrgetur, motu physico non potest idem à seipso etiam elicitiuè moueri: aliàs res inanimatæ essent principia effectiua suorum motuum naturalium, quod vt vidimus expressè Aristoteli aduersatur; at motu intentionali, qui non est motus physicus, idem potest à seipso elicitiuè moueri, vt fatentur nostri Thomistæ in primo actu voluntatis, qui à voluntate elicitiuè causatur, & in eadem recipitur absque reali distinctione: ergo quoad hoc, quod est idem à se ipso non posse moueri, dispar ratio est inter motum intentionalem, & physicum. *Resp. ad argumentum.* Iuxta quam doctrinam ad argumentum respondeo, prætermisso antecedenti, distinguo consequens: ergo idem potest à se ipso moueri motu non stricto, qualis est actio intellectus transeat consequens: motu stricto, nego consequentiam: & de hoc motu loquitur Aristoteles *lib. 7. & 8. Physicorum*; cum docet, idem à seipso secundum idem moueri non posse, vt ex hoc principio inferat, deueniendum esse ad primum mouens immobile.

132 *Insurges 1. contra hanc solutionem.* Sed contra hanc solutionem obstant adhuc aliquæ obiectiones; primò contra illam arguitur; motus cordis est verus, & strictus motus; & tamen est à corde elicitiuè, & in eodem corde recipitur: ergo idem secundum idem potest se ipsum elicitiuè mouere non solùm motu intentionali, & non stricto, sed etiam stricto, & corporeo motu. Maior, & consequentia non indigent probatione. Minor autem probatur; nam motus cordis est vitalis vt ex Diuo Thoma *Opusc. 35. & 1. 2. quæst. 17. art. 9. ad 2.* ex Capreolo *in 2. dist. 7. quæst. 2. art. 3. circa solutionem secundi argumenti*, Ferrariensi *lib. 1. contra Gentes cap. 97. versu ad 2. dicendum*, Caietano *1. p. q. 66. art. 2.* Soto *lib. 8. Physicorum quæst. 3. ad 3.* docent Illustrissimus noster Araujo *lib. 9. Metaphysicæ quæst. 3. art. 4.* & Magister Prado *2. tomo Metaphysicæ 2. p. controuersia 13. art. 2. §. 7.* quos alij Recentiores *lib. 8. Physicorum sequuntur*; sed de ratione motus vitalis est, esse à principio intrinseco se mouente, vt con-

S. THO. Capreolus. Ferrar. Caietan. Soto. Araujo. Prado.

constat ex definitione vitæ, & viuentis, qua dicitur, viuere consistere in se mouere, & viuens esse, quod à se habet motum; ergo motus cordis non solùm in illo recipitur, sed etiam à corde effectiuè eliciturque procedit; & consequenter idem secundum idem absque reali distinctione efficit, & recipit motum; & se mouet motu corporali, & stricto; estò non applicatiue, ad minùs eliciciuè.

133 *Prima solutio.* Huic obiectioni Recentiores nostri Thomistæ censentes motum cordis esse vitalem per modum actus secundi, & cor verè, & propriè viuere per illum motum, diuersimodè respondent, quidam docent, quod sicut primus actus voluntatis est à Deo applicatiuè, & à voluntate eliciciuè, & hoc sufficit, vt sit vitalis, voluntarius, & liber; ita motus cordis applicatiuè tribuitur generanti, cordi autem eliciciuè; & sicut in voluntate inconueniens non censetur, quod eadem absque reali distinctione sit eliciens, & recipiens motum: ac proinde, quod eliciciuè se moueat; ita in corde absque inconuenienti id conceditur.

134 *Secundo.* Aliorum solutio est, quod actus vitæ animalis debent esse à principio intrinseco: actus autem merè vitalis est quidem ab anima, verum quia non fit actione media, sed naturali resultantia, ideo agens, *quod* illius, est ille qui dedit formam, per quod non tollitur quod sit ab anima actiuè, non solum eo modo quo passiones ab essentia dimanant. Ita Magister Prado *vbi supra num. 60.* Tertio alij respondent, motum cordis infimum locum tenere inter motus vitales, & ad istum modum vitalitatis sufficere, quod sit à principio intrinseco dimanatiuè, & effectiuè ab extrinseco; vt autem discrimen inter viuentia, & non viuentia, consistens in hoc, quod viuentia mouentur à se, secus autem non viuentia, saluetur; sufficit, quod viuentia à se ipsis moueantur in motibus, quibus totum mouetur, licet in motu alicuius partis non à se ipsis, sed à generante moueantur. Ita Illustrissimus Arauio *vbi supra in 2. probatione 2. conclusionis, & solutione ad 3.*

Tertio alij respondent.

135 *Prima solutio reijcitur 1.* Omnes tamen istæ solutiones difficiles sunt, & contra primam facit primò D. Tho. *Opusc. 35.* illis verbis: *Sic igitur, & animal inquantum habet talem formam, quæ est animæ, nihil prohibet, habere aliquem motum naturalem, & mouens hunc motum est, quod dat formam: dico autem motum naturalem animalis, eum, qui est cordis:* ergo iuxta D. Th. causa efficiens motum cordis, non est cor, sed agens, quod dedit formam. Patet consequentia; nam iuxta D. Th. mouens motum cordis, est, quod dat formam; sed mouens motum cordis, idem est, quod efficit eius motum cordis, ergo efficiens motum cordis, est agens, quod formam dedit.

136 *Explicatur hoc amplius.* Idipsum expressissimè docet D. Tho. *quæst. vnica de anima art. 9. ad 6.* cuius solutionem ita concludit: *Sic ergo prima pars, in qua talis motus inuenitur, nempe cor, non est mouens seipsam, sed mouetur naturaliter, sicut ignis; sed ista pars mouet aliam, & totum animal est mouens seipsum, cum vna pars eius sit mouens, & alia sit mota;* ergo sentit D. Tho. motum cordis ab ipso eliciciuè non esse. Patet consequentia primò; quia si est eliciciuè à corde, moueret seipsum cor; ad hoc enim Auctores primæ solutionis attribuunt cordi elicientiam sui motus, vt per illum se moueat; at D. Th. docet primam partem, in qua primus motus residet, non mouere seipsam, quæ pars prima iuxta D. Th. cor est: ergo talis pars non efficit eliciciuè illum motum.

Consequentia patet primò.

137 *Secundo.* Secundò; nam docet D. Tho. quod prima pars, alias mouens, mouetur naturaliter à generante; sicut ignis cum mouetur sursum; sed primum efficiens motus in igne est generans, non autem ignis; ergo primum efficiens motus, quo prima pars mouens in animali mouetur, non est pars mota, sed generans, causans formam, & ex consequenti motum. Quod etiam docuit D. Tho. 1. 2. q. 17. *art. 9. ad 2.* ibi: *Principium corporalis motus est à motu cordis, vnde motus cordis secundum naturam est, & non secundum voluntatem; consequitur enim sicut per accidens vitam, quæ est ex vnione corporis, & animæ; sicut motus grauium, & leuium consequitur formam substantialem ipsorum, vnde, & à generante moueri dicuntur Philosophum in 8. Phys. & propter hoc motus iste vitalis dicitur.* Hæc D. Th. ex quibus sic infero, motus cordis consequitur formam, sicut motus grauium, & leuium; cum hoc tamen discrimine, quod forma, quam motus cordis consequitur vitalis est: secus autem forma grauium, & leuium, sed hæc non eliciciuè, sed vt principium dimanationis ad motum concurrit in virtute generantis: ergo forma animalis non eliciciuè, sed dimanatiuè tantum ad motum cordis in virtute generantis concurret.

Deinde; nam in corde; cum homogeneum sit, proindeque non sit compositum ex partibus diuersæ rationis, non datur pars per se mouens distincta à parte per se mota; sed vt constat ex Aristotele lib. 7. & 8. Physicorum, in omni quod se mouet, debent pars mouens, & pars mota distingui, ne idem secundum idem sit mouens, & motum; ergo cor non se mouet; & consequenter non concurrit efficienter eliciciuè ad motum. Nec sufficit respondere, distinctionem illam esse necessariam in toto se mouente; secus autem in parte, vt se moueat. Nam contra est; ideo namque in toto se mouente requiritur dicta distinctio, ne idem secundum idem, sit in actu quatenus mouet, & prout mouetur in potentia; sed hæc ratio non minùs militat in parte, quam in toto: ergo sicut in toto requiritur illa distinctio, ita in parte se mouente. 138 *Tertio.*

Si dicas primo.

Contra.

Nec sufficit, si secundo respondeas, distinctionem illam requiri in toto, vt se moueat, non solùm eliciciuè per elicientiam motus, quem in se recipit, sed etiam applicatiuè, se applicando ad talem motum, ex quo solum sequitur, cor, in quo distinctio partium mouentis, & motæ non datur, non concurrere ad proprium motum applicatiuè, sed tantùm eliciciuè. Non inquam sufficit; nam ex eo quod in rebus inanimatis non datur prædicta distinctio, infert Aristoteles *lib. 8. Physicorum à textu 27. vsque ad 33.* non à se ipsis, sed à generante moueri. Quæ doctrina vt communiter à Thomistis accipitur, non solum negat rebus inanimatis concursum applicatiuum, sed etiam effectiuum, & eliciciuum in ordine ad proprios motus, ergo iuxta Aristotelem, distinctio illa partis per se mouentis, & per se motæ, non solum est necessaria in se mouente applicatiuè, sed etiam, vt aliquid eliciciuè se moueat; aliàsquamuis grauia, & leuia, aliaque inexpertia vitæ, non se applicarent ad motum, illum tamen eliciciuè causarent illumque in se per veram efficientiam efficerent, quod Auctoribus traditæ solutionis repugnat. 139 *Si respondeas 2.*

Contra.

Explicatur difficultas: grauia, & leuia, nec etiam eliciciuè, sunt principia illorum motuum, quibus mouentur ad propria loca occupanda, vt docent omnes Thomistæ, sententiesid esse de mente Philosophi, locis proximè citatis, & D. Tho. cum ipso in eisdem locis, & alibi; sed hoc non alia ratione à Philosopho probatur, nisi quia in illis non datur pars per se mouens, à parte per se mota distincta: ergo huiusmodi distinctio requiritur, non solùm vt aliquid se moueat applicatiuè, sed etiam purè eliciciuè; & consequenter in corde, in quo talis distinctio non datur, non solum negari debet concursus applicatiuus, sed etiam purè eliciciuus in ordine ad proprium motum. 140 *Explicatur hæc difficultas.*

Nec magis secunda solutio satisfacit, contra quam obstat primò; nam distinctiuum vitalis à non vitali conuenire debet, non solùm actibus vitæ animalis, sed etiam purè vitalibus: aliàs vitales non essent, cum nihil vitale esse possit, sine distinctiuo vitalis à non vitali; sicut nec animal sine distinctiuo animalis à non animali, nec homo sine distinctiuo inter hominem: & non hominem; sed distinctiuum motus vitalis à non vitali est conuenientia ab intrinseco ratione principij intrinseci actiui, vt constat ex dictis, & ex definitione vitæ: ergo si motus cordis non conuenit animali ab intrinseco ratione principij intrinseci actiui, vitalis esse non potest. Deinde; nam vel motus cordis est à corde effectiuè, vel tantum dimanatiuè; si primum, hæc solutio cum prima coincidit; si secundum, non aliter est ab intrinseco, quam proprietates dimanantes ab anima; cum istæ ab intrinseco dimanatiuè conueniant: ergo incompossibilia sunt, quæ in tradita solutione asseruntur, nempè, motum cordis esse ab anima sine media actione, naturali resultantia, ita vt agens *quod* motus cordis sit generans; & alias esse ab anima actiuè, alio modo ab illo, quo proprietates ab essentia dimanant. 141 *Secunda solutio reijcitur 1.*

Secundo.

Et ex his vltima solutio impugnatur primò; quia vt motus cordis sit vitalis, etiam in infimo gradu vitæ, debet illi conuenire distinctiuum vitalis à non vitali; alias vitalis non erit, vt proximè dicebamus; sed distinctiuum vitalis à non vitali est processus, conuenientiaque ab intrinseco ratione principij effectiui: ergo vt vitalis sit motus cordis etiam in infimo gradu vitæ, debet cordi conuenire ab intrinseco effectiuè. Maior cùm consequentia tenet. Minor autem probatur; vt enim docet Aristoteles *lib. 8. Physicorum textu 20.* & Diuus Thomas *1. p. quæst. 18. art. 2.* viuens in hoc à non viuente differt, quod illud habet internum sui motus principium, quæ doctrina teste 142 *Vltima solutio reijcitur 1.*

Soto *lib. 8. Physicorum quaest. 3.* fuit communis Philosophorum omnium confessio, etiam sequentium Platonem, constatque ex deffinitione viuentis, qua dicitur viuens est, quod se mouet, & viuere esse, habere motum, aut perfectionem à se: ergo distinctiuum motus vitalis à non vitali consistit inconuenientia, seu egressu ab intrinseco ratione principij actiui; at non sufficit conuenire ab intrinseco ratione principij dimanationis; aliàs motus grauium, & leuium essent vitales; cum illis ab intrinseco dimanatiuè conueniant, vt fatentur discipuli D. Thom. ergo requiritur conuenientia, & egressus ab intrinseco ratione principij effectiui.

143 *Secundo.* Secundò; vt enim motus cordis sit vitalis, non sufficit, quod animal habens cor, se moueat in alijs motibus, sed necessario requiritur, quod per ordinem ad hunc motum, animali deffinitio viuentis conueniat: aliàs etiam posset dici motum cordis vita sensitiua gaudere, per hoc, quod animal, cuius cor mouetur, alijs actibus sentiret; sed nisi effectiuè propriè, & non solum dimanatiuè, motum cordis à se habeat, non conuenit animali ratio, & deffinitio viuentis per ordinem ad hunc motum: ergo sine concursu effectiuo cordis in ordine ad proprium motum, non potest hic motus esse vitalis per modum actus secundi, nec cor viuere per ipsum. Probatur minor; grauia & leuia, aliaque inexpertia vitæ habent à se dimanatiuè motus, quibus in propria loca mouentur; & tamen quia prædictos motus non habent à se effectiuè, illis motibus non viuunt: ergo vt animal sit viuens per motum cordis, eique in ordine ad istum motum deffinitio viuentis conueniat, non sufficit, quod illum habeat à se ratione principij dimanationis, sed necessariò requiritur quod illum habeat à se ratione principij effectiui.

144 *Vera solutio traditur. Et explicatur quomodo motus cordis sit vitalis.* Vnde his omissis solutionibus, & in sua probabilitate relictis. Ad obiectionem respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem explico, & distinguo maiorem: motus cordis est vitalis formaliter per modum actus secundi, nego maiorem: vitalitate proprietatis consequentis formam vitalem, & vitalitate principij, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Vt enim sit vitalis vitalitate principij, & proprietatis consequentis formam vitalem, non petitur, quod a principio effectiuo procedat, sed sufficit, quod dimanet à forma vitali, & quod mediante illo animal se moueat ad operationes vitæ, vt constat in potentijs vitalibus.

Probatur primo. Quod autem motus cordis sit solùm prædicto modo vitalis iuxta mentem D. Thomæ, patet ex doctrina ipsius D. Tho. *q. vnica de anima art. 9. ad 6.* vbi docet, primam partem animalis, in qua primus motus reperitur, non esse mouentem se ipsam, sed moueri naturaliter, sicut ignem: si autem motus iste esset vitalis per modum actus secundi, pars illa animalis, in qua talis motus residet, esset se mouens

Secundo. per illum. Deinde constat ex eodem D. Thom. *opusc. 35.* vbi loquens de motu cordis, docet, esse naturalem consequentem ex vnione animæ ad corpus, sicut motus grauium proprias illorum formas consequitur, causamque efficientem hunc motum, esse illum, qui dedit formam quæ cum vitalitate huius motus per modum actus secundi, & exercitij vitæ non cohærent, benè tamen cum vitalitate proprietatis, & principij.

145 *Tertio.* Denique ex eodem D. Thoma 1. 2. *quaest. 17. art. 9. ad secundum*, illis verbis: *Principium corporalis motus est à motu cordis; vnde motus cordis secundum naturam est, & non secundum voluntatem; consequitur enim sicut per se accidens vitam, quæ est ex vnione corporis, & animæ, sicut motus grauium, & leuium consequitur formam substantialem ipsorum, & propterea motus iste vitalis dicitur.* Vbi præmenda, & ponderanda sunt ista verba: *Consequitur enim sicut per se accidens vitam, quæ est ex vnione corporis, & animæ, &c. & propterea motus iste vitalis dicitur.* Sentit ergo D. Thom. motum cordis esse vitalem vitalitate accidentis per se consequentis vitam, seu per se consecuti ad vitam; at vitalitas accidentis per se consecuti ad essentiam viuentis, solum est vitalitas per modum proprietatis, & principij vitalis: ergo solum iste modus vitalitatis in prædicto motu inuenitur, iuxta mentem Angeli Præceptoris.

146 *Capreolus Ferrara, & Caietanus pro nostra sũt sententia.* Nec Capreolus, & Ferrara fauent nostris recentioribus; vt enim ipsos legenti constabit, nec leuiter insinuant, motum cordis esse vitalem, imò in oppositum locis citatis inclinare videntur; cum Capreolus expressè doceat motum cordis ab extrinseco, nempè, à generante causari, sicut motus grauium, & leuium. Et Ferrara etiam fateatur, cor non mouere se ipsum; quod si alicubi vitalem illum appellant, sunt cum D. Thom. explicandi. Nec magis illis fauet Caietanus; vbi enim refertur, nec Verbum habet, quo insinuet, motum cordis esse vitalem. Imo oppositum satis insinuat versu *Ad argumentum aliorum negetur sequela*, vbi docet, *formam cordis ad motum cordis concurrere medio modo inter purè passiuum, & actiuum.* Si autem cor in se effectiuè prædictum motum causaret, non se haberet medio modo: ergo sentit, motum cordis, à corde effectiuè non esse. Ex quo si aliquid est inferendum, non est vitalitas huius motus, sed potius negatio vitalitatis, vnde nescio, quo fundamento docti Recentiores Thomistæ Capreolum, Caietanum, & Ferraram referunt pro sua sententia.

§. VII.

Recentiorum obiectionibus contra istam resolutionem occurritur.

Opponunt primo Recentiores, Aristotelem *lib. de motu animalium cap. 8. & lib. 3. de partibus animalium cap. 4.* vbi dicit cor esse, quasi quoddam animal separatum quasi in se habens vitam, & motum vitalem: ergo sentit Aristoteles, motum cordis esse vitalem. Deinde D. Thom. *Opusc. 35.* illis verbis: *Et propter hoc Medici distinguunt operationes vitales ab operationibus animalibus, & dicunt, quod cessantibus animalibus, remanent vitales; vitales appellantes quæ motum cordis concomitantur, quibus cessantibus, cessat vita.* Ergo iuxta Diuum Thomam motus cordis est vitalis. 147 *Arguitur primo cõtra istam resolutionem ex Aristotele. Secundo ex D. Tho.*

Hæc tamen nihil vrgent, imò ex illis oppositum debet inferri; si namque motus cordis esset vitalis formaliter per modum actus secundi, simpliciter esset vitalis; quamuis non moueretur ad illum, sed tantum per illum; vt quid ergo Aristoteles illum diceret quasi vitalem, & cor illum habens, diceret, quasi habens vitam; sicut primus actus voluntatis quamuis ad illum, non se moueat voluntas, sed tantùm per illum, non est quasi vitalis, sed absolutè est vitalis, nec voluntas, quasi viuit, sed absolutè, & simpliciter viuit; ideo ergo Aristoteles cor vocat, quasi quoddam animal separatum, & quasi habens vitam, & motum vitalem, quia motus cordis conuenit illi ab intrinseco dimanatiuè, non effectiuè, & aliunde mediante motu cordis animal se mouet, & applicat ad operationes aliàs vitales, quod est, esse vitalem per modum proprietatis naturæ viuentis, & principij vitalis. 148 *Aristoteles fauet nostræ resolutioni.*

Nec magis vrgent verba Angelici Præceptoris; non enim dicit Medicos appellare motum cordis operationem vitalem; sed illas operationes, quæ motum cordis concomitantur, in quo potius oppositum insinuare videtur; si namque sentiret, motum cordis in sententia Medicorum esse operationem vitalem, non diceret Diuus Thomas operationes illas dici à Medicis vitales, quæ motum cordis concomitantur, sed etiam ipsum motum cordis: hoc autem non dixit, vt ex eius verbis constat: ergo ex illis non colligitur motum cordis esse operationem vitalem, sed potiùs oppositum. Et quidem sic arguentes expressè docent, motum cordis non esse ab anima media operatione, sed naturali resultantia: sicut motus rerum inanimatarum ab illis naturali resultantia sequuntur: ergo contra se ipsos inducunt Angelicum Præceptorem, & ex ipso male inferunt, motum cordis esse operationem vitalem. 149 *Etiam D. Tho. pro nobis est.*

Denique obijciunt; nam motus cordis est verus, & proprius motus, & aliàs conuenit ab intrinseco ratione formæ vitalis: ergo est motus vitalis. Quod amplius vrgeri potest; nam ex vna parte est motus, & ex alia est vitalis: ergo est motus vitalis. Respondeo, distinguendo secundam antecedentis partem: ratione formæ vitalis, vt effectiuè propriè influentis in ipsum, nego antecedens: vt principij dimanationis, concedo antecedens, & distinguo consequens: est vitalis, vt proprietas viuentis, & vitalitate principij, concedo consequentiam: vitalitate per modum operationis & exercitij in actu secundo vitæ: nego consequentiam. Quæ distinctio constat ex dictis, & ex illa ad confirmationem constat solutio; solùm enim sequitur esse motum aliqua ratione vitalem, quod libenter fatemur: non autem quod sit vitalis per modum actus secundi, & vt exercitium vitæ formaliter. 150 *Arguitur tertio. Vrgetur amplius. Respondetur.*

Sed dices; motus cordis est vitalis per modum motus, per quem cor in actu secundo mouetur: ergo est vitalis vitalitate actus secundi, & exercitij vitæ non per modum actus primi, sed per modum actus secundi. Patet conse- 151 *Dices.*

quentia; nam principio quo vitali non mouetur viuens in actu secundo; sed est potens se mouere: ergo si motu cordis, cor mouetur in actu secundo, non est vitalis vitalitate principij, sed vitalitate actus, & exercitij vitæ in actu secundo. Respondeo, distinguendo antecedens: est vitalis per modum motus, quo mouetur cor à se ipso, nego antecedens: quo mouetur à generante, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad vitalitatem namque per modum actus secundi, non sufficit actu moueri, sed requiritur actu moueri à se ipso, vt principio effectiuo motus; quia ergo licet cor per talem motum moueatur, non tamen à se, sed à generante effectiuè mouetur: fit consequens, vt quamuis illius motus sit vitalis, & per illum cor moueatur, non fit vitalis per modum actus secundi, & actualis exercitij vitæ, sed per modum principij vitalis.

Responsdetur.

152 Nec obstat; quod viuens per alia principia vitalia non moueatur in actu secundo, benè tamen per suum motum; hoc enim tantum probat subiectum denominatum vitale, esse diuersum, scilicet, potentiæ, quæ dicuntur vitales, & motus cordis, qui etiam vitalis dicitur: non autem probatur modus vitalitatis diuersus, nec quod vitalitas motus cordis sit per modum actus secundi, & exercitij vitæ actualis; nam ad hoc requirebatur, quod non solum esset motus actualis, sed etiam quod actu ab intrinseco conueniret.

Tacitæ obiectioni responsdetur.

153 Instabis; sufficit, quod conueniat ab intrinseco dimanatiuè, etsi non conueniat ab intrinseco effectiuè, vt sit prædictus motus vitalis per modum actus secundi; sed sic est, quod conuenit ab intrinseco dimanatiuè: ergo est vitalis per modum actus secundi, & exercitij vitæ actualis. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur, si non sufficeret, maximè quia motus grauium, & leuium illis ab intrinseco dimanatiuè conueniunt, & vitales non sunt; at hæc ratio non conuincit, non sufficere: ergo sufficit modus ille conueniendi ab intrinseco, vt motus cordis sit vitalis per modum actus secundi, & exercitij actualis vitæ. Consequentia tenet. Maior continet rationem, qua nos probauimus, non esse vitalem per modum actus secundi. Minor autem ostenditur primò; etsi grauitas conueniat graui ab intrinseco dimanatiuè, intellectus, v. gr. naturæ intellectuali conueniat ab intrinseco solùm dimanatiuè; stat intellectum esse vitalem per modum actus primi; secus autem grauitatem: ergo pariter quamuis motus rei grauis illi ab intrinseco dimanatiuè conueniat, & motus cordis solùm conueniat dimanatiue ab intrinseco, stare poterit, quod primus non sit vitalis per modum actus secundi: motus autem cordis sit isto modo vitalis; ac proinde ratio illa non conuincit, quod conuenientia motus cordis ab intrinseco dimanatiuè non sufficit, vt vitalis sit per modum actus secundi.

Instabis.

Maior ostenditur primò.

154 Deinde probatur minor, supponendo sententiam inter Thomistas probabilem, quæ asserit, actionem transeuntem esse in agente subiectiuè, qua sententia præsupposita probatur illa minor secundò; ex eo quod calefactio, quæ est ab igne propriè effectiuè, & in eodem igne recipitur, vitalis actio non sit, non sequitur, primum actum voluntatis, qui in sententia Thomistarum solum effectiuè à voluntate procedit, & in eadem voluntate recipitur, non esse vitalem: ergo pariter ex eo quod motus grauis illi ab intrinseco dimanatiuè conueniens, & in eodem graui receptus, non sit vitalis, non sequitur motum cordis, quia solùm dimanatiuè ab intrinseco conuenit cordi, non esse vitalem. Explicatur, & vrgetur; ex eo quod ignis effectiuè calefactionem causans, & illam in se recipiens non dicatur mouens se per calefactionem à se causatam, & in se receptam, & ideo viuens per illam non constituatur, non sequitur voluntatem, quæ in ordine ad primum actum solum effectiuè, & receptiuè comparatur, non se mouere per illum, & quod per talem actum non viuat: ergo pariter ex eo quod graue dimanatiuè causans, & recipiens proprium motum per illum non se moueat, nec viuat, non sequitur quod cor, quia dimanatiuè solum, & receptiuè ad proprium motum concurrit, non se moueat per hunc motum, & viuens per illum non constituatur.

Secundò.

Vrgetur primò.

155 Vrgetur, & confirmatur secundò; non enim potest alia discriminis ratio assignari inter calefactionem prout ab igne, supposito, quod in illo recipiatur, & primum actum voluntatis, vt ille vitalis sit; secus autem calefactio, nisi quia primus actus voluntatis procedit à natura vitali, & per illum redditur potens voluntas, vt se moueat in ordine ad alios actus, quorum neutrum conuenit calefactioni; at hæc ratio discriminis etiam militat inter motus grauis, & leuium ex vna parte, & motum cordis ex alia, vt consideranti constabit: ergo ob illam potest dici, motum cordis esse vitalem per modum actus secundi: non autem motus rerum inanimatarum, quamuis tam isti, quam illi, solùm ab intrinseco dimanatiuè conueniant.

Vrgetur secundò.

Respondeo, neg. mai. vt enim aliquid viuens constituatur in actu secundo per motū; requiritur, quod per illum se moueat, vel quod se moueat ad illum, quod absq; vera efficientia non fit; nam se mouere, est in se efficere motū; principium autem dimanationis non est propriè efficiens: ac proinde dimanatiuè concurrere ad motum, non est propriè efficere motum; & consequenter non est propriè se mouere, nec propriè viuere. Ad primam probationem minoris concessa maiori, nego minorem. Ad illius primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam vitalitas principij non petit conuenientiam à principio intrinseco effectiuo, sed tantum à principio intrinseco dimanationis: hæc tamen non sufficit, sed insuper est necessarium, quod constituat naturam proximè potentem se vitaliter mouere; & quia intellectu constituitur natura intellectualis potens proximè se mouere; grauitate autem non constituitur graue potens se mouere vitaliter: fit consequens, vt quamuis, tàm grauitas, quàm intellectus conueniant proprijs naturis ab intrinseco dimanatiuè, intellectus sit vitalis vitalitate principij, & grauitas vitalis non sit; vitalitas autem per modum actus secundi petit egressum à principio intrinseco propriè effectiuo, quod principio solius dimanationis non conuenit, vnde negata hac ratione vitalitate motibus grauium, & leuium, quia scilicet, non conueniunt grauibus, & leuibus à principio intrinseco effectiuo, quod etiam in motu cordis reperitur, consequenter huic motui vitalitas per modum actus secundi negatur.

156 *Responsdetur.*

Ad 1. probationem minoris.

Ad secundam probationem prætermisso antecedenti, nego consequentiam, Ratio autem discriminis est; nam Auctores illius sententiæ ad rationem actus vitalis præter conuenire à principio intrinseco effectiuo, aliquid aliud requirunt, quod calefactioni non conuenit; benè tamen primo actui voluntatis, cæterum in Nostro casu consequentia facta tenet; eo quod motibus grauium, & leuium, & motui cordis negatur vitalitas per modum actus secundi ex negatione alicuius essentialiter requisiti ad actum secundū vitalem, quia scilicet, illis non conuenit egressus à principio intrinseco propriè effectiuo, in quo egressu ratio se mouentis, & viuentis in actu secundo consistit. 157

Ad secundam probationem.

Et ex his ad primam confirmationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Nam in sententia supposita, ratio cur ignis efficiens, & recipiens calefactionem, non se moueat per illam est, quia calefactio manet in agente in ratione actionis: non autem in ratione motus, quæ ratio non militat in primo actu voluntatis; hic namque non solum in ratione actionis, sed etiam in ratione motus, eo modo, quo in actibus voluntatis ratio motus reperitur, manet intra voluntatem: ac proinde ex eo quod ignis non se moueat per calefactionem, non sequitur voluntatem per primum actum non se mouere, nec viuere. Ratio autem ob quam graue non se mouet per proprium motum, est, quia illum in se non causat propriè effectiuè, sed tantùm dimanatiuè, quæ propriè efficientia non est, & quia hæc ratio etiam militat in motu cordis: fit consequens, vt ab vno ad alium motum bona consequentia fiat. 158

Ad primam confirmationem.

Ad secundam confirmationem, prætermissis maiori, & minori, nego consequentiam. Nam disparitas illa inter calefactionem, & primum actum voluntatis, redditur ab Auctoribus prædictæ sententiæ, supposito, quod vtrique conueniat requisitum essenciale ad rationem vitæ actualis, nempè, egressus à principio intrinseco propriè effectiuo; nam etsi requisitum conueniat, si alia non adsunt in vno ad rationem vitæ exacta; benè tamen in alio, rectè discrimen statuitur vt vni, & non alteri ratio actus vitalis conueniat. Cæterum inter motum cordis, & motus grauium, & leuium discrimen illud statuitur, supposito, quod negatur de omnibus egressus à principio intrinseco propriè effectiuo, quod essentialiter requiritur ad rationem vitæ per modum actus secundi, quo negato, nulli ex illis potest ratio actualis vitæ competere, ad quam saluandam in vno, & non in alio, debent in vno, & non in alio omnia requisita inueniri; ideoque licet motus cordis in prædictis condi- 159

Ad secundam.

ditio-

ditionibus à motu grauium, & leuium discriminetur, non rectè colligitur, esse vitalem per modum actus secundi.

160 *Instabis adhuc.* Sed adhuc instare quis poterit; nam sequitur ex nostra resolutione, animal in ordine ad alios motus à motu cordis distinctos, illumque præsupponentes, non se mouere perfectè hoc est, nedum elicitiuè ab intrinseco, sed etiam applicatiuè, in quo se mouere perfectè à nostris Thomistis statuitur; consequens est falsum: ergo & nostra resolutio. Consequentia est bona Minor certa in sententia Thomistarum communiter asserentium, inter primum actū vitalem, & alios, hoc interuenire discrimen, quod ad primum elicitiuè solum, non autem applicatiuè viuens concurrit; ad alias autem operationes vitales, & elicitiuè, & applicatiuè concurrere: ex quo inferunt se per primum actum mouere: non autem moueri à se ad illum. Sequela autem probatur; nam se mouere ad aliquem actum, est à se applicari ad illum, idest, applicari per aliquid causatum à se effectiuè elicitiuè; sed si motus cordis non sit elicitiuè à corde, animal non habebit à se elicitiuè, & effectiuè motum cordis, quo applicatur, vt in se causet alios motus, motum cordis supponentes: ergo non se mouebit ad illos. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur: viuens se mouere ad actum est à se habere id, quo applicatur ad actum illum; sed non sufficit, à se habere dimanatiuè id quo ad actum applicatur: ergo requiritur id habere à se effectiuè, & elicitiuè. Minor, in qua est difficultas, probatur; vt enim communiter à nostris Thomistis docetur 1. 2. *quæst. 9. & 1. par. quæst. 61.* homo, aut Angelus non se mouet ad primum actum voluntatis, nec ad primum actum intellectus; & tamen habent à se dimanatiuè potentias, nempè, intellectum, & voluntatem, quibus ad primum actum proximè potentes constituuntur: ergo vt animal se moueat ad motus à motu cordis distinctos, illumque præsupponentes, non sufficit habere à se dimanatiuè motum cordis, per quem applicatur ad illos.

161 *Respondetur.* Respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, nego maiorem. Licet namque requiratur, vt aliquid se moueat ad actum, à se habere applicationem ad illum; non tamen est necessarium, prædictam applicationem habere à se elicitiuè, sed sufficit illam habere à se dimanatiuè, quali er motus cordis conuenit à se animali. Ad maioris probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam intellectus, & voluntas conuenientes à se dimanatiuè viuenti intellectuali, non concurrunt applicatiuè ad primum actum intellectus, & voluntatis, sed tantum elicitiuè; ideòque per hoc, quod ab intrinseco dimanatiuè conueniant, non saluatur, viuens intellectuale ab intrinseco se applicare in ordine ad illos actus: motus autem cordis est applicatio illius ad alios motus causandos, & ideò per hoc, quod animali conueniat dimanatiuè ab intrinseco, saluatur in ordine ad alios motus motum cordis supponentes, non solum elicitiuè ab intrinseco, sed etiam applicatiuè ab intrinseco concurrere, etsi non ita perfectè, ac intellectus, & voluntas in ordine ad alios actus primum actum supponentes; eo quod primus actus intellectus, & primus actus voluntatis, medijs quibus voluntas, & intellectus se ad cæteros actus applicant, ipsis ab intrinseco elicitiuè, & effectiuè conueniunt.

162 *Aliud principale argumentum contra resolutionē nostram.* Secunda principalis obiectio contra resolutionem traditam est; etenim ex illa sequitur, Aristotelem non demonstrasse principium omninò immobile, sed tantum immobile motu corporum, qui est actus imperfecti; consequens falsum videtur: ergo & nostra resolutio. Sequela patet; nam demonstratio Aristotelis, vt à nobis explicata, procedit ex eo quod idem à se ipso secundum idem nequit moueri, ex quo infert, vel dandum esse processum in infinitum, quod censet implicatorium in mouentibus, & motis, vel deueniendum esse ad aliquod principium immobile; at principium illud, iuxta doctrinam à Nobis hucusque traditam, solum est verum loquendo de motu corporum, qui est actus imperfecti: ergo ex illo solùm infertur, deueniendum esse ad principium mouens immobile motu corporeo: non autem ad omninò immobile.

163 *Minor prob. 1.* Minor autem ostenditur primò; vt enim docet D. Thomas *in præsenti art. 3.* prima, & manifestior via ad probandum Deum esse, est, quæ sumitur ex parte motus; at si ex motu non inferatur principium omninò immobile, sed tantùm immobile motu physico, prima, & manifestior non erit; cum alijs vijs inferatur principium omninò immobile, quæ ratio cum Deo conuertitur; secùs autem immobilitas physica, quæ competit alijs à Deo: ergo falsum est, Aristotelem sua ratione solùm concludere principium mouens immobile motu physico. Deinde; nam Aristoteles ex motu infert Dei existentiam; at si solùm probaret principium mouens immobile motu physico, Dei existentiam non colligeret: ergo ex motu infert principium omninò immobile. *Secundo.* Consequentia cum minori tenet. Minor autem probatur: nam immobilitas physica conuenit alijs à Deo, nempè Angelis qui motu corporeo, qui motus physicus dicitur, & est actus imperfecti, moueri nequaquam possunt: ergo si ex motu non probatur principium omninò immobile, sed tantùm immobile motu physico, non probatur ex motu existentia Dei.

Respondeo, concedendo sequelam, & negando minorem; quod enim Aristoteles hac ratione sumpta ex motu solùm probare contenderit principium mouens immobile motu physico, constat ex ipso 8. *Physicorum textu 34.* vbi ex eo quod idem non potest à se ipso moueri, intulit, deueniendum esse, vel ad aliquod mouens extrinsecum, quod immobile sit, vel ad aliquod principium mouens alia, quod à se ipso moueatur, per quod etiam processus in infinitum excluditur; quia tamen in mouente se ipsum, necessario est distinguenda pars mouens à parte mobili, ne idem à se ipso secundum idem moueatur, quod in sententia Philosophi implicat: postea *textu 43.* intulit, partem mouentem debere immobilem esse, eo quod non potest moueri à se ipsa, nec à toto, nec à comparte ab ipsa mota; si namque ipsa moueret compartem, & ab illa moueretur, idem esset, quod à se ipsa moueri: ex quo infertur tandem deueniendum esse ad aliquod mouens immobile, quod Plato negabat, docens, omne quod mouet, moueri, & Aristoteles suo argumento conuincere prætendebat; sed pars mouens est intelligentia motrix, quæ absque dubio mobilis est motu spirituali, nempè, actibus intelligendi, & volendi realiter ab ipsa distinctis: ergo solum loquebatur Aristoteles de immobili motu physico, solumque hanc immobilitatem in primo mouente ex motu contendebat probare. 164 *Respondetur.*

Nec obstant probationes minoris: non prima sumpta ex Diu. Thom. ideò namque viam ex motu appellat manifestiorem, quia res moueri ad sensum constat, & ex motu, rerum nouitatem cognoscimus, ex qua ad Dei existentiam probandam sumitur argumentum: non autem, quia ex motu efficatior ratio sumatur, nec ad probanda prædicata propria Dei, quibus ab omni re creata distinguitur. 165 *Ad 1. probationem minoris.*

Ad secundam probationem dicatur, verum esse, Aristotelem intendere probare existentiam Dei, & primi mouentis, quod omninò immobile sit; hoc tamen non statim, nec vno ictu, sed paulatim per discursum; primo inferens contra Platonem deueniendum esse, vel ad aliquod mouens extrinsecum, quod in se immobile sit, vel ad aliquod mouens alia, quod à se ipso moueatur. Et hoc habito, quia in mouente se ipsum, necessario est distinguenda pars mouens à parte mobili, ne idem à se ipso secundum idem moueatur, & pars mouens motu physico moueri à se ipsa, nec à toto, nec à comparte mota potest, vt probat Aristoteles 8. *Physicorum textu 43.* intulit contra Platonem deueniendum esse ad aliquod mouens immobile, nempè, ad partem mouentem, quæ necessario est immobilis motu physico; quia autem nondum concluserat, sistendum esse in primo mouente, quod sit immobile omninò: vlterius in Metaphysica *lib. 12. textu 36.* ex hoc motore, qui est pars mouentis se ipsum, pergit ad inuestigandum motorem separatum, & primum omninò immobilem, qui est Deus, & probat isto discursu; nam illud mouens se ipsum, mouetur propter appetitum alicuius appetibilis superioris in mouendo; sed appetens mouetur ab appetibili: appetibile autem est mouens omninò immotum: ergo deueniendum est ad mouens omninò immobile; & consequenter ad Deum. *Ad secundam.*

Ita explicant rationem istam Philosophi Caietanus *in præsenti art. 3.* vbi ait, ex motu, & ex eo quod idem non potest à se ipso moueri, solum immediatè probari primum mouens immobile; sicut anima cœli, nempè, intelligentia motrix, quæ absque dubio est mobilis motu non stricto, nempè actibus intelligendi, & volendi. Ferrara *lib. 1. Contra Gentes cap. 13.* vers. *Vlterius sciendum est*, Iabellus 166 *Auctores pro hac explicatione. Ferrar. Iabell.*

Nazar. *S. THO.* lius lib. 12. *Metaphysica q. 3. & q. 5.* Nazarius *in præsenti art. 3. controuersia 2.* & quod magis est D. Thom. *lib. 1. Contra Gentes cap. 13.* ibi: *Sed quia Deus non est pars alicuius mouentis se ipsum, vlterius Aristoteles in sua Metaphysica inuestigat ex hoc motore, qui est pars mouentis se ipsum, alium motorem separatum omninò, qui est Deus.* Sentit ergo D. Tho. Aristotelem in Physica, ex eo quod idem à se ipso secundum idem nequeat moueri, solùm intulisse deueniendum esse ad mouens immobile motu physico, vel ad aliquid se mouens per partem physicè immobilem, & ex hoc motore, qui est pars mouentis se ipsum, vt per appetitum mouet, intulisse in Metaphysica, motorem omninò immobilem, etiam motu Metaphysico,

167 *Oppones primò.* Duo tamen contra istam resolutionem possunt opponi: primò; nam ex illa sequitur Aristotelem in Physica non probasse Dei existentiam, vt distinguitur ab alijs intelligentijs, quæ sunt motrices cœlorum; consequens est falsum: ergo & resolutio tradita. Falsitas consequentis constabit. Sequela autem probatur; vt enim argumentum soluentes docuimus, ratione ex motu desumpta, solùm monstrauit Philosophus, primum mouens immobile motu physico, & corporeo, in qua ratione conueniunt Deus, & intelligentiæ, quæ sunt motrices cœlorum; sed à Philosopho, vt tali, non potest existentia Dei, aliter, quàm ex motu probari: ergo Aristoteles in Physica, & vt Philosophus arguens, non probauit Dei existentiam, prout distinguitur ab intelligentijs creatis, quæ sunt motrices cœlorum.

168 *Secundò.* Secundum quod obstat, est; nam ex eo quod pars primi mouentis se ipsum debeat mouere per appetitum, & propter aliquod appetibile, non infertur deueniendum esse ad mouens omninò immobile: ergo si ex motu physico non intulit Aristoteles primum mouens, quod sit immobile omninò, nullibi Dei existentiam demonstrauit. Consequentia patet ex dictis. Antecedens autem probatur; nam pars illa mouens cœlum, nempè, intelligentia motrix, potest moueri à se ipsa vt appetibili, operando propter se; sed ipsa non est immobilis in omni genere motus: ergo ex eo quod pars primi mouentis se ipsum, operetur propter appetitum alicuius appetibilis, non sequitur deueniendum ad mouens omninò immobile.

169 *Respondet Iauell.* Ad primam ex his obiectionibus respondet Iabellus *lib. 12. Metaph. q. 3.* concedendo sequelam: nec in hoc aliquod est inconueniens; nam licet probare substantias separatas in genere quoad hoc, quod est existere in rerum natura, ad Philosophiam spectet: probare autem substantiam separatam in specie, videlicet primam causam, vel primum mouens penitus immobile existere, non ad Philosophiam, sed ad Metaphysicam spectat, vnde Aristoteles in Physica Dei existentiam non demonstrans, prout distinguitur ab intelligentijs creatis, diminutè non processit, quam doctrinam repetit Iabellus *in eodem lib. q. 15. ad finem*.

170 *Contra 1. Arist.* Sed contra istam solutionem obstat primò; vt enim docet Aristoteles 12. *Metaph. textu 41.* & D. Thomas *ibidem lectione* 8. de eadem substantia, de qua determinatur 12. *Metaph.* mouere vt finem desideratum, & amatum, ostensum est 8. *Physic. textu 78.* quod nullam habet magnitudinem; sed substantia, de qua *in 12. Metaphysicæ*, est Deus, prout ab intelligentijs creatis distinguitur: ergo de Deo sic sumpto, loquutus est Aristoteles *in 8. Physicorum* illius existentiam demonstrans. *Secundò.* Deinde; nam Aristoteles *in 8. Physicorum textu 48.* probat duplici ratione, dari vnum primum motorem; sed intelligentiæ creatæ, quæ sunt motrices cœlorum, sunt plures: ergo monstrauit in Physica existentiam Dei, vt distincti ab intelligentijs creatis. *Tertiò.* Denique; nam 8. *Physicorum cap. 10. textu 78.* probat; primum motorem existere, qui sit infinitæ virtutis ex infinitate motus; sed intelligentiæ creatæ infinitæ virtutis non sunt, nec in veritate, nec in sententia Aristotelis: ergo non solùm probauit, existere substantias separatas in genere, sed etiam in speciali Dei existentiam demonstrauit in Physica, prout distinguitur ab alijs intelligentijs creatis, & hoc intulit ex motu.

171 *Respondetur ad 1.* Vnde hac solutione ommissa. Ad primam obiectionem respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Nam licet Aristoteles, ex eo quod idem à se ipso nequeat moueri, non probauerit in primo motore immobilitatem omnimodam, sed hanc in Metaphysica ostenderit, vt ex D. Thoma vidimus; quia tamen ex motu intulit, in primo motore debere esse infinitam virtutem, hæc autem virtus infinita intelligentijs creatis non conuenit: *fit consequens*, vt in Physica probauerit, non solùm existere substantias separatas in genere, sed etiam substantiam primam, idque ostenderit ex motu, nempè, ex illius infinitate, quia nempè, censuit Philosophus, motum extitisse ab æterno; & consequenter esse infinitum à parte antea: virtus autem causans infinitum motum, oportet esse infinitam; nec ex hoc sequitur, virtutem cœlestis corporis debere infinitam esse, eò quod mouet tempore infinito, quia vt notauit D. Thom. *lib. 12. Metaph. lect. 8. ad finem*, hanc obiectionem præcludens cœlum non mouet, nisi motum, & ista influentia est ex virtute primi mouentis, sed nec etiam dici potest in corpore cœlesti esse infinitam virtutem, etsi infinito tempore esse habeat; quia id non habet à se, vnde infinita eius duratio ostendit infinitam virtutẽ, non sui, sed exterioris principij.

Quantæ autem efficaciæ sint rationes, quibus Philosophus ostendit in primo motore infinitatem virtutis, non vacat in præsenti examinare, videantur Philosophi *lib. 8. Physicorum, & Metaphysici lib. 12. Metaphysicæ*. Duplex autem ratio esse potest, cur Aristoteles in Physica monstrauerit in primo mouente solam immobilitatem physicam: prima, quia Philosophi, contra quos Aristoteles disputabat, docentes, omne mouens esse mobile de motu physico loquebantur; ideò sufficiens fuit Aristoteli disputanti contra ipsos, ostendere esse necessariò sistendum in motore immobili motu physico. Secunda; quia solus motus physicus pertinet per se ad physicæ considerationem; & ideò immobilitatem physicam in primo motore ostendere, illamque ex motu colligere, est proprium munus Phylosophi: motus autem largè sumptus ad Metaphysicam spectat; & ideò Metaphysico incumbit immobilitatem Metaphysicam in primo motore ostendere, illamque accuratè inuestigare. 172 *Prima ratio cur Aristoteles solam immobilitatem physicam monstrauit.* *Secunda.*

Ad secundam obiectionem respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: potest moueri à se ipsa proximè concedo maiorem: vltimò, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam licet intelligentia creata mouens cœlum possit propter se operari, tanquam propter finem proximum, & proximum appetibile, non tamen potest à se vt vltimo fine, & appetibili moueri, sed hoc modo solum mouetur à primo mouente simpliciter. Tum, quia eo modo potest à se ipso moueri vt à fine, quo causat in genere causæ efficientis, non autem causat tanquam prima causa efficiens, sed tanquam secunda causa: non ergo potest à se vt ab vltimo fine, & vltimo appetibili moueri, sed à Deo primo mouente, in quo ratio primæ causæ efficientis, & ratio vltimi finis identificatæ inueniuntur. Tum etiam, quia cum appetibile moueat vt bonum, solùm optimum bonum potest vltimo mouere; intelligentiæ autem vnitæ cœlis vt formæ, in quorundam antiquorum falsa opinione, vel motrices illorum, vt vera tenet sententia, non obtinent rationem optimi boni; ac proinde, nec rationem vltimi finis, & appetibilis possunt sortiri. Moueri autem ab vltimo appetibili consistit in eo, quod mouendo cœlos, & mediante motu cœlorum influendo in hæc inferiora, quælibet per proprium motum intendit Deo, qui est optimum appetibile, finis vltimus, & prima & vniuersalis omnium causa, assimilari, vt explicat D. Thom. 12. *Metaphysicæ lect. 7.* 173 *Ad 2. obiectionem respond.*

Sed dices; hæc explicatio non congruit menti Philosophi: ergo non est sustinenda. Antecedens probatur ex Aristotele vbi proximè, illis verbis: *Mouet autem sicut appetibile, & intelligibile; hæc enim sola mouent immota.* Ex quibus tale argumentum conficitur, iuxta Aristotelem solùm mouens vt appetibile, & intelligibile, mouet non motum; at si solum appetibile vltimum moueret non motum, vt in Nostra solutione, & explicatione asseruimus, hæc doctrina vera non esset, nec discrimen inter mouens, vt appetibile, & mouens vt efficiens subsisteret: ergo explicatio à Nobis tradita non congruit menti Aristotelis. Probatur minor; prima causa efficiens mouet non mota, vt compertum est in doctrina Philosophi, & Fides Catholica docet: ergo si solùm appetibile vltimum mouet non motum, nullum discrimen est inter mouens vt appetibile, & mouens vt efficiens, quoad hoc quod est mouere non motum. Patet consequentia; nam in vtroque genere, & ordine, primum mouet non motum, & secundum in vtroque ordine mouet motum: ergo nullum est discrimen; quod Aristotelis menti aduersatur, docenti hæc sola mouere non mota, nempè, mouens sicut appetibile, & mouens sicut intelligibile. 174 *Dices.*

Respon-

175 *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens. Ad probationem dicatur, mouens, vt appetibile, & mouens vt intelligibile, mouere non mota, sumpta in quantum talia formaliter; vnde nec primum, nec secundum mouens in quantum talia mouentur, sed omninò immota remanent; vnde rectè dixit Aristoteles, hæc sola mouere immota, loquendo de illis in genere, & sub ratione communi, nam licet causa prima efficiens moueat realiter non mota, id non habet ex ratione causæ efficientis, sed ex tali ratione, videlicet primi efficientis: mouens autem vt appetibile ex conceptu sic mouentis, habet mouere realiter immotum formaliter; cum hoc tamen stat vt appetibile, & intelligibile creatum identicè sumptum moueatur, non ea ratione, qua mouet vt appetibile, sed ea ratione, qua mouet, vt appetibile à se. Nam licet non moueatur, nec mutetur realiter, quatenus appetibile, mouetur tamen vt appetens, in quo distinguitur à primo mouente simpliciter, & ab vltimo appetibili, quod nec quatenus appetibile à se vlla ratione mouetur, eo quod se ipsum appetit per actum à se indistinctum: ex quibus ad argumentum ex verbis Aristotelis sumptum constat solutio.

§. VIII.

Aliter ratio sumpta ex motu proponitur.

176 *Secunda conclusio.* SIT secunda Conclusio. *Ratione sumpta ex motu probatur primum mouens omnino immobile.* Hanc tenent Magister Bannez, Sancto Thoma, Granadus, & Fasolis locis vbi supra relatis. Ante cuius probationem aduerto, principium illud, *omne quod mouetur, ab alio mouetur*, dupliciter sumi posse; primo, vt ly *ab alio* accipiatur exclusiuè, ita vt idem à se ipso realiter moueri non possit, in quo sensu acceptum, solùm de motu physico, qui est actus imperfecti, est verum, & solùm immobilitatem physicam in primo mouente demonstrat, vt §. 6. & 7. fusè monstrauimus. Secundo, ita vt ly *ab alio* accipiatur positiue, idest, quod licet idem à se ipso realiter moueri possit, non tamen à se solo, vt à causa vnica motus sui, sed ab alio debet moueri, in quo sensu non solùm est verum de motu physico, sed etiam in omni genere motus, & ex illo sic accepto, asserit nostra conclusio, deduci, & demonstrari existentiam primi principij, quod debet esse immobile omnino, quod probatur proponendo rationem ex motu sumptam tripliciter.

177 *Ratio ex motu proponitur primo modo.* Primò in hunc modum; omne quod mouetur, ab alio applicatiuè, saltem mouetur; sed non potest dari processus in infinitum in mouentibus, & motis, aut in causis subordinatis per se: ergo deueniendum est necessariò ad principium mouens non motum vllo motu, siue mutationis genere: ac proinde ratione ex motu desumpta probatur, debere aliquod principium existere, quod sit immobile omninò. Secunda consequentia ex prima colligitur, hæc ex præmissis. Minor ex dicendis constabit. *Maior prob. 1.* Et maior, in qua est difficultas, est expressa Diui Thomæ *q. 3. de Potentia art. 7. 1. p. q. 105. art. 5.* quibus locis, & plurimis alibi docet; omne operans creatum, & omnem causam secundam dependere à prima, vt dante virtutem, & conseruante virtutem, & vt illam applicante ad operationem; ergo omnis motus, siue strictè, siue largè sumptus est à Deo, vt applicante; & consequenter, omne quod mouetur, quocumque genere motus, ab alio applicatiuè saltem mouetur.

178 *Secundo.* Secundo probatur: nam omne quod mouetur quocumque genere motus est, in potentia passiua, & receptiua motus; sed omne quod est in potentia reducitur ad actum per aliquod ens in actu: ergo omne quod mouetur quocumque genere motus, siue mutationis, ab alio mouetur. *Si dicas.* Si dicas, quod mouetur motu spirituali, qui in operatione consistit, & motus strictus non est esse quidem in potentia receptiua sui motus, simul tamen esse in actu virtuali, aut eminentiali in ordine ad illum: ac proinde ex eo quod omne quod est in potentia, reduci debeat ad actum ab aliquo ente in actu, non sequitur debere ad actum reduci ab aliquo à se distincto, sed poterit reduci à se ipso.

179 *Contra.* Sed contra; nam eo ipso, quod sit in actu virtuali, simulque in potentia formali, non est purus actus, sed actus admixtus potentiæ: ergo licet vt in actu virtuali effectiuè se reducat ad actum, non tamen se reducit, vt primum efficiens, sed vt efficiens secundum. Tùm sic; sed efficiens secundum non agit, nisi vt applicatum à primo efficiente: ergo se mouet, vt applicatum à primo efficiente; & consequenter mouetur applicatiuè ab alio, etsi à se effectiuè moueatur. Probatur minor; secundum efficiens non agit, nisi vt subordinatum primo in agendo, sed nisi agat, & se moueat vt applicatum à primo, non agit, nec se mouet, vt illi subordinatum; ergo agens secundum non agit, nisi vt applicatum, & motum à primo. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; si non agat, & se moueat, vt à primo applicatum, solùm dependebit à primo, vt à simultaneo in operationem cum secundo influente; sed hoc non sufficit, vt subordinetur primo in agendo, & operando: ergo nisi secundum agens, & se mouens, agat, & se moueat, vt applicatum à primo efficiente, non aget vt subordinatum primo in agendo. Probatur minor; primum agens non potest actum vitalem efficere, etiam de potentia absoluta, sine concursu agentis vitalis creati in frequentiori, & vera sententia; & consequenter primum efficiens, dependet à secundo efficiente in ordine ad actum vitalem, vt simul cum illo concurrente; & tamen nullus dicet, nec dicere audebit, primam causam efficientem subordinari causæ secundæ vitali in ordine ad actum vitalem: ergo quod secunda causa prima indigeat, vt simul in operationem propriam influente, non sufficit, vt causa secunda influat in propriam operationem, vt subordinata primæ, & consequenter vt agat, & se moueat vt subordinata Deo, oportet, vt se moueat quatenus ab ipso præuiè applicata.

Si opponas; vt agens secundum se moueat, vt subordinatum primo, sufficit, quod ab illo virtutem agendi, atque se mouendi recipiat: ergo ad subordinationem saluandam necessarium non est, quod se moueat vt applicatum à primo. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur: quod graue à generante recepit grauitatem, qua descendit in centrum; sufficit vt graue moueatur à generante, illique subordinetur in motu, quo centrum occupat: ergo pariter vt agens secundum se moueat, vt subordinatum primo, sufficit, quod ab illo virtutem, qua se mouet, receperit. 180 *Si opponas.*

Respondeo, negando antecedens; vt enim vidimus ex D. Thom. Deus in omni operante creato, & in omni se mouente, operatur causando, & conseruando virtutem; & insuper virtutem à se causatam applicando ad operationem, & motum. Quæ omnia necessaria sunt, vt saluetur perfecta subordinatio agentis secundi ad primum in ordine ad propriam operationem. *Respondetur.*

Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Instoque in simili, sic arguendo; *Vt graue à generante moueatur, illique in motu subordinetur, non requiritur, quod à generante dependeat, vt à conseruante virtutem, sed sufficit, quod ab illo, vt virtutem dante, habuerit dependentiam. ergo vt saluetur dependentia in agendo agentis secundi à primo, necessarium non est, quod dependeat ab illo, vt conseruante virtutem*; cuius antecedens est verum: consequens autem est falsum, vt ex Diuo Thoma vidimus, & omnibus est in confesso. Pariter ergo consequentia ista non tenet; *Vt graue moueatur à generante, & ab illo in motu, quo acquirit centrum, dependeat, sufficit vt à generante virtutem, qua mouetur acceperit; ergo id etiam sufficiet, vt saluetur subordinatio agentis secundi à primo.* Et omnium ratio est; nam subordinatio per solam acceptionem virtutis est subordinatio imperfecta, & solum est virtualis: subordinatio autem agentis secundi à primo perfecta, & formalis debet esse. 181 *Instatur.*

Sed dices; stat subordinatio formalis agentis secundi ad primum, per hoc, quod ab illo virtutem agendi acceperit, & simul vtrumque influat in operationem; ergo per hoc solum saluatur perfecta subordinatio; & consequenter, vt perfectè secundum agens subordinetur primo, non requiritur, quod ab illo vt præuiè applicante, dependeat, vel quod ab illo applicatiuè moueatur. Vtraque consequentia est bona. Antecedens autem probatur; intellectus vt influens in intellectionem, subordinatur animæ subordinatione formali; calor etiam vt influens in generationem ignis, formaliter igni subordinatur; cum calor non possit, nisi in virtute ignis, ignem producere, vtpote instrumentum illius, nec intellectus possit in intellectionem influere, nisi virtute naturæ, quæ est principium radicale vitale, à quo essentialiter vita actualis dependet; & tamen nec calor applicatur à substantia ignis per aliquid ab illa productum antecedens operationem, nec intellectus ad intellectionem applicatur per aliquid derivatum in intellectu ab anima, antecedens intellectionem; alias substantia 182 *Dices.*

stantia se ipsa esset immediatè operatiua, quod D. Thom. aduersatur: ergo absque præuia applicatione saluatur formalis subordinatio, & dependentia vnius ab alio in agendo.

183 *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego vtramque partem maioris: intellectus namque non subordinatur animæ subordinatione formali per ordinem ad intellectionem; alias hæc propositio esset vera: *Intellectus influit in intellectionem, quia anima influit in illam*; sed ex anima vt radice, & intellectu vt potentia, adæquata causa intellectionis coalescit, cum dependentia intellectus ab anima vt principio dimanationis: calor etiam non subordinatur igni in producendo ignem subordinatione formali, sed tantum virtuali, quatenus est virtus ignis; ideoque dicitur agere in virtute ignis *instrumentaliter*, idest, fine eo quod ab igne in ipsum aliquid à calore distinctum deriuetur, sed quia ex sua propria entitate, est igni vt virtus subordinatus, quæ est sola subordinatio antecedens, & virtualis: non autem formalis: vt autem docet D. Thomas *q. 3. de Potentia art. 7.* agens primum propter suam perfectionem, petit, vt secundum, illi plenè, & perfectè in agendo subordinetur; & ideo non sufficit ab illo accepisse virtutem, nec quod virtus accepta ab illo in sui conseruatione dependeat, nec insuper, quod simul vtrumque ad operationem concurrat, sed insuper est necessarium, quod ab illo applicetur. Sed de his plura 2. *Physicorum*, vbi agitur de subordinatione causarum secundarum ad primam, & *tract. de Auxilijs*, vbi fusè à nostris Thomistis contra professores Scientiæ Mediæ validissimis argumentis monstratur necessitas auxilij præuij, physicè præmouentis in ordine ad omnem operationem, tam ordinis naturæ, quam gratiæ.

184 *Secundo formatur ratio sumpta ex motu.* Quia tamen ratio sic disposita, solum in principijs Thomistarum procedit, quæ ab alijs non admittuntur, potest aliter ratio sumpta ex motu formari in hunc modum. Omne quod mouetur, ab alio antecedenter, & virtualiter saltim mouetur; sed in mouentibus, & motis non potest dari processus in infinitum: ergo sistendum est in principio aliquo immobili. Consequentia tenet. Minor inferius monstrabitur. Maior est D. Thom. locis, vbi supra relatis, vbi & passim alibi docet, omne agens secundum, à primo habere virtutem ad operandum: & patet; quod enim mouetur non habet à se virtutem, per quam moueatur ergo illam habet ab alio; & consequenter, omne quod mouetur, ab alio, saltèm virtualiter, mouetur. Secunda consequentia patet; nam ab alio virtualiter moueri, est ab alio virtutem accipere. Prima ex antecedenti constat; non enim datur medium inter habere virtutem à se, vel ab alio: ergo si quod mouetur, non habet à se virtutem, necessario habet illam ab alio. Antecedens autem probatur; quod mouetur est potentiale; & consequenter non est actus purus: ergo non est ens à se, sed ab alio; ergo non habet entitatem à se, sed necessario illam habet ab alio, sed virtus operatiua, aut motiua consequitur entitatem: ergo quod mouetur habet ab alio virtutem motiuam, & operatiuam; & consequenter, omne quod mouetur, saltèm virtualiter, ab alio mouetur; cumque non possit dari processus in infinitum, necessario est deueniendum ad aliquod mouens immobile, quod à se, & non ab alio habeat virtutem mouendi; & consequenter, quod sit ens à se. Rectè ergo ex motu probatur existentia mouentis immobilis.

185 *Tertio.* Vel tertio potest eadem ratio proponi in hunc modum; omne, quod mouetur, ab alio concomitanter saltim mouetur; sed non potest dari processus in infinitum in mouentibus, & motis: ergo deueniendum est ad mouens omninò immobile. Probatur maior; omne, quod mouetur, cum sit in potentia ad motum, non habet entitatem à se, sed moueri, & operari consequuntur ad esse, & cum illo proportionem habent in modo conueniendi subiecto: ergo omne quod mouetur non habet motum, & operationem à se tanquam à prima, & adæquata causa: & consequenter omne quod mouetur, ab alio, concomitanter saltèm mouetur; de quo videantur Phylosophi lib. 2. Physicorum, & Theologi tract. de auxilijs, vbi late contra Durandum probatur necessitas concursus concomitantis primæ causæ cum omni causa secunda in eo gradu certitudinis, vt oppositum censeant erroneum. De quo etiam videndus est Diuus Thomas *quæst. 3. de potentia art. 7. & 1 p. quæst. 105. art. 5.*

186 Duo tamen contra rationem istam his modis propositam obstant, primum; nam ratio sic proposita coincidit cum secunda, quam §. sequenti explicabimus; at Diuus Thomas semper vtramque distinguit: ergo ratio sumpta ex motu, non potest ita explicari. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; nam secunda ratio sumitur ex dependentia secundarum causarum à prima, quia nempè, idem à se ipso nequit efficienter causari, nec potest dari processus in infinitum in causis subordinatis per se; at ratio ex motu sumpta prout his modis explicata, in eadem dependentia fundatur: ergo prout sic explicata coincidit cum secunda. Secundum, quod obstat est; nam ratio sic explicata non est ad mentem Phylosophi; sed Diuus Thomas rationem sumptam ex motu, tradit ex mente Philosophi: ergo sic explicanda non est. Minor, & consequentia tenet. Maior autem probatur; nam Philosophus *lib. 7. & 8. Physicorum*, principium illud, *omne quod mouetur, ab alio mouetur*, sumit semper negatiuè, & exclusiuè, ita vt idem secundum idem non possit à se ipso moueri; sed ex hoc principio sic sumpto, non probatur principium omninò immobile, sed tantum immobile motu physico, vt constat ex dictis §. præcedenti: ergo ratio sic explicata ad mentem Philosophi non est.

Opponetur primo contra istam rationem.

Secundum. 187

Quod amplius confirmari potest; nam dependentia agentis secundi à primo, non potest à Philosopho, vt tali probari; sed ratio sumpta ex motu traditur ab Aristotele, vt Philosopho arguente: ergo non fundatur in dependentia agentis secundi à primo; at vt his modis explicata in prædicta dependentia fundatur; ergo sic sumpta de illius mente non est. Maior ostenditur primò; nam dependentia à prima causa in agendo non solum conuenit causæ secundæ corporeæ, sed etiam agenti spirituali, quod motu tantùm intentionali mouetur; sed Philosophus, vt talis, non probat, nec potest probare dependentiam agentis spiritualis secundi à prima causa in agendo; cùm obiectum Philosophiæ solum sit ens materiale corporeum, & mobile motu physico: ergo dependentia agentis secundi à primo, non potest à Philosopho in quantum tali probari. Secundò; nam dependentia agentis secundi à primo in causando, & in agendo, fundatur in ratione entis ab alio, & in dependentia in essendo; sed ratio entis ab alio, quæ communis est enti spirituali, & corporeo, est extra considerationem Philosophi in quantum talis, cum sit extra obiectum Philosophiæ: ergo dicta dependentia non potest à Philosopho vt tali monstrari. 188

Confirmatur.

Maior suadetur primo.

Secundo.

Ad primam obiectionem respondeo, negando maiorem. Ad probationem dicatur, secundam rationem sumi ex dependentia causarum secundarum à prima in essendo, eo quod idem non potest à se ipso primo produci ratio autem sumpta ex motu, prout à nobis explicata, fundatur in dependentia causarum secundarum à prima in causando quæ dependentia probatur ex motu; eo quod, ex ipso arguitur potentialitas causæ secundæ, quæ non potest à se ipsa in actum reduci licet autem dependentiæ istæ connexæ sint, vna tamen ab alia distinguitur: ac proinde etiam prima ratio distinguitur à secunda. Ad secundam obiectionem dicatur, rationem sumptam ex motu, prout his modis explicatam, non esse ad mentem Philosophi *lib. 7. & 8. Physicorum*, quod probatio facta conuincit, & constat ex dictis supra, est tamen ad mentem illius *lib. 2. metaphysicæ textu 5. & 6.* vbi Aristoteles docet, causas secundas à prima, vt mouente dependere, & necessario deueniendum esse ad primam omninò immobilem. Et lib. 12. metaphysicæ, vbi id ipsum Aristoteles ostendit via motus intentionalis in genere appetibilis, & finis. 189

Respondetur ad primum.

Ad secundam.

Et ex his ad confirmationem constat solutio; nam licet Aristoteles *lib. 7. & 8. Physicorum*, vt Philosophus tradiderit rationem sumptam ex motu, in metaphysica tamen eandem rationem vt metaphysicus tradidit, & nos eius sequentes doctrinam, illam vtroque modo explicuimus. Pro quo est aduertendum, in motu corporeo, & physico, duplicem rationem attendi, peculiarem vnam ipsi conuenientem, prout à motu non stricto distinguitur, & aliam motui corporeo, & intentionali communem: prima ratio, in qua distinguitur, est, quod idem secundum idem absque reali distinctione non potest à se ipso moueri, & ex motu sic accepto arguebamus §. præcedenti, deueniendum necessario esse ad aliquod mouens immobile motu Physico, & corporeo; ne detur processus in infinitum in mouentibus, & motis, & hoc est, quod Philosophus *lib. 7. & 8. Physic.* intendit, vt ibi ex Diuo Thoma explicuimus, & quod stando in principijs Philosophicis potest ex dicto principio inferri, 190

Ad confir.

Id autem

191 Id autem in quo motus physicus, & motus intentionalis conueniunt, est dependentia à prima causa, vt dante virtutem, & vt illam applicante ad motum, & vt simul concurrente, & ex motu sic accepto, rectè infertur deueniendum esse ad primum principium, quod sit immobile omninò, vt constat ex dictis, quia tamen hæc dependentia sumitur ex principijs communibus, ad metaphysicam spectat illius consideratio, vnde ratio sumpta ex motu, prout his modis explicata, ad metaphysicam spectat.

§. IX.

Secunda demonstratio explicatur.

192 *Tertia conclusio.* SIT tertia Conclusio. *Via efficientiæ demonstratur existentia primæ causæ; & entis a nullo causati.* Hæc conclusio communis est apud Theologos, & non aliter probatur, quam explicando, & ad formam reducendo secundam rationem D. Thomæ in hunc modum: omne, quod fit, & causatur, ab alio causatur, & fit: ita vt nihil possit se ipsum efficere, vel causare; sed plura sunt in hoc vniuerso effecta: ergo efficiuntur, & causantur ab alio. Tunc sic; sed in causis efficientibus per se subordinatis, non potest dari processus in infinitum: ergo deueniendum est necessariò ad aliquam primam causam, quæ à nullo possit causari; ac proinde via efficientiæ demonstratiuè concluditur existentia primæ causæ, & entis à nullo causati. Secunda consequentia probatione non indiget. Prima etiam constans est cum minori, quæ ab experientia innotescit, vnde tota difficultas ad maiorem primæ consequentiæ, & ad minorem subsumptam reducitur.

193 *Maior probatur* Maior est expressa Augustini *lib. 1. de Trinitate cap. 1.* illis verbis: *Nulla enim res se ipsam gignit, vt sit.* Cyrilli Alexandrini *lib. 1. in Ioannem cap. 2.* vbi de Diuino Verbo loquens, sic ait: *Genitum à Patre scriptura prædicat, & veritas ita se habet, quod necessario à generante genitum reipsa distinguitur.* Est etiam expressa omnium Patrum Ecclesiæ, & omnium Scholasticorum, non aliunde probantium distinctionem realem personarum, & quod Pater ingenitus sit, nisi quia idem nequit à se ipso produci, & quia Filius procedit à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, & probatur manifesta, & euidenti ratione; producens enim, vel causans præintelligitur existens pro priori naturæ, vel originis ad terminum, vel effectum: effectus autem, vel terminus, aut causatus, aut productus, non potest ante productionem concipi sub existentia: ergo idem nequit à se ipso produci: alias idem secundum idem, esset existens, & non existens pro priori ad productionem; quod ex ipsis terminis implicat.

194 *Minor sub sumpta prob.* Deinde minor sublumpta probatur à Diuo Thoma 1. *Contra Gentes cap. 13. & in præsenti artic. 3.* in hunc modum. Etenim in causis per se subordinatis, primum est causa medij, & medium est causa vltimi, siue media sint plura, siue vnum tantum; sed remota causa remouetur effectus; ergo si in causis efficientibus non fuerit primum, non erit medium, nec vltimum; & consequenter non erit effectus; sed admisso in causis efficientibus processu in infinitum remouetur prima causa, in infinitum namque, cum impertransibile sit, non est assignare primum, nec vltimum: ergo dato processu in infinitum, non manet effectus; & consequenter in causis efficientibus admitti non potest.

195 *Respondebis 1.* Respondebis primo ex Aureolo apud Capreolum *in 1. dist. 3. quæst. 1.* rationem hanc non conuincere; nam causa media, etsi dependeat à causa priori, non tamen à causa prima, quod probat; non enim dependet à causa prima ex conceptu causæ: alias etiam causa prima dependeret; cum vtrique sit conceptus causæ communis; & consequenter id quod vni ex conceptu causæ conuenit vtrique debeat competere, nec ex conceptu medij, cui sufficit supponere causam priorem, & ab illa dependere; cum hoc ipso mediet vt causa inter aliam causam, & effectum, in quo ratio causæ mediæ consistit; non ergo est de ratione causæ mediæ dependere à causa prima, sed tantum dependere à causa priori; & consequenter, ex eo quod processus in infinitum, auferat causam primam; non sequitur, quod auferat causam mediam, nec effectum. Quam solutionem refert etiam suppresso Auctoris nomine Caietanus *in præsenti art. 3. vers. vnde sciendum est secundo.*

196 *Solutionē Aureoli impugnat Caietan.* Illamque in hunc modum reijcit Caietanus, causa media, in quantum causa media, essentialiter, dependet à prima; sed processus in infinitum, tollit causam primam; ergo tollit causam mediam, & effectum. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur; causa media dicitur causa ab efficacia in causando, sed vt efficax in causando dependet essentialiter à causa prima: ergo dependet à prima, vt causa media essentialiter. Maior constat; nam in præsenti sumitur causa media, vt causa in actu secundo, qualiter certum est, dici ab efficacia in causando. Minor autem probatur; causa media, vt causet, essentialiter petit suæ causalitatis complementum, sed complementum causalitatis causæ mediæ, essentialiter dependet à causa prima, vt prima: ergo causa media vt efficaciter causans, essentialiter dependet à causa prima. Minorem probat Caietanus; nam processus in infinitum in ascensu, vel descensu repugnat complemento, sed nisi causa prima assignetur, datur infinitus ascensus in causis: ergo tollitur complementum causalitatis causæ mediæ: & consequenter, vt illius efficacia compleatur, essentialiter dependet à prima.

Huic obiectioni Suarez, cui ratio ista D. Thomæ displicuit *disp. 21. metaphysica, vbi supra*, respondet, ascensum, aut descensum in infinitum, non posse successiuè pertransiri ex quo rectè sequitur, non posse causam mediam, aut, illius effectum dependere à causis infinitis successiuè vnam post aliam causantibus: non autem quod non possit dependere ab infinitis causis causantibus sine successione, & simul in vno, & eodem instanti: si autem esset possibile infinitum in actu, posset à Deo in vno instanti causari, & causæ infinitæ existentes possent omnes simul in vnum, & eundem effectum influere: ergo ratio Diui Thomæ non conuincit, nisi in sententia negante, esse possibile infinitum in actu quod admittendum non est, vt enim docet Diuus Thomas, hactenus demonstratum non est, quod implicet infinitum in actu: & consequenter si ab ista sententia ratio Diui Thomæ dependet, demonstratiua non erit. 197 *Respondetur Suar.*

Hæc tamen solutio insufficiens est, & reijcitur primò; vt enim efficacia causæ mediæ compleatur, debet dependentia illius ab alijs causis terminari; sed si in infinitum procedatur in causis subordinatis, non poterit dependentia causæ mediæ, quam ab illis habet, terminari. ergo nec illius efficacia compleri. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; non potest dependentia terminari, nisi ei terminus constituatur, sed admisso processu in infinitum in causis subordinatis, non potest dependentiæ terminus præfigi: ergo nec potest dependentia terminari. Probatur minor; dato processu in infinitum in causis subordinatis, non potest assignari causa in actu secundo causans, qua prior alia in actu secundo causans non detur: ergo nequit assignari causa à qua incipiat dependentia; sed terminus *à quo* dependentiæ idem est, quod causa in actu secundo causans, ergo admisso processu in infinitum in causis subordinatis, non potest terminus dependentiæ præfigi; & consequenter non potest dependentia terminari. 198 *Contra 1.*

Secundo, & explicatur magis efficacia argumenti. si causæ infinitæ agerent successiue successione instantis realis, & temporis, ideò non posset dependentia effectus compleri, vel terminari, quia non est assignabile instans temporis à quo, vel in quo inciperet causarum influxus: sed si causæ subordinatæ sint infinitæ, non potest assignari instans, vel signum naturæ, à quo incipiat operatio: ergo cum infinitudine in causis subordinatis non potest dependentia effectus compleri, vel terminari. Maior constat: non enim potest alia ratio assignari. Minor etiam non minus aperta videtur: ideo namque in successione temporis infinita causarum, non potest assignari instans temporis, in quo incipiat operatio, quia ante quodlibet instans signatum, restat semper aliud prius: sed data infinitudine in causis subordinatis, ante quodlibet instans naturæ, semper datur aliud prius: ergo hac infinitudine admissa, non potest assignari instans, vel signum naturæ, à quo incipiat operatio. Consequentia autem probatur; non enim minus dependet effectus ab instantibus, vel signis naturæ, quam ab instantibus temporis, ergo si non assignato primo temporis instanti non potest dependentia effectus compleri, non assignato primo instanti, vel signo naturæ, non poterit terminari. 199 *Secundo.*

Ex ex his ad argumentum Suarez constat solutio, data namque infinitudine causarum actu existentium, possent omnes simul tempore influere in diuersos effectus, vel in vnum, & eundem, sine subordinatione vnius ad aliam, ad 200 *Motiuo Suarez, & Aureoli fit satis.*

modum

modum cauſarum partialium, vel totalium in ſententia id iudicante poſſibile; non autem poſſent omnes in eundem effectum influere cum ſubordinatione eſſentiali ob rationem aſſignatam. Ex his etiam corruit argumentum Aureoli; dicimus namque, cauſam mediam dependere à cauſa prima, non ex conceptu cauſæ, nec ex conceptu mediæ, ſed ex vtroque, videlicet cauſæ mediæ, & hoc ideo, quia niſi cauſa prima aſſignetur, non poteſt illius dependentia compleri; & conſequenter, nec ipſa poteſt cauſare ob rationem D.Thom. & Caietani.

201 *Vlterius Aureoli ſolutione reijcitur.* Deinde Aureoli ſolutio reijcitur, probando cauſam mediam, non ſolum à cauſa priori, ſed etiam à cauſa prima eſſentialiter dependere, in hunc modum. Etenim cauſa media eo exigit cauſam priorem, quia ſe ſola inſufficiens eſt ad effectum: ergo à cauſa priori dependet, vt ab illa ſua inſufficientia iuuetur, & cum illa ſufficiens cauſa ſui effectus conſtituatur; at à ſola priori non poteſt inſufficientia ſuppleri, nec completa ſufficientia præſtari: ergo eſſentialiter dependet, non ſolum à cauſa priori, ſed etiam à cauſa prima. Probatur minor, cauſa eſſentialiter ſufficiens non poteſt ſe ſola inſufficientiam ſupplere, & completam ſufficientiam præſtare; ſed cauſa prior non prima, ſe ſola eſſentialiter eſt inſufficiens: ergo à cauſa ſola priori non prima, non poteſt inſufficientia cauſæ mediæ ſuppleri, & compleri ſufficientia. Conſequentia tenet. Maior ex ipſis terminis claret, & minor probatur; cauſa prior non prima, ſed media, eſt cauſa eſſentialiter dependens ab alia; ſi namque eſſet cauſa omninò ab alia independens, non media, ſed prima eſſet; cum ratio cauſæ primæ in conceptu cauſæ independentis conſiſtat; ſed cauſa eſſentialiter ab alia dependens, eſt ſe ſola eſſentialiter inſufficiens; cum eſſentialiter iuuamine alterius indigeat: ergo cauſa prior non prima, ſed media, eſt ſe ſola eſſentialiter inſufficiens.

202 *Confirm. 1.* Confirmatur, & vrgetur primò; quia accidens ex ſua eſſentia dependet à ſuſtentante, implicat, quod ſe ſolo aliud accidens ſuſtentet; ſed cauſa media non prima, eſt cauſa eſſentialiter ab alia dependens, illaque indigens: ergo non poteſt ſe ſola inſufficientiam cauſæ mediæ ſibi ſubordinatæ ſupplere, illique ſufficientiam præſtare. *Confir. 2.* Confirmatur, & vrgetur ſecundò, quia cauſa inſtrumentalis ex ſuo conceptu eſſentiali ab alia cauſa dependet, non poteſt ſe ſola aliam cauſam inſtrumentalem iuuare, eiuſque inſufficientiam ſupplere; ſed cauſa media, vt talis, eſt cauſa eſſentialiter ab vlteriori cauſa dependens: ergo implicat, quod ſe ſola cauſam ſibi ſubditam, iuuet, & illius ſuppleat inſufficientiam.

203 *Vltimo reijcitur ex Capr.* Denique contra eandem ſolutionem arguit Capreolus vbi ſupra. Nam accepta tota collectione cauſarum, præter illam, quæ eſt proxima effectui, vel datur in illa aliqua pars mouens non mota, & cauſans non cauſata, vel talis pars in illa collectione non datur; quodcumque dicatur; concluditur neceſſitas cauſæ primæ: ergo cauſa media, quæ eſt proxima effectui eſſentialiter dependet, non ſolum à cauſa priori vt tali, ſed etiam à cauſa prima. Maior cum conſequentia tenet. Minor pro prima parte eſt certa: nam illa cauſa collectionem componens, mouens non mota, & cauſans incauſata, eſt primum mouens, & cauſa prima: ergo ſine illa collectione cauſarum ingreditur mouens non motum, & cauſa incauſata ingreditur cauſa prima. Pro ſecunda parte probatur; ſi namque in tota illa collectione non eſt cauſa mouens non mota, & cauſans incauſata: ergo tota collectio cauſarum eſt mota, & cauſata ab aliquo non contento in collectione, ſed extra illam exiſtente; at hoc extra collectionem exiſtens, & totam collectionem mouens, & cauſans, eſt mouens immotum, & cauſans incauſatum: ergo eſt cauſa prima, ac proinde data ſecunda parte minoris concluditur cauſa prima.

204 *Minor ſubſumpta patet.* Minor ſubſumpta eſt clara; nam tota collectio ſupponitur mota, & cauſata: ergo cauſa extra totam collectionem exiſtens, eſt cauſa non mota, & cauſa immediata; & conſequenter eſt cauſa prima. Quod autem ſi tota collectio eſſet mota, & cauſata, debeat ab aliquo extra collectionem cauſari, & moueri, probatur; non enim poteſt tota collectio cauſarum ab aliquo intra illam contento cauſari: aliàs idem cauſaret ſe ipſum, quod implicat: ergo neceſſariò cauſatur ab aliquo extra collectionem. Probatur ſequela; cauſans totam collectionem, cauſat omnes collectionis partes: ergo ſi cauſans totam collectionem, eſt pars collectionis, talis pars cauſat ſe ipſam, & conſequenter ſi tota collectio cauſarum præter illam quæ eſt proxima effectui eſt mota, & cauſata ab aliquo in collectione contento, ſequitur, idem ſe ipſum cauſare, & primò mouere, quod implicat.

Reſpondebis primò; non ſequi idem ſe ipſum cauſare; nam poterit vna pars aliam cauſare, & ab eadem parte cauſari, ac proinde abſque eo, quod idem ſui ipſius ſit cauſa, poterit tota collectio cauſarum eſſe mota, & eſſe cauſata. Vel ſecundò reſpondebis, collectionem totam cauſarum eſſe immotam, & incauſatam, omnes tamen collectionis partes, eſſe cauſas cauſatas, nec in hoc aliqua contradictio intercedit, cum plura collectioni ex multis conueniant, quæ partibus collectionis ſeorſim acceptis repugnant, & è contra; ſicut plura de toto enunciantur, quæ nequeunt enunciari de partibus componentibus totum, & è conuerſo. 205 *Reſpondebis 1.* *Secundo.*

206 *Prima reijcitur.* Sed neutra ſolutio ſatisfacit, & contra primam facit, nam eadem repugnantia inuenitur in mutua illa cauſalitate, atque in eo, quod idem ſit cauſa efficiens ſui ipſius; ſed hoc implicatorium ab omnibus iudicatur, ergo primum repugnans debet cenſeri. Conſequentia cum minori tenet. Maior autem probatur; idem namque ſe ipſum primo producere, inde implicare, probatur: quia cauſa efficiens præintelligitur exiſtens pro ſigno priori ad actionem, & effectum: effectus autem pro illo ſigno exiſtens non intelligitur, ſed potius, vt non exiſtens, eſt autem implicatorium, quod pro vno, & eodem ſigno idem concipiatur exiſtens, & non exiſtens; at hæc ratio æquali efficacia militat, vt idem non poſſit eſſe cauſa efficiens, & effectus, ſui effectus in genere cauſæ efficientis: ergo eadem repugnantia, & implicatio inuenitur in hac cauſalitate reciproca; atque in eo quod idem efficiat ſeipſum. Probatur minor; cauſa efficiens præſupponitur, præintelligiturque exiſtens pro ſigno priori ad effectum: ergo ſi idem cauſat efficienter effectum, & ab illo viciſſim efficitur, præintelligitur exiſtens ea ratione, qua eſt cauſa, & non præintelligitur exiſtens pro ſigno priori ad effectum, quandoquidem ab illo producitur; & conſequenter ad eius exiſtentiam, vt præſuppoſitam, & præ intellectam conſequitur.

207 *Vrgetur.* Quod amplius vrgetur; non enim ſola cauſa immediata, ſed etiam cauſa mediata efficiens; præſupponitur ad ſuum effectum exiſtens, ſed data mutua cauſalitate effectiua, idem ſe ipſum mediate ſaltem efficeret: ergo præſupponeretur exiſtens pro illo priori, vtpote ſui ipſius cauſa efficiens, & non præſupponeretur exiſtens vtpote effectus mediatus ſui: ac proinde idem inconueniens ſequitur ex mutua cauſalitate effectiua duorum, atque ex eo quod idem ſit cauſa efficiens immediata ipſius.

208 *Secunda ſolutio reijcitur.* Deinde ſecunda ſolutio reijcitur: implicat collectio ſpiritualis, cuius omnes partes materiales ſint, & corporeæ, implicat etiam collectio viuens, cuius nulla pars ſit viuens, necnon collectio rationalis, cuius omnes partes ſint rationis inexpertes, ac inſuper collectio ſubſiſtens, cuius nulla pars ſubſiſtat; ac denique implicat collectio ſubſtantialis, cuius nulla pars ſit ſubſtantia, ſed omnes ſint accidentia: ergo pariter implicat collectio incauſata, aut incauſabilis, cuius omnes partes ſint ab alio dependentes, & cauſatæ, & collectio immota, aut immobilis, cuius omnes partes ſint motæ. Antecedens quoad omnes partes eſt notum. Conſequentia autem probatur à paritate rationis, non enim minor oppoſitio inuenitur inter cauſatum, & incauſabile, quam inter prædicata antecedentis; ergo ſi hæc non poſſunt in collectione, & partibus collectionis componi; pariter ratio incauſati, aut incauſabilis non poteſt collectioni competere, ſi ſunt omnes partes collectionis cauſatæ.

209 *Confirmatur 1.* Confirmatur primo vltimum exemplum vrgendo; non minùs opponuntur ratio entis à ſe, & ab alio, quam ratio entis in ſe, & in alio, quod idem eſt, ac ratio accidentis, & ſubſtantiæ, ſed implicat collectio, quæ ſit ens in ſe, id eſt ſubſtantia, ſi omnes collectionis partes ſint accidentia, & ens in alio: ergo implicat collectio, quæ ſit ens à ſe, & non ab alio, ſi omnes illius partes ſint entia non à ſe, ſed ab alio; Explicatur, & vrgetur ſecundò, non minus inter ſe pugnat dependentia à ſubiecto inhæſionis; & independentia ab illo, quam dependentia à cauſa efficienti, & independentia ab illa; ſed collectio, cuius omnes partes dependent à ſubiecto inhæſionis, nequit eſſe à ſubie- *Secundo.*

subiecto independens: ergò collectio, cuius omnes partes dependent à causa efficiente, non potest esse à causa efficiente independens: ac proinde si omnes causæ sint motæ, & causatæ ab alio, tota collectio causarum, ab alio est mota, & causata; cumque non possit ab aliquo intra collectionem esse causata, & mota, debet esse mota, & causata ab aliquo existente extra illam, quod sit incausabile, & immobile, in quo ratio primæ causæ consistit. Rectè igitur via efficientiæ existentia primæ causæ demonstratur. Circa alias rationes, quibus D. Th. Dei existentiam demonstrat, videantur Capreolus, Caietanus, Ferrara, Nazarius, & Magister S. Thoma locis vbi supra relatis.

§. Vltimus.

Obiectionibus contra rationem istam occurritur.

210 *Arguitur primò.* Contra rationem istam argumentari possumus primò; idem namque potest seipsum efficienter immediatè producere: ergo falsum est principium, cui innititur ratio facta; nempe; *omne quod fit, ab alio fit*; & consequenter ratio in illo fundata, est nulla. *Antecedens suadetur 1.* Antecedens ostenditur primò; idem potest seipsum efficienter conseruare, vt docet Suarez, plures referens *Tom. 3. in 3. p. disp. 50. sect. 4.* vbi ait: actionem conuersiuam panis in corpus Christi, à corpore Christi, vt instrumento procedere, esseque conseruationem corporis Christi sub speciebus Sacramentalibus: ergo idem etiam potest seipsum efficienter immediatè causare. *Consequentia patet primò.* Patet consequentia primò; quia conseruatio est continuata productio: ergo si idem potest efficienter conseruare seipsum, poterit etiam idem seipsum efficere. *Secundò.* Secundò; nam sicut producens supponitur pro priori naturæ ad productionem, ita conseruans pro priori naturæ ad actionem conseruantem supponitur; sed hoc non obstante, potest idem conseruare efficienter seipsum: ergo etiam id non obstabit, vt idem possit seipsum producere.

211 *Secundò antecedens probatur.* Secundò idem antecedens probatur; nam idem potest seipsum efficienter reproducere: ergo & poterit seipsum primò effectiuè producere. Consequentia patet, tum à paritate rationis. Tum etiam, quia sicut producens præsupponitur productioni, ita, & reproductioni: ergo si hoc non obstante, potest idem esse principium reproductionis sui poterit etiam esse suæ primæ productionis principium. Antecedens autem probatur; vt enim docent aliqui, quos sine nomine refert Cornelio *Tom. 2. q. 75. art. 4. disp. 2. dub. 5.* conuersio panis in corpus Christi existentis sub speciebus Sacramentalibus est reproductio corporis Christi; & tamen est ab eodem corpore Christi, vt à causa instrumentali: ergo idem potest esse principium reproductionis sui.

212 *Resp. 1.* Respondeo negando antecedens. Ad illius probationem, negandum est antecedens cum frequentiori, & vera sententia asserente, sicut implicat idem à seipso produci: ita implicare, quod idem à se ipso conseruetur: Auctores autem dictam sententiam tenentes respondent, concesso antecedenti, negando consequentiam, & discrimen assignant, quia nempè, ante productionem res producta non supponitur, & consequenter non potest esse productionis sui principium: ad conseruationem autem supponitur res producta ex vi suæ productionis, idemque potest vt instrumentum assumi ad sui conseruationem, non quæ sit actio eadem cum prima productione, sed ab illa distincta, vnde in corpore Christi distinguunt duplicem actionem conseruatiuam, alteram connaturalem, qua conseruatur in cœlo, & aliam miraculosam, qua conseruatur, & in Sacramento ponitur, primam terminat, & illius principium non est, & vt hanc terminans supponitur ad secundam, & est principium illius, cuius doctrinæ veritatem discutere, nostrum in præsenti non est, videantur Theologi loco allegato.

213 *Aliter potest responderi, & simul instaurari ratio nostra.* Posset etiam quoad rem nostram aliter argumento facto occurri, prætermisso antecedenti, distinguendo consequens: ergo potest idem seipsum producere primò, vt causa principalis, & secundum leges naturæ, nego consequentiam: de potentia absoluta, & vi instrumentum obedientiale, transeat consequens: nec ex eo quod hoc modo possit aliquid seipsum producere, ratio sumpta ex efficientia infirmatur; nam potest sic instaurari, nihil potest seipsum connaturaliter saltem, & vt causa principalis producere: ergo omne quod producitur ab alio, vt à causa principali, & connaturaliter producitur; sed in causis subordinatis non potest processus in infinitum admitti; ergo deueniendum est ad causam, quæ improducta sit, & à se.

214 *Si respondeas. Contra.* Nec poterit responderi, negando ea, quæ producta sunt, connaturaliter esse producta: ac proinde non constare, quod à se producta non sint. Nam hæc euasio facili negotio præcluditur. Nam producens non connaturaliter, necessariò dependere debet ab aliquo superiori, in cuius virtute producit, & causa instrumentalis à principali necessariò dependet: ergo si causæ secundæ creatæ seipsas instrumentaliter, & non connaturaliter causant, necessariò dependent à causa superiori, in cuius virtute causant, & cum non possit dari processus in infinitum, deueniendum est necessariò ad causam incausatam, & existentem à se. Et ex his ad secundam probationem eadem potest duplex solutio adhiberi, sed primæ magis fidendum.

215 *Arg. 2.* Secundò arguitur; esto idem non possit seipsum efficienter causare potest tamen causa efficiens alicuius effectus vicissim ab illo effici; sed per hoc vitatur processus in infinitum, quin detur causa efficiens incausata, & à se existens: ergo ex efficientia rerum non concluditur existentia causæ incausatæ, nec entis à se existentis. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur; vt enim ex Aristotele 2. *Physicorum textu 3.* docet D. Tho. *ibi lectione 5. lib. 5. Metaphysicæ lect. 2. opusc. 31. §. Viso autem, quæst. 28. de Veritate art. 8. & 1. 2. quæst. 113. art. 8.* causæ sibi inuicem sunt causæ, vt deambulatio, quæ est causa efficiens sanitatis, causatur à sanitate in genere causæ finalis, materia causat formam in genere causæ materialis, & ab illa causatur; expulsio peccati est prior introductione gratiæ in genere causæ materialis, & posterior illa in genere causæ formalis, & vt plures tenent, estque in via D. Thomæ frequentius, gratia habitualis causat contritionem in genere causæ efficientis, ab illaque causatur in genere causæ dispositiuæ, & materialis: ergo poterit causa efficiens à suo effectu causari in eodem genere causæ efficientis. *Arist. S. THO.* Patet consequentia; nam ratio cur non potest in genere causæ efficientis à suo effectu causari, est, quia cum sit causa sui effectus, est prior illo; ideoque non potest ab illo effici; aliàs respectu vnius, & eiusdem esset prior, & posterior, quod à nobis impossibile censetur; sed hæc ratio est nulla, dato posse inter duo interuenire mutuam causalitatem in diuerso genere causæ: ergo hoc concesso, non debet implicatoria censeri mutua causalitas in eodem genere causæ. Probatur minor; nam de ratione cuiusuis causæ est, priorem esse effectu, non quidem prioritate *in quo*, vel temporis, sed prioritate naturæ, & *à quo*: ergo concessa mutua causalitate, licèt in diuerso genere inter duo, datur inter illa mutua prioritas, idemque respectu eiusdem prius, & posterius est: ac proinde in hoc nulla repugnantia inuenitur.

216 *Confir. 1.* Confirmatur primò; actio creatiua in sententia illam constituente in aliquo transeunte, quæ extra Scholam D. Thomæ est probabilis, recipitur in termino à se producto; & consequenter causat sui causam receptiuam, & materialem: ergo etiam poterit res aliqua efficienter causare sui causam efficientem. *Secundò.* Confirmatur, & vrgetur secundò; nam gratia habitualis, cum sit principium *quo* radicale vitale actus charitatis, & contritionis, est etiam principium *quo* receptiuum illius in principijs communibus Thomistarum; & consequenter est causa materialis actus contritionis; & tamen causatur ab illa dispositiuè, quæ causalitas pertinet ad genus causæ materialis: ergo nedum in diuerso, sed etiam in eodem genere causæ est dabilis mutua causalitas: ac proinde non repugnabit duo se inuicem causare in genere causæ efficientis.

217 *Confir. 3.* Confirmatur tertiò; vt enim docet D. Th. *quæst. 28. de Veritate art. 8. ad 2.* contritio, si secundum se consideretur, non se habet ad gratiam, nisi per modum dispositionis, sed si consideretur, vt habet virtutem clauium in voto, sic Sacramentaliter operatur in virtute Sacramenti Pœnitentiæ: iuxta quam doctrinam contritio in virtute Sacramenti Pœnitentiæ, vel vt est pars Sacramenti instrumentaliter physicè gratiam producit; causalitas enim Sacramentorum physica est in communi Thomistarum doctrina, & tamen vt frequentiùs à Thomistis docetur, contritio efficienter procedit à gratia habituali: ergo in genere causæ efficientis datur inter duo mutua causalitas: ac proinde potest aliquid sui causam efficientem efficere.

218 *Vltimò.* Confirmatur, & vrgetur vltimò; ex eo quod aliquid causet efficienter causam efficientem, non sequitur, causare seipsum efficienter mediatè: ergo nulla est repugnantia. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autem proba-

tur;

tur; ex eo quod aliquid causet sui causam finalem, non sequitur, quod se causet mediate, similiter ex eo quod materia causet formam ipsam causantem, non sequitur, se causare mediatè; ex eo etiam, quod gratia efficienter causet actum contritionis vltimo disponentem ad ipsam, non sequitur, à seipsa causari mediatè: ergo ex eo quod aliquid efficiat causam efficientem sui, non sequitur, se efficere efficientia mediata. Patet consequentia. Tùm à paritate rationis: tùm etiam vltimum exemplum vrgendo; licet namque causans vltimam dispositionem ad formam, ipsam efficienter causet, quando agit per formam à forma introducenda distinctam; cum verò forma, quæ efficienter causat vltimam dispositionem, est eadem cum illa, quæ terminat causalitatem dispositiuam, causans vltimam dispositionem, non causat formam efficienter, etiam mediatè: qua ratione vtuntur Nostri Thomistæ, vt defendant, gratiam, seipsam non efficere, quamuis efficienter causet actum contritionis vltimo disponentem ad illam: ergo pariter, licet causans efficienter causam efficientem effectus à priori causa distincti, illum efficiat mediatè, si verò effectus non distinguatur à causa causæ efficientis, non causabitur ab illa mediatè; & consequenter ex eo quod aliquid efficiat causam efficientem se, non sequitur, quod in se mediate efficienter influat.

Vltimum exemplū vrgetur.

Argumento principali quidam Recentiores conuicti,
219 negant vniuersaliter posse inter duo mutuam dari causalitatem, etiam in diuerso genere causæ, non valentes, aut nolentes percipere aliquam rationem discriminis inter mutuam causalitatem in diuerso genere; atque in eodem genere causæ, excepta causa finali, quam inquiunt, posse in sui causam efficientem finaliter exercere; addunt tamen causam finalem non esse cum proprietate causam; & ideò hoc potest in causa finali contingere. Hæc tamen solutio, & doctrina in primis est contra D. Thomam, qui, vt vidimus, non solum inter causam finalem, & efficientem mutuam admittit causalitatem, sed etiam inter materiam, & formam *Opusc.* 31. & inter expulsionem peccati, & introductionem gratiæ, *quæst.* 28. *de Veritate*, mutuam concedit causalitatem in genere causæ materialis, & formalis.

Respondent quidam Recentiores.

Contra 1.

Deinde; nam falsum est, causam finalem causam pro-
220 priam non esse, de quo 2. *Physicorum*, imò, vt plures ibi docent, in ratione, & genere causæ, alijs causis antecellit, quia est prima, & independentior. Præterea; nam forma corruptibilis à materia dependet in genere causæ materialis, & ex alia parte materia à forma in genere causæ formalis causatur: ergo datur mutua causalitas, non solum inter causam efficientem, & finalem, sed etiam inter causam materialem, & formalem. Antecedens pro prima parte est certum; pro secunda probatur: ideò namque forma materialis à materia dependet, quia nequit existere sine illa; sed materia, saltem connaturaliter, sine aliqua forma ipsam informante non potest existere: ergo dependet ab illa in genere causæ formalis.

Secundò.
Tertiò.

Si dicas; dependere à posteriori, quæ stricta dependen-
221 tia non est; non autem dependentia priori, eo quod materia præsupponitur ad formam, non autem è contra; forma namque non præcedit materiam, quod necessum erat, vt materia dependeret ab illa in genere causæ formalis. In contrarium obstat; licet namque forma non præcedat materiam prioritate *in quo*; illam tamen prioritate *à quo* antecedit; at hæc præcedentia sufficit, vt materia à forma dependeat dependentia stricta, & à priori: ergo ita dependet. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; si forma non esset prior materia prioritate *à quo*, ideò esset, quia materia est prior forma; at hoc obstare non potest: ergo est prior à prioritate *à quo*.

Si dicas.

Contra.

Minor, in qua est difficultas, probatur in sententia aduersariorum docente, creationem esse actionem transeuntem receptam in termino per illam producto, qua sententia præsupposita, probo minorem: nam iuxta illam creatio vtpote de prædicamento actionis, est verum accidens reale; sed omne accidens dependet à subiecto, in quo recipitur in genere causæ materialis: ergo terminus creationis, in quo creatio recipitur, est causa materialis actionis creatiuæ; & consequenter illam prioritate *à quo* præcedit; & tamen creatio est prior termino per illam producto in genere causæ efficientis: ergo quod materia sit prior forma materiali in genere causæ materialis, non obstat, quo minus forma sit prior *à quo* materia in genere causæ formalis: ac proinde minor est vera.

222 Et ex his vlteriùs tradita doctrina reijcitur; etenim in sententia supposita; creatio est verum, & reale accidens in termino creato receptum; sed de ratione accidentis est dependere à subiecto in genere causæ materialis; cum accidentis esse, sit inesse, quo circa non tam dicitur ens, quam entis ens, vt communiter fatentur Philosophi, & Metaphysici: ergo creatio dependet à suo termino in genere causæ materialis; & alias terminus ab illa dependet in genere causæ efficientis: ergo datur mutua causalitas, non solum inter causam efficientem, & causam finalem, vt asserunt præfatæ solutionis Auctores, sed etiam inter causam efficientem, & materialem; & consequenter admittenda etiam erit in alijs causarum generibus.

Vlterius tradita doctrina reijcitur.

Respondebis cum contrarijs Auctoribus, inhærentiam non esse de ratione omnis accidentis, sed vel inhærere subiecto, vel illi adhærere, ad quod sufficit, quod licet à subiecto non dependeat, dependentia stricta, vt ab aliquo priori, dependeat dependentia à posteriori, vt ab aliquo ad illud secuto, & sine quo esse non potest, & hoc totum in creatione saluatur, quæ sine suo termino nequit existere ratione connexionis cum illo, vt cum aliquo necessariò ad ipsum secuto, non quia illum prætupponat prioritate aliqua *à quo*. 223

Respondebis.

Hæc tamen solutio in primis aduersatur communi Philosophorum, & Metaphysicorum doctrinæ asserentium, de ratione accidentis esse inhærere aptitudinaliter subiecto, & per hanc aptitudinalem inhærentiam accidens definientium: non autem licet recedere à definitionibus rerum ab Antiquioribus traditis; aliàs nihil fixum erit, cum negatis rerum essentijs, quæ non aliter, quam ex ipsorum definitionibus possunt cognosci, prima principia negentur.

Contra 1.

Deinde; nam dependentia accidentis à subiecto arguit imperfectionem in illo, & inferioritatem respectu substantiæ; at dependentia à substantia à posteriori, quæ non in inhærentia, sed in adhærentia consistit, non imperfectionem arguit, sed potius perfectionem, nec inferius substantiæ constituit, sed potius illa superius; cum talis dependentia consistat in connexione cum substantia, vt cum termino ab accidenti producto, ab illoque à priori dependente: ergo talis dependentia, & adhærentia ad substantiam nequit accidens in ratione accidentis constituere. 224

Secundò.

Denique principalis solutio reijcitur; nam quod mutua efficientia principalis repugnet, est omnium Theologorum, & Metaphysicorum, nullo discrepante, sententia, quod autem possit dari mutua inter duo causalitas in diuerso genere causæ a pluribus tam intra, quam extra Scholam D. Tho. cum Angelico Præceptore docetur: ergo hæc sententia deserenda non est, vt illa defendatur, & oppositum tacientes potius oneri argumenti succumbunt, quam illud soluant.

Vltima principalis solutio reijcitur.

Vnde, hac solutione, vt omninò insufficiente relicta, ad argumentum respondeo, negando antecedens. Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: datur mutua prioritas, & posterioritas in diuerso genere causæ, concedo consequentiam: in eodem, nego consequentiam; repugnantia autem non est in hac mutua prioritate, sed solùm in mutua prioritate in eodem genere causæ sicut namque, quod vnum aliud excedat, & ab illo excedatur in vno, & eodem genere, est omninò repugnans: mutuus autem excessus in diuersis generibus, seu diuersis perfectionibus, ita vt quod in vno excedit, excedatur in alio, nullam repugnantiam dicit, sed multoties contingit; ita, quod in vno genere causæ detur mutua prioritas inter duo, implicat contradictionem; quod autem, quod in vno genere causæ præcedit, subsequatur in alio, & quod in vno causæ genere est prius, sit in alio genere posterius respectu eiusdem, nullam repugnantiam includit. 225

Vera solutio argumenti.

Et quidem, quod vnus, & idem effectus à duplici causa adæquata eiusdem generis, & ordinis simul procedat, implicat contradictionem in veriori sententia, & quod naturaliter id non possit contingere, docetur ab omnibus; & tamen à pluribus causis adæquatis diuersæ conditionis, & generis, non solùm non repugnat, sed est necessarium, vt constat in composito materiali dependente à materia, à forma, ab efficiente, à fine, & à causa exemplari, vt à causis in suo genere adæquatis. Sicut ergo hoc præstatur à sola diuersitate generis, & conditionis causarum, ita eadem diuersitas præstat, vt non repugnet in vno respectu alterius mutua prioritas, & posterioritas, quam- 226

Instatur.

uis in vno, & eodem genere sit omninò repugnans.

227 *Ad 1. & 2. confir.* Ex quibus ad confirmationes constat solutio; creatio namque est prior termino in genere causæ efficientis, illoque posterior in genere causæ materialis: gratia autem, & contritio, se mutuò præcedunt iuxta illam sententiam, non in eodem genere intimo causæ, sed in eodem genere subalterno, & diuisibili in diuersos modos causandi; nam licet causalitas dispositiua, & receptiua pertineant ad genus causæ materialis; hoc tamen genus non infimum, sed subalternum est; & licet repugnet mutua causalitas in eodem genere infimo causæ, non tamen in eodem genere subalterno, & diuisibili per diuersos modos causandi, vt constat in potentia vitali, quæ actum vitalem specificat, & vicissim ab illo specificatur; & consequenter datur inter potentiam, & actum vitalem mutua causalitas formalis extrinseca specificatiua, quia quamuis se mutuò specificent, non tamen eodem modo; nam potentia specificat, vt principium actiuum; actus autem potentiam specificat vt finis illius.

228 *Ad tertia.* Et ex his ad tertiam confirmationem constat solutio; nam contritio, vt pars Sacramenti causat gratiam, vt causa instrumentalis, non ipsi gratiæ subordinata, sed Deo eleuanti Sacramenta, vt sint causæ gratiæ; & à gratia causatur in genere causæ efficientis principalis, quæ causalitas, et si conueniat in genere causæ efficientis, hoc tamen vt diuiditur in causam principalem, & instrumentalem, non est genus infimum, sed subalternum; cum causa efficiens principalis, & instrumentalis, longè distent in modo causandi: sed de his plura 1. 2. *quæst.* 113. *art.* 8. vbi agitur, an contritio, & actus charitatis, vltimo disponentes ad gratiam habitualem, ab illa procedant, in genere causæ efficientis; & licet vtraque pars, tam affirmans, quam negans sint in via D. Th. probabiles; affirmanti tamen frequentiùs adhærent Thomistæ, quibus fauere videtur D. Tho. *quæst.* 28. *de Veritate art.* 8. *præcipuè solutione ad quartum ex argumentis positis secundo loco*, si solutio rectè cum argumento conferatur.

229 *Ad vltimam.* Ad vltimam confirmationem, nego antecedens. Ad illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad cuius primam probationem, nego paritatem rationis. Disparitas autem est, vt enim causa causæ, sit causa mediata effectus; requiritur, quod causa effectus, sit effectus alterius causæ in eodem genere causæ; cum autem genus causæ varia tur, consequentia non tenet; sicut mutuus excessus inter duo in eodem genere, eademque perfectione, si daretur, inferret idem se ipsum excedere: secus autem si excessus sit mutuus non in eodem, sed in diuerso genere, & diuersa perfectione, v. g. si Petrus in sapientia excederet Paulum, & in eadem sapientia excederetur ab illo, rectè inferretur, Petrum seipsum excedere; secus autem ex eo quod Petrus excedens in sapientia Paulum, ab illo in fortitudine, in virtute, aut nobilitate excedatur, sic in præsenti, ex eo quod Petrus efficienter Paulum causaret, & in eodem genere causæ efficientis causaretur ab illo, rectè infertur, fore vt Petrus seipsum efficienter mediatè causaret; secus autem in exemplis in argumento adductis contingit, quia intercedit mutua causalitas, mutuaq; prioritas in diuerso genere causæ.

230 *Ad 2. probationem.* Ad secundam probationem dicatur; causam ab effectu distinctam, efficientem vltimam dispositionem, non influere effectiuè in effectum propter mediatam causalitatem, scilicet, mediantibus vltimis dispositionibus, sed quia ex hoc fine, vltimo disponit materiam, & in illa efficiat formam, ad quam dispositiones ordinantur; cum autem forma, quæ terminat dispositiuam causalitatem, supponitur ex parte principij, non causantur à principio illa forma constituto in actu primo dispositiones, eo fine, vt formam efficiat, ideoque non influit efficienter in illam, sed infunditur à Deo medijs illis dispositionibus, qui est potens formam infundere.

231 *Contra solutionẽ 2. & 3. confirmationis insurges 1.* Cæterum contra solutionem secundæ, & tertiæ confirmationis objicies; vt enim asserebamus, etsi repugnet mutua inter duo causalitas in eodem genere infimo causæ, non tamen repugnat mutua causalitas inter duo in eodem genere causæ subalterno, & diuisibili per diuersos modos causandi; sed genus causæ efficientis principalis non est infimum, sed subalternum, & diuisibile per diuersos modos causandi, nempè, causæ primæ, & secundæ, causæ vniuersalis, & particularis: ergo poterunt causæ creatæ se mutuo efficienter producere; & consequenter poterunt omnes causæ esse causatæ, sine eo quod detur processus in infinitum.

Et vrgebis ex doctrina, qua occurrimus vltimæ confirmationi; etenim ex illa sequitur, posse causam efficientem creatam effici à suo effectu, quin se ipsam efficiat, etiam mediatè; consequens est contrà dicta: ergo & doctrina à nobis vltimæ confirmationi in solutionem exhibita. Probatur sequela; vt enim asserebamus, ideò materia prima, v. g. ex eo quod causet formam substantialem, & ab illa causetur, non sequitur, se adhuc mediatè causare, quia causat, & causatur in diuerso genere causæ. Ideoq; quamuis gratia habitualis receptiuè causet contritionem, & ab illa dispositiuè causetur, non sequitur, seipsam materialiter causare, quia licet causet, & causetur in eodem genere causæ, nempè, materialis, non tamen causat, & causatur in eodem genere infimo, sed subalterno, & diuisibili per diuersos modos causandi; sed etiam genus causæ efficientis non infimum, sed subalternum est, vt probauimus: ergo ex eo quod causa efficiens creata in alio modo, & quasi genere causæ efficientis à suo effectu causetur, non sequitur, seipsam efficere adhuc mediatè. 232 *Secundò.*

Quod amplius vrgetur; licet namque contritio, vt pars Sacramenti efficienter influat in gratiam habitualem, & ab eadem gratia efficiatur, non sequitur, contritionem seipsam mediatè efficere; & licet gratia habitualis efficienter causet contritionem, & ab illa efficienter causetur, non sequitur, gratiam habitualem seipsam efficere, efficientia adhuc mediata; & hoc ideò, quia licet se mutuò efficiant in genere causæ efficientis, non tamen se efficiunt in eodem genere infimo, sed subalterno: ergo pariter, ex eo quod causa efficiens creata, à suo effectu efficeretur, non fieret, vt se adhuc mediatè causaret per hoc solùm, quod se mutuò causarent in eodem genere subalterno causæ efficientis, non verò in eodem genere infimo. 233 *Tertiò.*

Respondeo ad obiectionem, concessa maiori, & minori, negando consequentiam. Nam licet genus causæ efficientis, non sit infimum, sed subalternum, est tamen talis conditionis, vt in ipsa diuisione importetur repugnantia mutuæ causalitatis; nam eo ipso, quod causa diuidatur in particularem, & vniuersalem; cum repugnet, causam vniuersalem à particulari effici, in ipsa diuisione inuoluitur repugnantia mutuæ causalitatis. Præter quam quod; cum causa particularis in ratione causæ subordinetur causæ vniuersali, causetque in virtute illius; implicat, quod vniuersalis, vt talis, à causa particulari efficiatur; aliàs causa vniuersalis seipsam efficienter causaret cum causet omne id, quod a causa particulari in illius virtute causatur; vnde licet diuersitas in modo causandi, intra genus subalternum causæ, permittat mutuam causalitatem, non tamen illam exigit positiuè, sed potest repugnare quandoque ob aliquam specialem rationem, idque in genere causæ efficientis contingit, vt explicuimus. 234 *Respondetur.*

Et ex his ad confirmationem primam, nego sequelam. Ad illius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam causa particularis, etsi distincta in ratione causæ sit à causa vniuersali, distinctio tamen in subordinatione consistit, nempè in eo quod particularis subordinatur vniuersali, causatque in virtute illius; non autem est possibile, vt effectus ab vna causa procedens, vt in virtute alterius causante, non causetur ab illo, in cuius virtute causat; quo circa implicat, effectum causæ instrumentalis non causari efficienter à causa principali tribuente instrumento, virtutem: ac proinde eo ipso, quod causa vniuersalis à particulari efficienter procederet, non posset non procedere efficienter à seipsa. In alijs autem generibus causæ, in quibus à nobis mutua admittitur causalitas, etsi vnum ab alio dependeat, & è conuerso, non tamen ita, vt vna causa alteri subordinetur in ipsa ratione causæ, causetque in virtute illius, v. g. forma à materia dependet in sua entitate, non tamen causat formaliter forma in virtute materiæ, nec materia causat materialiter in virtute formæ, nec contritio causat dispositiuè in virtute gratiæ habitualis; ideòque ex eo quod materia causet formam, & forma materiam: gratia autem dispositiones, & dispositiones gratiam, non sequitur materiam se causare mediatè, nec quod gratia seipsam mediatè causet. 235 *Ad 1. confirmationem.*

Ex qua doctrina ad secundam confirmationem constat solutio; contritio namque non causat efficienter instrumentaliter gratiam per virtutem acceptam à gratia, nec in virtute illius, sed per virtutem acceptam à Deo, cui vt instrumentum subordinatur, tanquam causæ principali; 236 *Ad 2. confirmationem.*

E 2 ideòque,

ideóque, ex eo quod gratia contritionem efficiat, & hæc effectiuè instrumentaliter ad gratiam concurrat, non sequitur, gratiam se mediatè efficere; similiter, quamuis contritio instrumentaliter causet gratiam, & gratia efficiat contritionem, non sequitur, contritionem se efficere efficientia mediata; quia gratia non efficit in virtute contritionis, nec illi vt efficiens subordinatur. Et quidem si contritio esset instrumentum gratiæ, non posset gratiam efficere, & effici ab illa, vt à principio *quo* principali, quamuis causa instrumentalis, & principalis non conueniant in genere infimo causæ: sicut calor, qui est instrumentum ignis, agitque in virtute illius, implicat quod instrumentaliter causet ignem, cuius est virtus, cuique in agendo subordinatur, esto genus causæ, in quo ignis, & calor conueniunt, non infimum, sed subalternum sit; & hoc non alia ratione, nisi quia cum calor influat in virtute ignis, si ignem, cuius est virtus, efficeret, ignis in cuius virtute influit, esset sui causa efficiens; idemq; in causa particulari, & vniuersali contingit; illa namque huic subordinatur in ipsa ratione causæ, causatque in virtute illius, & in hac subordinatione illarum distinctio est posita: ac proindé quamuis non sint eiusdem infimi generis causæ efficientis, implicat mutua inter illas causalitas.

Tertio arguitur; si mundus fuisset ab æterno, quod Ari-
237 stoteles censuit de facto, & D. Th. 1. *p. q.* 46. *art.* 2. censuit possibile de potentia absoluta, generationem Petri v. g. infinitæ generationes præcessissent; cum non posset initium generationum assignari; & consequenter Petrus v. g. esset genitus ab alio, & sic ab alio in infinitum; sed pater est causa efficiens filij, vt 2. *Physicorum textu* 29. docetur: ergo in causis efficientibus est dabilis processus in infinitum, & consequenter minor demonstrationis est falsa: Huic argumento respondet D. Tho. loco proximé allegato *ad septimum*, processum in infinitum in causis efficientibus per se subordinatis, idest quarum vna in agendo alteri subordinatur, & ab illa per se dependet, esse impossibilem, & omnino repugnare, eo quod cum omnes per se ad effectum concurrant, & vna influat prius alia, non potest efficientia compleri, vel terminari, vt superiùs explicuimus, impugnantes Aureoli solutionem ad rationem D. Thomæ: pater autem, auus, & proauus, non sunt causæ subordinatæ per se: non enim filius efficienter generat alium formaliter, & per se in quantum filius, sed in quantum homo; vnde per accidens est, quod vnus homo, alium generans, ab alio genitus sit, & quod in causis non subordinatis per se, sed per accidens detur processus in infinitum, nullum inconueniens est. Contra quam doctrinam plura opponi solent *lib.* 8. *Physicorum* ab alijs, qui etiam in causis subordinatis per accidens impossibilem reputant processum in infinitum, videantur ibi; nobis namque in illorum solutione modo immorari non vacat, nec ad præsens spectat, illa ad vnguem examinare.

Tertio arguitur.

Sed dices; stat cum dependentia per se processus in in-
238 finitum in extremo *a quo* dependentiæ: ergo stabit etiam in causis efficientibus subordinatis per se; & consequenter nulla est differentia à D. Tho. assignata inter causas efficientes per se, aut per accidens subordinatas. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probatur; continuum per se dependet à partibus componentibus, & tamen partes continui procedunt in infinitum; cum nulla pars possit assignari in illo, quæ vlterius non sit diuisibilis; alias ex indiuisibilibus esset compositum, contra communem, & veram Aristotelis, & D. Thom. sententiam: ergo stat cum dependentia per se, processus in infinitum in extremo *á quo* dependentiæ. Respondeo, negando antecedens. Ad probationem dicatur; continuum per se integraliter, non autem per se essentialiter a partibus dependere: partes autem continui sunt in duplici differentia, nempé, aliquotæ, & proportionales, illæ finitæ sunt: illæ autem infinitæ, quia vero continuum ex his non componitur, nisi vt in aliquotis inclusis, & partes aliquotæ determinatæ sunt, & finitæ. fit consequens, vt in extremo *a quo* dependentiæ per se, non detur processus in infinitum.

Dices.

Respond.

Quarto arguitur contra rationem, qua ex Capreolo
239 impugnauimus Aureoli solutionem; stat bene, omnes causas secundas esse productas, & non esse productas ab aliquo determinaté: ergo ex eo quod omnes causæ secundæ sint motæ, causatæ, & productæ, non sequitur, productas esse ab aliqua causa improducta, quæ sit extra collectionem, nec quod aliqua pars contenta in collectione causarum totam collectionem; & consequenter seipsam produxerit. Consequentia est bona; vt enim aliquid ex illis inferatur, necessum est, quod producens collectionem, sit vnum determinate. Antecedens autem probatur; stat omnem multitudinem numerorum excedentium excedi; & tamen a nullo determinate; alias in collectione specierum numeri, daretur aliqua omnes excedens, & a nulla excessa, quod implicat; cum non sit dabilis multitudo ita magna, qua non sit dabilis maior: ergo stabit, omnes causas mouentes, & causantes, esse motas, & causatas; & tamen non esse causatas, nec motas ab aliquo determinate.

Quartum argumentum.

Respondeo, negando antecedens. Ad illius probatio-
nem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio 240
autem discriminis est; nam multitudo numerica excedens, non ideò excedit, quia exceditur, vnde non excedit, vt subordinata excedenti se, nec dependenter ab illa: ex quo fit, quod ad hoc vt excedat, non exigat determinationem in excedente; causæ autem causantes, & mouentes, mouent, & causant, quia motæ, & causatæ, & cum subordinatione ad superius mouens, & causans; ideoque, vt suorum causalitates compleantur, requirunt determinationem causæ superioris, cui subordinantur iuxta dicta, explicando rationem D. Tho. ex Caietano.

Respondetur.

Aliam rationem discriminis assignat Capreolus; quia 241
nempé, mouens in quantum mouens est in actu, motum etiam aliqualiter est in actu, vnde omnes causæ mouentes & motæ, in actu esse debent; atque adeò possunt accipi per modum vnius, & vt aliquid determinatum, & cum determinato mouente, & causante possunt comparari: multitudo autem numerorum excedentium, & excessorum, non est in actu, sed in potentia, & vt in potentia infinita: ex quo fit, quod non possit per modum vnius accipi, nec determinari, nec cum determinato excedente possit comparari.

Alia ratio discriminis.

Quinto arguitur; stat omnes causas collectionis, diuisi- 242
uè sumptas, esse causatas, & motas, & collectionem ex illis compositam, esse incausatam: ergo impugnatio illa, qua vltimo, contrarios vrgebamus, falso fundamento nititur; & consequenter est nulla. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur; stat omnes creaturas possibiles diuisiue sumptas, excedi, & totam collectionem creaturarum non excedi: ergo stabit omnes causas diuisiue sumptas, esse causatas, & totam collectionem causarum collectiuè sumptam non esse causatam. Consequentia videtur bona à paritate rationis. Antecedens autem probatur; non enim est assignabilis aliqua creatura possibilis adeò perfecta, qua non sit possibilis alia perfectior: omnes creaturæ possibiles diuisiue exceduntur; & tamen tota collectio creaturarum possibilium non exceditur: ergo stat, singulas creaturas collectionis excedi, collectionemque non excedi.

Quintum argumentum.

Huic argumento Pater Arriaga *disput.* 2. *de Deo vno* 243
sect. 4. *subsectione* 2. *num.* 31. respondet, negando, omnem creaturam possibilem excedi ab alia creatura; sed necessario in creaturis possibilibus dari aliquam, quæ sit omnibus saltem negatiuè maior, idest qua alia maior esse non possit, quod si datur à Deo necessario cognoscitur, potestque ab ipso produci, nec aliter censet demonstrationis principia, quibus ex efficientia probatur existentia primæ causæ, posse subsistere. Cæterum contra huius Auctoris doctrinam facit primo; non enim bona demonstratio esse potest, quæ subsistere non valet, nisi communi doctrina negata, at sententia docens, non esse assignabilem aliquam creaturam possibilem, qua maior, & maior hoc termino non sit possibilis, est inter Philosophos, & Metaphysicos communis. ergo vel demonstratio existentiæ Dei sumpta ex efficientia non est bona, vel cum illa est componenda.

Respondet Arriaga.

Contra 1.

Deinde; vt enim communis sententia docet, species
sunt, sicut numeri vnde sicut duo numeri specificè distin- 244
cti, eo ipso sunt inæquales, ita duæ species essentialiter distinctæ, æquales esse non possunt; sed species possibiles sunt syncategorematicè infinitæ; & consequenter non est assignabilis vltima: ergo nec est dabilis aliqua creatura possibilis, qua non sit possibilis alia perfectior. Denique; nam in speciebus numerorum possibilium, non est assignabilis aliqua, qua non sit possibilis alia maior: ergo pariter in alijs speciebus. Consequentia tenet. Tum à paritate rationis. Tum etiam; quia hoc admisso redit idem argumentum contra nostram demonstrationem; &

Secundo.

Tertio.

con-

consequenter si cum hac doctrina in genere numeri efficacia dictæ demonstrationis componitur, etiam poterit conciliari, & sustineri cum impossibilitate creaturæ adeò perfectæ, qua non sit perfectior possibilis in alijs rerum generibus. Antecedens autem probatur: non est possibilis adeò magnus rerum numerus, quo maior numerus esse non possit; sed numerus quo maior, eo est in ratione numeri perfectior: ergo non est possibilis species numeri adeò perfecta, qua perfectior esse non possit. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur; si esset possibilis adeò magnus numerus rerum, quo maior esse non posset, posset talis numerus de facto fieri à Deo, vt prædictus Auctor admittit de creatura omnium perfectissima, & de se est manifestum; sed hoc implicat, ergo implicat adeò magnus rerum numerus, quo maior esse non possit. Probatur minor; vt enim docet D. Tho. *quæst. 2. de veritate art. 5.* & sustinent communiter Theologi, implicat, omnipotentiam in rerum productione exhauriri; sed si esset possibilis numerus adeò perfectus, quo perfectior non esset dabilis, illo producto, Dei potentia exhauriretur, quandoquidem, illo producto, Deus non posset alium producere: ergo prædictus numerus est omninò implicatorius.

245 Quare, omissa solutione istius Auctoris vt omninò insufficienti, ad argumentum respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam quæ collectioni conueniunt, ex eo, in quo à partibus collectionis distinguitur, non possunt enuntiari de partibus collectionis; sicut nec prædicata, quæ de partibus enuntiantur, pro vt à collectione distinctis, & ratione illius in quo à collectione differunt, possunt de collectione enuntiari. Quæ doctrina in toto, & partibus physicis etiam est vera, vnde partes dicuntur componere totum, quod de toto non enunciatur; totum dicitur componi ex partibus, quod de partibus non dicitur; collectio etiam creaturarum dicitur infinita numericè, & in se ambiens omnes creaturas, quæ de nulla ex creaturis in collectione contentis, possunt verificari.

Vera solutio argumenti.

246 Est ergo hæc differentia inter excessum, & non excessum, & causatum, & non causatum, quod collectionem creaturarum non excedi, illi conuenit, quia est infinita numerice, & ambiens omnem perfectionem possibilem, quæ prædicata sunt collectioni propria, & non communia partibus collectionis; nulla enim pars collectionis creaturarum continet omnem perfectionem creatam, ideoque, qualibet pars collectionis exceditur: collectio autem creaturarum nequit excedi; quod autem singulæ causæ collectionis ab alio causentur, illis conuenit; quia sunt entia non per essentiam, quod prædicatum non est proprium partibus collectionis, sed etiam ipsi collectioni commune; ideoque benè valet omnes partes collectionis causantur: ergo tota collectio est causata; non tamen valet; omnes partes componentes collectionem creaturarum exceduntur ab aliquo: ergo exceditur tota collectio, vel potest excedi. Et quidem ista consequentia non tenet: *Partes omnes collectionis exceduntur, quin tota collectio excedatur: ergo possunt omnes partes collectionis inhærere, dependereque à subiecto, quin tota collectio inhæreat, & à subiecto dependeat:* ergo pariter ex eo quod partes collectionis excedantur, quin tota collectio excedatur, non sequitur, posse partes collectionis omnes dependere à causa efficienti quin tota collectio à causa efficienti dependeat.

Differentia statuitur.

247 Sed instat Arriaga; non minus implicat, idem seipsum excedere, quam idem seipsum primo causare, nec minus implicat mutuus excessus simpliciter inter duo, quam mutua inter duo efficientia, imò fortè implicat magis; cum saltem in diuerso genere causæ mutua inter duo causalitas à pluribus admittatur; nullus tamen admittat, nec possit mutuum excessum simpliciter inter duo; sed ex eo quod omnes creaturæ possibiles sint excedentes, & excessæ sequitur, vel idem seipsum excedere, vel mutuus excessus simpliciter inter duo: ergo non minus implicat, omnes creaturas possibiles excedere, & excedi, quam omnes causas esse causantes, & causatas; & consequenter, vt hæc sustineatur implicatio, illud etiam debet implicatorium censeri. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur; ex eo, quod omnes causæ sint causantes, & causatæ illatum à nobis fuit, vel idem seipsum causare, vel dandam esse mutuam causalitatem effectiuam inter causas: ergo pariter, ex eo quod omnes creaturæ sint excedentes, & excessæ, colligitur, vel idem seipsum excedere, vel dandum mutuum excessum simpliciter inter duo.

Instat Arriaga.

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem disparitatis sumitur ex dictis ad tertium argumentum; nam causa causat, in quantum est in actu: ergo si omnis causa causans, causatur, necessum est, quod causetur ab aliquo ente in actu; & consequenter ab aliquo determinato; eo autem ipso, quod omne quod causatur, ab aliquo determinato, & existente causetur, vel hoc determinatum debet esse incausatum, vel debet causare seipsum, vel aliquo à se causato, vt supra dicebamus; creaturæ autem alias excedentes, non oportet, vt excedantur ab alia creatura existente, sed tantum à creaturis possibilibus, in quibus terminus assignabilis non est; atque adeò, ex eo quod omnes creaturæ sint excedentes, & excessæ, non sequitur, vel idem excessurum seipsum, vel dandum mutuum excessum simpliciter inter duo; quod si omnes creaturæ existentes deberent excedere, & excedi ab aliqua creatura existente, idem inconueniens sequeretur. 248

Respondetur.

Ex quo, quæ hucusque dicta sunt, confirmari possunt in hunc modum; si omnes creaturæ existentes essent excedentes, & excessæ ab aliqua creatura existente: sequeretur, vel idem excessurum seipsum, vel dandum, inter aliqua duo mutuum excessum simpliciter; sed omnes causæ actu causantes, si causantur, debent causari ab aliquo ente in actu secundo existente: ergo si omnes causæ sunt causantes, & causatæ, vel dicendum est, aliquid causare seipsum, vel aliqua inuicem esse causata, quorum vtrumque est omninò implicatorium. 249

Confirmantur huiusq; dicta.

Denique arguitur; nam dato, quod via efficientiæ demonstretur existentia causæ incausatæ, adhuc non probatur Deum existere: ergo existentia Dei nullatenus demonstratur. Probatur antecedens; nam de ratione Dei est non solùm quod à nullo causetur, sed etiam quod omnia causentur ab ipso; sed via efficientiæ solùm colligitur existentia causæ, quæ ab alio non sit causata: ergo existentia Dei via efficientiæ non habetur. Respondeo ex Caietano *in præsenti art. 3.* rationes quibus Diuus Thomas vtitur in hoc art. nec seorsim, nec simul sumptas conuincere immediatè, & directè existentiam Dei sub ratione deitatis, sed tantùm sub aliquibus prædicatis, quæ Dei propria sunt, & cum ipso conuertuntur, ex quibus immediatè demonstratis à posteriori ex creaturis per mediatam consequentiam, Dei existentia conuincitur. Iuxta quam doctrinam distinguendum est antecedens; non probatur Deum existere secundum prædicatum conuertibile cum ipso, nego antecedens: sub ratione Deitatis, subdistinguo antecedens: directè, & immediatè, concedo antecedens: mediatè, & indirectè iunctis alijs consequentijs, nego antecedens, & consequentiam. Ad antecedentis probationem, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, concessa maiori, distinguo minorem: immediatè, & directè, concedo minorem: indirectè, & mediatè, nego minorem, & consequentiam. Nam licèt via efficientiæ immediatè solum inferatur existentia causæ incausatæ, & entis à se existentis, quia tamen ens existens à se, & necessario; & causa à nullo causata, solum potest esse vna: fit consequens, vt per consequentias mediatas inferatur ex creaturis existentia causæ primæ, à qua dependeat omne causabile. 250

Vltimum argumentum.

Respond.

Quod autem ens à se existens solum esse possit vnum, probatur à D. Thoma *in primo dist. 2. quæst. 1. art. 1. in 2. distinct. 2. q. 1. art. 2. de potentia q. 3. art. 6. opusc. 3. cap. 15. Metaphysicæ in fine. 1. Contra gentes cap. 42. & in hac 1. p. quæst. 11. art. 3. vbi agit de vnitate Dei. Et de veritate q. 5. art. 2. & in hac 1. p. quæst. 103. art. 3.* vbi probat, omnia creata ab vno gubernari debere; potestque breuiter hoc discursu probari; nam eo ipso, quod causa prima sit, incausata, & à se existens, est idem cum sua existentia, & omninò est immutabilis: ac per consequens actus purus; quod autem est actus purus, omnemque potentialitatem excludit, non habet vnde limitetur; ac per consequens est infinitum per essentiam, & simpliciter, de quo Diuus Thomas, *inferius quæst. 7. art. 1. & 2.* ex quo vlteriùs fit, vt sit infinitè perfectus, omnemque perfectionem in se continens eminenter, aut formaliter, vt probat D. Tho. *quæst. 4. art. 1. & 2.* at cum continentia formali, aut eminentiali omnis perfectionis possibilis, non stat dari per- 251

Ens à se existens solū posse vnū probatur.

perfectionem realiter à prima cauſa diſtinctam, quæ ab ab illa non efficiatur: ergo ex eo quod ſit aliqua cauſa incauſata, & à ſe exiſtens, per mediatas conſequentias deducitur, non ſolum quod ipſa incauſata ſit, ſed etiam quod omnia ab illa cauſentur, & quod non detur niſi vnum primum principium, de quo vt dixi locis citatis tractatur, ideò id inſinuaſſe in præſenti ſufficiat.

Ex dictis in hac, & in præcedenti diſp. colligitur, quod
252 licet exiſtentia Dei poſſit ignorari inuincibiliter, ignorantia ſumpta pro carentia ſcientiæ ſtrictè ſumptæ; ſi tamen accipiatur pro omnis cognitionis Dei carentia, non poteſt etiam pro breuiſſimo tempore ab aliquo, qui rationis compos ſit, ignorari. Primum patet; nam cognitio exiſtentiæ Dei ſcientifica, longa indiget, & difficili excuſſione, vt ex diſcurſu noſtræ diſputationis ſatis percipitur: ergo poſſunt plures tali cognitione ſine omni culpa carere. Secundam partem corollarij probant latè noſter Albelda *in præſenti diſp. 11. concluſ. 4.* Magiſter Raphael de la Torre 2. 2. *quæſt. 94 art. 2. diſp. 3.* & Granadus *in præſenti controuerſ. 1. generali diſp. 1. ſect. 3.* & breuiter ſuadetur primò; vt enim *diſput. præcedenti* §. *6.* vidimus. Hyeronymus, Damaſcenus, & Nazianzenus, cognitionem Dei vocant naturaliter inſertam, quod vt ibi bene explicuimus, non poteſt eſſe verum de cognitione Dei formaliter in ſeipſa, ſed in radice; & hoc ideò, quia ita facili ratiocinatione colligitur, vt ferè naturaliter inſerta videatur; ergo nulli quantumuis ignoranti, dummodo rationis compos ſit, poteſt eſſe adeò difficilis: vt ab illa habenda ex impoſſibilitate excuſetur: ac proindè ignorantia, in carentia illius cognitionis conſiſtens, non poteſt eſſe inuincibilis.

Vnum corollarium ex dictis.

Prima pars corollarij.

Secunda ſuadetur primò.

Deindè ſuadetur; vt enim communiter docetur à Theologis 1. 2. *q.* 70. in nomine rationis compote non admit- 253
titur ignorantia inuincibilis, non ſolum circa prima principia practica, *vt bonum eſſe ſequendum, malumque fugiendum; quod tibi non vis, alteri ne feceris*, ſed nec etiam circa concluſiones, quæ ex his principijs facili, & immediata conſequentia inferuntur, *vt Deum eſſe colendum, parentes eſſe honorandos*: ergo idem in ſpeculatiuis dicendum, quod nempe, non ſit admittenda ignorantia inuincibilis illorum, quæ immediata, & facili conſequentia ex primis inferuntur principijs; at huiuſmodi eſt cognitio exiſtentiæ Dei, non ſcientifica, & perfecta; hæc namque ex naturaliter notis, faciliima conſequentia deducitur, vt conſtat ex dictis: ergo ignorantia in eius carentia conſiſtens, nequit eſſe inuincibilis. Et hæc de iſta diſputatione applicanda littere Magiſtri *in 1. ſententiarum diſt. 3.* vbi diſputatio præcedens, &c.

Secundò.

M. Sent.

DISPVTATIO QVARTA.

Per quid Dei eſſentia, & natura Methaphyſicè conſtituatur?

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis difficultatibus ſtatus apperitur.

Nu. 1. *In Deo reperitur formaliter omnis perfectio ſimpliciter ſimplex.*

Antequam ad huius grauiſſimæ difficultatis reſolutionem accedamus, aliqua ſupponere oportet, vt appareat, in quo difficultatis punctus conſiſtit. Primò ſupponendum eſt, vt omninò indubitatum, reperiri in Deo formaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ideſt, quæ in ſuo conceptu formali nullam dicit imperfectionem. Quod patet, vt enim fides docet, Deus eſt *ſummè, infinitèque* perfectus; at ſi careret aliqua perfectione, quæ in ſuo conceptu formali nullam diceret imperfectionem *ſummè infinitèque* perfectus non eſſet: excederetur namque à conflato ex Deo, & tali perfectione: ergo omnis talis perfectio eſt in Deo *formaliter* conſtituenda, ad differentiam illarum perfectionum, quæ in ſuo conceptu formali imperfectionem important; quas ſolum eminenter in Deo contineri eſt communis Theologorum ſententia, cum D. Tho. *infra q. 4. art. 2.* de quo omninò videndus noſter Albelda *diſp. 12.*

Ex quo clarè infertur, rationem entis, ſubſtantiæ,
2 viuentis, & intellectualis, in Deo reperiri formaliter, de ipſoque formaliter prædicari. Quod patet: nam licèt iſtæ rationes, prout in creaturis contractæ multis ſint inuolutæ imperfectionibus, ex ſe tamen, & ſuis conceptibus formalibus nullam dicunt imperfectionem: ac proindè ſunt in Deo formaliter conſtituendæ, ita, vt iſtæ prædicationes, *Deus eſt ens, ſubſtantia, viuens, & intellectualis*, ſint veræ in ſenſu formali, ad differentiam iſtarum, *Deus eſt homo, & Angelus &c.* quæ ſolum in ſenſu cauſali ſunt veræ, eo quod perfectiones Angeli, & hominis, quia dicunt imperfectionem ex ſuis conceptibus formalibus, ſolum eminenter, vt in cauſa, continentur in Deo.

3 Fit ſecundò, intellectum, intellectionem, ſapientiam, & ſcientiam Deo conuenire formaliter quia vt *infra q. 14.* probatur, ſunt perfectiones ſine imperfectione admixta, ſi ſecundum ſuos conceptus formales ſumantur; Idemquè dicendum de voluntate, volitione, miſericordia, & alijs perfectionibus voluntatis; quod nempè in Deo formaliter reperiantur, eo quod, vt *infra quæſt. 19.* fusè probatur, ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, hoc eſt, non dicentes aliquam imperfectionem ex ſuo eſſe formali, quamuis in creaturis cum multis imperfectionibus inuolutæ reperiantur.

Secundò eſt præſupponendum, quod licet omnes iſtæ perfectiones realiter identificentur in Deo, diſtinguun- 4
tur tamen, cum inter ſe; tum etiam ab eſſentia, & natura diuina aliquo genere diſtinctionis, vt contra Nominales communiter docetur à Theologis, de quo *infra*, vbi examinabimus diſtinctionis qualitatem, an nempè, ſit formalis, vt voluit Scotus, an virtualis intrinſeci, an ſolius rationis ratiocinatæ; niſi enim aliqua diſtinctio inter perfectiones diuinas ſupponatur, non adeſt quæſtioni præſenti locus; omnes enim diuinæ formalitates ingrediuntur naturæ conſtitutionem. Ex quo ſit, vt nonnulli Recentiores ſentientes cum Nominalibus, nec inter perfectiones abſolutas comparatas inter ſe, nec inter attributa, & relationes dari aliquam diſtinctionem obiectiuam, ſint à præſenti controuerſia excludendi, & *infra* impugnandi.

Iſtæ perfectiones in Deo identificatæ, diſtinguũtur aliquo diſtinctionis genere.

Tertiò ſupponendum eſt quæſtionem non procedere de reali conſtitutione, hoc eſt de conſtitutione Dei, ſecundum quod eſt in ſe realiter; ſic namque omnes Dei formalitates ipſum realiter conſtituunt. Quod patet: nam conſtitutio, ſic ſumpta, eſt per realem identitatem; ſed omnes formalitates conuenientes Deo formaliter, ſunt idem realiter cum Deo: ergo omnes ipſum conſtituunt, non ſolum loquendo de conſtitutione reali ſecundum formalitates abſolutas, ſed etiam relatiuas. Ex quo ſit, 5

Omnes Dei formalitates ipſũ reali conſtitutione prout eſt in ſe conſtituunt.

vt relationes diuinæ, non solum *Identicè* sint Dei essentia realiter considerata, sed etiam sint Deo essentiales, & de illo essentialiter prædicentur, vt fusè ostendemus *Tract. de Trinitate quæst.* 28. vbi includi *implicitè* in conceptu essentiæ Dei, illamque *implicitè* inuoluere, adhuc per rationem nostram cum veriori sententia docuimus, quin ex hoc inferatur, Deitatem non posse prædicari de Patre, de quo in sensu formali filiatio non enuntiatur, vt *ibi* sufficientissimè probatur.

6 Quartò est præsupponendum, iuxta qualitatem distinctionis inter prædicata diuina mensurandam esse qualitatem constitutionis, hoc est, quod si inter se ex natura rei *formaliter* distinguuntur, poterit vna perfectio formaliter constituere, altera non constituente formaliter: si distinguuntur distinctione reali, non formali, sed virtuali, poterit vna constituere virtualiter essentiam, & naturam diuinam, altera *virtualiter* non constituente; si autem solùm per rationem distinguuntur, vna poterit per rationem constituere, & alia per rationem non constituere.

Prædicata diuina eo modo constituũt, quo distinguuntur.

7 Quod patet, nam, vt videbimus, de ratione constitutiui naturæ, est prioritas ad illa, quæ non constituunt; sed prioritas non potest qualitatem distinctionis excedere: ergo pariter nec constitutio. Ex quo fit, vt si distinctio rationis inter Dei formalitates sit cum mutua exclusione conceptuum, prædicata non constituentia, nec *implicitè*, nec *explicitè* erunt per rationem de conceptu prædicati constituentis naturam, si autem distinctio sit penes implicitum, & explicitum, vt nos veritati conformius censemus, prædicata non constituentia, *implicitè* includuntur in prædicato constituente, non autem *explicitè*; per quod sufficienter saluabitur, vnum constituere, & alia non esse de constitutione metaphysica diuinæ essentiæ, & naturæ. Ex quo nonnulli Recentiores vtrumque sensum confundentes, censentesque eo ipso, quod attributa essentialiter, de diuina essentia enuntientur, Dei essentiam *metaphysicè* constituere, à præsenti difficultate excluduntur.

Probatur.

8 Denique aduertendum est, prædicata transcendentia omnem formalitatem, vel perfectionem diuinam; quæ consequuntur rationem entis diuini, non posse Dei essentiam, vel naturam constituere, prout in præsenti loquimur de illius constitutione. Quod patet: nam in præsenti non loquimur de constitutione sub ea ratione, & conceptu, quo distinguitur à creaturis, sed sub ea ratione, qua essentia, & natura Dei ab attributis, alijsque diuinis formalitatibus distinguitur; at prædicata sic transcendentia, licet Deum à creaturis distinguant, non tamen distinguunt essentiam ab attributis, & alijs diuinis formalitatibus: ergo non sunt constitutiua naturæ. Minor, cui soli inest difficultas, probatur: nam prædicatum, in quo duo extrema conueniunt, non potest vnum ab alio distinguere, quod ex terminis est verum; constatque exemplo huius prædicati *animal*, quod non potest hominem ab equo distinguere, eo quod in illo equus, & homo conueniunt: ens etiam, quamuis sua inferiora transcendat, non potest substantiam ab accidenti distinguere, eo quod accidens, & substantia in ratione entis conueniunt; at prædicta prædicata sunt essentiæ, attributisque communia per logicam transcendentiam, & consequenter in illis conueniunt attributa, & natura, vel essentia diuina: ergo non possunt naturam ab attributis distinguere; & consequenter nequeunt Dei naturam constituere sub ea ratione, qua ab attributis distinguitur.

Prædicata transcendentia omnem formalitatẽ diuinam constituere non possũt Dei naturam, vel essentiam. Probatur.

9 Ex quo peruia, & facili consequentia deducitur, nec rationem entis à se per exclusionem causæ, nec rationem veri, aut boni, nec rationem infiniti, Dei naturam, vel essentiam constituere. Quod patet; nam omnis Dei perfectio est ens à se, per exclusionem causæ; alias diuina non esset; cum dependentia à causa, maxima imperfectio sit; perfectio autem eo ipso, quod diuina, nullam imperfectionem admittat: omnis etiam diuina perfectio est bona, & vera veritate, & bonitate diuina, necnon etiam est infinita; cum huiusmodi prædicata consequantur ens diuinum; & consequenter conueniant omni, de quo ens diuinum prædicatur: ergo essentia, & attributa in his prædicatis conueniunt, & consequenter per illa nequit essentia ab attributis distingui: ac proinde nec constitui sub ea ratione, qua natura ab attributis distinguitur. Inquirimus ergo in præsenti, quodnam sit prædicatum ex his, quæ in Deo formaliter reperiuntur, per quod natura, vel essentia diuina *metaphysicè* constituatur sub ea ratione, sub qua ab attributis distinguitur.

Prædicata, quæ Dei naturam constituere non possunt, recensentur.

Sensus quæstionis explicatur.

§. II.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

10 QVA in re variæ sunt Theologorum sententiæ. Prima docet, diuinam essentiam, & naturam *metaphysicè* constitui collectione omnium attributorum, & perfectionum, quæ sunt *simpliciter* simplices, hoc est, nullam in suis conceptibus dicentes imperfectionem, esto attributa inter se *virtualiter*, aut ratione distinguantur. Hanc tenet Ruiz *disp.* 8 *de Trinitate sect.* 4. *dicto* 3. quem sequuntur aliqui Recentiores ex eadem familia, pro se referentes Suarez *lib.* 1. *de essentia Dei cap.* 11. Molinam *quæst.* 16. *art.* 2. *disp.* 4. Valentiam *quæst.* 12. *puncto* 6. *quæst.* 2. eo quod hi Auctores docent attributa esse de conceptu essentiæ diuinæ, de illaque *essentialiter* prædicari: quo iure etiam possent omnes D. Thomæ discipulos referre; cum omnes, nulloque excepto, in ea sententia sint; quod nempè attributa sint de conceptu essentiæ, & hæc de conceptu attributorum. Eidem sententiæ adhærere videtur Amicus *disp.* 3. *sect.* 4. *num.* 79. vbi docet, formale constitutiuum Dei esse ipsum, esse secundum totam plenitudinem essendi, prout importat perfectiones sapientiæ, volitionis, iustitiæ, omnipotentiæ, &c. Pro qua refert Gilium *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14.

Prima sententia. Ruiz. Suarez. Molin. Valent. Amicus. Gilius.

11 Secunda sententia docet, essentiam Dei *metaphysicè* constitui intellectione actuali, actualique volitione. Hanc tenet Albis *tract. de scientia Dei disp.* 2 *sect.* 6. Cui ex Recentioribus adhæsit Martinus Perez *tract. de Trinitate disp.* 11. *sect.* 6. pro illa referens Zunigam *de Trinitate disp.* 2. *dubit.* 10 *membro* 8. & *dubitat.* 4. *memb.* 2. *num.* 3. & Beccanum 1. *p. cap.* 1. *quæst.* 7. quia docet attributa in diuina essentia includi, quibus fauere videtur Suarez *disp.* 30. *metaphysica sect.* 16. *num.* 13. vbi docet, volitionem actualem solùm ex modo significandi distingui à natura diuina; si namque *obiectiuè* non distinguitur volitio à natura, illam *obiectiuè* constituet, solùmque ex modo significandi à constitutione excludetur.

Secunda sententia Albis. Perez. Zunig. Beccan. Suarez.

12 Tertia sententia docet, non volitione, sed intellectione actuali Dei essentiam, & naturam constitui. Hanc tenent PP. Salmanticenses *Tract.* 3. *de scientia Dei disp.* 4. *dub.* 1. & 2. Mag. Sancto Thoma *Tom.* 1. *in* 1. *p. disp.* 16. *art.* 2. in eamque inclinare videtur Albelda *disp.* 16. *conc.* 5. vbi docet, intelligere in actu vltimo per se subsistens, esse quasi gradum differentialem Dei naturam constituentem; cum tamen *conc.* 3. actionem intelligendi à constitutione diuinæ naturæ excluserit, quæ duo non videntur facilè componi posse: sola namque actio intelligendi est vltimum in linea intelligendi actiua: ergo si hæc Dei naturam non constituit, non constituitur per intelligere in actu vltimo. Eidem sententiæ frequentiùs adhærent nostri Recentiores in manuscriptis, & disputationibus publicis, illamex PP. Societatis tenent Fasolis *Tom.* 1. *in primam part. quæst.* 4 *art.* 2. *dubit* 8. Herice *Tract.* 1 *disp.* 3 *cap.* 3. sequuti Aureolum apud Capreolum *in* 1. *distinct.* 35. *quæst.* 1. *articulo* 2.

Tertia sententia. Salm. S. Tho. Albelda. Fasolis. Herice. Capreol.

13 Quarta sententia docet, *formaliter* constitui Dei essentiam, & naturam per rationem entis à se. Pro qua refertur Gilius *lib.* 2. *tract.* 1 *cap* 3. & 14. Recupitus *lib.* 3. *quæst.* 14 *cap.* 4. Aversa *quæst.* 2 *sect.* 2. illamque sequitur Arriaga *Tract. de scientia Dei disp.* 16. *sect.* 4. *num.* 23. vbi docet, primum prædicatum, quod in Deo cum fundamento in re à nostro intellectu concipitur, tanquam cæterorum radicem, & naturæ Dei proprium, prout ab attributis distinguitur, esse rationem entis spiritualis subsistentis à se.

Quarta sententia. Gilius. Recupis. Aversa. Arriaga.

14 Quinta docet, Dei essentiam, & naturam constitui per existentiam. Pro hac refertur Mag. Bannez *in hac q. art.* 4. *in commento*, eo quod ibi asserit existentiam esse de quidditate Dei, ex hoc tamen non infertur in ea fuisse sententia, nam etiam cætera attributa sunt de quidditate, & deitatis conceptu, quin ex hoc inferatur Dei essentiam, vel naturam per attributa *metaphysicè* constitui, illam expressè tenet Theodorus Smising *Tract* 1. *disp.* 2. *q* 2. *num.* 65. & loquendo de essentia sub ratione, & conceptu essentiæ; illam sequitur Magister Lezana Carmelitanus *tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 3. non autem sub conceptu naturæ, suo qua ratione *Tract* 4. *disp.* 1. *quæst.* 3. *concl.* 4. docet, per intellectionem radicale constitui.

Quinta sententia Bannez. Smising. Lezana.

Sexta sententia distinguit inter essentiam Dei sub ratione

15 *Sexta sententia.* *Cornejo.* *Crux.* *Lugo.* tione essentiæ, & sub ratione naturæ: asseritque in ratione essentiæ constitui per rationem entis spiritualis à se; in ratione autem naturæ per actualem intellectionem. Hanc tenet Mag. Cornejo *Tom.1, q. 14. art. 4. disp. 1. dub. 3. & 4.* quem sequitur, & transcribit Andræas à Cruce *disp. 83. dub. 1. 2. & 3.* Eandem sententiam tenet Franciscus de Lugo *Lib.1 de Deo vno disp.16 cap.7.* cum duplici tamen discrimine; nam hic Auctor nomine *entis à se* constituentis Dei essentiam, intelligit actualem existentiam; Cornejo autem existentiam censet essentiam constitutam supponere. Secundum discrimen est, quod Lugo distinguit tria, nempe essentiam, principium operandi, vel operationem, & naturam, asseritque principium, essentiam, & operationem in Deo distingui virtualiter inter se, naturam autem distinctam ex vtroque isto conflari, ad modum quo in homine distinguuntur animal, & rationale, & humanitas ex vtroque conflatur; Cornejo autem, & illius asseclæ, naturam, & essentiam virtualiter distinguunt in Deo, docentque, essentiam constitui per rationem entis spiritualis à se naturam vero actuali intellectione. Vt veram sententiam explicem, sit.

16 *Prima conclusio.* Prima Conclusio. *Ratio essentiæ, & ratio naturæ in Deo, non distinguuntur virtualiter, aut distinctione rationis adæquata, & quamuis distinguerentur, non posset natura Dei sub conceptu naturæ per intellectionem actualem constitui.* Prima pars huius conclusionis ostenditur primò, quæ namque in creaturis *virtualitèr* non differunt, non distinguuntur virtualiter in Deo; *Prima pars prob. primo.* sed ratio essentiæ, & ratio naturæ non differunt virtualiter in creaturis: ergo in Deo hac distinctione non gaudent. Consequentia tenet; maior est certa; quæ namque in creaturis sparsa inueniuntur, *adunatè* continentur in Deo: vnde quamuis possit contingere, vt non distinguantur in Deo, quæ in creaturis distinguuntur, è contrario tamen euenire non potest, vt perfectiones, quæ in creaturis sine distinctione inueniuntur, in Deo distinctæ inueniantur.

17 *Minor prob. 1.* Minor autem ostenditur primò: nam vltima differentia hominis, quæ est rationalitas, non solum dicit rationem essentiæ, sed etiam rationem naturæ; cum rationalitas concipi nequeat sine ordine radicali ad rationalem operationem; sed vltima differentia alicuius rei, etsi possit in duos conceptus inadæquatos partiri, duas tamen rationes adæquatè distinctas, etiam virtualiter, importare non potest: ergo ratio essentiæ, & ratio naturæ in creatis non distinguuntur virtualiter *adæquatè*.

18 *Secundo.* Secundò probatur: ratio *proximè* intellectiui, & ratio essentiæ in intellectu creato non differunt virtualiter, quamuis intellectus sub conceptu essentiæ, existentiam respiciat, & sub conceptu *proximè* intellectiui exprimat ordinem ad operationem, vt proximum principium illius; ergo pariter quamuis in anima rationali exprimatur ordo ad existentiam sub conceptu essentiæ, & connexio remota cum operatione sub conceptu naturæ, non distinguuntur in illa *adæquatè virtualiter* ratio essentiæ, & ratio naturæ. Antecedens est certum, nec hucusque oppositum est auditum. Consequentia autem probatur tùm à paritate rationis, tum etiam: nam ideò in intellectu ratio essentiæ suæ lineæ, nempè essentiæ accidentalis, & ratio principij *proximè* operatiui, *virtualiter* non distinguuntur, quia licèt existentiam, & operationem respiciat, non tamen ex æquo, sed cum ordine primarij, & secundarij, indeque non ab vtroque specificatur, sed tantum ab vno, nempè, ab operatione, quam primariò, & propter se respicit, existentiam vero non propter se, sed propter operationem; at forma substantialis hominis, etsi existentiam respiciat, & connectatur cum operatione, non tamen ab vtraque specificatur, sed tantum ab existentia: ergo ordo ad existentiam, per quam in ratione essentiæ constituitur, & connexio cum operatione, per quam constituitur in ratione naturæ, virtualiter non distinguuntur.

19 *Tertio.* Tertiò probatur: anima rationalis sub conceptu essentiæ est vitalis, sed non potest vitalis esse sub conceptu essentiæ, si *virtualiter adæquatè* distinguatur à conceptu naturæ: ergo ratio naturæ, & essentiæ, in anima rationali *virtualitèr* non distinguuntur. Consequentia cum maiori probatione non indigent. Minorem autem probo: viuens est, *quod potest habere motum, vel operationem à se*: ergo vt anima rationalis sub conceptu essentiæ sit viuens; debet sub conceptu essentiæ, vel explicare, vel saltèm implicitè dicere remotam capacitatem habendi à se operationem; at si ordo, aut connexio remota cum operatione, in qua ratio naturæ consistit, *adæquatè virtualitèr* distinguitur à ratione essentiæ in anima rationali, nec *explicitè*, nec *implicitè* talis connexio importabitur in illa sub ratione essentiæ: ergo admissa distinctione prædicta, non potest anima rationalis esse vitalis sub ratione essentiæ.

Explicatur, & vrgetur primò; quia ordo ad terminum, vt purum terminum, constituit relationem prædicamentalem non posset relatio sub expressione ordinis ad subiectum esse relatiua, si ordo ad subiectum *adæquatè virtualitèr* distingueretur ab ordine ad terminum; sed posse habere à se motum, vel operationem, constituit viuens in ratione viuentis; & consequenter de ratione viuentis est connexio remota cum operatione: ergo si anima rationalis sub expressione ordinis ad existentiam, per quem ordinem constituitur in ratione essentiæ, distinguitur *virtualitèr adæquatè* à connexione cum operatione per modum principij remoti, per quam constituitur in ratione naturæ, anima rationalis sub conceptu essentiæ vitalis non erit. 20 *Cõfir. primo.*

Explicatur, & vrgetur secundò. si in intellectu hominis ordo ad principia, quæ sine discursu intelligit, *virtualitèr adæquatè*, distingueretur ab ordine ad conclusiones, 21 *Confirmatur 2.* quas intelligit discurrendo, intellectus hominis secundum ordinem ad principia, rationalis non esset: ergo pariter si ordo ad existentiam in anima rationali *virtualitèr adæquatè* distinguitur à connexione cum operatione per modum principij remoti, anima rationalis sub conceptu essentiæ vitalis non erit.

Denique minor principalis suadetur: volitiuum radicale non distinguitur *virtualitèr* ab intellectiuo radicali 22 in natura rationali: ergo cognoscitiuum radicaliter non *Quarto* distinguitur virtualiter ab essentia sub conceptu essentiæ. *Probatur* Antecedens videtur certum; aliàs non solùm ratio naturæ, *minor.* & ratio essentiæ *virtualitèr* differrent, sed etiam darentur in vna, & eadem essentia naturæ *virtualitèr adæquatè* distinctæ sub conceptu naturæ, quod nullus hucusque asseruit. Consequentiam autem probo: nam inde auctores contrarij probant, distinctionem virtualem inter essentiam, & naturam, quia illa hanc supponit, & per illam probatur, & quia existentia, quæ est actus essentiæ, & operatio, quæ est actus naturæ, inter se distinguuntur; sed rationes istæ habent manifestam instantiam, concesso inter intellectiuum radicale, & radicale volitiuum virtualem distinctionem non dari: ergo, hoc concesso, neganda est virtualis distinctio inter naturam, & essentiam in anima, & natura rationali. Consequentia est bona: si namque rationes probatiuæ instantur, redduntur inefficaces. Maior est certa: est enim contrariorum doctrina.

Minorem autem quòad primam partem probo: si nam- 23 que radicale intellectiuum per spiritualitatem, in qua es- *Minor* sentia naturæ intellectualis consistit, probatur: non est cur *prob. pro* radicale volitiuum per intellectiuum radicale probari non *1. parte.* possit; sicut namque prius est esse, quàm operari ex quo deducunt contrarij naturam, per essentiam demonstrari, ita prius est intelligere, quam velle; & consequenter poterit volitiuum radicale per radicale intellectiuum ostendi; & tamen, vt supponimus, inter intellectiuum, & volitiuum radicale virtualis distinctio non datur: ergo, hoc admisso, instatur prima ratio probatiua distinctionis virtualis inter essentiam, & naturam in natura rationali.

Et ex his probo secundam partem minoris: non enim 24 minus supponit intellectionem, volitio, quam quæuis ope- *Pro secunda suadetur* ratio, existentiam principij operantis; sicut enim nihil operans, quin præexistens, ita nihil volens, quin præcognoscens, sicut *nihil volitum, quin præcognitum*, vt docet vulgare axioma; & tamen ex hoc non infertur virtualis distinctio inter intellectiuum radicale, & radicale volitiuum: ergo pariter ex eo quod existentia, quam respicit essentia sub conceptu essentiæ, supponatur ad operationem, quæ est actus proprius naturæ, ab illaque distinguatur, non sequitur, naturam præsupponere essentiam virtuali suppositione, ab illaque *virtualitèr adæquatè* distingui.

Quod amplius vrgetur; ideo namque volitiuum radicale non distinguitur *virtualitèr*, ab intellectiuo radicali, 25 quia quamuis actus intelligendi, & volendi distinguantur *Confirmatur.* essentialiter, non tamen ex æquo, sed cum ordine à radice vtriusque inspiciuntur; sed etiam existentia, & operatio respiciuntur; *ordinatè* à natura rationali, ita vt existentia terminet ratione sui, operatio autem non nisi ratione existentiæ cum natura comparetur: ergo ratio essentiæ, & naturæ non differunt virtualiter.

Deindè

26 *Secundo prob. 1a pars conclusionis.* Deindè principaliter suadetur prima pars conclusionis. Si ratio naturæ in Deo distingueretur *virtualitèr* à conceptu essentiæ sequeretur, esse attributum respectu illius; consequens est falsum; ergo non distinguitur *virtualitèr adæquatè* ab essentia. Sequela patet: ratio namque attributi consistit in hoc, quòd sit perfectio necessaria *formalitèr* existens in Deo competens illi, non primò, sed ratione alterius; at si ratio naturæ esset *virtualitèr* à conceptu essentiæ distincta, esset perfectio absoluta *formaliter* existens in Deo conueniens illi, non primò, sed ratione alterius, scilicet, ratione essentiæ: ergo verè, & propriè rationem attributi obtineret. Minor autem probatur; vt enim communiter docetur ab omnibus, intellectus est primum attributum, vel prima proprietas naturæ intellectualis in linea actiua; at si ratio naturæ attributum esset prima proprietas naturæ intellectualis in linea actiua, intellectus non erit: ergo natura non est attributum essentiæ.

27 *Prima solutio aliquorum.* Huic argumento responderi solet primò, negando rationem naturæ esse attributum essentiæ, quia attributa consequuta ad essentiam, abstrahunt ab operatione, sicut ipsa essentia; ratio autem naturæ ab operatione non abstrahit; & ideò attributum, vel proprietas essentiæ non est: ita Franciscus de Lugo vbi supra *cap. 8. num. 3.* *Prima ratio, seu motiuum solutionis.* Secunda ratio præcedentis solutionis, vt natura attributum non sit, traditur à Mag. Ildephonso Miguel in hac *1. p. q. 14. art. 4. dub. vnic. num. 139.* *Secunda.* quia nempe, attributum, vltra ea, quæ in argumento recensentur, requirit aliquid magis determinatum, quam est conceptus naturæ, quæ est principium vniuersale omnium operationum, quæ reperiuntur in Deo, ad differentiam intellectus, & voluntatis, quæ non sunt principia ita vniuersalia, sed intellectus est principium proximum intellectionis, & voluntas volitionis; ideoque in Deo rationem attributorum sortiuntur; secus autem conceptus naturæ, quæ est principium radicale vniuersale omnium operationum, quæ reperiuntur in Deo. *Tertia.* Tertia ratio esse potest, vt natura attributum non sit, quia nempè, de conceptu attributi est supponere constitutum subiectum, non solùm in ratione essentiæ, sed etiam in ratione naturæ; & quia ratio naturæ, etsi supponat subiectum constitutum in ratione essentiæ, non tamen supponit illud constitutum in esse naturæ, sed in hoc esse constituit; ac consequens, vt non sortiatur rationem attributi.

28 *Secunda solutio.* Secunda solutio concedit sequelam; quod nempè, conceptus naturæ attributum sit, non tamen ita propriè attributi rationem sortitur, atque intellectus, & voluntas diuina, quæ correspondent principijs proximis creatis accidentalibus, quæ sunt proprietates naturæ; conceptus autem naturæ creatæ, cui correspondet conceptus naturæ diuinæ, non est potentia proxima accidentalis, sed est ipsa rei substantia secundum inadæquatum conceptum secundarium, ideoque conceptus naturæ in Deo non ita propriè, & rigorosè rationem attributi sortitur. Ita respondet Magist. Ildephonsus Miguel vbi supra. Et consequenter ad istam doctrinam semper concedendum est primam proprietatem in Angelo, & homine esse intellectiuum proximum, eo quod sit comparatio inter principia proxima operandi, quæ accidentalia sunt, supponuntque totam naturam *completè* constitutam, & in ratione essentiæ, & in ratione naturæ.

29 *Prima conclusio reijcitur impugnando rationes quibus illius Auctores vtuntur.* Sed neutra solutio satisfacit, & prima reijcitur: quia rationes, quibus illius Auctores vtuntur, vt natura attributum non sit, supposita distinctione virtuali ab essentia; insufficientes sunt. Primæ insufficientia probatur primò; nam etiam si essentia ab operatione præscindat; secus autem natura, nihilominus conceptus essentiæ est prior, & ad illum, conceptus naturæ subsequitur: ergo prædicta differentia non obstat, vt conceptus naturæ rationem attributi non sortiatur.

Prima. Secundo: nam etiam si entitas sub conceptu entitatis ab intellectu præscindat, & à connexione cum illo; secus autem ratio veri, quæ in connexione cum intellectu consistit; quia tamen ratio veri consequitur entitatem, est proprietas illius, quæ à Metaphysica demonstratur de ipso: ergo quamuis conceptus essentiæ ab operatione præscindat; secus autem conceptus naturæ, dummodo conceptus essentiæ sit prior, & conceptus naturæ, conceptum essentiæ supponat, non tollitur, quin sit proprietas, & attributum essentiæ.

30 *Secunda ratio impugnatur primò.* Deinde secunda ratio reijcitur primò: quia voluntariè, & sine vllo fundamento ad conceptum attributi vltra hoc, quod est esse perfectionem necessariam subiecti, illi iam constituto in suo esse aduenientem, exigi illam maiorem determinationem, nec huius superadditæ condicionis potest, vel apparens ratio dari; quod enim hæc maior determinatio in intellectu, & voluntate inueniatur, quæ sunt proprietates hominis, & principia proxima operandi, non probat, id debere omni attributo, & proprietati competere; sicut nec ex eo quod intellectus, & voluntas sint proprietates hominis realiter ab illius essentia distinctæ, probatur, distinctionem realem à subiecto, debere omni proprietati competere.

Secundo. Præterea impugnatur; nam ratio veri, & passiuè cognoscibilis æquè latè patet, ac ens; & tamen est entis proprietas in nobis, & veritas diuina attributum entis diuini: ergo quod conceptus naturæ, non sit determinatus, sicut intellectus, & voluntas, & quod æquè latè pateat, ac conceptus essentiæ, non excludit illum à ratione attributi, & proprietatis essentiæ.

31 *Contra 3. rationem facit.* Denique tertia ratio reijcitur; nam licet ita sit quod de ratione proprietatis est supponere subiectum constitutum in ratione essentiæ, & in ratione naturæ, hoc ideò est, quia conceptus naturæ, & conceptus essentiæ adæquatè non distinguuntur, sed sunt duæ expressiones inadæquatæ eiusdem vltimæ differentiæ; si tamen supponatur inter illos virtualis adæquata distinctio, nulla ratio illius doctrinæ potest, vel apparens dari: ergo tali distinctione supposita, absque fundamento negatur conceptum naturæ rationem attributi, & proprietatis respectu essentiæ obtinere.

Confirm. Quod insuper hac paritate conuincitur; nam loquendo in generali de ente, quidquid illud in ratione entis constitutum supponit, si perfectio sit completa, rationem proprietatis sortitur, vt constat in vero, & bono, quæ ens in linea entis supponunt constitutum, & entis attributa sunt: ergo idem est de quouis ente particulari asserendum, quod nempè, omnis absoluta perfectio cum illo necessariò connexa, illudque in linea essentiæ constitutum supponens, rationem proprietatis, vel attributi sortitur.

32 *Secunda solutio impugnatur. 1.* Deinde secunda solutio reijcitur primò; si namque ratio naturæ, & essentiæ in creatis non distinguuntur adæquatè virtualitèr, sed solum inadæquatè, non possunt in Deo adæquata distinctione gaudere, vt constat ex dictis; sed vt prædictus Mag. *resolutione tradita*, docet, ratio naturæ, & essentiæ in creatis solùm distinguuntur secundum inadæquatum conceptum: ergo in Deo non possunt virtualiter adæquatè distingui. *Secundo.* Secundo reijcitur; si namque conceptus naturæ in Deo esset attributum essentiæ, sequeretur in essentia sub conceptu essentiæ, prout distincto à conceptu naturæ, & pro priori virtuali ad illum intelligi rationem naturæ; consequens est falsum, & in terminis complicatorium: ergo natura in Deo non est attributum essentiæ. Probatur sequela: ratio naturæ consistit in principio radicali, & remoto operationum; sed si natura esset attributum essentiæ, in essentia pro priori ad conceptum naturæ, intelligeretur ratio principij radicalis operationum: ergo pro illo priori intelligeretur in essentia ratio, & conceptus naturæ. Consequentia cum maiori tenet.

33 *Minor probatur.* Minor autem probatur: si natura est attributum essentiæ, natura radicatur in essentia; cum omnis proprietas radicetur realiter, aut virtualiter in eo, cuius est proprietas; at non potest essentia constitui in esse radicis conceptus naturæ per ipsum conceptum naturæ, sicut nec causa in ratione causæ potest per effectum constitui; ergo essentia ratione sui pro priori ad conceptum naturæ radicaret conceptum naturæ. Sed radicans conceptum naturæ est principium remotum operationum prouenientium à natura: ergo essentia pro priori ad conceptum naturæ intelligeretur principium radicale, & remotum diuinarum operationum; & consequenter in essentia pro priori ad conceptum naturæ intelligitur ratio naturæ: quod non minus est complicatorium in terminis, quam esse sine albedine album, sine intellectione intelligentem, & sine rationalitate rationale.

34 *Respond.* Huic argumento, quo viginti sex ab hinc annis hanc sententiam impugnabam, respondet prædictus Magist. *loco citato num. 141.* neutiquam conceptum essentiæ, posse dici naturam respectu conceptus naturæ, quia essentia dicitur per respectum ad esse; natura autem explicatur per ordinem ad operationem: vnde dum fit transitus de conceptu essentiæ ad conceptum naturæ, fit transitus de genere ad genus. *Contra.* Hæc tamen euasio argumentum in suo robore prorsus relinquit, & ex dictis manet præclusa: nam eo ipso, quod conceptus naturæ sit attributum essentiæ, debet radicari

dicari in illa, & essentia sub conceptu essentiæ esse radix conceptus naturæ; at radix conceptus naturæ, non potest ab operatione præscindere; cum connectatur cum conceptu naturæ connexo cum operatione; & consequenter de primo ad vltimum connectatur remotè cum operatione: ergo eo ipso, quod conceptus naturæ sit attributum essentiæ non potest essentia, vt essentia, sistere in ordine ad esse, nec præscindere ab operatione: ac proinde in illa, vt sic saluatur ratio naturæ. Ex quo vlteriùs fit, vt inter essentiam, & naturam non detur, nec dari possit differentia, quæ versatur inter genus, & genus, quod nostrum argumentum contendit.

35 *Vltimo prob. 1. pars conclusionis.* Denique principaliter suadetur prima pars conclusionis essentia sub conceptu essentiæ consistit in Deo in ordine ad existentiam virtuali, aut per rationem, ratio naturæ consistit in connexione cum potentijs, quæ sunt proxima principia diuinarum operationum; sed inter istos duos conceptus non datur virtualis inadæquata distinctio: ergo ratio essentiæ, & ratio naturæ in Deo non distinguuntur virtualiter adæquatè. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primò: in intellectu diuino est ordo suo modo ad existentiam, & etiam ordo principij proximi ad intellectionem; & tamen isti duo conceptus non distinguuntur virtualiter adæquatè: ergo pariter ordo ad existẽtiam, & connexio cum potentijs proximè operatiuis, nõ distinguũtur virtualiter adæquatè in diuina essẽtia, & natura. *Minor prob. 1.*

36 *Secundo.* Secundò probatur, supponendo frequentiorem Thomistarum sententiam *1. p. q. 25.* asserentium, omnipotentiam non esse attributum virtualiter ab intellectu distinctum; qua sententia præsupposita, probatur secundò minor: intellectus diuinus sub conceptu, & ratione intellectus, solùm exprimit ordinem ad diuinam intellectionem, non autem connexionem cum effectibus possibilibus, quam omnipotentia exprimit, & in qua omnipotentia formalissimè consistit; & tamen ordo ad diuinam intellectionem, à prædicta connexione præscindens, & connexio cum possibilibus, non exprimens ordinem ad diuinam intellectionem, non distinguuntur adæquatè virtualiter: ergo ordo ad existentiam non exprimens connexionem cum operatione, in quo ratio essentiæ consistit, & connexio cum operationibus, in qua consistit ratio, & conceptus naturæ, non distinguuntur adæquatè virtualiter.

37 *Tertio.* Tertiò probatur: in ente diuino *logicè* transcendente attributa, & relationes, datur ordo ad existentiam, & cõnexio cum attributis, scilicet cum veritate, bonitate, & alijs, quæ transcendunt formalitates diuinas, inter quos duos conceptus, nemo hucusq; distinctionem virtualẽ constituit; ergo pariter ordo ad existẽtiã, in quo ratio essentiæ consistit, & connexio cũ proprietatibus *proximè* operatiuis, in qua ratio naturæ consistit, virtualiter non distinguũtur.

38 *Quarto.* Denique probatur, supponendo doctrinam expresè à Cornejo traditam, & à pluribus alijs admissam, videlicet, dari in Deo attributa, quæ sequuntur ad essentiam sub conceptu essentiæ, & attributa consequuta ad naturam sub conceptu naturæ. Qua doctrina præsupposita sic argumentor: in essentia sub conceptu essentiæ datur ordo ad existentiam, & connexio cum attributis non operatiuis; quandoquidem illa sub conceptu essentiæ radicat; & tamen illi duo conceptus non distinguuntur virtualiter adæquatè: ergo pariter ordo ad existentiam, & connexio cum attributis operatiuis, in quibus conceptibus essentia, & natura consistunt, non distinguuntur virtualiter adæquatè.

39 *Secunda pars cõcl. prob. 1.* Deinde secunda pars nostræ conclusionis ostenditur primò: vt enim Mag. Cornejo expresè fatetur, actio intelligendi virtualiter egreditur ab essentia diuina, indeque probat, non posse illam in ratione essentiæ constituere: sed egreditur virtualiter ab essentia diuina, vt natura: ergo illam in ratione naturæ non constituit. Consequentia tenet. Maior continet doctrinam huius Mag. Minor autem probatur; vt enim constat ex definitione naturæ, illius ratio consistit in principio primo, & radicali motus, aut operationis; sed eo ipso, quod intellectio egrediatur virtualiter ab essentia diuina, hæc est principium virtuale illius; non enim esse, aut intelligi potest actus virtualiter egrediens ab aliquo, quin id, a quo egreditur, sit, & intelligatur virtuale principium: ergo eo ipso egreditur ab essentia, non solum vt essentia, sed etiam vt natura, & consequenter sicut, quia egreditur virtualiter ab essentia, non constituit essentiam, ita quia à natura egreditur, non potest constituere naturam diuinam sub ratione naturæ.

Respondebis primò ex doctrina Magistri Cornejo vbi supra *dub. 4. nu. 27. vers. Ratio autem à priori*, quod licet natura creata constituatur per rationem principij radicalis, & primi operandi, natura diuina non potest per rationem principij intellectionis constitui, eo quod nisi actuali intellectione constituatur, non poterit distingui a natura intellectuali creata, nisi enim intelligatur identificata cũ actuali intellectione, non apparet per quid distinguatur ab illa. 40 *Resp. 1. M. Corne.*

Sed contra primò: nam per hoc præcisè, quod principium radicale intellectionis diuinæ petat illam, vt sibi realiter identificatam, aut in suo conceptu obiectiuo *implicitè* inclusam, sufficienter distinguitur a natura intellectuali creata, nec in se actum secundum claudente, nec cum illo identificabilem; at totum hoc saluatur sine eo, quod natura in ratione naturæ constituatur per intellectionem actualem; aliàs etiam constitui deberet natura sub conceptu naturę per omnia alia attributa; cum ex eo quod natura perfectissima est, petat illa in suo cõcep. *implicitè* includere, vel saltèm realiter identificari cum illis: ergo vt distinguatur natura diuina, sub conceptu naturæ a natura intellectuali creata, non est necessarium *Metaphysicè* constitui in ratione naturæ per actualem intellectionem. 41 *Contra 1.*

Contra secundò: vt enim prædictus Mag. docet *dub. 3. num. 25. in fine*, existentia diuina non constituit essentiam in ratione essentiæ, sed illam; nostro modo intelligendi, cum fundamento in re, vltimo, & quasi *specificè* per spiritualitatem summam constitutam supponit; & consequenter essentia Dei sub conceptu essentię, ab essentijs creatis sufficienter distinguitur, non ingrediente existentia vt constituente, nec vt distinguente. ergo pariter natura Dei sub ratione naturæ sufficienter distinguetur à natura intellectuali creata, non ingrediente actuali intellectione *constitutiuè* in ratione naturę; & consequenter, nec formaliter, vt distinguente. Patet consequentia: tum a paritate rationis. Tùm etiam: nam sicut actualis intellectio est vltima actualitas in linea intelligendi actiua, ita existentia est vltima actualitas in linea essendi: ergo si diuina essentia sub ratione essentiæ distinguitur ab essentijs creatis, per solam identitatem cum existentia, vel per implicitam inclusionem illius, quin existentia, sub expresso existentiæ conceptu, talem distinctionem præstet, ità natura diuina sufficienter distinguetur in ratione naturæ à natura intellectuali creata per realem identitatem actualis intellectionis, vel implicitam inclusionem illius, quin intellectio actualis sub expresso intellectionis conceptu *constitutiuè*, & *distinctiuè* ingrediatur. 42 *Contra 2.*

Contra tertiò ex alia eiusdem doctrina *num. 29.* vbi admittit, intellectum in Deo virtualiter ab intellectione distinctum: & consequenter non constitutum in ratione intellectus per intellectionem actualem; nihil enim in eo, in quo ab alio distinguitur potest constitui per extremum distinctionis. Tùm sic, non solùm natura diuina distinguitur in ratione naturæ à natura intellectuali creata, sed etiã intellectus diuinus in ratione intellectus est ab intellectu creato distinctus, & tamen non constituitur in ratione intellectus per actualem intellectionem: ergo pariter natura diuina distinguetur in ratione naturæ à natura intellectuali creata, quin constituatur formaliter *Metaphysicè* per actualem intellectionem. 43 *Contra 3.*

Denique; non enim solùm natura diuina in ratione naturæ distinguitur à natura intellectuali creata, sed etiam principium radicale intelligendi, quod prædictus Magist. admittit in Deo, in ratione principij intelligendi distinguitur à principio intellectiuo creato; & tamen in ratione principij virtualis intellectionis, non potest per intellectionem ipsam constitui: ergo etiam poterit distinctio in ratione naturæ subsistere, quin in ratione naturæ per actualem intellectionem *Metaphysicè* constituatur. 44 *Contra 4.*

Respondebis secundò ex prædicto Auctore *dub. 4. num. 29. in fine*, quod licèt actualis intellectio supponat in Deo intellectum virtualiter ab illo distinctum, & similiter radicalem intellectualitatem, per quę quasi *inchoatè* Deitas constituitur in ratione naturę: quia tamen constitui debet nobiliori modo excogitabili ex possibilibus, ideo constitutiuum formale, & adæquatum Deitatis in ratione naturę non est intellectualitas radicalis, aut proxima, sed intellectio actualis. 45 *Resp. 2. ex eodem Auctore.*

Sed contra primò ex iam dictis: non enim minùs perfecta est Deitas in linea essentię, quam in linea naturæ; & tamen vt in linea essentiæ sit, & intelligatur perfectissima, 46 *Rejcit. 1.*

non

non est necessarium; quod constituitur *Metaphysicè* per existentiam, quæ est vltima actualitas in linea essendi: ergo vt perfectissima sit, & intelligatur in linea, & ratione naturæ, necessarium non est, in tali ratione constitui per intellectionem, quæ est vltima actualitas in linea intelligendi actiua.

47 Contra secundò, non minùs perfectus est intellectus diuinus in linea intellectus, quàm diuina natura in linea naturæ, sed primum saluatur absque eo quod intellectio diuinum intellectum constituat in ratione intellectus, vt probatum manet: ergo etiam in Deo saluabitur perfectissima ratio naturæ absque eo quod intellectio constitutionem Metaphysicam diuinæ naturæ ingrediatur.

Secundo.

Tertiò reijcitur: etenim natura diuina, non solùm est perfectissima in ratione naturæ intellectiuæ, sed etiam in ratione naturæ volitiuæ, & tamen ex hoc, non sequitur, quod debeat volitione constitui, vt fatetur Magister Cornejo: ergo ex eo quod in ratione naturæ intellectiuæ perfectissima sit, nõ colligitur per intellectionẽ actualẽ cõstitui.

Tertio.

48 Denique, vt alia, de quibus *infra*, interim omittamus; vt Deitas concipiatur perfectissima in linea naturæ, sufficit, quod intelligatur perfectissimum principium radicale, & primum perfectissimæ operationis; sed in ratione perfectissimi principij perfectissimæ operationis, non constituitur intellectione actuali: ergo in ratione perfectissimæ naturæ per illam non constituitur. Consequentia tenet. Minor constat ex iam dictis, & facili ratione probatur: sicut enim principium realiter influens nequit constitui in ratione principij per terminum, vel effectum formaliter realiter: ita principium, quantumuis perfectissimum virtuale, nequit constitui virtualiter per actum, cuius est virtuale principium: ergo Deitas in ratione principij virtualis radicalis perfectissimi perfectissimæ operationis, nempè, intellectionis diuinæ, nequit per illam virtualiter *Metaphysicè* constitui.

Quarto.

49 Maior autem ostenditur primò ex dictis: Deitas namq; in ratione essentiæ concipitur perfectissima per conceptum radicis virtualis, perfectissimæ existentiæ, intellectus etiam Dei concipitur perfectissimus in linea intellectus per rationem principij proximi perfectissimi perfectissimæ operationis; ergo pariter in ratione perfectissimæ naturę constituetur per rationem perfectissimi principij radicalis perfectissimæ operationis. Secundò, & à priori natura namque vt sic consistit in ratione principij primi, & radicalis operandi: ergo per hoc, quod intelligatur contracta, aut quasi contracta per rationem perfectissimi principij radicalis, intelligitur constituta in ratione perfectissimæ naturæ; sicut quia intellectus vt sic consistit in principio proximo intellectiuo, per hoc quod contrahatur per rationem perfectissimi principij proximi intellectionis, intelligitur constitutus in ratione perfectissimi intellectus, & quia ratio intellectionis, vt sic consistit in perceptione obiecti, per rationem perfectissimæ perceptionis perfectissimi obiecti intelligitur perfectissima intellectio.

Maior prob. 1.

Secundo.

50 Si fortè dicatur, rationem naturæ creatę consistere in principio radicali; non autem ratio naturæ abstrahentis à creata, & increata; nam sic sum, ta non consistit in principio radicali, sed abstrahit à natura constituta per rationem principij, quæ est natura creata, & à natura constituta per actualem operationem, qualis est natura diuina.

Si. Resp.

51 In contrarium obstat; natura namque diuina concipitur à nobis adinstar naturæ creatę, & per speciem illius; sed natura creata consistit in principio primo radicali operationis realiter ab illa distincto: ergo natura diuina, vt à nobis in hoc statu intellecta, concipitur constituta, non per actualem operationem, sed per principium remotum, & virtuale illius; & consequenter ratio naturę abstrahentis à creata, & increata non consistit in aliquo abstrahẽte à principio radicali, & actuali operatione, sed in principio abstrahente à principio reali, & principio virtuali operationis. Patet consequentia; non enim alia ratione intellectus diuinus constituitur ratione nostra, non per actum intelligendi, sed per rationem proximi principij virtualis illius, nisi quia concipitur à nobis adinstar intellectus creati, & per illius speciem, & intellectus creatus in principio reali proximo intellectionis consistit, nec alia de causa intellectio diuina ratione nostra consistit, nõ in principio actus, sed in actu, nisi quia intellectio creata, ad cuius instar, & per cuius speciem concipitur, consistit in actu secundo, non autem in principio, aut actu primo; sed natura creata, per cuius speciem, & ad cuius instar à nobis concipitur Dei natura, non in actu consistit, sed in principio reali radicali actus: ergo natura diuina constituitur ratione nostra, non per actum secundum intelligendi, sed per rationem principij virtualis radicalis illius.

Contra.

Confirmatur, & vrgetur: quia namque essentia diuina concipitur à nobis viatoribus adinstar essentię creatę, & hæc consistit non in actuali existentia, sed in aliquo ab illa distincto; essentia diuina constituitur ratione nostra, non per actualem existentiam, sed per aliquid ab illa distinctum in ratione essentiæ, vt Mag. contra quem disputamus, fatetur: ergo si natura diuina à nobis in hoc statu concipitur adinstar naturæ intellectualis creatæ, & hæc non in actu intelligendi, sed in principio illius radicali reali consistit; natura Dei constituetur ratione nostra, non per actum secundum intelligendi, sed per rationem principij radicalis virtualis illius. Scio alios Auctores hanc defendentes sententiam non admittere in Deo principium radicale virtuale intelligendi, contra quos non vrget hoc argumentum. Cęterum contra illos in sequentibus agemus probantes debere in Deo principium virtuale intellectionis constitui. 52

Confirmatur.

Secundò principaliter suadetur secunda pars conclusionis, impugnando præcipuum fundamentum, quo prædictus Mag. ad hanc sententiam mouetur: exinde enim probat naturam Dei sub conceptu naturæ per actualem intellectionem constitui, quia Verbo ex vi processionis communicatur natura, ideoq; iuxta Diuum Thomam *infra q. 27. art. 2.* processio Verbi est generatio. Verbo autem diuino ex vi suæ processionis communicatur intellectio in actu secundo. Ex quo per legitimam consequentiam deducit, naturam Dei saltem sub ratione naturæ per actualem intellectionem constitui; at hęc ratio, vel nihil probat, vel contra suum Auctorem, conuincit: ergo fateri tenetur esse ex aliquo capite nullam. Probatur minor: hęc ratio, vel probat essentiam Dei in ratione essentię per intellectionem actualem constitui, vel non probat per intellectionẽ actualẽ cõstitui in ratione naturæ, sed primum est cõtra prędictũ Magist. ergo vel nihil probat, vel contra ipsum conuincit. Minor est certa: vt enim *superius* vidimus, essentia diuina in ratione essentię non constituitur actuali intellectione in sententia Mag. Cornejo: ergo si argumentum factum probat debere per actualem intellectionem constitui in ratione essentię, probat contra suum Auctorem. 53

Secundo prob. 2. pars concl.

Maiorem autem probo: etenim de ratione geniti, & Filij est, quod illi ex vi processionis communicetur, non solùm natura sub conceptu naturæ, sed etiam sub conceptu essentiæ: ergo vt processio Verbi sit generatio, & Verbum genitum, & Filius debet illi ex vi processionis conuenire natura diuina sub vtraque ratione, nempè naturę, & essentiæ; & consequenter si ex eo quod Verbo ex vi processionis communicatur natura sub conceptu naturæ infertur sub hac ratione per intellectionem constitui, debet etiam inferri per intellectionem constitui Deitatem, nedum in ratione naturæ, sed etiam in ratione essentiæ. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur. Prima ex antecedenti. Antecedens autem probatur: quod enim de ratione Filij sit communicatio naturę, non aliunde potest probari, nisi quia Filio in creatis natura communicatur à Patre ex vi suæ generationis; sed Filio in creatis, non solùm communicatur natura sub conceptu naturę, sed etiam sub conceptu essentię, imò priùs sub conceptu essentiæ, quam sub ratione naturæ, si illæ duæ rationes in creaturis distinguũtur: ergo de ratione Filij est, quod ex vi generationis accipiat naturam Patris, non solùm sub ratione naturæ, sed etiam sub conceptu essentiæ. 54

Denique pro eadem parte conclusionis argumentor ad hominem contra Mag. Corn. vt enim ipse docet *dub. 4. in solut. ad 1.* cognitio diuina quatenus intuitiua, & cõprehensiua Dei, nõ constituit diuinam naturam. Ex quo sic arguitur; in intellectione Dei non possunt distingui virtualiter ratio notitiæ sui obiecti, & ratio intuitionis, & comprehensionis ipsius; sed vt intuitio, & comprehensio Dei non constituit naturam diuinam, sed est attributum illius; ergo vt notitia Dei absolutè, non potest Dei naturam constituere. Consequentia tenet. Minor traditur expresse ab ipso. Maiorem autem probo: in intellectione Dei non possunt virtualiter distingui, ratio perfectissima intellectionis, & ratio notitiæ; est enim ex suo conceptu differentiali, aut quasi differentiali perfectissima in linea cognitionis; sed est 55

Tertio probatur.

est comprehensio Dei, quatenus perfectissima: ergo ratio comprehensionis, & ratio notitiæ Dei non possunt virtualiter distingui, itaut in ratione notitiæ Dei absoluté sit constitutiua naturæ diuinæ, & vt comprehensio sit attributum.

56 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & vrgetur primò; intellectio, quæ naturam Dei constituit, debet esse perfectior intellectione non constituente, sed supponente naturam constitutam; cum hæc attributum sit, illa verò natura, & natura diuina virtualiter excedat attributa, sicut natura creata realiter suas proprietates excedit; sed notitia comprehensiua Dei, perfectior est in ratione notitiæ cognitione non comprehensiua: ergo si notitia comprehensiua est attributum naturæ, notitia, quæ formaliter comprehensio Dei non est, non potest esse natura.

57 *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundò: cognitio Dei est ipsius comprehensio, quatenus est adæquata modò cognoscibilitatis passiuæ; sed intellectio Dei naturam constituens ex suo formali conceptu adæquat modum cognoscibilitatis
Confirmatur 3. passiuæ: ergo ex suo formali conceptu est comprehensio Dei, & consequenter si vt comprehensio non constituit naturam, sub nulla ratione constituit. Confirmatur, & vrgetur tertio: nam cognitio, vel est quoad an est, vel quidditatiua, vel comprehensiua, quæ diuisio est per differentias cognitionis specificas; sed cognitio Dei naturam constituens, non est cognitio Dei, quoad an est, nec tantum quidditatiua; esset enim imperfecta: ergo est formaliter comprehensiua; & consequenter, si vt comprehensiua excluditur à constitutione naturæ diuinæ nullatenus illam constituit.

§. III.
Argumentis in contrarium occurritur.

58 *Contra primam partem conclusionis arguitur 1.* Contra primam partem conclusionis arguitur primò: conceptus radicis operationum in anima rationali, virtualiter adæquatè distinguitur à conceptu essentiæ: ergo etiam in Deo essentia, & natura distinguuntur virtualiter. Consequentia tenet: vt enim ex distinctione reperta inter aliqua prædicata in creaturis infera ur virtualis distinctio inter illa, prout reperiuntur in Deo, non est necessarium, quod in creaturis realiter distinguantur, vt constat in veritate, bonitate, & entitate, quæ in nobis realiter non distinguuntur, sed solum virtualiter, aut per rationem; & tamen in Deo ratione, aut virtualiter differunt: ergo si ratio naturæ, & ratio essentiæ in creaturis distinguûtur virtualiter adæquatè, eandem retinent distinctionem in Deo.

59 *Antecedens probat. 1.* Antecedens autem ostenditur primò: Aristoteles namque *lib. 2. de anima* duplici definitione animam definiuit, primò in ordine ad materiam, & ad esse, hoc modo: *Anima est actus corporis physici organici potentia vitam habentis.* Secundò per ordinem ad operationem, hoc modo: *Anima est, quæ viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primo.* Per primam definitur anima in ratione essentiæ; per secundam, in ratione naturæ; at, quæ differunt definitione, differunt essentia; cum definitio explicet essentiam rei, & consequenter distingui debent ad minus virtualiter, aut per rationem: ergo natura, & essentia in anima rationali virtualiter distinguuntur.

60 *Secundò.* Secundò: vt enim Aristoteles docet *lib. 2. de anima cap. 2. textu 13.* hæc secunda definitio datur per obscura secundum se, & notiora quoad nos, quod est proprium definitionis descriptiuæ, & consequenter est descriptiua. Ex quo vlterius fit vt ratio principij *quo* remotè operandi in anima rationali, per quod definitur hac secunda definitione, sit passio animæ rationalis: nam definitio descriptiua alicuius, datur per eius proprietatem; sed passio, & essentia, cuius est passio, ad minus virtualiter distinguuntur: ergo ratio principij remoti *quo* operationum, virtualiter distinguitur à ratione essentiæ in anima rationali & consequenter in illa ratio naturæ, in principio *quo* remoto operandi consistens, & ratio essentiæ virtualiter distinguuntur.

61 *Tertiò.* Tertiò probatur: vt enim docet D.Tho. *vbi proximè lect. 3.* Aristoteles primam definitionem per hanc secundam demonstrat per effectum, & à posteriori: verba D.Tho. sunt: *Incipit demonstrare definitionem animæ superius positam, nempè lib. 2. Physicorum textu 1. modò prædicto, scilicet, per effectum, & vtitur tali demonstratione; illud quod est primum principium viuendi, est viuentium corporum actus & forma; sed anima est primum principium viuendi his, quæ viuunt: ergo est corporis viuentis actus & forma. Manifestum est autem, quod hæc demonstratio est à posteriori; ex eo enim quod anima est forma corporis viuentis, est principium operum vitæ, & non è conuerso.* Hæc D.Tho. ex quibus apertè constat, Angelicum Præceptorem sensisse demonstrationem istam Philosophi, qua primam definitionem demonstrat per secundam, esse demonstrationem per effectum, & à posteriori; sed prima definitio est animæ secundum conceptum essentiæ, secunda autem est animæ secundum conceptum naturæ: ergo ratio naturæ in anima est effectus eiusdem animæ secundum conceptum essentiæ, & consequenter ratio naturæ, & ratio essentiæ in anima rationali virtualiter saltem distinguuntur.

Quartò probatur: priùs enim conuenit animæ rationali esse principium essendi, quàm principium operandi: ergo esse principium essendi, est quidditas, & essentia animæ, esse autem principium radicale operandi est eius proprietas, & consequenter ratio naturæ, quæ in conceptu radicalis principij operandi consistit, virtualiter à ratione essentiæ in anima rationali distinguitur. Secunda consequentia ex prima euidenter infertur; nam proprietas saltem virtualiter distingui debet ab essentia. 62 *Quartò.*

Prima ex antecedenti. Antecedens autem probatur primò: nam in quacumque re priùs est esse, quàm operari: ergo in anima rationali priùs est esse principium essendi, quàm principium etiam radicale operandi; Secundò: vt enim docet D. Thom. verbis *proximè* relatis, ex eo quod anima est forma corporis viuentis, est principium operum vitæ, non è conuerso; sed in quantum est forma corporis viuentis, est principium essendi: ergo prius est in anima esse principium essendi, quàm principium etiam radicale operandi. Tertiò: nam corpus animatum non ideò animatum est, quia est operandi principium, sed è conuerso, ideò est principium *quod* operandi, quia est animatum: ergo anima rationalis ideò est principium *quo* operandi radicale, quia est principium *quo* essendi, & consequenter priùs in illa intelligitur esse principium *quo* essendi, quàm principium *quo*, etiam radicale operandi. Confirmatur, & vrgetur; nam ex eo quod res creata habeat talem essentiam talemque, ac tantam perfectionem, oritur, probaturque habere talem, ac tantam virtutem operatiuam, etiam radicalem: ergo virtus radicalis operatiua extra essentiam est rei creatæ. 63 *Antecedens probat. 1. Secundò, Tertiò, Confirmatur.*

Huic argumento docti PP. Salmanticenses vbi supra *dub. 1.* respondent concesso antecedenti: vel illud ex alibi à se traditis supponendo, & negando consequentiam: rationemque discriminis reddunt, quod essentia creata non est in summo gradu immaterialitatis, bene tamen essentia diuina, ideoque quamuis in creaturis essentia, & natura distinguantur virtualiter, in Deo autem sunt idem absque virtuali discrimine, quia alia, essentia sub conceptu essentiæ *summè* actualis non esset. Ex quo *dub. 2.* inferunt, Dei essentiam, & naturam in actu intelligendi *Metaphysicè* consistere, quia de ratione actus puri est sibi identificare omnia ab actu primo vsque ad vltimum, nec aliter potest non intelligi aliqualiter potentialis. 64 *Patrum Salmanticensium solutio.*

Hæc tamen solutio non placet; primò, quia si linea essentiæ, & naturæ sunt distinctæ, saluabitur actualitas summa in linea essentiæ absque identitate virtuali cum his, quæ pertinent ad lineam naturæ, quod *infrà fusè* ostendemus; at, vt prædicti PP. docent, essentia, & natura, diuersas lineas constituunt: ergo vt deitas in linea essentiæ sit *summè* actualis, non petitur, quod sibi re, & ratione, aut virtualiter identificet lineam naturæ. 65 *Obstat contra illam primò.*

Secundò: si namque in creaturis probatur virtus radicalis operatiua per rationem essentiæ, ideoque in illis, talis ac tanta vis radicalis operandi inuenitur, quia sunt talis, tantæque perfectionis; non est cur etiam in Deo vis radicalis operandi per rationem essentiæ, non probetur, & cur illi quantitas virtutis radicalis operandi non conueniat, quia est talis, tantæque perfectionis; sed quod virtus radicalis operandi distinguatur à ratione essentiæ in creaturis, probant prædicti PP. quia virtus radicalis operandi probatur ex conceptu essentiæ, & quanti as virtutis radicalis operatiuæ ex quantitate perfectionis: ergo tenentur eandem distinctionem inter essentiam, & naturam recognoscere in Deo. 66 *Secundò.*

Tertiò, & explicatur magis hoc ipsum, sicut hæc est vera propositio: *Creatura est principium operandi operatione finita, quia habet finitam essentiam, finitamque perfectionem*; ita hæc est vera propositio: *Deus est principium operandi operatione infinita, quia est infinitæ essentiæ, infinitæque* 67 *Tertiò.*

que

quo perfectionis; sed ex veritate primæ propositionis inferunt virtualem distinctionem inter essentiam, & naturam in creaturis: ergo debent inferre ex veritate secundæ propositionis similem distinctionem in Deo.

Vnde, hac solutione omissa, & in sua probabilitate, 68 quæ maxima est ob tantorum PP. auctoritatem, relicta, ad argumentum respondeo, negando antecedens. Ad primam antecedentis probationem, concessa maiori, distinguo minorem: quæ differunt definitione adæquata, concedo minorem: quæ differunt inadæquata definitione, nego minorem, & consequentiam: nam definitiones illæ non sunt *adæquatè* distinctæ, eo quod vna datur de anima secundum ordinem ad materiam, & corpus, altera de eadem anima secundum connexionem radicalem operationum, quorum vtrumque essentialiter animæ conuenit: ac proindè neutrum est adæquata ratio animæ, sed ex vtroq; *adæquatè* coalescit: vnde definitiones adæquatæ non sunt, sed inadæquatæ. Ex quibus non licet inferre inter rationem principij radicalis, & rationem essentiæ plus, quam virtualem inadæquatam distinctionem, quam non negamus; ratio autem doctrinæ traditæ constat ex dictis inter probandam primam partem nostræ conclusionis.

Vera argumenti solutio. Ad primā antecedentis probationem.

Et quidem etiam intellectus definiri potest duplici de- 69 finitione, scilicet per ordinem ad animam, cuius est actus, & forma accidentalis, & per ordinem ad operationem, cuius est principium proximum; & tamen ex hoc non colligitur adæquata virtualis distinctio in intellectu sub vna, & alia ratione, his definitionibus explicatis: ergo pariter ex eo, quod Aristoteles duplicem illam definitionem de anima rationali tradiderit, non colligitur virtualis adæquata distinctio inter rationes per vtramque definitionem explicatas. Quod autem intellectus ita definiri possit constat: non enim alia ratione anima sic definitur, nisi, quia est actus corporis in genere causæ formalis, & est principium remotum operandi in genere causæ efficientis; sed intellectus est actus accidentalis animæ, & forma illius, & insuper est principium proximum operandi: ergo est capax vtriusque definitionis.

Ex diuersa definitione si adæquata non sit, nō colligitur distinctio virtualis adæquata inter duos conceptus.

Ad secundam probationem respondeo, negando secun- 70 dam definitionem esse descriptiuam; est enim quidditatiua, & essentialis, vt cum Caietano *lib. 2. de anima cap. 2. q. 4.* & Magistro Bannez *in hac 1. p. q. 75. art. 1. docet.* Mag. S. Thomas *quæst. 1. de anima art. 2.* Nec obstat doctrina Philosophi asserentis dari per notiora nobis, & minùs nota, natura. Hoc enim est intelligendum de his, quæ dictam definitionem ingrediuntur in obliquo, nempè, operationes vitæ; non autem de his, quæ in recto dictam definitionem componunt, nempè, ratio principij radicalis, & remoti operandi: hæc namque essentialis est animæ, sicuti, & ratio naturæ prædicta definitione explicata: vnde definitio est essentialis, sicut definitio intellectus data per rationem principij proximi intelligendi, non descriptiua, sed essentialis est, quamuis detur per actum intelligendi, quia iste definitionem ingreditur *extrinsecè*, & in obliquo; ratio autem principij in recto, & quia hæc est essentialis, definitio tradita intellectus, non descriptiua, sed essentialis est.

Ad secūdam.

Quomodo duæ definitiones animæ inter se cōparentur?

Præterquam quod, etiam ratio principij radicalis, & 71 remoti conueniens animæ rationali notior nobis, est ordine, quem dicit ad corpus, eo quod expressiùs operationes indicant, & manifestant animam sub ratione principij *quo* operandi, quam secundum ordinem, quem dicit ad corpus; ex hoc tamen non licet argumentari per rationem principij animam definiri *descriptiuè*, quia quamuis vtraque ratio animæ sit essentialis, & consequenter per vtramque *quidditatiuè* definiatur, potest vna esse notior nobis, quàm alia.

Ad tertiam probationem dicatur, secundam definitio- 72 nem animæ traditam à Philosopho, duo importare, vnum in recto, nempè, quod sit principium *quo* remotum operationum vitalium; aliud *extrinsecè*, & in obliquo, nempè, operationes vitales per ordinem, ad quas definitur: inspecta secundum id, quod in obliquo, & *extrinsecè* importat, est effectus animæ, & consequenter illam secundum ordinem, quem dicit ad corpus à posteriori *strictè* demonstrat; inspecta autem secundum rationem principij *quo* radicalis, & remoti, quam importat in recto, non est propriè effectus animæ, vt informatiuæ corporis; est tamen quædam inadæquata formalitas *virtualiter inadæquatè* supponens ordinem animæ ad corpus, & rationem informatiui; cum autem aliqua essentia ex duplici inadæquato conceptu constatur, quorum vnus alium ratione nostra supponit, potest per secundum primus demonstrari à posteriori, & per primum secundus à priori potest aliqualiter demonstrari, vt *infra* dicemus. Quia ergo ratio principij remoti operationum vitalium, etsi essentialis sit animæ, vt inadæquata differentia, supponit ratione nostra ordinem, quem dicit ad corpus, potest anima, secundum quod est forma corporis demonstrari à posteriori per rationem principij *quo* operationum vitalium, & in hoc sensu loquutus est D. Thomas, cum dixit, primam definitionem animæ prout est forma corporis, à posteriori per secundam demonstrari non propriè, nempè à posteriori effectu, sed à posteriori largè, nempè ab vna formalitate aliam, ratione nostra supplente intra eandem animæ essentiam.

Ad tertiā.

Prima definitio animæ, per secundam à posteriori, non strictè, sed largè, demonstratur.

Et quidem etiam hæc demonstratio potest de intellectu fieri: *Principium quo proximum intellectionis, necessariò est forma principij* quod *operantis; sed intellectus est principium* quo *proximum intelligendi: ergo est forma accidentalis animæ rationalis, vel hominis intelligentis*; quæ est similis demonstrationi, qua Philosophus probat animam, formam corporis esse, quia est principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, & sicut hæc dicitur à posteriori eo quod in anima prius est, quod corpus informet, quam quod ad operationem comparetur vt principium *quo* remotum, & radicale illius; ita demonstratio in intellectu formata, à posteriori etiam infert esse formam animæ per ipsum intelligentis; & tamen ex hoc non licet inferre rationem principij *quo* proximi distingui virtualiter à ratione formæ animam informantis in intellectu, nec esse proprietatem illius: ergo pariter ex eo quod à Philosopho probetur animam esse actum corporis, quia est principium *quo* operandi, & à D. Thoma asseratur demonstrari à posteriori, non sequitur rationem principij *quo* radicalis operatiui in anima rationali *virtualiter adæquatè* distingui à ratione formæ corporis, esseque proprietatem illius sumptę secundum rationem essentiæ. 73

Idē in duplici definitione intellectus contingit.

Ad quartam antecedentis probationem, distinguo antecedens: est prius, prioritate inadæquata, concedo antecedens: priori ate adæquata, nego antecedens, & consequentiam. Vt enim rectè inferretur rationem principij *quo* radicalis esse in anima rationali proprietatem eiusdem secundum ordinem, quem dicit ad corpus, necessarium erat, quod ordo, quem dicit ad corpus, esset prior prioritate adęquata; non autem sic est prior, sed tantum *inadæquatè*, vt quædam prior expressio, & inadęquatus differentialis conceptus, ideoque nec sequitur, quod sit animę proprietas, nec quod *adæquatè virtualiter* differat à ratione essentię, sed tantum *inadæquatè*, vt conceptus inadęquatus differentialis, ex quo, & conceptu ordinis ad corpus, quidditas animę *adæquatè* coalescit. 74

Ad quartam antecedentis probationem.

Nec ampliùs conuincunt antecedentis probationes; non prima: nam licet esse existentię realiter supponatur ad operari, & ab illo *realiter adæquatè* distinguatur, esse tamen essentię, non est prius realiter, quā esse principium radicale operandi, nec prius *virtualiter adæquatè*, sed *inadæquatè* tantùm, & ideò nec est proprietas essentię, nec *virtualiter adæquatè* à ratione essentię distinguitur. 75

Ad primā vltimi antecedentis probationem.

Nec magis cęterę probationes conuincunt: nam ly *ex eo* in illis propositionibus causam realem, aut virtualem effectiuam, aut dimanatiuam non dicit, sed tantùm prioritatem per modum rationis formalis vnius conceptus inadęquati ad alium inadęquatum. Ex quo nec colligi potest vnum esse proprietatem alterius, nec ab illo *virtualiter adæquatè* distingui. Et ex his ad confirmationem constat solutio. Et quidem prius est intellectum esse, quam operari, & quod informet animam, vt actus accidentalis illius, quam quod illam constituat potentem *proximè* operari, & quia est tantę perfectionis, & immaterialitatis, est tantę virtutis proximę operatiuę; & tamen ex his non infertur virtualis adęquata distinctio inter conceptum essentię, & conceptum virtutis *proximè* operatiuę conuenientes intellectui: ergo nec potest inferri in anima rationali distinctio adęquata virtualis inter rationem essentię, & rationem principij *quo* remoti, & radicalis operationum vitalium; quę doctrina ex dicendis amplius constabit. 76

Ad 2. & 3.

Ad confirmationem.

Secundò principaliter obijciunt contrarię sententię 77 Auctores D. Tho. *1. p. quæst. 39. art. 2. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quod quia natura designet principium actus, essentia verò ab essendo dicitur, possunt dici aliqua vnius naturæ, quæ conueniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacien-*

Secundò arguitur.

essentia. Sed vnius essentiæ dici non possunt, nisi quorum hoc vnum esse. Et ideo magis exprimitur vnitas diuina per hoc quod dicitur, quod tres personæ sunt vnius essentiæ, quam si diceretur, quod sunt vnius naturæ. Ex quibus verbis sic arguitur pro contraria sententia: essentia dicitur ab essendo, & ab operatione præscindit, natura autem non præscindit ab operatione: ergo diuersus est conceptus essentiæ à conceptu naturæ, & aliàs cum fundamento in re: ergo differunt ratione ratiocinata, quod & nil amplius intendunt contrarij Auctores.

78 *Confir. 1.* Confirmatur: ex hac differentia inter conceptum obiectiuum naturæ, & conceptum obiectiuum essentiæ, infert D. Thomas, posse aliqua dici vnius naturæ, quæ non possunt dici vnius essentiæ; sed si natura, & essentia differrent vt conceptus inadæquati differentiales, hoc verum esse non posset: non enim stat conuenire aliqua in vno conceptu differentiali, & non in alio, cum se habeant *conuertibiliter adæquatè*: ergo non distinguuntur, vt duo inadæquati conceptus vnius differentiæ specificæ, & consequenter differunt *adæquatè obiectiuè*. Confirmatur, & vrgetur secundò: si ordo ad existentiam, & connexio cum operatione, essent conceptus inadæquati differentiales vnam quidditatem constituentes, se haberent, sicut in relatione, prædicamentali ordo ad subiectum, & ordo ad terminum; sed non stat aliqua conuenire in vno, & eodem ordine ad terminum, & disconuenire in ordine ad subiectum: ergo nec stare posset aliqua conuenire in ratione naturæ, & non in ratione essentiæ, cuius contrarium docet Diuus Thomas. *Confir. 2.*

79 *Respondetur.* Ad hoc argumentum respondeo, ex eo quod essentia non exprimat ordinem ad operationem, vel connexionem cum illa, quam exprimit conceptus naturæ, etsi colligatur distinctio rationis, non tamen infertur adæquata distinctio, vt constat in conceptu *in*, & conceptu *ad* relationis creatæ, quorum primus non exprimit ordinem ad terminum, sed ad subiectum, secundus autem ordinem ad subiectum non explicat, sed tantum ad terminum; & tamen isti duo conceptus non distinguuntur ratione adæquata, sed ex illis vltima relationis differentia conflatur: constat etiam in ratione naturæ, & libertatis, ex quibus voluntas differentialiter constituitur, & consequenter *adæquatè obiectiuè* non differunt, & tamen voluntas sub conceptu inadæquato naturæ indifferentiam non exprimit, bene tamen conceptu liberæ in actu primo: constat etiam in conceptu intellectiui principiorum sine discursu, & conceptu discursiui in ordine ad conclusiones, ex quibus intellectus noster coalescit, & consequenter *obiectiuè adæquatè* non differunt; & tamen intellectus vt intellectiuus principiorum, nec exprimit ordinem ad conclusiones, nec rationem discursiui: pariter ergo in præsenti, ex eo quod essentia sub conceptu ordinis ad existentiam & sub conceptu essentiæ, ab operatione præscindat *explicite*, hoc est, non exprimat ordinem ad operationem, vel connexionem cum illa, benè tamen sub conceptu naturæ, non sequitur distinctio obiectiua adæquata, sed distinctio rationis inadæquata est sufficiens.

80 *Ad 1. confirmationem.* Ad primam confirmationem distinguo, & explico maiorem: propriè vnius naturæ, nego maiorē: impropriè vnius naturę, concedo maiorem, & nego minorem. Licet enim cum differentia solum inadæquata inter cōceptū essentię, & conceptum naturę, non stet conuenientia in re, & propriè in ratione naturę, sine conuenientia in essentia, vt argumentum conuincit, quia tamen essentia dicitur per ordinem ad existentiam, & natura per ordinem ad actum, vel operationē, ex his diuersis expressionibus sumitur fundamentum, vt possint aliqua dici eiusdem naturę, quia conueniunt in aliquo actu, & non dici eiusdem essentię, quia non conueniunt in vna existentia; non tamen ideò dicuntur vnius naturę, quia *propriè* vna natura in illis saluetur, dicuntur tamen vnius naturę *impropriè*, quia vnus actus illis correspondet. Quod autem hęc sit mens D. Thomę, patet clarè, docet enim omnia calefacientia dici vnius naturę, quia conueniunt in actu calefaciendi: ergo Sol, & ignis vnius naturę dicuntur; & tamen Sol, & ignis non sunt *propriè* vnius naturę secundum prędicata intrinseca naturę, nec aliquis vnquam hoc docuit: ergo D. Thomas accipiendus est iuxta nostram explicationem.

81 *Ad secundam.* Et ex his ad secundam cofirmationem constat solutio. Et quidem contrarię sententię Auctores non possunt huic doctrinę refragari, sed necessariò illi debent acquiescere; licet enim inter conceptum naturę, & conceptum essentię distinctionem virtualem adęquatam constituant, asserunt, naturam esse attributum, vel proprietatem essentię, & quamuis aliqui hoc negent, docent rationem naturę conse qui ad conceptum essentiæ, & *conuertibiliter* cum illo se habere; sicut autem stare non potest conuenientia in vno conceptu inadęquato differentiali sine conuenientia in alio; ita stare nequit conuenientia *verè*, & *propriè* talis in proprietate consequuta ad essentiam, sine conuenientia in essentia, cuius est proprietas; aut conuenientia in vna formalitate conuertibili cum alia, sine conuenientia in illa ergo necessariò fateri tenentur, non stare veram, propriamque conuenientiam duorum in natura sub conceptu naturę sine conuenientia in eadem essentia; & consequenter tenentur D. Tho. Nobiscum interpretari. *Instantia argumētum in doctrina aduersariorum.*

82 *Replicabis.* Sed dices; ratio qua probat D. Tho. dici posse aliqua eiusdem naturę, quę non sint eiusdem essentię, conuincit propriam, veramque conuenientiam in vna, & eadem natura: ergo accipiendus est D. Th. de vera, propria, realiq; conuenientia, & non tantum de conuenientia impropria, & quoad dici. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur: nam quod dici possint aliqua eiusdem naturæ, quæ non sint, nec dicantur eiusdem essentiæ, probat, quia possunt conuenire in vno, & eodem actu, & non in vna existentia; at hęc ratio probat conuenientiam veram, propriamq; in ratione naturę: ergo ratio, qua vtitur Angelicus Doctor, propriam conuenientiam conuincit. Probatur minor: natura namq; est primum principium motus, vel operationis: ergo naturę distinctio ex distinctione motuum est desumenda: ac proindè, quę in motu, actu, vel operatione conueniunt, non possunt in ratione naturę distingui: sicut quia potentię constituuntur per ordinem ad actus, & distinguuntur ex distinctione illorum, ideò, si duę potentię in eodem actu conueniant, necessariò conueniunt in ratione potentię.

83 *Confirmatur.* Et confirmabis, supponendo quorumdam Theologorum sententiam cum Caietano asserentium, intellectus omnium Angelorum esse in ratione potentię intellectiuę eiusdem speciei athomę, quamuis Angeli inter se *specificè* distinguantur. Qua sententia presupposita sic potest contra nostram sententiam instari: duo Angeli distinguuntur *specificè* in ratione essentiæ; & tamen in ratione naturę *specificè* conueniunt: ergo ratio naturę, & ratio essentię, non se habent vt duo conceptus differentiales inadæquati. Consequentia tenet ex dictis. Maior est certa in via D. Tho. asserentis, omnes Angelos specie distingui, imò implicare duos Angelos eiusdem essentię specificę, numero tantum distinctos.

84 *Minor prob. 1.* Minor autem probatur primo: natura sub conceptu naturę consistit in ratione radicis potentiarum, quę sunt proxima operandi principia: ergo si potentię *proximè* operatiuę eiusdem sunt speciei; natura, quę est illarum radix, est eiusdem speciei in ratione naturę; at in sententia supposita potentię intellectiuę Angelorum sunt eiusdem speciei athomę in ratione potentię: ergo naturę Angelorum sunt eiusdem speciei.

85 *Secundò.* Secundò probatur minor: natura est primum principium motus, vel operationis: ergo naturę, quę sunt principia motus, vel operationis eiusdem speciei, *specificè* conueniunt in ratione naturę: at eo ipso, quod intellectus omnium Angelorum sint eiusdem speciei athomę in ratione potentiæ intellectiuę actus intelligendi, penes ordinem ad quos ratio naturę intellectiuę pensatur, eiusdem sunt speciei: ergo: eo ipso, quod intellectus omnium Angelorum *specificè* conueniant in ratione potentię *proximè* intellectiuę, necessarium est, omnes Angelos esse eiusdem naturę sub conceptu, & ratione naturę; cumq; supponantur non eiusdem, sed distinctæ essentiæ specie, euidenter infertur, cum conuenientia specifica in natura sub conceptu naturę dari diuersitatem specificam in essentia sub conceptu essentię; cum quo stare nequit rationem naturę, & rationem essentiæ se habere vt conceptus differentiales *inadæquatè* solum distinctos.

86 *Confir. 2.* Confirmabis, & vrgebis secundò; licèt stare nequeat conuenientia in vno conceptu inadæquato differentiali, sine conuenientia in alio; stare tamen potest conuenientia in proprietate sine conuenientia in essentia, quam consequitur proprietas: ergo malè contrarios Auctores redarguebamus in solutione argumenti, asserendo, illud soluere debere, eo quod rationem naturę docent esse proprietatem essentię, non minùs, quàm nos asserentes distingui solùm ina-

inadequatè, vt duo conceptus differentiales eiusdem athomæ quidditatis. Consequentia tenet, & antecedens probatur: nam cognoscibilitas entitatem consequitur vt proprietas illius; & tamen plura, quæ in ratione entis *essentialitèr* differunt, conueniunt in ratione cognoscibilis essentialiter: accidens namq; & substantia *genericè* in linea entis distantia, in ratione cognoscibilis à nostro intellectu, & in ratione scibilis à Metaphysica, conueniunt *specificè*: ergò stare potest conuenientia in proprietate radicata absque conuenientia in radice, vel in essentia radicante proprietatem.

87 *Respondetur.* Respondeo ad argumentum, negando antecedens: ad probationem explico, & distinguo maiorem: quia possunt conuenire in vno actu sumpto *entitatiuè*, nego maiorem: sumpto *terminatiuè*, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; cum enim docet D. Thomas, dici aliqua eiusdem naturæ, quia in eodem actu conueniunt; quæ tamen eiusdem essentiæ non sunt, quia non habent idem esse non intelligitur de conuenientia in eodem actu, motu, vel actione *entitatiuè*, & *intrinsecè*, sed *extrinsecè*, & *terminatiuè*, quia nempè, effectum eiusdem speciei producunt, quod in exemplo ab Angelico Præceptore apposito, clarè conspicitur: actio enim, qua ignis producit calorem, non est eadem in ratione actionis cum actione, qua Sol calorem producit; cum enim actio à principio specificetur, & principia sint diuersa, non potest actio esse eadem secundùm prædicata intrinseca: vnde solùm dicuntur omnia calefacientia conuenire in eodem actu *terminatiuè*, quia ab igne, & à Sole potest produci calor eiusdem speciei: ex quo non infertur vera, & propria conuenientia, sed tantùm secundùm dici in eadem natura.

88 *Ad 1. confirmationem.* Ad primam confirmationem dicatur; sententiam illam, cuiuscumq; sit, veram non esse; cum enim Angeli sint specie essentiali distincti in linea intellectuali actiua, non possunt non differre specie in ratione naturæ, quæ in Angelis intellectiua est; cum quo non stat, nec identitas specifica intellectuum in ratione potentiæ, nec identitas specifica actionum intelligendi. Præterquam quòd; cum intellectualitas consequatur immaterialitatem, & immaterialitas in Angelis varietur, & multiplicetur *specificè*, non potest ratio intellectualitatis, in qua consistit ratio naturæ, esse eiusdem athomæ speciei. Et præterea: nam sicut immaterialitas substantialis est in Angelis specie diuersa; etiam immaterialitas accidentalis intellectus Angelici specie diuersa est in diuersis intellectibus: & sicut immaterialitatem substantialem specie diuersam, necessariò consequitur intellectualitas radicalis diuersæ speciei; ita immaterialitatem accidentalem specie multiplicatam in intellectibus Angelorum, non potest non consequi intellectualitas proxima specie distincta; cum quo non stat intellectus Angelicos esse eiusdem speciei in ratione potentiæ intellectiuæ.

89 *Quid sit dicendū, iuxta oppositā sententiā principia?* Quòd si illa sententia admittatur, consequenter est asserendum, naturam sub conceptu naturæ sufficienter variari per distinctionem potentiarum in ratione proprietatum; cum quibus immediatè connectitur; & quia Authores dictæ sententiæ, etsi asserant intellectus Angelorum *specificè* conuenire in ratione potentię; docent tamen *specificè* in ratione proprietatum distingui, fit, vt naturę Angelorum, non solùm in ratione essentię, sed etiam in ratione naturę essentialiter distinguantur. Qualiter autem hęc doctrina componatur cum definitione naturę, quę explicatur, non per ordinem ad proprietates immediatè dimanantes ab ipsa, sed per ordinem cum tamen supponatur intellectiones Angelicas esse eiusdem speciei: viderint ipsi.

90 Vel dicendum cum alijs, intellectum in ea sententia non consequi formaliter ad naturas Angelicas *specificè* sumptas, sed vt conuenientes in eodem gradu immaterialitatis: vnde ratio naturę, quę in radice proprietatum, & operationum consistit, non consequitur formaliter ad vltimas differentias, quibus Angeli inter se *specificè* distinguuntur, sed ad gradum omnibus communem: vnde non cum differentijs specificis, sed cum gradu immaterialitatis completæ omnibus Angelis communi, virtualiter identificatur, vt conceptus inadæquatus essentiæ intellectualis completæ, ad modum, quo solet dici, potentiam obedientialem actiuam *remotè* visiuam Dei, non consequi formaliter vltimas differentias, quibus homo, & Angelus differunt, sed rationem intellectiui creati in communi, ideòque homo, & Angelus sunt eleuabiles ad visiones eiusdem speciei.

Contrà quam doctrinam obstat primò; sequi ex illa, Gabrielem v. g. secundum suam vltimam differentiam formaliter intellectiuum non esse; consequens videtur absurdum: ergo doctrina tradita est falsa. Patet sequela; est enim intellectiuus, quatenus intellectum radicat; cum sit intellectiuus radicaliter: ergo si non radicat intellectum formaliter secundùm vltimam differentiam, qua ab alijs Angelis specie distinguitur, non est formaliter intellectiuus secundùm vltimam differentiam. 91 *Si opponas 1.*

Secundò contra illam obstat: nam gradus immaterialitatis completæ communis omnibus Angelis, in ratione immaterialitatis non est vnus specie, sed genere; est namq; diuisibilis *formalitèr* per differentias, quibus Angeli distinguuntur *specificè*; sed ratio naturæ intellectualis non distinguitur a ratione immaterialitatis completæ *virtualiter adequatè*, vt supponimus; sed tantùm *inadequatè*, vt conceptus differentialis, quasi partialis; ex quo, & alio vna quidditas, & essentia consurgit: ergo non potest esse vnus *specificè athomè*, sed tantùm *genericè*; & consequenter Angeli illum gradum contrahentes, non solùm in ratione essentiæ, sed etiam in ratione naturæ distinguuntur *specificè*. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur. Prima autem probatur: non enim stare potest vt vnus conceptus inadæquatus sit formaliter diuisibilis; & alius eiusdem essentiæ sit vnus *specificè*; sed conceptus naturæ, & conceptus essentiæ in ratione illa communi sic comparantur: ergo si in ratione essentiæ est vnus tantùm *genericè*, in ratione naturæ non est vnus *specificè athomè*. 92 *Si opponas 2.*

93 Ad quæ contrarij Authores, vt loquantur consequenter, respondebunt ad primam, distinguendo consequens: *formaliter* vt *quo*, concedo consequentiam: *formalitèr*, vt *quod*, nego consequentiam; sicut homo inquantùm rationalis est beatificabilis, & potens remotè videre Deum, non ly *vt* reduplicante rationem *qua* eleuabilitatis, & potentiæ remotæ; hæc enim est ratio communis Angelo, & homini; benè tamen ly *vt* dicente rationem *quæ* eleuabilem, & potentem Deum videre *remotè*. *Ad 1. obiectionem respondebunt illius sententiæ Authores.*

94 Ad secundum respondebunt; cum duo conceptus inadæquati, ita inter se comparantur vt vnus consequatur ad alium secundum suam rationem explicatam sumptam *explicitè*, & ratione illius, quod actu importat, prout distinguitur ab his, per quæ contrahi potest, non esse inconueniens, vt vnus *specificè* sit diuisibilis, aliusque *specificè* diuidi nequeat, vt constat in conceptu radicis potentiæ obedientialis eleuabilis ad videndum Deum, quiconsequitur rationem intellectiui creati communem homini, & Angelo; & tamen ratio radicis potentiæ obedientialis est vna *specificè athomè*; non enim variatur in illis *specificè formalitèr*; & tamen ratio communis intellectiui creati specie in illis multiplicatur, & hoc ideò, quia radicare eleuabilitatem conuenit prædicto gradui communi secundùm conceptum communem sumptum *explicitè*, & sub ea ratione, qua distinguitur ab inferioribus, per quæ contrahi potest; idem ergo dicent Authores illius sententiæ de conceptu naturæ, & conceptu essentiæ in gradu communi immaterialitatis completæ. *Ad secundam.*

95 Ad secundam confirmationem dicatur: cum proprietas, & essentia pertinent ad genus entis, non stare differentiam in essentia, cum conuenientia in proprietate ad essentiam consequuta; benè autem, quando proprietas intra genus entis non continetur, & quia ratio veri, genus diuersum à genere entis constituit; sit consequens, vt possint accidens, & substantia distingui in ratione entis, quin eodem modo differant in linea veri; natura autem, si esset essentiæ proprietas; intra genus entis esset, ideòque esset cum differentia in essentia, non posset stare duo inter se conuenire in ratione naturæ, cum distinctione essentiali in essentia. *Ad 2. confirmationem.*

96 Tertiò obijciunt: nam D. Th. *infra quæst. 14. art. 1.* probat, Deum esse intellectiuum, quia est immaterialis; quæ ratio vt demonstratiua a priori accipitur communiter a Thomistis, mediumq; est immaterialitas; ratio autem intellectiui, quæ eadem ac ratio naturæ in Deo, est perfectio demonstrata, sed medium in demonstratione à priori petit saltem *virtualitèr* à perfectione demonstrata distingui: demonstratio namq; à priori est demonstratio per causam, vel realem, vel ad minùs virtualem: ergo immaterialitas, vel spiritualitas diuina, in qua Dei essentia consistit, *virtualitèr* distinguitur a diuina intellectualitate, in qua consistit natura Dei. *Tertio arguitur.*

97 *Respondent aliqui.* Hæc argumentum difficultate caret in quorundam sententia afferentium, D. Th. non demonstrasse radicalem intellectualitatem, sed vel proximam, nempè, intellectum, vel actualem intellectionem, vel scientiam *strictè* sumptam, quæ omnia, vel saltem illorum aliquod est attributum diuinum, iuxta varia Thomistarum placita, quibusdam asserentibus intellectum, intellectionem, & scientiam, rationem attributi obtinere, Deique naturam constitutam præsupponere. Alijs id concedentibus de actuali intellectione, & scientia; alijs denique asserentibus, quòd licet intellectus, actualisque intellectio *absolutè* sint de constitutione Metaphysica naturæ; scientia verò, quæ specialem modum cognitionis importat, naturam Dei *Metaphysicè* constitutam supponit; ac proindè potest demonstrari à priori de Deo, assumpto pro medio diuina immaterialitate, in qua Dei essentia, & natura consistit; iuxtà quam doctrinam non sequitur essentiam, & naturam *virtualitèr* distingui; cum perfectio demonstrata non sit radicalis intellectualitas, in qua natura consistit, sed illa, quæ in linea intellectuali actiua rationem attributi sortitur.

98 *Displicet 1. hæc solutio, & doctrina. Secundo. S. THO.* Hæc tamen doctrina displicet primò: quia ex principijs incertis in sententia Thomistarum procedit; cum tamen ratio D. Thomæ, vt recta, & artificiola sustineri debeat in omni sententia probabili inter Thomistas. Tùm etiam; quia licet titulus articuli inquirat, an in Deo sit scientia; conclusio tamen, non de scientia, sed de cognitione absolutè procedit, vt constat ex illis verbis, quibus Angelicus Doctor concludit corpus articuli: *Vnde cum Deus sit in summo immortalitatis (vt ex superioribus patet) sequitur, quod ipse sit in summo cognitionis.* Vbi vt clarè constat, non loquitur de aliquo modo speciali cognoscendi, sed de cognitione absolutè.

99 *Tertio.* Deindè: nam quamuis conclusio de cognitione summa procedat, dicendo: *Deum esse in summo cognitionis*, non sequitur, solam actualem cognitionem demonstrasse: nam sensus legitimus istius propositionis: *Deus est in summo cognitionis*, est, Deum esse *summè* cognoscitiuum, vel in summo cognitionis gradu; summus autem cognitionis gradus denotat naturam *summè* cognoscitiuam: ergo D. Thomas probat Deum esse in supremo gradu naturæ cognoscitiuæ; & consequenter probat rationem naturæ intellectualis in Deo, siuè in hoc, siuè in illo natura diuina consistat.

100 *Quarto.* Prætereà: nam si D. Thomas probaret intellectum, vel scientiam, vel actualem intellectionem in Deo, assumpsisset pro medio naturam sub conceptu naturæ, nempè sub ratione intellectiuæ radicaliter, sic namque est radix attributorum, & medium illorum probatiuum à priori; at hoc non fecit, sed pro medio sumpsit immaterialitatem sub conceptu immaterialitatis, hoc est, separationis, & independentiæ à materia, eleuationisque supra illam: ergo non solùm probauit intellectum, scientiam, & intellectionem, sed etiam Deum esse naturæ intellectualis in quacumque perfectione constituatur ratio naturæ.

101 *Quinto.* Denique: nam principium à Diuo Thoma assumptum, est, quod immaterialitas alicuius rei, est ratio quod sit cognoscitiua; ex quo infert primò, sensum esse cognoscitiuum, quia est receptiuus specierum sine materia; in sensu autem esse receptiuum specierum sine materia, & esse cognoscitiuum, non distinguuntur *virtualitèr adæquatè.* Secundò infert, intellectum esse magis cognoscitiuum, quia est magis separatus à materia: ergo immaterialitas ipsa intellectus creati est medium, quo Diuus Thomas probat intellectum creatum esse intellectiuum; cum tamen in intellectu immaterialitas, & ratio *proximè* intellectiui non differant *virtualitèr adæquatè*: ergo etiam immaterialitas naturæ intellectualis, erit ratio probans intellectualitatem radicalem illius, quamuis inter illa non detur virtualis adæquata distinctio.

102 *Vera tertij argumenti solutio.* Vnde ad argumentum respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: *virtualitèr adæquatè*, nego minorem: *adæquatè*, vel *inadæquatè*, concedo minorem, & nego consequentiam; vt enim ratio cognoscitiui, etiam radicaliter, aliqualiter à priori, per immaterialitatem probetur, non requiritur virtualis adæquata distinctio, sed inadæqua sufficit; licèt autem inter illas formalitates non detur virtualis adæquata distinctio, quam contrarij Auctores volunt; datur tamen distinctio inadæquata virtualis, eò quòd immaterialitas, non exprimit ordinem ad operationem, in quo ratio naturæ cognoscitiuæ consistit, sed ordinem ad esse, & elongationem à materia, eleuationemque supra illam.

103 *Distinctio virtualis inadæquata inter duas formalitates, sufficit, vt vna, per aliam à priori probetur.* Et hæc distinctio inadæquata conceptuum, & expressionum, sufficit, vt vna formalitas per aliam probetur aliqualitèr à priori, sicut dicebamus *supra* ex Angelico Doctore rationem informatiuæ corporis in anima rationali, probari ab Aristotele, ab illoq; demonstrari à posteriori per rationem principij *quo* remote operandi; cum tamen inter istas duas rationes non detur virtualis adæquata distinctio, sed tantùm inadæquata, penes vnam, & aliam expressionem: & sicut immaterialitas intellectus probat aliqualiter à priori esse *proximè* cognoscitiuum, quin ex hoc inferatur inter vim *proximè* cognoscitiuam intellectus, & illius immaterialitatem distinctio adæquata virtualis; & sicut esse principium *quo* proxime intellectiuum probat à posteriori, intellectum esse formam accidentalem animæ rationalis, quin liceat ex hoc inferre rationem formæ accidentalis animæ, & vim *proxime* intellectiuam in intellectu distingui *adæquatè virtualitèr*, vt *superius* arguebamus.

104 *Replicabis 1.* Sed oppones primò: eo ipso quod ratio naturæ intellectiuæ probetur in Deo à priori per immaterialitatem, non potest intellectualitas esse de essentia Dei, vt conceptus differentialis, aut quasi differentialis illius: ergo eo ipso erit attributum Dei; & consequenter *virtualiter adæquatè* ab essentia Dei distinguitur. Probatur antecedens: prædicata essentialia *Metaphysicè* constituentia, cognoscuntur lumine principiorum; sed conclusio à priori demonstrata non cognoscitur lumine principiorum, sed lumine scientifico: ergo eo ipso, quod intellectualitas radicalis à priori demonstretur de Deo per immaterialitatem, non potest esse de essentia Dei vt differentia, aut quasi differentia *Metaphysicè* illius constitutiua.

105 *Secundo.* Secundò: nam demonstratio à priori debet esse per causam realem, aut virtualem; sed causa virtualis petit *virtualiter adæquatè* ab effectu distingui, sicut causa realis *realitèr adæquatè* ab effectu distinguitur: ergo si ratio naturæ intellectualis in Deo probatur à priori per immaterialitatem, aut spiritualitatem diuinam, in qua Dei essentia consistit, intellectualitatem, in qua consistit natura, & essentiam Dei, datur virtualis adæquata distinctio.

106 *Tertio.* Tertiò: nam si conceptus naturæ esset demonstrabilis à priori de Deo, & non esset attributum ipsius, sequeretur primum attributum Dei posse demonstrari de ipso demonstratione à priori, non solùm quòad nos, sed etiam secundùm se; consequens est contra dicta supra *Disputatio secunda*, ergo vel ratio naturæ non potest a priori demonstrari de Deo vel est eius attributum, & non differentia *Metaphysicè* ipsum constituens. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; ideò secundum attributum est demonstrabile de Deo demonstratione à priori secundùm se, quia inter illud, & Deum de quo demonstratur, mediat primum attributum *virtualiter* ab vtroquè extremo distinctum, vt vidimus *Disput. secunda, §. tertio.* At si ratio naturæ demonstraretur à priori de Deo, & non esset attributum illius, inter primum attributum, verbi gratia intellectum, & Deum, mediaret prædicatum ab vtroque extremo *virtualitèr* distinctum, videlicet ratio naturæ, quæ ab intellectu distinguitur *virtualitèr*, quandòquidem illum radicat, & etiam distinguitur *virtualitèr*; à Deo, quandòquidem à priori demonstratur de ipso: ergo ex doctrina tradita sequitur primum attributum posse demonstrari de Deo demonstratione à priori, non solum *quoad nos*, sed etiam demonstratione à priori *secundum se*.

107 *Ad 1. replicam respond.* Respondeo ad primam replicam, negando antecedens; ad probationem dicatur, quod quandò aliqua differentia ex duplici inadæquato conceptu conflatur, quorum vnus alium ratione nostra supponit, etsi ille, qui primus est absolutè non possit vllo modo à priori demonstrari; ille verò, qui alium priorem ratione nostra supponit, potest demonstrari per primum demonstratione a priori, non secundùm se, sed demonstratione à priori *quoad nos*, & quia conceptus naturæ in Deo huius conditionis est, quòd supponit conceptum essentiæ, & immaterialitatis vt ratione nostra inadæquatè priorem; fit consequens, vt possit demonstrari de Deo hoc demonstrationis genere, quamuis non sit attributum, sed de constitutione Metaphysica Dei per modum differentiæ, aut quasi differentiæ inadæquatæ. Cui doctrinæ non obstat antecedentis probatio; nam demonstrabilitas à priori

quoad

quoad nos, sicut non obstat, vt aliqua propositio sit secundùm se immediata, vt diximus *Disputatione citata*; ità non obstat, vt possit formalitas demonstrata lumine principiorum cognosci, non quidem vt demonstrata, sed inspecta secundum se, & ab intellectu illam vt in se cognoscente.

108 *Ad secundam.* Ad secundam replicam dicatur; causam virtualem efficientem, aut *dimanatiuè* radicantem distingui *virtualiter adæquatè* ab effectu, aut perfectione radicata; ideòque inter attributa radicata in essentia, & essentiam radicantem attributa, datur virtualis adæquata distinctio; causa autem virtualis formalis non petit virtualem adæquatam distinctionem ab effectu virtuali, sicut nec causa formalis realis, *realiter adæquatè* à suo effectu distinguitur; forma namq; est causa materiæ in genere causæ formalis à qua tamen non distinguitur distinctione adæquata, sed inadæquata, & partialis, nec ab effectu suo formali *adæquatè* distinguitur cum in illo includatur: effectus enim formalis est forma subiecto capaci communicata; immaterialitas autem diuina non est medium à priori demonstrans intellectualitatem per causalitatem virtualem efficientem, aut radicantem illam, vt principium dimanationis, sed per modum causæ formalis duos effectus, aut quasi effectus ordine quodam præstantis, nempè, rationem spiritualis, & omninò independentis, & insuper remotam intellectualitatem, & quia hæc secunda formalitas, primam ratione nostra supponit, demonstratur aliqualiter à priori per illam, quin ad hoc requiratur virtualis adæquata distinctio, sed sufficit distinctio inadæquata virtualis.

109 *Instatur replicat.* Et quidem eodem modo, & genere demonstrationis à priori, quo D. Thomas probat, Deum esse naturæ intellectiuæ, quia est immaterialis, probat sensum esse aliqualiter cognoscitiuum, quia immaterialis est, & intellectum esse altiori modo cognoscitiuum, quia immaterialis est altiori modo; & tamen ex hoc non colligitur immaterialitatem imperfectam sensus, & perfectiorem immaterialitatem intellectus *virtualiter adæquatè* distingui à vi *proximè* cognoscitiua imperfecta sensus, & perfecta intellectus: ergò pariter non sequitur virtualis adæquata distinctio inter immaterialitatem, vel essentiam diuinam, & intellectualitatem, vel naturam Dei.

110 *Ad tertiã replicã respondet.* Ad vltimam, nego sequelam: ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem: nam ratio naturæ non mediat inter Deum, de quo primum attributum demonstratur, & primum attributum, vt enim inter hæc extrema mediaret, neutrum constituere deberet; conceptus autem radicis intelligendi, constituit *Metaphysicè* Deum: ac proinde non mediat, benè tamen primum attributum, per quod demonstratur secundum, mediat inter illud, & Deum, quia nec constituit Metaphysicè attributum secundum demonstratum, nec Deum, de quo demonstratur.

111 *Vltimo contra eãdem partem conclusionis arguitur.* Deniquè contra eandem partem conclusionis arguitur: quæ ad diuersum genus spectant, *virtualiter adæquatè*, distinguuntur; sed ratio naturæ, & ratio essentiæ spectant ad diuersum genus: ergò distinguuntur in Deo *virtualiter adæquatè*. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: ratio essentiæ pertinet ad genus entitatiuum, ratio naturæ intellectualis pertinet ad genus intelligibile; sed genus entis, & genus intelligibile diuersa genera sunt: ergo ratio essentiæ, & ratio naturæ ad diuersa genera spectant; & consequenter distinguuntur in Deo distinctione virtuali adæquatè.

112 *Hoc argumentũ à M. Bañez insinuatur.* Quæ ratio insinuatur à Mag. Bannez *infra quæst. 14. art. 8.* vbi docet, totum esse intelligibile comparari ad esse entitatiuum vt proprietatem in Deo, factaque comparatione ad esse entitatiuum Dei hanc prædicationem: *Intelligere diuinum, est diuinum esse*, non esse tam formalem, ac quidditatiuam, sicut ista: *Iustitia Dei est esse diuinum*, quia iustitia, & cætera attributa sunt veluti partes quædam essentiales diuini esse entitatiui; intelligere autem respectu esse entitatiui Dei se habet quasi proprietas: nam sicut immutabilitas in Deo est ratio æternitatis, ita diuinum esse entitatiuum est ratio in Deo diuini esse intelligibilis; si autem intellectio, & intellectualitas comparentur ad essentiam Dei prout amplectitur totum esse entitatiuum, & intelligibile, hæc propositio: *Intelligere est esse Dei*, est formalior, quàm ista: *Iustitia est esse Dei*, quia iustitia dicit quandam rationem peculiarem entitatis, intelligere autem dicit rationem quandam vniuersalem, nempè, totum genus esse intelligibilis.

113 Sed, vt fatear verum, non satis percipio sapientissimum Magistrum primò: si namque intelligere diuinum est proprietas esse entitatiui Dei, erit illi essentiale, non minùs, quàm misericordia, & iustitia, & quàm cætera attributa: ergò non minùs formalis erit ista propositio: *Intelligere est esse entitatiuum Dei*, quàm ista: *Misericordia est esse entitatiuum Dei*. *Eius doctrina displicet 1.* Consequentia patet: nam ideò hæc est formalis, quia misericordia est essentialis esse entitatiuo Dei: ergò si intelligere est esse entitatiuo essentiale, erit non minùs formalis hæc propositio: *Intelligere est esse Dei*, quàm illa: *Misericordia est esse Dei*. Antecedens autem probo: misericordia, & iustitia non alia ratione possunt esse, quasi partes essentiales diuini esse entitatiui, nisi quia sunt attributa, & proprietates illius, de ratione autem diuinæ essentiæ sunt omnia eius attributa vt prædicata essentialia: ergo si intelligere est proprietas esse entitatiui Dei, est etiam prædicatum illi essentiale.

Deindè: nam si esse entitatiuum, & esse intelligibile, tàm passiuum, quàm actiuum distinguuntur virtualiter in Deo, iustitia, & misericordia non sunt attributa Dei secundum esse entitatiuum, sed secundum esse intelligibile: ergò non magis formaliter prædicabitur esse Dei entitatiuum de iustitia, & misericordia, quàm de diuino intelligere. 114 *Secundo.* Consequentia patet: nam maiorem formalitatem illius secundæ prædicationis fundat sapientissimus Mag. in eo quod sunt attributa pertinentia ad esse entitatiuum, illudque integrantia tanquàm partes essentiales. Antecedens autem probatur: misericordia, & iustitia sunt perfectiones voluntatis diuinæ; & consequenter sunt attributa Dei sub eadem ratione sub qua voluntas est ipsius attributum; sed voluntas Dei est attributum naturæ, quatenùs intellectualis, medio intellectu ad illam, vt intellectuam consequutum: ergò misericordia, & iustitia sunt attributa Deitatis, non vt spectat ad lineam entitatiuam, sed vt pertinet ad lineam intelligibilem, si semel linea intelligibilis, & linea entitatiua distinguuntur virtualiter in Deo.

115 *Ad argumentum respond.* Quidquid tamen sit de illius sapientissimi Magistri doctrina, ad argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem: ad illius probationem, distinguo secundam partem maioris: ratio naturæ pertinet ad genus intelligibile actiuum, concedo maiorem: ad genus intelligibile passiuum, nego maiorem: & sub eadem distinctione minorem, nego consequentiam: nam licet genus cognoscibile passiuum, quod in ratione veri consistit, sit attributum in Deo sequutum ad rationem entis diuini; & consequenter distinctum genus constituat à genere entitatiuo, intelligibile tamen actiuum radicale, in quo ratio naturæ consistit, non est genus ex æquo à genere entis distinctum, sed gradus distinctus à gradu entis sub genere entis contentus, sicut ratio viuentis non est genus à genere entis distinctum, sed gradus distinctus à gradu entis, ita ratio viuentis intellectualis non est genus à genere entis distinctum, sed gradus distinctus à gradu entis sub genere entis contentus; ratio autem naturæ *radicaliter* intellectiuæ idem est, quod natura viuens vita intellectuali; ac proinde intellectiuum radicale non est genus distinctum à genere entis: ex quo vlteriùs fit, vt in Deo non debeat ab esse entitatiuo, nec ab essentia sub conceptu essentiæ *virtualiter adæquatè* distingui.

116 *Instabis.* Sed dices; passiuum intelligibile est genus distinctum à genere entitatiuo, nempè verum, quod est passio entis; genusque ab illo distinctum: ergo intelligibile actiuum, quod idem est, atque intellectiuum proximum, vel radicale, est genus distinctum à genere entis. Antecedens supponimus, & consequentia probatur: ideò passiuum intelligibile constituit genus distinctum à genere entis, quia exprimit connexionem cum intellectu, quam non exprimit genus entis, sed tantum ordinem ad existentiam; sed etiam intellectuale, vel intelligibile actiuum exprimit connexionem cum operatione intellectuali, quam genus entis non exprimit; ergo est genus condistinctum à genere entitatiuo.

117 *Confirm.* Explicatur, & vrgetur: quamuis passiuum intelligibile, non ordinetur *per se* ad intelligi passiuum: quia tamen in connexione cum illo consistit, quam genus entis non exprimit, sed ordinem ad existentiam, quæ est vltima actualitas diuersa ab intelligi passiuo, ens, & verum, seu passiuum cognoscibile constituunt diuersa genera; sed intelligere actiuum est vltima actualitas ab existentia distincta: ergò quamuis intellectiuum radicale ad illud non ordinetur; quia tamen consistit in connexione cum illo, quam-

connexionem ens, in quantum ens, non exprimit, sed ordinem ad existere, constituent diuersa genera.

118 *Respond.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad illius probationem, distinguo maiorem: quia genus intelligibile passiuum exprimit connexionem cum intellectu, quam non exprimit genus entis, nec in se, nec aliquo sibi essentialiter inferiori, concedo maiorem: tantùm in se, & in communi, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; nam licet ens in communi, non exprimat connexionem cum intellectione, vt principium *quo* remotum, illam tamen exprimit in aliquo sibi essentialiter inferiori, nempè, in viuente intellectuali, quod essentialiter diuidit ens, estque illi inferius essentialiter, & intelligi non potest constitutum in se ipso, & ab alijs inferioribus entis non viuentibus vita intellectuali distingui, nisi per connexionem remotam cum intellectione, vt principium radicale illius; ideòque radicale intellectiuum in prædicta connexione consistens, non est genus à genere entis distinctum, sed gradus sub ente contentus: sicut viuens non est genus distinctum à genere entis, sed gradus distinctus à gradu entis sub genere entis contentus, licet viuens in quantum tale exprimat connexionem cum operatione vitali, quam non exprimit genus entis in se, & in communi sumptum, quia illam connexionem exprimit in aliquo sibi inferiori: & sicut relatio prædicamentalis non est genus à genere entis, & accidentis distinctum, sed intra illum contentum, quia ordo ad terminum, per quem constituitur, etsi non exprimatur ab ente, nec ab accidenti in communi, exprimitur ab ente, & ab accidenti in aliquo suo inferiori; connexio tamen cum intellectu, vel cum intelligi passiuo, in qua ratio veri, & cognoscibilis passiuè consistit, non exprimitur ab ente vt sic, nec in se sumpto in communi, nec in aliquo sibi inferiori, ideoque ex tali connexione consurgit, genus condistinctum à genere entis.

119 *Vrgebis.* Instabis: etsi viuens intellectuale, sit inferius essentiale ad ens, & exprimat connexionem cum intellectione actuali, non tamen illam exprimit prout est inferius ad ens, sed sub alia ratione: ergò ens dictam connexionem non exprimit, nec in se sub conceptu communi, nec in aliquo sibi inferiori. Consequentia tenet, quia vt genus entitatiuum in aliquo sibi inferiori connexionem illam exprimeret, oportebat, vt inferiùs, in quantùm inferius exprimeret connexionem. Antecedens autem probatur: viuens namque est inferius ad ens sumptum sub ratione essentiæ; at non exprimit connexionem cum intellectione sub conceptu essentiæ, sed sub conceptu naturæ: ergo non exprimit illam *formaliter* vt inferius: dicere namque etiam esse inferius ad ens formaliter, etiam sub ratione naturæ, est petitio principij; hoc enim contrarij Auctores negabunt, Nobisquè incumbit probare, nisi incurrere velimus vitium petitionis principij.

Respondeo, negando antecedens: ad probationem, di-

120 *Respondetur.* stinguo maiorem: solùm sub ratione essentiæ, nego maiorem: sub ratione essentiæ, & sub ratione naturæ, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: ratio autem est: viuens intellectuale, nedum prout exprimit ordinem ad existentiam, sed etiam prout exprimit connexionem cum operatione, *formaliter* continetur sub ente, est: nam solus ordo ad existentiam non potest rationem entis contrahere, eo quod contrahit ens illud multiplicando essentialiter, & constituendo inferius essentialiter distinctum ab ente non viuente vita intellectuali; hanc autem distinctionem non præstat sola expressio ordinis ad existentiam, nec potest illam præstare, nisi exigendo alium compartialem conceptum connexionis cum operatione intellectuali, vt principium radicale illius, nisi enim hæc connexio ingrediatur, vt contenta *implicitè* in ordine ad existentiam, & ab illa exacta, non potest intelligi sub ratione viuentis vita intellectuali, quod consistit in posse habere intellectionem à se, ideòque solus ordo ad existentiam secundum id quod explicat sumptus, non potest *adæquatè* ens contrahere.

Ex quo vlteriùs fit, vt necessariò ingrediatur connexio cum intellectione, vt compartialis conceptus differentialis, sicut ordo ad terminum est conceptus differentialis simul cum ordine ad subiectum in relatione prædicamentali, nec solus ordo ad subiectum potest esse differentia adæquata, eò quòd solus, non potest accidens relatiuum distinguere ab accidenti absoluto.

Et quidem solus ordo formæ ad materiam non potest distinguere formam vitalem à non vitali: ergò nec solus ordo ad existentiam distinguere potest formam, & essentiam vitalem vita intellectuali, à viuente vita vegetatiua, aut sensitiua; & consequenter sicut connexio remota cum operatione vitali necessariò ingreditur ad distinguendum ens viuens à non viuente, & ad contrahendum ens ad esse viuentis, ità connexio remota cum operatione intellectuali necessariò ingreditur; tum ad distinguendum viuens intellectuale à viuente non intellectuali: tum etiam, ad contrahendum genus entis, & genus viuentis ad esse viuentis vita intellectuali. 121 *Corroboratur solutio, & instantur obiectio.*

§. IV.

Argumentis contra secundam partem conclusionis occurritur.

CONtra secundam partem nostræ conclusionis arguit Magister Cornejo primò ex D. Thom. *infra quæst.* 14. *art.* 8. vbi probat Angelicus Doctor, Deum per intellectum res ad extra causare, quia intelligere Dei est esse Dei; at si hæc propositio non accipiatur in sensu omninò formali, non conuincit ergò ratiò D. Tho. intelligere, est esse Dei, non solùm *identicè formaliter realiter*, sicut aliæ perfectiones sed *formaliter constitutiuè*; cumque hoc verum non sit de esse essentiæ Dei (inquit Mag. Cornejo) erit verum de esse Dei sub conceptu naturæ: ac proinde actualis intellectio constituit naturam Dei: Minorem, in qua est difficultas, probat: relationes sunt esse Dei *realiter formaliter*; & tamen ex hoc, non infertur, Deum per relationes creaturas causare: ergo ex identitate solùm reali formali intellectionis cum diuina natura, non infertur, Deum per intellectum causare creaturas, & consequenter, vt consequentia à D. Thoma facta sit bona, debet assumi pro medio identitas omninò formalis, & constitutiua intellectionis cum diuina natura. 122 *Cōtra primam partem conclusionis arguitur 1. M. Corn.*

Respondeo, hoc argumentum non posse Mag. Cornejo fauere: nam ipse *virtualiter* distinguit inter intellectum diuinum, & actualem intellectionem, docens, esse illius principium, & per intellectionem, diuinam naturam constitui: ergò ex identitate intellectionis cum natura diuina, etsi posset inferri intellectionem Dei esse causam rerum, non tamen infertur Deum per intellectum causare creaturas innitendo identitati formali, & constitutiuæ. Ad argumentum ergo respondeo, vt consequentia Diui Thomæ sit bona, non requiri, quod intelligere sumptum pro actuali intellectione, sit *constitutiuè* Dei essentia, vel natura, sed sufficit, quod sumptum pro radice intellectionis constituat naturam Dei, quia hoc ipso Deus est naturæ intellectualis per essentiam. Ex quo rectè infertur, Deum per intellectum causare creaturas; tùm, quia eo ipso, quod Deus sit intellectualis per essentiam, debetur illi perfectissimus modus causandi, & quia perfectior modus causandi est per intellectum, & voluntatem, quam per naturam, rectè ex illo principio colligitur, Deum non per naturam, sed per intellectum, & voluntatem ad extra causare. Sic explicat consequentiam D. Thom. Caietanus *art.* 8 relato, Tum etiam, quia eo ipso, quod Deus sit naturæ intellectualis per essentiam, sequitur, res creatas in illo intelligibiliter contineri, & quia modus agendi sequitur modum continentiæ effectuum in causa, sequitur Deum modo intelligibili creaturas producere, quod est illas per intellectum causare. 123 *Respondetur.*

Sed contrà primam explicationem obijcies: relationes sumptæ in radice, sunt de constitutione metaphysica Dei essentiæ, vel naturæ; & tamen ex hoc non infertur Deum per relationes, creaturas producere: ergo ex eo quod intellectio, vel intellectus sumpti in radice, sint Dei essentia, vel natura *constitutiuè formaliter*, non sequitur Deum per intellectum, vel intellectionem creaturas causare. 124 *Replicabis 1.*

Deinde contra secundam explicationem consequentiæ obijcies: nam Deus non solum *intelligibiliter* continet creaturas; sed etiam illas continet *entitatiua* continentia eminentiali: ergò ex continentia creaturarum in Deo non magis probatur, quod illas modo intelligibili causet, quam quòd eas causet modo entitatiuo, & naturali, & consequenter, vt ratio D. Tho. concludat, ad illud est recurrendum, quod non potest esse, nisi identitas formalis, & constitutiua intellectionis cum diuina natura. 125 *Secundò.*

Respondeo ad primam replicam, concessis maiori, & 126

mino-

Ad primã rep. icam respond. minori, negando consequentiam, cuius ratio est: nam ex eo quòd intelligere *radicalitèr* sumptum, sit esse Dei *constitutiuè*, & sumptum *formalitèr* sit esse Dei per realem formalem identitatem, sequitur esse intellectualem per essentiam, illique consequenter deberi perfectissimum modum causandi; & quia modi causandi sunt duo, scilicet naturaliter, aut per naturam, & liberè, scilicet per intellectum, & voluntatem, quorum secundus perfectior est, fit, vt rectè inferatur creaturas per intellectum causare, non autem inferatur causare illas per relationes, quia inter modos causandi non continetur per relationes causare.

127 *Ad secundam.* Ad secundam, quæ contra secundum modum explicandi illationem Angelici Præceptoris procedit, dicatur, verum esse contineri creaturas in Deo continentia eminentiali, cæterùm quia Deus illas continens, est naturæ *purè* intellectualis, debetur illi modus intellectualis causandi, qui consistit in causando per intellectum, & voluntatem, imò quia natura Dei spiritualis, & intellectualis est, colligitur, & probatur infra *quæst.* 25. *art.* 1. *& quæst.* 14. *art.* 8. potentiam executiuam non distingui ab intellectu.

128 *Secundo arguit M. Corn.* Secundò arguit ex eodem Diuo Thoma infra *quæst.* 27. *art.* 2. vbi ex eo probat, Verbum procedere in identitatem naturæ, ideòque Filium esse, & illius processionem esse generationem, quia procedit per intellectionem, quæ est esse Dei; & 4. *Contra Gentes cap.* 11. quia intelligi est esse Verbi, & intelligere est esse Dei; at intellecta causali de identitate reali formali, non virtuali, & constitutiua, non probat intentum: ergò iuxtà Diuum Thomam intelligere actuale, est constitutiuum naturæ diuinæ. Probatur minor: Spiritus Sanctus procedit per velle, quod *identicè realitèr* est natura diuina, & tamen non procedit in identitatem naturæ sufficienti modo vt sit genitus, & illius processio sit generatio: ergo vt ratio D. Thomæ rectè probet in Verbo, debet accipi de identitate, non solùm reali formali, sed etiã virtuali, & constitutiua inter intelligere actuale, & diuinam naturam, saltem sub conceptu naturæ.

129 *Respondetur. Ad rationẽ geniti & filij quatuor conditiones desiderantur.* Huic argumento infra *quæst.* 27. *art.* 2. respondebimus, ad rationem geniti, & Filij quatuor conditiones desiderari. Prima, quod à viuente, viuens procedat. Secunda, quod à principio coniuncto. Tertia, quod in similitudinem naturæ, ex vi, & modo processionis. Quarta, quod consubstantiale sit cum principio, & quod D. Thomas ratione obiecta, non tertiam, sed quartam probauit, nempè, consubstantialitatem Verbi cum principio, & ad istam inferendam sufficit realis identitas intellectionis, per quam Verbum procedit, cum diuina natura, & quia volitio est etiam idem *realitèr* cum natura Dei, etiam terminus illius consubstantialis est suo principio. Nec ex isto capite excluditur Spiritus Sanctus à ratione geniti, & Filij, nec illius processio à ratione generationis, sed ex eo quod non procedit, vt similis ex vi, & modo suæ processionis, cuius signum manifestum est D. Thomam *q.* 27. *art.* 4. non ex eo probare Spiritum Sanctum non esse genitum, quia velle Dei non sit esse Dei, sed quia voluntas assimilatiua non est, & infra *quæst.* 30. *art.* 2. *ad* 2. eadem ratione vtitur D. Thomas, vt probet processionem per modum naturæ, non esse diuersam à processione per modum intellectus, benè tamen ab illa quæ est per modum voluntatis, quia *id quod procedit per modum intellectus, vt Verbum, procedit secundum rationem similitudinis, sicut etiam id, quod procedit per modum naturæ: & ideo supra dictum est* (inquit D. Thom. se referens ad quæstionem 27. art. 2.) *quod processio Verbi diuini est ipsa generatio per modum naturæ. Amor autem in quantum huiusmodi, non procedit vt similitudo illius à quo procedit, licèt in diuinis amor sit coessentialis, in quantum est diuinus, & ideo processio amoris non dicitur generatio in diuinis.*

Explicatiõnẽ esse de mente D. Thom. prob. 1.

130 *Secundo.* Cuius solutionis doctrinam cum argumento collatam *infra* ponderabimus, vt ex illis euidenter (ni fallor) inferamus iuxtà D. Tho. nec intellectum, nec intellectionem, Dei essentiam, vel naturam constituere. Ex illis apertè constat, non ideò processionem tertiæ personæ excludi à ratione generationis, quia velle non sit esse Dei, sed quia voluntas assimilatiua non est; ac proinde cum D. Tho. probat Verbum procedere in naturæ identitatem, quia intelligere est esse Dei, solum probat consubstantialitatem, quæ est vna ex conditionibus requisitis ad generationem, non autem probat, nec intendit probare ex illo principio adæquatam rationem generationis in processione Verbi, sed quia per intellectum, qui est assimilatiuus procedit, & ex negatione istius conditionis in voluntate, excludit illius terminum à ratione geniti, & Filij, non autem quia velle Dei non sit esse Dei; imò 4. *Contra Gentes cap.* 23. §. *vlt.* Ex eo quod esse Dei est velle ipsius, probat Spiritum Sanctum procedentem per voluntatem procedere in identitatem naturæ: quandò ergò vtitur D. Thom. argumento ex identitate inter intelligere, & esse desumpto, solùm contendit consubstantialitatem probare, quæ est vtrique processioni communis, non autem id quod est processioni secundæ personæ proprium, & per quod generatio vltimò constituitur.

Sed contrà illam doctrinam arguit tertiò hac ratione: Verbo ex vi processionis communicatur formaliter & primariò diuina intellectio actualis; sed communicatur illi primario ex vi processionis natura sub conceptu naturæ: ergo in actuali intellectione consistit formaliter diuina natura. Consequentia probatione non indiget. Minor constat: nam de ratione geniti, & Filij est, quod illi ex vi processionis communicetur natura generantis; quò circà, vt communiter à discipulis D. Thomæ docetur infrà *quæst.* 27. *art.* 2. *&* 4. Spiritus Sanctus non est genitus, nec Filius; quia illi ex vi processionis non communicatur natura diuina formaliter, Verbum autem Filius est, & illius processio generatio, quia terminus *quo* formalis, & primarius illius est natura Patris generantis. 131 *Tertio arguit, & replicat contra dicta.*

Maiorem autem probat primò: nam Verbum ex vi processionis est sapientia genita: ergò ex vi processionis communicatur illi *formalitèr* diuina sapientia, & consequenter diuina intellectio. Secundò, nam id communicatur *formalitèr* ex vi processionis Verbo, quod *formalitèr* ex parte principij ingreditur; at Verbum per se *formalitèr* ex cognitione Patris actuali, qua se, & omnia perfectissimè cognoscit, procedit: ad differentiam Verbi creati, quod non procedit ex cognitione actuali, sed ab intellectu vt in actu primo fæcundo per speciem intelligibilem, de quo infra *q.* 27. *&* 34. ergo diuina cognitio per modum actus secundi communicatur Verbo ex vi processionis formaliter. 132 *Maiorem prob. 1. Secundo.*

Tertiò probatur: nam Pater sub eadem ratione est generans, & dicens; aliàs essent plures, quàm quatuor relationes reales prædicamentales in Deo, quod communi sententiæ aduersatur; sed Verbo vt terminanti dictionem, per se primò, & formaliter communicatur diuina intellectio actualis: ergò eadem communicatur formaliter, & per se primò Verbo vt terminanti generationem: Probatur minor: Pater, vt dicens, & loquens exprimit per se primò, & formaliter mentem; sed non mentem habitualem, velut in actu primo: ergo mentem actualem, quæ idem est quod actualis cognitio; & consequenter hæc per se primò communicatur Verbo à Patre, vt dicente, & loquente. 133 *Tertio.*

Confirmatur primò: dictio, & generatio in Patre, non differunt *obiectiuè*, sed ad summum ex modo significandi: ergò terminus formalis dictionis, non differt *obiectiuè* à termino formali generationis: at terminus formalis dictionis, est intellectio vt Verbo communicata, & terminus formalis generationis, est natura Dei sub conceptu naturæ: ergo intellectio, & natura diuina non distinguuntur *obiectiuè*; & consequenter natura in actuali intellectione consistit. 134 *Confir. 1.*

Confirmatur, & vrgetur secundò: si namquè natura diuina integrè supponeretur constituta ad actualem intellectionem, sequeretur, secundam Trinitatis personam, prius virtualitèr procedere vt Filium, quàm vt Verbum; consequens est falsum: ergò natura diuina in actuali intellectione consistit: Probatur sequela: communicaretur illi priùs natura, quàm notitia actualis; & consequenter priùs procederet vt similis Patri in natura, quam vt similis eidem in actuali notitia; sed est Filius ratione assimilationis Patri in natura, & Verbum ratione assimilationis dicenti in notitia actuali: ergò priùs ratione, aut virtualiter procederet secunda persona vt Filius, quam vt Verbum. 135 *Confir. 2.*

Falsitatem autem consequentis probat Magist. Cornejo primò, quia secunda Trinitatis persona non accipit naturam diuinam per actionem distinctam à dictione, seu productione Verbi; cum illius processio per intellectum sit, & per emanationem intelligibilem; sed terminus per se primò terminans dictionem, est Verbum, vt Verbum: ergò non procedit priùs virtualitèr vt Filius, quàm vt Verbum. Secundò, quia si priùs virtualitèr vt Filius, quàm vt Verbum procederet, ratio Filij in diuinis non esset formalissimè eadem cum ratione Verbi, quod omnes Theologi (inquit Magist. Cornejo) censent periculosum in fide. Tertiò; quia sequeretur relationem Filij ad Patrem esse in diui- 136 *Minor prob. 1. Secundo. Tertio.*

connexionem ens, in quantum ens, non exprimit, sed ordinem ad existere, constituent diuersa genera.

118 *Respond.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad illius probationem, distinguo maiorem: quia genus intelligibile passiuum exprimit connexionem cum intellectu, quam non exprimit genus entis, nec in se, nec aliquo sibi essentialiter inferiori, concedo maiorem: tantùm in se, & in communi, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; nam licet ens in communi, non exprimat connexionem cum intellectione, vt principium *quo* remotum, illam tamen exprimit in aliquo sibi essentialiter inferiori, nempè, in viuente intellectuali, quod essentialiter diuidit ens, estque illi inferius essentialiter, & intelligi non potest constitutum in se ipso, & ab alijs inferioribus entis non viuentibus vita intellectuali distingui, nisi per connexionem remotam cum intellectione, vt principium radicale illius; ideòque radicale intellectiuum in prædicta connexione consistens, non est genus à genere entis distinctum, sed gradus sub ente contentus: sicut viuens non est genus distinctum à genere entis, sed gradus distinctus à gradu entis sub genere entis contentus, licet viuens in quantum tale exprimat connexionem cum operatione vitali, quam non exprimit genus entis in se, & in communi sumptum, quia illam connexionem exprimit in aliquo sibi inferiori: & sicut relatio prædicamentalis non est genus à genere entis, & accidentis distinctum, sed intra illum contentum, quia ordo ad terminum, per quem constituitur, etsi non exprimatur ab ente, nec ab accidenti in communi, exprimitur ab ente, & ab accidenti in aliquo suo inferiori; connexio tamen cum intellectu, vel cum intelligi passiuo, in qua ratio veri, & cognoscibilis passiuè consistit, non exprimitur ab ente vt sic, nec in se sumpto in communi, nec in aliquo sibi inferiori, ideoque ex tali connexione consurgit, genus condistinctum à genere entis.

119 *Vrgebis.* Instabis: etsi viuens intellectuale, sit inferius essentiale ad ens, & exprimat connexionem cum intellectione actuali, non tamen illam exprimit prout est inferius ad ens, sed sub alia ratione: ergò ens dictam connexionem non exprimit, nec in se sub conceptu communi, nec in aliquo sibi inferiori. Consequentia tenet, quia vt genus entitatiuum in aliquo sibi inferiori connexionem illam exprimeret, oportebat, vt inferiùs, inquantùm inferius exprimeret connexionem. Antecedens autem probatur: viuens namque est inferius ad ens sumptum sub ratione essentiæ; at non exprimit connexionem cum intellectione sub conceptu essentiæ, sed sub conceptu naturæ: ergo non exprimit illam *formalitèr* vt inferius: dicere namque etiam esse inferius ad ens formaliter, etiam sub ratione naturæ, est petitio principij; hoc enim contrarij Auctores negabunt, Nobisque incumbit probare, nisi incurrere velimus vitium petitionis principij.

120 *Responde-tur.* Respondeo, negando antecedens: ad probationem, distinguo maiorem: solùm sub ratione essentiæ, nego maiorem: sub ratione essentiæ, & sub ratione naturæ, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: ratio autem est viuens intellectuale, nedum prout exprimit ordinem ad existentiam, sed etiam prout exprimit connexionem cum operatione, *formaliter* contineatur sub ente, est: nam solus ordo ad existentiam non potest rationem entis contrahere, eo quod contrahit ens illud multiplicando essentialiter, & constituendo inferius essentialiter distinctum ab ente non viuente vita intellectuali; hanc autem distinctionem non præstat sola expressio ordinis ad existentiam, nec potest illam præstare, nisi exigendo alium compartialem conceptum connexionis cum operatione intellectuali, vt principium radicale illius, nisi enim hæc connexio ingrediatur, vt contenta *implicitè* in ordine ad existentiam, & ab illa exacta, non potest intelligi sub ratione viuentis vita intellectuali, quod consistit in posse habere intellectionem à se, ideòque solus ordo ad existentiam secundum id quod explicat sumptus, non potest *adæquatè* ens contrahere.

Ex quo vlteriùs fit, vt necessariò ingrediatur connexio cum intellectione, vt compartialis conceptus differentialis, sicut ordo ad terminum est conceptus differentialis simul cum ordine ad subiectum in relatione prædicamentali, nec solus ordo ad subiectum potest esse differentia adæquata, eò quòd solus, non potest accidens relatiuum distinguere ab accidenti absoluto.

Et quidem solus ordo formæ ad materiam non potest distinguere formam vitalem à non vitali: ergò nec solus ordo ad existentiam distinguere potest formam, & essentiam vitalem vita intellectuali, à viuente vita vegetatiua, aut sensitiua; & consequenter sicut connexio remota cum operatione vitali necessariò ingreditur ad distinguendum ens viuens à non viuente, & ad contrahendum ens ad esse viuentis, ità connexio remota cum operatione intellectuali necessariò ingredi or; tum ad distinguendum viuens intellectuale à viuente non intellectuali: tum etiam, ad contrahendum genus entis, & genus viuentis ad esse viuentis vita intellectuali. 121 *Corroboratur solutio, & instatur obiectio.*

§. IV.

Argumentis contra secundam partem conclusionis occurritur.

Contra secundam partem nostræ conclusionis arguit Magister Cornejo primò ex D. Thom. *infra quæst.* 14. *art.* 8. vbi probat Angelicus Doctor, Deum per intellectum res ad extra causare, quia intelligere Dei est esse Dei; at si hæc propositio non accipiatur in sensu omninò formali, non conuincit: ergò iuxtà D. Tho. intelligere, est esse Dei, non solùm *identicè formaliter realiter*, sicut aliæ perfectiones sed *formalitèr constitutiuè* ; cumque hoc verum non sit de esse essentiæ Dei (inquit Mag. Cornejo) erit verum de esse Dei sub conceptu naturæ: ac proinde actualis intellectio constituit naturam Dei: Minorem, in qua est difficultas, probat: relationes sunt esse Dei *realitèr formalitèr*; & tamen ex hoc, non infertur, Deum per relationes creaturas causare: ergo ex identitate solùm reali formali intellectionis cum diuina natura, non infertur, Deum per intellectum causare creaturas, & consequenter, vt consequentia à D. Thoma facta sit bona, debet assumi pro medio identitas omninò formalis, & constitutiua intellectionis cum diuina natura. 122 *Cōtra primam partē conclusionis arguitur 1. M. Corn.*

Respondeo, hoc argumentum non posse Mag. Cornejo fauere: nam ipse *virtualitèr* distinguit inter intellectum diuinum, & actualem intellectionem, docens, esse illius principium, & per intellectionem, diuinam naturam constitui: ergò ex identitate intellectionis cum natura diuina, etsi posset inferri intellectionem Dei esse causam rerum, non tamen infertur Deum per intellectum causare creaturas innitendo identitati formali, & constitutiuæ. Ad argumentum ergo respondeo, vt consequentia Diui Thomæ sit bona, non requiri, quod intelligere sumptum pro actuali intellectione, sit *constitutiuè* Dei essentia, vel natura, sed sufficit, quod sumptum pro radice intellectionis constituat naturam Dei, quia hoc ipso Deus est naturæ intellectualis per essentiam. Ex quo rectè infertur, Deum per intellectum causare creaturas; tùm, quia eo ipso, quod Deus sit intellectualis per essentiam, debetur illi perfectissimus modus causandi, & quia perfectior modus causandi est per intellectum, & voluntatem, quam per naturam, rectè ex illo principio colligitur, Deum non per naturam, sed per intellectum, & voluntatem ad extra causare. Sic explicat consequentiam D. Thom. Caietanus *art.* 8 relato, Tum etiam, quia eo ipso, quod Deus sit naturæ intellectualis per essentiam, sequitur, res creatas in illo intelligibiliter contineri, & quia modus agendi sequitur modum contingentiæ effectuum in causa, sequitur Deum modo intelligibili creaturas producere, quod est illas per intellectum causare. 123 *Respondetur.*

Sed contrà primam explicationem objicies: relationes sumptæ in radice, sunt de constitutione metaphysica Dei essentiæ, vel naturæ; & tamen ex hoc non infertur Deum per relationes, creaturas producere: ergo ex eo quod intellectio, vel intellectus sumpti in radice, sint Dei essentia, vel natura *constitutiuè formalitèr*, non sequitur Deum per intellectum, vel intellectionem creaturas causare. 124 *Replicabis 1.*

Deinde contra secundam explicationem consequentiæ objicies: nam Deus non solum *intelligibilitèr* continet creaturas; sed etiam illas continet *entitatiuè* continentia eminentiali: ergò ex continentia creaturarum in Deo non magis probatur, quod illas modo intelligibili causet, quam quòd eas causet modo entitatiuo, & naturali, & consequenter, vt ratio D. Tho. concludat, ad aliud est recurrendum, quod non potest esse, nisi identitas formalis, & constitutiua intellectionis cum diuina natura. 125 *Secundò.*

Respondeo ad primam replicam, concessis maiori, & mino- 126

Ad primā resp itam respond. minori, negando consequentiam, cuius ratio est: nam ex eò quod intelligere *radicalitèr* sumptum, sit esse Dei *constitutiuè*, & sumptum *formalitèr* sit esse Dei per realem formalem identitatem, sequitur esse intellectualem per essentiam, illique consequenter deberi perfectissimum modum causandi; & quia modi causandi sunt duo, scilicet naturaliter, aut per naturam, & liberè, scilicet per intellectum, & voluntatem, quorum secundus perfectior est, fit, vt rectè inferatur creaturas per intellectum causare, non autem inferatur causare illas per relationes, quia inter modos causandi non continetur per relationes causare.

127 *Ad secundam.* Ad secundam, quæ contra secundum modum explicandi illationem Angelici Præceptoris procedit, dicatur, verum esse contineri creaturas in Deo continentia eminentiali, cæterùm quia Deus illas continens, est naturæ *purè* intellectualis, debetur illi modus intellectualis causandi, qui consistit in causando per intellectum, & voluntatem, imò quia natura Dei spiritualis, & intellectualis est, colligitur, & probatur infra *quæst.* 25. *art.* 1. *&* *quæst.* 14. *art.* 8. potentiam executiuam non distingui ab intellectu.

128 *Secundò arguit M. Corn.* Secundò arguit ex eodem Diuo Thoma infra *quæst.* 27. *art.* 2. vbi ex eo probat, Verbum procedere in identitatem naturæ, ideòque Filium esse, & illius processionem esse generationem, quia procedit per intellectionem, quæ est esse Dei; & 4. *Contra Gentes cap.* 11. quia intelligi est esse Verbi, & intelligere est esse Dei; at intellecta causali de identitate reali formali, non virtuali, & constitutiua, non probat intentum: ergò iuxtà Diuum Thomam intelligere actuale, est constitutiuum naturæ diuinæ. Probatur minor: Spiritus Sanctus procedit per velle, quod *identicè realitèr* est natura diuina, & tamen non procedit in identitatem naturæ sufficienti modo vt sic genitus, & illius processio sit generatio: ergo vt ratio D. Thomæ rectè probet in Verbo, debet accipi de identitate, non solùm reali formali, sed etiā virtuali, & constitutiua inter intelligere actuale, & diuinam naturam, saltem sub conceptu naturæ.

129 *Respondetur. Ad rationē geniti & filij quatuor conditiones desiderantur.* Huic argumento infra *quæst.* 27. *art.* 2. respondebimus, ad rationem geniti, & Filij quatuor conditiones desiderari. Prima, quod à viuente, viuens procedat. Secunda, quod à principio coniuncto. Tertia, quod in similitudinem naturæ, ex vi, & modo processionis. Quarta, quod consubstantiale sit cum principio, & quod D. Thomas ratione obiecta, non tertiam, sed quartam probauit, nempè, consubstantialitatem Verbi cum principio, & ad istam inferendam sufficit realis identitas intellectionis, per quam Verbum procedit, cum diuina natura, & quia volitio est etiam idem *realitèr* cum natura Dei, etiam terminus illius consubstantialis est suo principio. Nec ex isto capite excluditur Spiritus Sanctus à ratione geniti, & Filij, nec illius processio à ratione generationis, sed ex eo quod non procedit, vt similis ex vi, & modo suæ processionis, cuius signum manifestum est D. Thomam q. 27. *art.* 4. non ex eo *Explicationē esse de mente D. Thom. prob.* 1. probare Spiritum Sanctum non esse genitum, quia velle Dei non sit esse Dei, sed quia voluntas assimilatiua non est, & infra *quæst.* 30. *art.* 2. *ad* 2. eadem ratione vtitur D. Thomas, vt probet processionem per modum naturæ, non esse diuersam à processione per modum intellectus, benè tamen ab illa quæ est per modum voluntatis, quia *id quod procedit per modum intellectus, vt Verbum, procedit secundum rationem similitudinis, sicut etiam id, quod procedit per modum naturæ: & ideo supra dictum est* (inquit D. Thom. se referens ad quæstionem 27. art. 2.) *quod processio Verbi diuini est ipsa generatio per modum naturæ. Amor autem in quantum huiusmodi, non procedit vt similitudo illius à quo procedit, licèt in diuinis amor sit coessentialis, in quantum est diuinus, & ideò processio amoris non dicitur generatio in diuinis.*

130 *Secundo.* Cuius solutionis doctrinam cum argumento collatam *infra* ponderabimus, vt ex illis euidenter (ni fallor) inferamus iuxtà D. Tho. nec intellectum, nec intellectionem, Dei essentiam, vel naturam constituere. Ex illis apertè constat, non ideò processionem tertiæ personæ excludi à ratione generationis, quia velle non sit esse Dei, sed quia voluntas assimilatiua non est; ac proinde cum D. Tho. probat Verbum procedere in naturæ identitatem, quia intelligere est esse Dei, solum probat consubstantialitatem, quæ est vna ex conditionibus requisitis ad generationem, non autem probat, nec intendit probare ex illo principio adæquatam rationem generationis in processione Verbi, sed quia per intellectum, qui est assimilatiuus procedit, & ex negatione istius conditionis in voluntate, excludit illius terminum à ratione geniti, & Filij, non autem quia velle Dei non sit esse Dei; imò 4. *Contra Gentes cap.* 23. §. *vlt.* Ex eo quod esse Dei est velle ipsius, probat Spiritum Sanctum procedentem per voluntatem procedere in identitatem naturæ: quandò ergò vtitur D. Thom. argumento ex identitate inter intelligere, & esse desumpto, solùm contendit consubstantialitatem probare, quæ est vtrique processioni communis, non autem id quod est processioni secundæ personæ proprium, & per quod generatio vltimò constituitur.

Sed contrà illam doctrinam arguit tertiò hac ratione: 131 Verbo ex vi processionis communicatur formaliter & primariò diuina intellectio actualis; sed communicatur illi *Tertiò arguit, & replicat contra dicta.* primariò ex vi processionis natura sub conceptu naturæ: ergo in actuali intellectione consistit formaliter diuina natura. Consequentia probatione non indiget. Minor constat: nam de ratione geniti, & Filij est, quod illi ex vi processionis communicetur natura generantis; quò circà, vt communiter à discipulis D. Thomæ docetur infrà *quæst.* 27. *art.* 2. *&* 4. Spiritus Sanctus non est genitus, nec Filius; quia illi ex vi processionis non communicatur natura diuina formaliter, Verbum autem Filius est, & illius processio generatio, quia terminus *quo* formalis, & primarius illius est natura Patris generantis.

Maiorem autem probat primò: nam Verbum ex vi pro- 132 cessionis est sapientia genita: ergò ex vi processionis com- *Maiorem prob.* 1. municatur illi *formalitèr* diuina sapientia, & consequenter diuina intellectio. Secundò, nam id communicatur *forma-* *Secundò.* *litèr* ex vi processionis Verbo, quod *formalitèr* ex parte principij ingreditur; at Verbum per se *formalitèr* ex cognitione Patris actuali, qua se, & omnia perfectissimè cognoscit, procedit: ad differentiam Verbi creati, quod non procedit ex cognitione actuali, sed ab intellectu vt in actu primo fœcundo per speciem intelligibilem, de quo infra q. 27. & 34. ergo diuina cognitio per modum actus secundi communicatur Verbo ex vi processionis formaliter.

Tertiò probatur: nam Pater sub eadem ratione est ge- 133 nerans, & dicens; aliàs essent plures, quàm quatuor rela- *Tertiò.* tiones reales prædicamentales in Deo, quod communi sententiæ aduersatur; sed Verbo vt terminanti dictionem, per se primò, & formaliter communicatur diuina intellectio actualis: ergò eadem communicatur formaliter, & per se primò Verbo vt terminanti generationem: Probatur minor: Pater, vt dicens, & loquens exprimit per se primò, & formalitèr mentem; sed non mentem habitualem, velut in actu primo: ergo mentem actualem, quæ idem est quod actualis cognitio; & consequenter hæc per se primò communicatur Verbo à Patre, vt dicente, & loquente.

Confirmatur primò: dictio, & generatio in Patre, non differunt *obiectiuè*, sed ad summum ex modo significandi: 134 ergò terminus formalis dictionis, non differt *obiectiuè* à *Confir.* 1. termino formali generationis: at terminus formalis dictionis, est intellectio vt Verbo communicata, & terminus formalis generationis, est natura Dei sub conceptu naturæ: ergo intellectio, & natura diuina non distinguuntur *obiectiuè*; & consequenter natura in actuali intellectione consistit.

Confirmatur, & vrgetur secundò: si namquè natura di- 135 uina integrè supponeretur constituta ad actualem intelle- *Confir.* 2. ctionem, sequeretur, secundam Trinitatis personam, priùs virtualitèr procedere vt Filium, quàm vt Verbum; consequens est falsum: ergò natura diuina in actuali intellectione consistit: Probatur sequela: communicaretur illi priùs natura, quàm notitia actualis; & consequenter priùs procederet vt similis Patri in natura, quam vt similis eidem in actuali notitia; sed est Filius ratione assimilationis Patri in natura, & Verbum ratione assimilationis dicenti in notitia actuali: ergò priùs ratione, aut virtualiter procederet secunda persona vt Filius, quam vt Verbum.

Falsitatem autem consequentis probat Magist. Cornejo 136 primo, quia secunda Trinitatis persona non accipit natu- *Minor prob.* 1. ram diuinam per actionem distinctam à dictione, seu productione Verbi; cum illius processio per intellectum sit, & per emanationem intelligibilem; sed terminus per se primò terminans dictionem, est Verbum, vt Verbum: ergò non procedit priùs virtualitèr vt Filius, quàm vt Verbum. Secundò, quia si priùs virtualitèr vt Filius, quàm *Secundò.* vt Verbum procederet, ratio Filij in diuinis non esset formalissimè eadem cum ratione Verbi, quod omnes Theologi (inquit Magist. Cornejo) censent periculosum in fide. Tertiò; quia sequeretur relationem Filij ad Patrem esse in *Tertiò.* diui-

diuinis diuersam à relatione Verbi ad dicentem, seu loquentem; & consequenter essent constituendæ in Deo quinque relationes reales, contra D. Thom. *infra quæst. 28. art. 4.* quem communiter sequuntur Theologi.

137 *Respondetur.* Hoc etiam argumentum proponemus loco *proximè* allegato, ibiq; aliquas illius solutiones reijciemus, quibus pro nunc prætermissis, respondeo, negando maiorem: imò nec Verbum in creatis in intellectione actuali consistit, sed in termino intellectionis realiter per illam sub conceptu dictionis producto, & in quo intellectio vt contemplatio terminatur ad obiectum; quæ doctrina est expressa D. Thomæ *quæst. 8. de Potentia art. 1. quæst. 3. de Veritate art. 2.*

S.THO. *quæst. 4. art. 1. & 2. 1. Contra Gentes cap. 54. lib. 4. Contra Gentes cap. 11. & in hac 1. p. quæst. 34. art. 1. ad 2.* eique sic intellectæ communiter adhærent Thomistæ: vnde in frequentiori sententia apud ipsos Beati Verbum non formant, nec est possibilis, etiam de potentia absoluta, species expressa creata Dei essentiam *quidditatiuè* repræsentans, de quo *infra quæst. 12. art. 2.* cum tamen intellectionem creatam quidditatiuam Dei negare non possint; quare si Verbo Diuino communicaretur diuina intellectio, non id haberet, quia est Verbum per intellectum procedens, sed quia diuina intellectio Dei naturam constitueret: ac proinde non est probanda constitutio diuinæ naturæ per actualem intellectionem, ex hoc quod Verbo ex vi processionis competat actualis notitia, sed potiùs è contrà, quod Verbo ex vi processionis conueniat intellectio actualis est probandum, quia actualis intellectio Dei naturam metaphysicè constituat, subsumendo pro minori, quod Verbo, vt Verbo, debeat communicari natura diuina *formaliter*, eò quòd vt Verbum sit Filius.

138 *Ad primā prob. min.* Ad primam maioris probationem respondeo ex Diuo Th. 4. *Contra Gentes cap. 12.* sapientiam sumi tripliciter: primò pro principio sapientiæ: secundò pro actuali sapientia: tertiò pro termino ex sapientia producto: Verbum ergo dicitur, & est sapientia genita ex vi processionis formaliter, in prima, & tertia acceptione; in prima quidem, quia ex vi processionis accipit naturam Patris, quæ est principium virtuale sapientiæ actualis; & in tertia quia ex sapientia Patris procedit, non autem in secunda acceptione loquendo in sensu formali; non enim terminat per se primò processionem ratione prædicati sapientiæ, sed ratione naturæ, quæ illi per se primò communicatur.

139 *Ex D.T. confirmatur doctrina.* Quæ doctrina est expressa D. Thomæ *infra quæst. 34. art. 1. ad 2.* illis verbis: *Cum ergo dicitur, quod Verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu, sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo. Vnde, & Augustinus dicit, quod Verbum est sapientia genita. Quod nihil aliud est, quàm ipsa conceptio sapientis. Quæ etiam pari modo notitia genita dici potest. Et per eundem modum potest intelligi, quod dicere in Deo sit cogitando intueri, inquantum scilicet intuitu cogitationis diuinæ concipitur Verbum Dei.* Hæc Diuus Thomas, ex quibus apertè constat Verbum Dei dici sapientiam, vel notitiam genitam, non quia *formaliter* in sapientia, vel notitia actuali consistat, sed quia ex sapientia, & notitia Patris procedit. Et quidem hæc probatio plus conuincit, quàm prædictus Magist. intendat, qui licèt teneat Dei naturam in actuali intellectione, sumpta *absolutè* consistere; sapientiam tamen, quæ specialem modum diuinæ cognitionis importat, à constitutione diuinæ naturæ metaphysica relegat: ergò Verbum, estò ex vi processionis intellectionem naturam constituentem acciperet per se primò, non acciperet per se primò sapientiam.

140 *Secundo respond.* Vel secundò dicatur: esse sapientiam genitam ex vi processionis per se secundò, non autem per se primò: nam hoc modo non sapientiam, sed essentiam, & naturam Patris ex vi processionis, quodcumque illud sit, in quo Dei essentia & natura consistat, accipit. *Instabis.* Nec refert, si obijcias, per se secundò ex vi processionis, etiam accipere amorem; & tamen amor genitus non dicitur: ergò vt genita sapientia dicatur, non sufficit per se secundò sapientiam ex vi processionis accipere, sed requiritur, quod per se primò, vt subsistens in sapientia procedat, & quod sapientia sit terminus formalis primarius processionis secundæ personæ. *Respondetur.* Non inquam refert; cum enim cognitio sit primus actus naturæ intellectualis, amor autem sit actus secundus necessariò cognitionem supponens, cum maiori perseitate illi conuenit esse sapientiam, quam esse amorem, quod sufficit vt quamuis dicatur sapientia genita, amor genitus non dicatur.

Ad secundam probationem maioris, distinguo maiorem: quod se tenet ex parte principij vt fæcundans, ratione naturæ, qua fæcundatur principium, concedo maiorem: secundum conditionem principij, & modum illius, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens: debet Verbo communicari actualis cognitio ratione sui, & secundùm conceptum cognitionis, nego consequentiam: secundum naturam, quam continet, & repræsentat, concedo consequentiam. Itaque sicut Verbo procedenti ab intellectu fæcundo per speciem obiecti per modum actus primi, non communicatur species secundum rationem, & conditionem speciei, sed secundum naturam, quam *obiectiuè* repræsentat, & continet; ita Verbo diuino procedenti ab intellectu, vt intelligente in actu secundo, non debet per se primò communicari intellectio actualis secundum conceptum intellectionis, sed natura, quam cognitio *obiectiuè* repræsentat, & continet. 141 *Ad secundam prob. maioris respond. 1.*

142 *Secundo respond.* Vel secundò dicatur, Verbo communicari per se primò, non principium proximum, sed radicale; intellectio autem est principium proximum non radicale, quod est natura diuina sub conceptu naturæ: vnde hæc, & non cognitio actualis communicatur Verbo per se primò ex vi processionis.

143 *Aduertēdū.* Ad tertiam probationem, omissa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem dicatur, loquentem, non intendere per se primò exprimere in Verbo mentem, seu conceptum formalem ratione sui, sed ratione obiecti cogniti, & in mente contenti: vnde cum obiectum primarium diuinæ cognitionis sit diuina natura, hæc est, quam Pater in Verbo producto exprimere intendit illamque per se primò communicare. Quomodo autem Verbo diuino communicetur per se primò ex vi processionis natura diuina secundum modum naturalem, non autem intelligibilem, & intentionalem, quod requiritur vt sit Filius, & illius processio sit generatio, ad præsens non pertinet, id fusè explicabimus *infra quæst. 27.* pro nunc autem scire sufficiat, id Verbo diuino conuenire, quia per intellectum perfectissimum procedit: nam licèt intellectus creatus solùm producat Verbum intentionaliter simile obiecto, & intellectus, vt sic non petat *positiuè* terminum similem in esse naturali; id tamen permittit, & in sui perfectissimo analogato, nempè in diuino intellectu id sortitur: vnde intellectus, vt sic, abstrahit à producente terminum similem in esse intelligibili, & intentionali, & à producente terminum similem in esse naturali. Quæ *loco allegato* fusè prosequemur, videantur ibi; non enim in illis vacat, nec licet in præsenti immorari, sed insinuasse sufficiat.

144 *Ad primam confirmat.* Ad primam confirmationem, prætermisso antecedenti, & prima consequentia, nego minorem subsumptam: dictio namque, vt dictio, etiam intellectus creati, non communicat Verbo actualem intellectionem, sed naturam obiecti in esse intelligibili, & intentionali; dictio autem in creata ex eo quod est perfectissimi intellectus producentis terminum similem in esse naturali, communicat Verbo diuino, non actualem intellectionem, sed naturam cognitam, & per illam repræsentatam, non secundum modum tantùm intelligibilem, sed per se primò secundum modum naturalem, & per se secundò secundùm esse intelligibile repræsentatiuum, & intentionale.

145 *Ad secundam.* Et ex his ad secundam confirmationem, respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, concessa maiori, nego secundam partem minoris, quod nempè diuinum Verbum, vt Verbum, procedat vt simile Patri in notitia actuali, sed tam vt Verbum, quàm vt Filius, per se primò procedit vt simile Patri in natura secundum modum naturalem, licèt vt Verbum secundariò importet eandem naturam vt repræsentatiuam sui, & creaturarum; & hoc ideò quia est Verbum, non ex necessitate, sed ex fæcunditate productum, vnde sicut intellectus non ex necessitate, sed ex fæcunditate Verbum producens, per se primò intendit communicare naturam sub conceptu naturæ, & secundùm modum essendi naturalem, & per se secundò rationem repræsentatiui; ità Verbum ex fæcunditate, & non ex necessitate productum, per se consistit in termino per se primò simili dicenti in natura secundùm modum essendi naturalem, & per se secundò importat rationem intelligibilis, & repræsentatiui.

146 *Alia via occurri potest confirmationi.* Quam doctrinam *loco allegato* latè prosequimur. Vbi etiam alia via, & non minùs probabili incedimus, distinguendo in secunda persona per nostram considerationem, & ratione ratiocinata, rationem Verbi, & rationem Filij, non pro

pro eo quod Verbum, & Filius dicunt in recto, nempè relationem, sub qua ratione nulla est in Verbo, & Filio distinctio: vnde Augustinus *lib. 7. de Trinitate cap. 2.* de secunda Trinitatis persona loquens, ait: *Eo Filius, quo Verbum, eo Verbum, quo Filius.* Et in hoc sensu est communis Theologorum doctrina rationem Verbi non esse à ratione Filij distinctam. At verò secundùm id, quod in obliquo important, nullum est inconueniens, quòd ratio Verbi distincta sit à ratione Filij, quæ distinctio in hoc consistit, quòd vt Filius, dicit relationem vt subsistentem in natura sub conceptu naturæ, & vt Verbum eandem relationem, vt subsistentem in natura, vt passiuè intellecta, & vt repræsentatiua; & quia est probabile naturam diuinam sub conceptu naturæ ratione obiectiua distingui à se ipsa, vt intelligibili, & vt repræsentatiua; fit consequens, quod etiam probabile sit, Verbum in ratione Verbi, & in ratione Filij ratione distingui secundum id quod Verbum, & Filius important de connotato, & in obliquo; nec in hoc sensu potest ab aliquo iudicari periculosum in fide.

Iuxta quam viam, estò concederemus, Verbum diui-
147 num in ratione Verbi per actualem intellectionem constitui, illique in ratione Verbi primariò communicari, non inde fieret naturam in intellectione consistere, nec eidem per se primò intellectionem communicari, considerato vt Filio, nec sequeretur dari in Deo plures processiones, quàm duas; nam processio Verbi est vna, & eadem, vt generatio, & vt dictio solùm differentes munere; est enim generatio secundùm primarium conceptum, & secundùm primum munus; dictio autem secundariò, & sub primo munere terminatur ad Filium, vt Filium, sub secundo munere terminatur ad secundam personam, vt Verbum. De quibus plura *infra* agentes de Trinitate.

Tribus tacitis obiectionibus occurritur.

Denique arguit à priori: nam intellectualitas est ratio
148 specifica, vel quasi specifica diuinæ naturæ, sed non est talis ratione principij radicalis intelligendi: ergo ratione actualis intellectionis; & consequenter diuina natura in actuali intellectione consistit: Maior supponitur *inferius* examinanda: Minor autem probatur: natura diuina non distinguitur à natura intellectuali creata per intellectualitatem radicalem, sed tantùm per actualem intellectionem: ergò non per radicale intelligere, sed per intellectionem actualem constituitur. Consequentia patet: nam constitutiuum, & distinctiuum, est idem. Antecedens autem probatur: per id enim, in quo duæ naturæ conueniunt, non potest vna ab alia distingui; sed natura creata, & diuina conueniunt in intellectualitate radicali; cum vtraque sit radicaliter intellectiua: ergo diuina natura non distinguitur per radicale intelligere à natura intellectuali creata.

Vltimo, & à priori arguitur.

149 Respondeo, concessa pro nunc maiori, negando minorem. Ad illius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: in intellectualitate radicali in communi *analogicè* abstrahente à radice creata, & increata, concedo minorem in radicali intellectualitate increata nego minorem, & consequentiam; nam licèt in conceptu communi intellectualitatis radicalis conueniant natura creata intellectualis, & natura diuina distinguuntur, tamen per rationem talis radicis: natura namque diuina est intellectiua per modum radicis, non *realitèr*, sed *virtualitèr* radicantis intellectionem sibi *realitèr* identificatam *summè* actualem, & compræhensiuam Dei, quæ prædicata non competunt naturæ intellectuali creatæ ideòque sufficientèr intra lineam radicis distinguitur natura diuina à natura creata, absque eo quod actualis intellectio ingrediatur vt distinguens. Sicut in sententia istius Magist. intellectus diuinus, vt distinctus ab actuali intellectione distinguitur ab intellectu creato, & non per actualem intellectionem, & essentia diuina in ratione essentiæ distinguitur ab essentia creata, non per actualem existentiam *formalitèr*, sed per radicem illius, eo quod essentia diuina petit existere existentia actualissima sibi realiter identificata.

Respond.

Sed instat contra hanc solutionem: natura diuina con-
150 stituenda est modo perfectissimo ex cogitabili; sed perfectiùs constituitur per actualem intellectionem, quam per radicem virtualem illius ergò constituitur actuali intellectione. Probat minorem: principium virtuale intelligendi concipitur in potentia ad actualem intellectionem: ergò per principium virtuale intellectionis, non ità perfectè intelligitur constitui, ac constituta per actualem intellectionem. Patet consequentia: nam eò aliquid perfectiùs intelligitur, quo concipitur vt magis actuale; sed quod in potentia intelligitur, non concipitur vt magis actuale: ergo non concipitur vt perfectissimum, & consequenter perfectiùs intelligitur constituta natura diuina per actualem intellectionem, quàm per principium virtuale illius.

Replicat M. Corn.

Respondeo, concessa maiori, negando minorem; nam 151
eo ipso, quòd admittatur in Deo principium virtuale radicale intelligendi, vt prædictus Auctor admittit, & *infra* admittendum esse monstrabimus, non potest natura diuina per actualem intellectionem constitui, sed per radicem actualissimam illius, eo quod iste conceptus est prior, & sufficiens contrahere, aut quasi contrahere conceptum naturæ intellectualis, vt sic ad esse naturæ diuinæ, vt §. 2. arguebamus; nec virtuale principium intellectionis concipitur, vt potentiale, ex eo quòd concipiatur, vt actuabile, per actualem intellectionem, vt ex *infra* dicendis constabit. Nec natura diuina sub actuali intellectione concipitur vt magis actualis *intensiuè*; quam cõcepta vt virtuale principium, quia cum si principium actualissimum, continens virtualiter totam actualitatem actualis intellectionis, non concipitur, vt actualior *intensiuè* sub illa.

Respondetur.

Nec ex eo quòd actualis intellectio sit vltimior actua- 152
litas, sequitur debere per illam constitui; quia non per quamlibet vltimam est constituenda, sed per vltimam in linea naturæ; actualis autem intellectio est extra lineam naturæ, quia est extra lineam radicis. Nec oppositum probatur, ex eo quòd intellectio actualis concernatur ab intellectualitate radicali, ex quo infert Cornejo pertinere ad lineam naturæ, quæ illatio mala est: nam concernitur vt operatio, consequenterquè vt supponens constitutum principium, ac proinde est actus extra lineam naturæ. Et quidem etiam existentia concernitur, connotaturquè ab essentia, & tamen non sequitur esse vltimam actualitatem intra lineam essentiæ, aliàs constitueret essentiam diuinam in ratione essentiæ, cuius contrarium docet Magister Cornejo, vt vidimus *supra*. Sed de his plura in sequentibus.

Non quælibet vltima actualitas constituit naturam diuinam, sed tantùm vltima in linea naturæ.

§. V.

Quid de collectione attributorum, actualique volitione?

SEcunda Conclusio. *Natura diuina non constituitur collectione attributorum nec volitione actuali.* Hæc con- 153
clusio ex dicendis à fortiori constabit; cum namque actualis intellectio sit à constitutione metaphysica naturæ, & essentiæ diuinæ excludenda, à fortiori collectio attributorum, actualisque volitio. Et quòad primam partem ostenditur primò: etiam natura diuina, nostro modo concipiendi, per id constituitur, quod primò in illa intelligitur cum fundamento in re, tanquam radix cæterorum; at non primò concipitur attributorum collectio, sed aliqua vna formalitas, & perfectio, in qua aliæ radicantur; ergò non constituitur collectione attributorum. Consequentia est bona. Maior constat: loquimur namque de constitutione non physica, sed metaphysica naturæ diuinæ, prout à nobis viatoribus *imperfectè* in hoc statu concipitur ad modum naturæ creatæ; at natura creata per id *metaphysicè* constituitur, quod primò illi conuenit, & in quo cætera radicantur: ergò natura diuina per id constituitur *Metaphysicè*, quod primò in illa concipitur cum fundamento in re, & in quo aliæ perfectiones radicantur. Minor autem probatur: nam attributa concipiuntur à nobis ad instar similium perfectionum, quæ inueniuntur in creaturis, sed perfectiones creatæ, ad quarum instar, & per quarum species attributa concipiuntur, non æquè primò conueniunt enti creato, sed ordine quodam, v.c. homini priùs conuenit intellectus, & deinde voluntas: vnde voluntas de homine medio intellectu demonstratur, & voluntas, & intellectus, hominis essentiam supponunt, & in illa radicantur: ergo perfectiones diuinæ prout à nobis concipiuntur, non omnes æquè primò conueniunt enti in creato, sed ordine per rationem, ità vt omnibus attributis præintelligatur essentia, in qua radicantur.

Secunda conclusio.

Prima pars probatur. 1.

Huic argumento duplex adhibetur solutio: prima est; 154
perfectiones omnes diuinas ordinem inter se non habere, sed omnes Deo æque primò conuenire, eò quod vna in alia non radicatur; nam radicatio importat imperfectionem. Nec obstat concipi à nobis ad instar similium perfectionum, quæ in creaturis reperiuntur, & per species illarum;

Respondetur.

rum; hoc enim sicut non arguit concipi vt accidentia Dei, quamuis concipiantur per speciem accidentium, ita nec arguit, quod habeant ordinem obiectiuum, taliter, vt vnum attributum in alio obiectiuè radicetur, nec omnia in essentia, sed solùm, quod ex modo concipiendi prædictum ordinem seruent.

155 *Respon.2.* Secunda solutio; negat argumenti maiorem, nempè, quod natura, & essentia Dei in prima perfectione consistat; sed in omni perfectione absoluta, estò vna sit alia prior; non enim repugnat vnam essentiam ex duplici perfectione constitui, quarum vna aliam præcedat, quod exemplis *infra* adducendis confirmant, & quamuis in creaturis vera esset maior in Deo vera esse nequit, eò quòd essentia, & natura diuina; cum sit infinita *simpliciter*, petit continere *formaliter* omnem perfectionem *simpliciter* simplicem, & omni tali perfectione constitui: vnde, quamuis inter tales perfectiones ordo aliquis constituatur; vnaquę aliam præcedat, nulla illarum *adæquatè* Dei essentia constituitur, sed omnibus *collectiuè*.

156 *Prima solutio reijcit.1. S.Chris.* Neutra tamen solutio argumento satisfacit, & contra primam facit primo Chrysostomus de incomprehensibili Dei natura *homilia prima propè medium*, illis verbis: *Prophetas non solùm, quod substantia Eius sit ignorare videmus, sed etiam de sapientia eius quanta sit planè ambigere, quamquam non à sapientia substantia est, sed ex substantia sapientia*. Sentit ergo Chrysostomus inter rationem substantiæ, & rationem sapientiæ, virtualem ordinem esse, ità vt sapientia, substantiam supponat, & ex illa sit, non autem è contra: non ergò omnes perfectiones æquè primò Deo conueniunt.

157 *Secundo.* Secundò: nam Diuus Thomas *infra quæst.19.art.primo*, probat in Deo esse voluntatem; quia est in illo intellectus, cuius ratio vt demonstratiua à priori communiter acceptatur. Et *quæst.10.artic. secundo*, probatur Deum esse æternum, quia est immutabilis, quæ ratio etiam accipitur vt demonstratio à priori; at si omnes perfectiones æquè primò Deo conuenirent sine vlla prioritate obiectiua, non posset vna perfectio à priori demonstrari per aliam, nec esset maior ratio cur voluntas per intellectum, & æternitas per immutabilitatem quam intellectus per voluntatem, & per æternitatem immutabilitas demonstraretur: ergò non omnes æquè primò Deo conueniunt, sed cum ordine obiectiuo.

158 *Tertio.* Tertiò: nam in eo quod vna Dei perfectio, aliam *obiectiuè virtualiter* supponat, nulla imperfectio importatur: ergo neganda non sunt obiectiuus ordo, & obiectiua prioritas, suppositioque vnius perfectionis ad aliam. Antecedens probatur; in eo quod vna perfectio diuina ad aliam comparetur vt actus *virtualitèr* actuans, & in eo quod vna perfectio ab alia *virtualitèr* distinguatur, nulla inuoluitur imperfectio; & tamen si vna ab alia *realitèr* distingueretur, & vna aliam *realitèr formalitèr* actuaret, imperfectio maxima foret: ergò pariter, quamuis realis prioritas vnius perfectionis ad aliam diceret imperfectionem, virtualis obiectiua prioritas nullam imperfectionem importat.

159 *Quarto.* Quartò reijcitur; nam eo ipso, quod intellectio actualis distinguatur virtualitèr à natura diuina, egreditur ab illa vt à virtuali principio; sed intellectio distinguitur à natura diuina; vt inferiùs ostendemus: ergo egreditur virtualitèr ab illa; & consequenter datur ordo virtualis prioris, & posterioris inter perfectiones diuinas.

Maior prob. 1. Maior probatur primò: nam intellectio actualis realitèr à natura distincta, realitèr ab illa egreditur: ergò intellectio actualis virtualitèr à natura distincta, virtualitèr egreditur à natura cuius est intellectio. *Secundo.* Secundò: natura namque intellectualis, vel debet consistere in actu, vel in principio actus; sed si natura diuina virtualitèr distinguitur ab actuali intellectione, non potest prout sic virtualitèr distincta consistere in actu intelligendi: ergò consistit in principio virtuali actus, & consequenter eo ipso, quòd intellectio actualis virtualitèr distinguatur à natura diuina, ab illa egreditur vt à virtuali principio.

160 *Tertio.* Tertiò: quia natura diuina vt virtualitèr ab intellectione distincta, est viuens vita intellectuali: ergo vt sic distincta est potens habere actualem intellectionem à se; sed non est potens illam à se habere per virtualem identitatem: ergo per egressum virtualem, & consequenter eo ipso quòd inter illa detur virtualis distinctio, egreditur intellectio actualis à natura egressu virtuali, vt à virtuali, principio.

Quarto prob. maior. Denique probatur maior: intellectio namque actualis, vt virtualitèr à natura distincta, est actus vitalis; & consequenter debet conuenire naturæ viuenti ab intrinseco; sed non conuenit illi ab intrinseco per virtualem identitatem; supponitur namque inter illas virtualis distinctio; ergò conuenit ab intrinseco *egressiuè* per egressum virtualem; & consequenter eo ipso, quòd inter naturam intellectiuam Dei, & actualem intellectionem detur virtualis distinctio, necessariò est constituendus inter illas virtualis ordo obiectiuus, obiectiuaque prioritas.

Deniquè reijcitur: etenim natura diuina est radix virtualis relationum; & tamen ex hoc nulla imperfectio admittitur in diuinis relationibus: ergò sinè imperfectione poterunt perfectiones absolutæ vna in altera radicari, illamque obiectiuè tanquam priorem supponere. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur: natura diuina non consistit formalitèr in relationibus, vt Auctores, quos impugnamus, fatentur; aliàs vt argumentantur ipsi, in Patre v.c. non esset tota essentia, nec tota natura diuina; sed debet continere aliquo modo relationes: ergò illas continet radicalitèr; & consequenter est illarum radix virtualis. Probatur minor; natura vt constituta, estò non sit infinita in omni linea formalitèr, debet esse infinita in omni linea, etiam relatiua eminentèr, aut virtualitèr: sed non potest esse eminentèr, aut virtualitèr infinita in linea relatiua, nisi virtualitèr relationes contineat: ergò illas virtualitèr continet, & consequenter est radix virtualis illarum. 161 *Denique reijcitur 1. solut.*

162 *Cuiusdã Recentioris effugium.* Per quod præcluditur cuiusdam Recentioris effugium, asserentis, essentiam diuinam esse principium filiationis, & passiuæ spirationis, quia in Patre est principium *quo* generandi, & in Patre, & Filio est principium *quo* spirandi, producendique passiuã spirationem; non autem esse principium formale, nec reale, nec virtuale paternitatis, nec actiuæ spirationis, & primum sufficit, vt in Deo saluetur ratio, & conceptus essentiæ.

Præcluditur 1. Hoc tamen effugium ex dictis manet præclusum; etenim natura diuina prout constituta in linea absoluta est infinita, non solùm in linea filiationis, & passiuæ spirationis, sed etiam in linea paternitatis, & spirationis actiuæ; sed non est infinita *formaliter* in ratione paternitatis, & spirationis actiuæ: ergò est infinita eminentèr, aut virtualiter; & consequenter illas virtualitèr continet, quod stare nequit absque virtuali illarum radicatione.

163 *Respondebis. Contra.* Nec sufficit respondere esse infinitam in prædictis lineis identicè, eo quòd identificatur cum illis. Non, inquam, sufficit; aliter namque est adstruenda natura diuina infinita in linea paternitatis, atque adstruitur paternitas infinita in linea naturæ; sed paternitas est infinita in linea naturæ identicè: ergò natura aliter, quam identicè infinita est in linea paternitatis, quæ alietas non potest in alio consistere, quã in eo quòd natura sit eminentèr, aut virtualitèr infinita.

164 *Secundo reijcitur Rec. doct.* Deindè Recentioris doctrina reijcitur: si namque vt saluetur ratio essentiæ, necessaria est prioritas, radicatioquè alicuius perfectionis, non saluatur conceptus essentiæ in Patre per hoc, quod illius essentia sit principium *quo* filiationis: ergò debet esse principium *quo* alicuius prædicati in Patre: & consequenter erit radix virtualis ad minùs paternitatis. Consequentia tenet. Anteced. ns autem probatur primò: nam in Spiritu S. est tota Patris essentia, & natura, & similiter in Filio, & tamen prout in Filio, & in Spiritu Sancto non est principium *quo* filiationis: ergò quod sit, & obtineat conceptum essentiæ in Patre, non consistit in ratione principij *quo* filiationis, & passiuæ spirationis. Secundò: nam si radicatio perfectionis requiritur ad conceptum essentiæ debet esse radicatio perfectionis in illo, respectu cuius rationem essentiæ sortitur; sed filiatio non est in Patre, vt prædicatum enuntiatum de illo. ergo non saluatur conceptus essentiæ in Patre per rationem principij *quo* filiationis; & consequenter debebit perfectionem aliquam enuntiatam de Patre radicare.

165 *Tertio.* Denique reijcitur: quod enim essentia in Patre virtualitèr paternitatem, radicet, nulla est imperfectio: ergo sine fundamento negatur virtualis radicatio paternitatis in essentia. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur; in eo quòd paternitas virtualiter actuet essentiam, illam virtualitèr modificet, & determinet, nulla inducitur imperfectio in essentia; & tamen si realis actuatio, realis modificatio, & determinatio esset, maxima imperfectio foret: ergò pariter esset radicatio realis paternitatis in essentia foret;

ret in paternitate imperfectio, virtualis radicatio nullam in paternitate imperfectionem inducit; & consequenter sine fundamento negatur.

166 *Secunda solutio reijcitur primo.* Deinde secunda solutio reijcitur: nam eo ipso, quod inter diuinas perfectiones ordo admittatur, detturque vna prior alijs virtualiter, illasque virtualiter radicans; in illa, quæ omnes præcedit saluatur conceptus essentiæ diuinæ: ergo cæteræ non constituunt Metaphysice diuinam essentiam, sed constitutam supponunt. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur: saluatur in illo conceptu sufficienter ratio naturæ diuinæ: ergo etiam conceptus, & ratio essentiæ. Consequentia patet: nam conceptus naturæ, vel est idem cum conceptu essentiæ, vel conceptũ essentiæ supponit; ergo si in illa perfectione primò concepta cum fundamento in re in Deo saluatur ratio naturæ diuinæ; & ratio diuinæ essentiæ saluatur in illa. Antecedens autẽ probatur: per rationem infinitæ, & perfectissimæ radicis, perfectissimæ operationis sufficienter constituta intelligitur ratio naturæ diuinæ sub conceptu naturæ; sed illa prima perfectio concipitur, vt radix perfectissima perfectissimæ operationis; ergò intelligitur constituta in ratione naturæ diuinæ. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostenditur primò; etenim ratio naturæ consistit in principio radicali operandi: ergò ratio perfectissimæ naturæ in radice perfectissima perfectissimæ operationis consistit; & consequenter per rationem perfectissimæ radicis constituitur sufficienter perfectissima natura.

167 *Secundo.* Secundò: nam per id natura diuina sufficienter constituitur per quod distinguitur à natura creata; sed ratio perfectissimæ radicis perfectissimæ operationis sufficienter illã distinguit à natura creata: ergò illam sufficienter in ratione naturæ constituit. *Tertio.* Tertiò: quia namque intellectio consistit in attingentia appræhensiua obiecti, & volitio intendentia affectiua, intellecta perfectissima attingentia appræhensiua perfectissimi obiecti cognoscibilis, & perfectissima tendentia affectiua in perfectissimum obiectum amabile, intelliguntur sufficienter constitutæ intellectio diuina, & diuina volitio; sed ratio naturæ consistit in principio radicali operandi: ergò per rationem perfectissimi principij quo radicalis perfectissimæ operationis constituitur sufficienter natura Dei in ratione naturæ.

168 *Respondebis.* Respondebis negando consequentiam, & disparitatem constitues: nam intellectio, & volitio important speciales perfectiones in Deo, ideoque sufficienter constituuntur per speciales rationes; cæterum natura & essentia diuina est in omni linea infinita, ideoque petit *formalitèr* in ratione essentiæ, & naturæ cõstitui per omnem perfectionem, quæ in suo conceptu imperfectionem non dicit; cumque perfectiones posteriores, illam primam supponentes, non dicant imperfectionem, petit natura, & essentia Dei formaliter per illas constitui; & ideò perfectione, omnes alias præcedente, non nisi inadæquatè Dei essentia constituitur.

169 *Contra.* Hæc est (ni fallor) tota mens contrariæ sententiæ, & vnicum fundamentum illius. Quod ex dictis reijcitur, vt enim essentia, & natura Dei constituta adæquatè intelligatur, sufficit radicalis continentia omnium perfectionum nõ dicentium imperfectionem; sed in perfectione prima *radicalitèr* præhabetur omnis perfectio imperfectionem nõ dicens: ergo se sola sufficienter Dei essentiam, & naturam *Metaphysicè* constituit. Consequentia probatione non indiget. Minor constat; sic enim prima perfectio constituitur à nobis, cumquè radicatio non repugnet perfectionibus diuinis, vt contrà primam solutionem monstrauimus, nõ est cur omnium radicatio in prima perfectione negetur. Maior autem probatur: per radicalem continentiam omniũ perfectionum non dicentium imperfectionem, sufficienter distinguitur à natura, & essentia creata, quæ in ratione radicis est limitata; & etiam ab alijs perfectionibus particularibus Dei, v.g. misericordia, iustitia, &c. Hæ namquè solùm explicant infinitatem propriæ lineæ *formalitèr*, aliàs autem non *radicalitèr*, sed tantum *identicè* important; ergò per hanc radicalem continentiam sufficienter constituitur natura, & essentia Dei, & quidquid aliud additur sine fundamento exigitur.

170 *Secundo probatur 1. pars consequ.* Secundò probatur non enim alia ratione sapientia v. c. diuina sufficienter constituitur per rationem perfectissimæ sapientiæ, nisi quia concipitur à nobis per speciem sapientiæ creatæ: sed etiam natura, & essentia diuina concipitur à nobis per speciem naturæ creatæ: ergò intellecta ratione perfectissimæ radicis omnium perfectionum non dicentium imperfectionem, intelligitur sufficienter constituta in ratione perfectissimæ naturæ, & consequenter in ratione essentiæ, & naturæ diuinæ. Tertiò: nam licet Deus in re sit *Tertio.* infinitus in omni linea *formalitèr*, sicut etiam sapientia diuina in re est *formalitèr* in omni linea infinita; natura verò diuina, prout à nobis in hoc statu concipitur, non est infinita in omni linea *formalitèr*, sed tantùm in linea essentiæ, & naturæ: ergò vt constituta intelligatur in ratione naturæ diuinæ, sufficit conceptus perfectissimæ radicis *radicalitèr* cõtinentis omnem perfectionẽ non dicentem imperfectionem.

171 *Quarto.* Præterea: nam significatum formale huius termini *Deus*, qui est nomen naturæ diuinæ, est vnum ratione obiectiua; aliàs nomen vnum non esset: sed si natura diuina, prout obijcitur huic nomini, diceret *explicitè* omnes perfectiones diuinas, significatum formale huius termini, vnum *obiectiuè* non esset, sed plura: ergò non importat *explicitè* omnes perfectiones diuinas, sed primam importat *explicitè*, cæteras vero *implicitè*, & *radicalitèr*, ac proindè natura diuina, quæ est illius significatum formale, sufficienter constituitur, per primam perfectionem, quam concipimus, vt cæteras perfectiones radicaliter continentem.

172 *Quinto.* Deniquè: nam Deus in re, non solùm est infinitus in linea absoluta, sed etiam est *realitèr formalitèr* infinitus in linea relatiua; & tamen natura diuina sufficienter constituitur perfectione *radicalitèr* tãtùm lineam relatiuam importante, quin relationes illam *formaliter Metaphysicè* constituant: ergò pariter quamuis Deus in re sit in omni linea infinitus, natura tamen diuina constituetur sufficienter prima perfectione absoluta cæteras continente *radicalitèr*, quin, quæ posteriora, sunt ingrediantur secundum esse formale, illius constitutionem.

173 *Respond.* Respondebis, negando consequentiã, & disparitatẽ constitues, eo quòd linea absoluta, & linea relatiua in Deo distinguuntur virtualiter; ideoquè vt essentia Dei constituta intelligatur, non necessariò debent relationes intelligi, sed sufficit omnis absoluta perfectio, vt perfectè constituta intelligatur. *Contra.* Sed contrà: nam etiam intra lineam absolutam dantur plures perfectiones *virtualitèr*, quarum vna aliam supponit, & vna est omnium prima: ergo ista vt *virtualitèr* alias radicans, sufficienter Dei essentiam, & naturam constituet, quin aliæ secundùm esse formale *constitutiuè* ingrediantur, sicut perfectio absoluta, vt virtualitèr lineam relatiuam continens, sufficienter diuinam naturam constituit.

174 *Respond.* Respondebis, negando consequentiam; nam licet linea absoluta in plura *virtualitèr* distincta suo modo diuidatur; omnia tamen ad lineã absolutã spectantia, debent ingredi formaliter naturæ constitutionem, secùs autem linea relatiua; tum, quia prædicata absoluta sunt perfectiones *simplicitèr* simplices, Dei autem natura est *formalitèr* omnis huiuscemodi perfectio; relationes autẽ non sunt perfectiones *simpliciter* simplices ideoquè natura Dei non petit per illas *Metaphysicè* constitui. Tum etiam, quia essentia reperitur in Patre, de quo non prædicatur *constitutiuè* filiatio, ex quo rectè sequitur, filiationem non constituere essentiam, quia nulla essentia potest in aliquo reperiri, in quo non sit omne, quod essentiam constituit; perfectiones autem absolutè omnes sunt in eo, in quo inuenitur essentia, ideoquè diuina essentia, omni absoluta perfectione *Metaphysicè* constituitur, secùs autem relatiuis perfectionibus.

175 *Contra.* Sed contrà: nam quidquid sit, an relationes diuinæ sint perfectiones *simplicitèr* simplices, quod inter contrarios Auctores est dubium; omnes tamen docent esse perfectiones in suo conceptu non dicentes imperfectionem, & omnes tenentur docere, Deum prout in se essentialiter petere illas, vt sibi identificatas, nec Deus in se foret infinitè perfectus, nisi identificaret sibi perfectiones relatiuas; & tamen natura, & essentia Dei sub conceptu essentiæ, & naturæ, nõ petit per illas constitui, sed sufficienter constituitur per aliquid antecedens *virtualitèr* relationes; ergò quãmuis esse Dei prout in se petat sibi identificare omnem perfectionem absolutam; natura tamen diuina non petet omni perfectione absoluta constitui, sed aliqua omnes *virtualitèr* præcedente, & in qua cæteræ *radicalitèr* contineantur.

176 *Confirmatur 1.* Quod ampliùs vrgetur primò; nam PP. eodem modo loquuntur de identitate relationum cum essentia, ac de identitate attributorum; sed identitas relationum cum essentia talis non est, vt illam *Metaphysicè* constituat; ergò nec attributorum identitas cum essentia est formalis constitutiua. Consequentia videtur bona. Minor à contrarijs tradita, & maior constat ex pluribus, quæ adducit Ruiz *disp. 8. de Trinit.* *Ruiz.*

Iustin. nit. sect. 7. & seqq. Iustinus q. 144. *ad Orthodox.* sic habet: *Dei simplicitas tota est Filius, & tota est habens Filium, & tota est consilium, & tota est habens consilium.* Quibus verbis eodem modo loquitur Iustinus de identitate Filij cum natura diuina, ac de identitate consilij, quod est perfectio absoluta. Eodem modo loquitur Richardus Victorinus *lib. 3. de* *Richard.* *Trinit. c. 21. & 22.* vbi post multa cócludit. *Non solùm itaq; idem ipsum est totum, quod est quælibet persona verùm etiam idem ipsum est quæuis vna, quod qualibet alia.* Et cap. damnamus de summa Trinit. sic dicitur: *Id quod est Pater, est Filius, & Spiritus S. idem omnino.* Non autem potest attributorum identitas strictioribus verbis explicari, quàm asserendo esse omninò idem cum essentia: cum ergò ex identitate omnimoda relationum, personarumq; cum essentia, quæ in prædictis verbis exprimitur, non inferatur identitas constitutiua, & virtualis, nec ex similibus verbis, quibus PP. explicant attributorum cum essentia identitatem, potest colligi essentiam collectione attributorum constitui.

177 Confirmatur, & vrgetur secundo: nam PP. eodem modo *Confir. 2.* loquuntur de identitate attributorum inter se, ac de identitate illorum cum essentia, vt constat ex Augustino *lib. 6. de Trinit. cap. 7.* ibi: *Eadem magnitudo Dei est, quæ sapientia,* *S. August.* *eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia, & non est ibi aliud beatum esse, aliud magnum esse, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* Quibus verbis August. eodem modo exprimit identitatem vnius attributi cum alio, atq; cum esse diuino; sed identitas inter attributa non est constitutiua, & virtualis: itá vt bonitas veritate, aut sapientia constituatur: ergò pariter identitas attributorum cum essentia, constitutiua non erit, itá vt essentia Dei *Metaphysicè* constituatur collectione attributorum.

178 Confirmatur, & vrgetur tertiò: indè namq; contrarij *Confir. 3.* Auctores mouentur principaliter, vt probent Dei essentiam in collectione attributorum consistere, & per illam constitui, quia Dei essentia consistit in esse, iuxta illud Exodi 3. *Ego sum, qui sum,* non autem in hoc, aut illo determinato esse, sed in esse illimitato, & interminato, vt explicant PP. ex quo ipsi inferunt, constitui per omne esse non dicens imperfectionem, sed vt verba, & PP. intelligentia subsistant, non est necessarium, essentiam Dei omni attributali perfectione constitui, sed sufficit consistere in aliqua perfectione omnes illas *virtualiter* radicante: ergo debet vnicum fundamentum, cui contrarij Auctores fidunt. Probatur minor: esse, in quo diuina natura, & essentia consistit, est omninò illimitatum, & consequenter amplectitur omne esse: ergo etiam esse relatiuum, & non solùm esse absolutum: sed eius vniuersalitas, & omnimoda interminatio subsistit absq; eo, quod sit esse relatiuum *consistentiuè*, sed tantùm identicè, & *radicalitèr*; ergo etiam subsistet absq; eo quòd sit omne esse absolutum *consistentiuè formaliter*, per hoc quod in aliqua absoluta perfectione consistat, in qua cæteræ absolutæ perfectiones radicentur.

179 Nec id, quod secundò additur pro ratione discriminis, nempe, essentiam reperiri in Patre sine filiatione; secùs autē sine attributis, aliquid iuuat. Solū enim probat a posteriori, essentiam non cōstitui relationibus *Metaphysicè*, quod à nobis supponitur, non autem ex illo infertur aliqua ratio discriminis a priori cur in attributis consistat, non autem in relationibus & aliàs semel concesso, non consistere essentiam in relationibus, instantur omnia argumenta, quibus a contrarijs probatur consistere in attributis, vt constat ex dictis; ergò in illis Dei essentia *Metaphysicè* non consistit.

180 Ex dictis etiam secunda pars conclusionis, quam fusè *Secunda pars conclusionis prob. 1. ex D. Tho.* ostendemus *tractat. de Volunt. D i,* manet, probata, & breuiter ostenditur primo ex D. Th. *q. 4. de Veritate art. 3. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quod notitia est de ratione Verbi, quasi importans essentiam Verbi, sed amor est de ratione Verbi, non quasi pertinens ad essentiam Verbi, sed quasi concomitans ipsum;* sed si amor, aut velle actuale esset constitutiuum Metaphysicum diuinæ naturæ, esset de essentia Verbi Diuini, cui primò, & per se cōmunicatur diuina natura: ergò iuxta D. Th. amor, seu volitio actualis non constituit Metaphysicè naturam diuinam. Vbi obiter est aduertendum pro consequentia doctrinæ, & vt tacitæ obiectioni occurratur, cum *Tacitæ obiectioni occurritur.* docet D. Tho. notitiam importare, quasi essentiam Verbi, non loqui de notitia secundùm conditionem notitiæ, sed secundùm naturam primo, & per se in notitia, ex qua Verbum procedit, contentam, consequenter ad ea, quæ diximus §. 4.

Deindé suadetur; vt enim probatum in hoc §. relinquitur essentia, & natura Dei *Metaphysicè* constituitur per id, 181 quod primò in Deo cum fundamento concipimus; sed volitio *Secundo probatur.* actualis non concipitur à nobis in Deo cum fundamento in se, primò. volitio namquē supponit cognitionem *virtualiter*, in Deo, sicut *realiter* in nobis iuxta illud commune axioma: *Nihil volitum, quin præcognitum*, quod accipiendum est de præcedentia cognitionis reali, aut virtuali, iuxtà qualitatem distinctionis, quæ inter cognitionem, & volitionem versatur: ergò non constituit *Metaphysicè* Dei essentiam, & naturam. Quam rationem luse *loco alleg.* explicabimus, vbi euasiones contrariorum reijciemus, & ex dictis inter probandam primam partem conclusionis facilé præcluduntur, & ampliùs ex *Infra* dicendis illius vis, & efficacia constabit.

Deniquè, alijs omissis, probatur secunda pars conclu- 182 sionis ad hominem contra aliquos Recentiores, qui in prima *Tertio prob.* parte nostræ conclusionis conueniunt, probantes, vel vt melius dicam, vt rem notam supponentes, Dei essentiam, & naturam non constitui collectione attributorum; benè tamen volitionem actuali, eo quòd, est vita in actu secundo; Dei autem natura, vtpoté perfectissimé vitalis, debet in illa consistere. Contra quos itá argumentor: non minùs infinita est Dei essentia in linea entis, quam Dei natura infinita in linea vitæ; sed ex prima infinitudine, non sequitur consistere essentiam Dei in omni perfectione entitatiua: ergò ex infinitate naturæ in linea vitalis non sequitur debere consistere in omni perfectione vitali: ac proinde quàmuis volitio actualis sit vita in actu secundo, & natura Dei perfectissimé vitalis, non colligitur debere in illa *Metaphysicè* consistere.

Explicatur, & vrgetur: non enim alia ratione essentia Dei 183 non consistit in omni perfectione entitatiua secundùm Me- *Confir. 1.* taphysicam considerationem, & constitutionem, nisi quia non omnis perfectio entitatiua, quamuis absoluta sit, est primaria, sed aliqua alias supponunt, & in prima perfectione cæteras inferente est Dei essentia constituenda; sed actualis volitio, quamuis vita sit, non est prima, sed secunda præsupponens cognitionem, per quam Deus primò concipitur viuens: ergo in volitione non consistit Metaphysicè essentia, & natura diuina.

Confirmatur, & vrgetur secundò: semel namquē admis- 184 so, volitionem, cognitionem supponere, & nihilominus Dei *Confir. 2.* naturam intellectione, & volitione constitui, non repugnat vnam essentiam duplici perfectione *consistentiuè* constare, quarum vna aliam supponat, & quarum quælibet sit in sua linea completa; sed ista doctrina admissa, non est cur Dei essentia non constituatur collectione attributorum: ergò in consequenter præfati Auctores procedunt, negantes ex vna parte, constitui omnibus attributis, & asserentes ex alia, cōstitui intellectione, & volitione actuali. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam tota, & adæquata ratio ducens, vt non constituatur collectione attributorum, est, quia non omnia æque primò Deo conueniunt, sed ordine virtuali, & quia perfectionem aliquam priorem supponunt; sed hæc ratio est nulla, dato constitui naturam Dei volitione, & intellectione, quamuis volitio præsupponat cognitionem: ergò etsi omnia attributa supponant perfectionem priorem, & vnum supponat aliud, poterit essentia Dei tota attributorum collectione constitui.

§. VI.

Obiectionibus in contrarium occurritur.

Contra istam conclusionem obijciunt contrarij Aucto- 185 res primò: nam essentia Dei consistit *formaliter* in es- *Arguitur primo.* se infinito *simpliciter*: ergò consistit in omni esse non dicente imperfectionem; & consequenter consistit in collectione attributorum. Secunda cōsequentia ex prima colligitur. nam attributa Dei sunt perfectiones *simpliciter* simplices nullam in suis conceptibus dicentes imperfectionem. Prima ex antecedenti; nam infinitum *simpliciter*, est in omni linea infinitum; ergo si essentia Dei consistit *formaliter* in esse infinito *simpliciter* consistit in omni esse non dicente imperfectionem. Antecedens autem probat ex illo Exodi 3. *Ego* *Exod. 3.* *sum, qui sum, hæc dices filijs Israel, qui est, misit me ad vos.* Ex quibus verbis infert D. Thō. *1. p. quæst. 13. art. 11*, hoc *S. THO.* nomen, *qui est*, esse nomen maximé proprium Dei, illisq; significatur, solùm Deum esse, de cuius essentia sit esse, vt ex- *Hilar.* ponunt Hilar. *lib. 1. de Trinit. col. 4.* Hieron. *ad Ephes. 3.* ad *Hieron.* illud; *Ex quo omnis paternitas*, August. *in Psalmum 9.* ad *Aug.* illud:

illud: *Et sperent in te, qui nouerunt nomen tuum.* *Tract. 38. in Ioannem cap. 8. lib. 3. contra Maximum cap. 26. lib. 2. de moribus Manichaeorum cap. 1. & de vera religione cap. 49. & lib. de fide, & Symbolo cap. 4.* Ambrosius *lib. 8. epistolar. epist. 63. prope medium.* Chrysostomus *homil. 24. in Ioannem, & sermone de Trinitate.* Gregorius *lib. 16. Moralium cap. 16. in fine, & lib. 18. cap. 27.* & alij Patres.

Ambr. Crysost. Gregor.

186 Deindè eisdem verbis exprimitur infinitas esse diuini, quod est interminatum, immensum, totum esse in se comprehendens, vt exponunt Nazianzenus *orat. 38. de Natiuitate Domini.* Damascenus *lib. 1. Orthodoxae fidei cap. 12.* Hilarius *lib. 12. de Trinitate.* Augustinus *lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 2.* Ac tandem Bernardus *lib. 5. de consideratione ad Eugenium propè medium*, dicta ponderans, ait: *Nihil competentius aeternitati, quae Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de eo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est esse: nempè, hoc est ei esse, quod haec omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti.* Ergo iuxtà mentem PP. praedicta verba exponentium, Dei essentia consistit *formaliter* in esse simpliciter, & in omni genere infinito amplectente omne esse, non dicens imperfectionem; aliàs Deum dicendo Sapientem, Bonum, Omnipotentem, &c. aliquid adderemus ad esse, in quo illius essentia consistit, & non dicendo, aliquid minueremus, cuius contrarium à Doctore melifluo verbis relatis docetur.

Verba PP. ponderentur, & exponuntur. Nazianz. Damasc. Hilar. Aug. Bernar.

187 Respondeo, negando antecedens: nam essentia Dei sumpta prout à nobis sumitur, secundùm Metaphysicam constitutionem, non est *formalitèr* infinita in omni genere, & linea, sed est infinita in genere, & linea essentiae *formalitèr*; in alijs autem *identicè*, sicut sapientia diuina, solum est *formalitèr* infinita in linea sapientiae, & in alijs lineis, vel generibus est *identicè* infinita, & idem est de alijs attributis dicendum.

Respondetur.

188 Nec ampliùs antecedentis probatio conuincit, nec ex verbis Exodi infertur: fatemur namquè nomen *qui est* esse nomen Dei proprijssimum; illo tamen non Dei natura significatur, sed aliquid naturae, & omni perfectioni diuinae commune, vt *infra* explicabimus. Fatemur etiam illis verbis significari existentiam soli Deo esse essentialem, quod qualiter sit accipiendum, ex *infra* dicendis constabit.

189 Fatemur insuper ex illis verbis inferri Deum in re, esse infinitum *simplicitèr*, amplectiquè omnem perfectionem non dicentem imperfectionem, quod PP. illa verba explicantes contendunt, nec à Nobis negatur. Ex his tamen non colligitur Dei essentiam, prout à nobis in hoc statu concipitur constituta, esse *formalitèr* in omni linea infinitam, nec consistere formaliter in omni perfectione non dicente imperfectionem, nec PP. hoc intendebant, sed tantùm realem Dei infinitatem omnimodam explanare; aliàs, vt *suprà* arguebamus, Dei essentia *Metaphysicè* consisteret, non solùm in omni perfectione absoluta, sed etiam in relationibus, maximè in sententia afferente, quod in propria linea perfectionem relatiua important, & superaddunt essentiae, absolutisque perfectionibus. Nec Bernardi verba vrgent: nam esse Dei, proutin re, omnem perfectionem dicit: ac proindè tali esse, prout sic sumpto, nihil additur cum Deus sapiens vocatur, sumpto tamen esse Dei, pro esse essentiae, & naturae, qualiter à nobis sumitur, cum Deus dicitur sapiens, aliquid quoad expressionem additur, implicitè tamen in praedicto esse contentum, vt *Disp. sequenti* dicemus.

190 Sed dices; Deus essentialiter est infinitus *simplicitèr*, ergò essentia Dei est essentia entis infiniti *simplicitèr*; sed essentia entis infiniti *simplicitèr*, est essentialiter *simplicitèr* infinita: ergò essentia Dei essentialiter est infinita *simplicitèr*; & consequenter essentialiter consistit in omni perfectione non dicente imperfectionem. Consequentiae probatione non indigent. Antecedens autem probatur: nam esse infinitum *simplicitèr*, non conuenit accidentaliter Deo: ergò illi conuenit essentialiter; & consequenter Deus essentialiter est ens infinitum *simplicitèr*.

Instabis.

191 Respondeo, concesso antecedenti, & prima consequentia, distinguendo minorem subsumptam: essentia entis infiniti *simplicitèr*, est infinita simpliciter, *explicitè*, & *constitutiuè* sub conceptu essentiae, nego minorem: per identitatem, & implicitam inclusionem, concedo minorem, & distinguo consequens eodem modo; solùm enim sequitur, essentiam, & natura Dei sub conceptu essentiae, & naturae *identicè*, & *implicitè* esse infinitam in omni genere entis; & consequenter identificari cum omnibus attributis, illaque *implicitè* inuoluere, quod libenter fatemur, & *Disputatione sequenti* monstrabimus; non autem quod sub conceptu essentiae *explicitè* sit infinita simpliciter, & importet attributa, quod necessarium erat, vt in collectione attributorum consisteret, illaque *Metaphysicè* constitueretur, quod §. 1. aduertimus.

Respondetur.

Et quidem in mea sententia, & communi apud Thomistas, non solùm attributa, sed etiam relationes actu in essentia diuina includuntur, eiquè sunt essentiales; & tamen non ideò relationibus constituitur in ratione essentiae, & naturae, vt communiter docetur à Theologis, & hoc ideò, quia *explicitè* non importantur in essentia sub conceptu essentiae: idem ergò dicimus de attributis. Et instantur argumentum: nam de essentia entis *simplicitèr* infiniti, non solùm est omnis absoluta perfectio, sed etiam perfectio relatiua, vel entitas relatiua; & tamen essentia Dei relationibus non constituitur: ergò pariter, quamuis de essentia entis infiniti *simplicitèr* sit omnis perfectio absoluta, non sequitur omni perfectione absoluta constitui. 192

Instatur argumentum.

Secundò arguitur: non repugnat collectioni attributorum constituere *Metaphysicè* Dei essentiam, & naturam: ergò illam *Metaphysicè* constituunt. Consequentia est bona, & antecedens probatur. si namque repugnaret; ideò esset, quia supponunt perfectionem priorem; sed ex isto capite non repugnat: ergò ex nullo repugnat. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: non enim repugnat vnam essentiam duplici perfectione constitui, quarum vna prior sit, & alia subsequens, & posterior: ergò ex eo quòd attributorum collectio priorem perfectionem supponat, non probatur repugnantia, vt *Metaphysicè* diuinam essentiam constituat. Antecedens probatur multis exemplis: relatio namquè secundùm vltimam differentiam consistit in ordine ad subiectum, & etiam in respectu ad terminum, & tamen priùs subiectum, quàm terminum respicit: essentia hominis secundùm vltimam differentiam est simpliciter apprehensiua, compositiua, & discursiua; & tamen priùs est apprehensiua, quàm compositiua, & priùs compositiua, quàm discursiua, sicut priùs est, quòd simpliciter apprehendat, quàm quòd componat, & priùs componere propositionem, & posteà discurrere; essentialiter etiam est intellectiua, & volitiua; & tamen priùs intellectiua, quàm volitiua, sicut priùs intelligit, quàm vult, & vt Nos §. 4. docuimus, conceptus essentiae prior est conceptu naturae; & tamen ex vtroquè essentialiter constituitur natura viuentis, & natura intellectualis: ergò non repugnat vnam, eandemque essentiam duplici ratione constitui, quarum vna prior sit, & alia subsequens, & posterior: ac proindè ex eo quòd perfectiones attributales priorem perfectionem supponant, non probatur repugnantia, vt Dei naturam *Metaphysicè* constituant. 193

Secundo arguitur.

Confirmatur, & vrgetur: physica constitutione potest aliquid duplici perfectione, aut entitate constitui, quarum vna *Physicè* aliam praecedat: ergò etiam *Metaphysicè* potest vna essentia, & natura duplici perfectione constare, quarum vna alia *Metaphysicè* sit prior. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem etiam exemplis probatur: equus namque ex materia, & forma componitur, & tamen materia *Physicè* praecedit formam: cum sit causa materialis illius: beatitudo nostra formalis, in sententia extra Scholam D. Thomae probabili, constituitur *Physicè* per visionem, & amorem, & tamen visio praecedit amorem: praedestinatio in sententia, etiam probabili extra Scholam D. Thomae consistit, & quasi *Physicè* constat ex electione, quae actus voluntatis est, & iudicio subsecuto ad electionem, vel consistit in iudicio electionem regulante, & electione mediorum, quae posterior est iudicio. Item si volitio diuina realiter esset ab intellectione distincta, simùl cum intellectione Deum *Physicè* causaret; & tamen tunc casus intellectio diuina *realitèr*, & *Physicè* praecederet volitionem. Christus etiam est persona *Physicè* ex humanitate, & personalitate diuina composita, & ex natura humana, & diuina, quamuis persona diuina sit prior natura humana, vtpotè causa efficiens illius: Anima etiam, quamuis esset causa vnionis sui ad corpus, & corpus causaret *Physicè*, & consequenter praecederet *Physicè*, nihilominùs cum corpore componeret hominem. Et denique hoc vniuersum *Physicè* componitur collectione creaturarum, quarum vna aliam 194 195

Confirmatur.

aliam præcedit prioritate physica causæ, vt cælum elementa causat: & tamen ex cælo, & elementis hoc vniuersum conflatur: ergò non repugnat physica vnius constitutio ex priori, & posteriori entitate, aut perfectione.

196 *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens: ad probationem distinguo maiorem: quia supponit collectio attributorum perfectionem in sua linea completam, radicantemque collectionem, concedo maiorem: ex sola ratione suppositionis, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: Nos enim non probamus attributa non constituere naturam, & essentiam diuinam, quia supponunt priorem perfectionem præcisè, sed quia talem perfectionem supponunt; & quia taliter supponunt, nempè vt illa radicantem, & vt perfectionem in sua linea completam. Ex quo sic arguimus: perfectio in sua linea completa omnes alias perfectiones radicans perfectissima radicatione, est perfectissima natura, & consequenter perfectissima essentia, & hoc ideò quia natura vt sic consistit in radice operationis, & proprietatum naturæ, & consequenter perfectissima natura in radice perfectissima; sed pro priori ad attributa intelligimus in Deo perfectionem in sua linea completam, omnes alias Dei perfectiones perfectissimè radicantem: ergò pro priori ad attributa constitutam Dei essentiam intelligimus.

197 *Ad exempla in contrariũ adducta respondetur.* Contrà quam doctrinam non obstant exempla in contrarium adducta: ordo namque ad subiectum est non radix ordinis ad terminum, nec perfectio in linea relatiua completa; cum non possit ab ordine absoluto distingui, nisi per exigentiam respicientiæ termini, & implicitam inclusionem illius: vis apprehensiua in homine non radicat vim compositiuam, nec vis compositiua radicat vim discursiuam, nec radicale intellectiuum radicat radicale volitiuum; nec similiter conceptus essentiæ radicat conceptum naturæ, alias vt *supra* arguebamus saluaretur ratio naturæ in conceptu essentiæ pro priori ad conceptum naturæ, & daretur processus in infinitum, quod implicat: exempla ergo in contrarium adducta non obstant nostræ doctrinæ.

198 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, distinguo antecedens: si entitas præcedens completa sit, & posteriorem radicaliter contineat, nego antecedens; si sit partialis, & incompleta, posterioremque radicaliter non continens, concedo antecedens, & distinguo consequens distinctione antecedentis: solùm enim sequitur posse vnam essentiam *Metaphysicè* constitui ex duplici inadæquato conceptu, quorum vnus alium aliqua ratione præcedat, quod non inficiamur; non autem ex duplici perfectione completa, quarum vna aliam *radicalitèr Metaphysicè* contineat, & hoc est, quod nos negamus.

199 Nec exempla in contrarium adducta distinctioni, & doctrinæ traditæ obsistunt, equus namque constat ex materia, & forma, neutra tamen est completa, sed incompleta, & partialis, nec vna in alia *radicalitèr* continetur. Secundum, tertiumque exemplum negamus. Nec obstat esse sententias extra Scholam D. Thomæ probabiles; ex hoc enim ad summum inferri potest, etiam esse extrà Scholam D. Thomæ probabile Dei essentiam collectione attributorum constitui, quod à Nobis non negatur. Præter quàm quod, adhuc illis sententijs admissis, poterit discrimen adsignari sufficiens constitui, asserendo, nec iudicium regulans electionem, illam *radicalitèr* continere, nec visionem radicare amorem, sed tantum vt conditionem obiecti ad illum concurrere, cuius oppositum in præsenti contingit: ac proinde, dictis sententijs admissis, poterit consequentia negari.

200 *Ad 4. exemplum.* Ad quartum exemplum dicatur: si volitio *realitèr* ab intellectione distingueretur in Deo, nec intellectione, nec volitione Deum *realiter* constituendum constitutione essentiali, sed sicut homo *essentialitèr* constituitur per radicem realem intelligendi, & volendi, intellectu, & voluntate se habentibus, vt passionibus, & intellectione, & volitione vt actionibus vitalibus, idem in prædicta hypotesi est asserendum in Deo. In Christo autem ex personalitate, & humanitate non resultat vna essentia, vel natura, sed tantum vna persona, nec personalitas, prout cum humanitate personam humanam constituit, humanitatem radicat, nec diuinitas illam causat, quatenus Christi compositionem ingreditur, sed prout Deum constituit, vt tribus personis communem. *Ad quintum.* Ad illud de anima rationali dicatur esse ex sua essentia entitatem incompletam, & per se ad hominis constitutionem ordinatam: vnde si quod supponitur, cum hac in completione supponatur, non obstabit quominùs ex illa, & corpore possit hominis essentia componi. Vltimum exemplum omninò præter rem est: vniuersum namque est totum collectiuum sola vnitate ordinis gaudens, ac proindè collectione multorum constans, quorum vnum est altero prius, Deus est vnus vnitate perfectissima, & vnius simplicis naturæ, cuius conceptus in perfectissima radice attributorum saluatur.

Sed insistunt Recentiores: nam id omne, *formalitèr* rei essentiam constituit, quod est de principali consideratione 201 *Replicabis 1.* ratione illius: si namquè deest aliquid, quod est de principali æstimatione secundum nostram considerationem, nondum tota rei essentia concipitur; sed potest aliquid posterius alio, esse de principali æstimatione essentiæ totius, quamuis non sit de principali consideratione prioris: ergò potest quamuis posterius sit, ingredi essentialem rei constitutionem. *Minor probatur 1.* Probant minorem primò: etenim in vniuerso non solum Sol, qui prior est, sed etiam homo posterior Sole, principaliter æstimatur: in discursu etiam hominis assensus conclusionis principalem considerationem ingreditur, quamuis sit assensu permissarum posterior.

Secundo. Deinde: nam potest posterior perfectio, priorem excedere, vt constat in iudicio supponente, & excedente simplicem apprehensionem: ergò poterit posterior perfectio principaliter æstimari. *Tertio.* Denique: nam potest perfectio posterior notabiliter rei æstimationem augere, quamuis non tantum ac prima: ergò potest ingredi principalem rei æstimationem.

Respondeo, concedo maiorem, minorem, & consequentiam: ex hoc tamen non infertur, attributa Dei essentiam 202 *Respondetur.* *Metaphysicè* constituere: nam licèt Deus magni æstimetur, quia sapiens, magni etiam æstimetur, quia volens, & quia misericors; nulla tamen ex his perfectionibus est dè principali consideratione Dei, hoc est, de primària consideratione illius: nam præcedenter ad illas concipitur constitutus *completè* in ratione essentiæ, & naturæ illa perfectione, quæ cæteras perfectiones radicat ob ea, quibus §. 5. nostram sententiam monstrauimus, ideòque, licèt quandòque contingat, vt prædicatum posterius aliudquè supponens prius, simul cum priori totius essentiam constituat, non sequitur, Deum collectione attributorum constitui, eo quod in perfectione priori attributa radicante saluatur quidquid requiritur ad conceptum essentiæ, & naturæ. Et quidem eodem argumento, si quid probatur, conuincitur, constitui essentiam diuinam perfectionibus relatiuis, cum ex illis Deo magna æstimatio proueniat, sicuti, & perfectio infinita in sententia contrariorum concedente relatiuas perfectiones. Conuincitur etiam hominem *Metaphysicè* constitui collectione proprietatum; cum etiam ex proprietatibus hominis æstimatio augeatur.

Tertiò obijciunt: cum alicuius rei conceptus pluralitatem importat, nondùm illius essentia intelligitur constitu- 203 *Tertio arguitur.* ta, quamuis prima perfectio apprehendatur, si non omnes concipiuntur; sed formalissimum Dei significatum exprimit perfectionum pluralitatem: ergò prima perfectione non constituitur *adæquatè*, sed in omnium collectione illius essentia *Metaphysicè* consistit. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam primus conceptus Dei, est ratio actus puri, infiniti *simplicitèr*, & optimi, quo nihil melius excogitari potest; sed ratio actus puri dicit actualitatem in omni linea, ratio infiniti *simpliciter* continentiam omnis perfectionis *simplicitèr* simplicis, & de ratione optimi includere omnem formalitatem, qua concipitur vt melius: ergò primus conceptus Dei, & formalissimum eius significatum exprimit pluralitatem perfectionum.

Confirmatur, & vrgetur primò: si Deus non constitue- 204 *Confir. 1.* retur omni perfectione tali *simplicitèr*, posset cogitari aliquid melius Deo; sed hoc est falsum: nam Deus est id, quo melius necesse potest, nec cogitari: ergò constituitur omni perfectione tali *simplicitèr*. Probatur sequela: si essentia Dei non constitueretur volitione v. g. conflatum ex essentia, & volitione esset melius cogitatione, quam essentia sola. ergo Deus non esset id, quo melius cogitari non potest. Idemque argumentum fiet de alijs attributis Dei: vt ergò Deus sit, quo melius nihil cogitari potest, debet omni perfectione attributali constitui.

Confirmatur, & vrgetur secundo, quia diuina scientia 205 *Confir. 2.* est optima in ratione sapientiæ, petit constitui *quidditatiuè formalitèr* omni scientiæ perfectione, & quia omnipoten-

tia

tia diuina optima est in ratione omnipotentiæ, consistit *quidditatiuè* in continentia omnis, quod contradictionem non implicat; sed essentia Dei est optima in linea entis: ergò petit constitui *formalitèr* omni perfectione entis non dicente imperfectionem, & consequentèr *quidditatiuè* primariò in omni tali perfectione consistere.

206 *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem: nam licet Deus in se omnem habeat perfectionem, absque vlla distinctione, quia tamen à nobis multipliciter concipitur, diuersisque nominibus nominatur, non per quodlibet illorum omnis Dei perfectio *expressè* significatur, tametsi omnis Dei perfectio quolibet ex illis significetur *simpliciter*: vndè sicut nomine scientiæ diuinæ, non omnis perfectio *expressè* significatur, nec nomine intellectus diuini, sed tantùm ea, quæ spectant ad lineam intellectus, & scientiæ; cæteræ autem *identicè*, & *implicitè* importantur; ità hoc nomine *Deus*, quod iuxtà D. Thom. infra *quæst. 13. art. 8.* est nomen naturæ, & essentiæ diuinæ non explicatur omnis diuina perfectio, sed tantùm perfectio essentiæ, & naturæ, quæ est prima, quam concipimus in Deo, sumpto fundamento ex ipso, aliæ autem perfectiones solùm importantur *identicè, implicitè, & radicalitèr*. Ex quo fit, vt nec ex ratione actus puri dicat *expressè*, & *formalitèr* omnis lineæ actualitatem, sed solùm actualitatem naturæ, nec ex ratione infiniti omnem exprimat perfectionem, sed tantùm summam perfectionem naturæ, nec ex ratione optimi omnem perfectionem exprimat, quia Deus, vt hoc nomine significatur, non est *formalitèr* in omni linea infinitus, nec optimus in omni comparatione, sed est *formalitèr* infinitus in linea essentiæ, & naturæ, & optimus optimitate essentiæ, & naturæ. Ex quibus ad probationem minoris constat solutio.

207 *Ad primam confirmationem.* Ad primam confirmationem, distinguo consequens: posset cogitari aliquid melius Deo *realitèr* distinctum ab ipso, nego sequelam: aliquid ratione distinctum, subdistinguo consequens: aliquid melius excessu naturæ, nego sequelam: excessu conflati ex natura, & superaddita perfectione ad naturam sumptam seorsim, concedo sequelam, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licèt de ratione Dei sit, quòd nihil *realitèr* ab illo distinctum possit cogitari ipso melius, & insuper quòd, vt correspondet huic nomini, illius significanti naturam, sit vt nihil ratione ab ipso distinctum cogitari possit melioris essentiæ, & naturæ, non tamen est de ratione Dei, vt hoc nomine significatur, vt non possit concipi aliquid perfectius ipso conflatum ex natura, & superaddita perfectione; aliàs deberet constitui in ratione naturæ, non solùm perfectionibus absolutis, sed etiam relatiuis; quod contrarij Auctores negant.

208 *Instatur argumentum.* Quòd autem sequatur, patet: nam conflatum ex absolutis, & relatiuis perfectionibus, perfectius quid est absolutis sumptis *præcisè*: ergò si debet consti ui perfectione, qua quid maius cogitari nequeat, constitui debet conflato ex linea absoluta, & relatiua: cum ergo, vt contrarij Auctores fateantur natura non constituatur perfectionibus relatiuis, tenentur consequenter fateri de ratione Dei secundùm essentiam, & naturam diuinam *Metaphysicè* consideratam, solùm esse, quod eo nihil possit cogitari melioris naturæ, non autem quòd non possit aliquid melius cogitari consurgens ex natura, & perfectione superaddita naturæ; licèt autem conflatum ex natura, & volitione sit melius natura seorsim, non autem est melioris naturæ, & ideò in perfectione volitionem non exprimente consistit diuina essentia, & natura.

209 *Ad secundam.* Ad secundam confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: est optima in linea entis per modum naturæ, concedo minorem: in linea entis transcendentis *Logicè* omnes perfectiones diuinas, nego minorem, & consequentiam: nam licèt essentia Dei sumpta *realitèr* sit in omni linea infinita, sumpta verò, vt obtinet rationem essentiæ, & naturæ, ratione, aut *virtualitèr* ab alijs perfectionibus distinctæ, non est *formalitèr* infinita in linea entis communis, & transcendentis, sed in peculiari linea, scilicet in linea naturæ: ac proindè solùm petit *quidditatiuè* consistere in perfectione pertinente ad lineam naturæ, & essentiæ, non autem in omni perfectione entitatiua. Nec amplius exempla adducta conuincunt, imò oppositum ex illis suadetur: scientia namquè, & omnipotentia non consistunt in omni perfectione, sed in omni suæ lineæ: ergò essentia, & natura Dei, non in omni perfectione entitatiua, sed in perfectione essentiæ, & naturæ consistere debet. Argumenta, quæ contra secundam partem conclusionis militare possunt, fusè diluemus *tract. de voluntate Dei*, & ex dictis solutionem accipiunt.

§. VII.

Statuitur tertia Conclusio, & examinatur mens D. Th.

TERTIA CONCLVSIO. *Essentia diuina non constituitur metaphysicè intellectione actuali.* Hanc tenent 210 *Tertia conclusio.* Antiquiores Thomistæ, Capreolus *in 1. dist. 8. quæst. 4. art. 1.* vbi eodem modo distinguit, intellectionem, & intellectum ab essentia diuina, quo cætera omnia attributa. *Distinction. 35. quæst. prima, articulo secundo ad argumenta Aureoli contra secundam Conclusionem, & quæst. 2. art. 1. ad finem*, vbi inter intellectum, & diuinam intellectionem distinctionem rationis constituit. *Et dist. 45. art. 1. ad 1. & 2. argumentum Aureoli contra tertiam conclusionem*, vbi distinctionem statuit rationis inter voluntatem, & diuinam volitionem. Caietanus *in hac 1. p. q. 1. art. 7. quæst. 13. art. 11. q. 14. art. 5. §. ad hoc dicitur*, vbi illam propositionem D. Thomæ, *intelligere est esse Dei*, explicat in sensu identico. *Quæst. 26. art. 1.* vbi intellectum à Dei substantia, & natura distinguit, & *q. 41. art. 5.* vbi intellectum diuinum inter attributa constituit. Ferrara *1. contra Gentes cap. 45.* vbi in sensu identico explicat illam propositionem, *intelligere est esse Dei*, & cap. 73. vbi quòad identitatem cum essentia æquiparat intellectionem cum volitione. Eandem sequuntur ex Recentioribus Thomistis Ledesma *de esse Dei quæst. 2. art. 2. ad 5. argum.* Serra *in præsenti q. 3. art. 3.* & infra *q. 14. art. 4.* Lezana *tract. 4. disput. 1. q. 3. concl. 1. & 2.* Illustrissimus Araujo *lib. 12. Metaphysicæ quæst. 1. art. 2. concl. 3.* Curiel, Aluarez, Choquetius, Baptista, Syluius, & alij, quos refert, & sequitur Magist. Ildefonsus Miguel infra *q. 14. art. 4. dub. vnic. concl. 1.* Tenent etiam ex PP. Societatis Granadus *tom. 1. in 1. p. controuers. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 2.* Arrubal *disp. 28. cap. 3. & 4.* Albertinus *corollario 14. ex prædicamento ad aliquid dubit. 2. difficult. 2. num. 16.* & Arriaga loquendo de constitutione Dei ratione nostra in *ista disp. 16. sect. 4.* Tenent etiam ex Scotistis Theodorus Smising. vbi supra, & Franciscus Fœlix *de scientia Dei cap. 1. difficult. 3.*

Capreol. Caiet. Ferrara. Ledes. Serra. Lezana. Araujo. Curiel. Aluar. Choq. Baptista. Silu. Ild. M. Granad. Arrubal. Albert. Arriag. Smising. Fœlix.

Et quia Recentiores Nostri, oppositæ sententiæ adhærentes, vim præcipuè faciunt in doctrina D. Th. ex illa est nostra conclusio accuratè suadenda, primò ex D. Th. *quæst. 1. de potentia art. 1.* illis verbis: *Est autem de ratione operationis habere principium, non autem de ratione essentiæ: vnde licet diuina essentia non habet aliquod principium, nec re, nec ratione, tamen operatio diuina habet aliquod principium secundum rationem*; sed vt docet D. Th. *in hac 1. p. q. 14. in proœmio*, intellectio Dei, operatio est: ergò habet principium secundùm rationem; & consequenter non primò, in illo intelligitur, nec Dei naturam *Metaphysicè* constituit. 211 *Probatur primo Auctoritatibus D. Tho. Prima est.* Quod roboratur ex eodem D. Th. *in hac prima parte q. 41. art. 4. in fine corporis*, & expressiùs *solut. ad 3.* vbi hæc habet verba: *Generatio actiua significatur vt egrediens à persona Patris, & ideo præsupponit proprietatem personalem Patris*: ergò sentit D. Th. rationem non posse constituere id, cuius dicitur actio, si personæ personam, & si naturæ naturam; sed intellectio est actio, & operatio naturæ: ergò nequit illam constituere, sed præuiè constitutam supponit. *Confirmatur.*

Secundò eadem conclusio colligitur ex D. Th. *in hac 1. p. quæst. 26. art. 2. in corpore*, ibi: *In Deo autem non est aliud esse, & intelligere secundum rem, sed tantùm secundum intelligentiæ rationem*. Et solut. ad 1. ibi: *Dicendum, quod ex illa ratione probatur, quod Deus sit beatus secundum suam essentiam, non autem quod beatitudo ei competat secundum rationem essentiæ, sed magis secundùm rationem intellectus*. Sentit ergò D. Th. intellectionem, & intellectum distingui ratione in Deo, & consequenter quamuis vtrumque essentialiter Deo conueniat, neutrum tamen Dei essentiam *Metaphysicè* constituit. 212 *Secunda D. Tho. Auctoritas.* Quod ampliùs vrgetur ex eodem D. Th. *in eodem art. solut. ad 2.* ibi: *Dicendum, quod beatitudo, cum sit bonum, est obiectum voluntatis: obiectum autem præintelligitur actui potentiæ: vndè secundum modum intelligendi prius est beatitudo diuina, quam actus voluntatis in ea requiescentis*. Ergò iuxtà D. Th. obiectum præsupponitur actui, cuius est obiectum, nec per illum *Confirmatur.*

non potest constitui, sed præuiè ad illum re, vel ratione constitutum supponitur; sed iuxtà eundem D. Th. *quæst.* 14. *art.* 5. *ad* 3. intellectio diuina ab essentia Dei tanquam ab obiecto, & specie sumit specificationem: ergò essentia Dei prior est intellectione, nec per illam constituitur, sed præuiè ratione nostra constituta supponitur.

213 *Tertia Auctoritas.* Præterea colligitur ex eodem D. Tho. *infra quæst.* 19. *art.* 1. *in corpore*, quod ita concludit: *Et sic oportet in Deo esse voluntatem; cum sit in eo intellectus, & sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle.* Sed iuxtà D. Th. velle actuale, solùm *identicè* est esse Dei, non autem *formalitèr*, aut *constitutiuè*: ergò intelligere, non *constitutiuè*, sed *identicè* est esse, vel essentia diuina. Minor traditur à nostris Thomistis, & probatur ex D. Th. in eadem *quæst. art.* 2. *ad* 1. illis verbis: *Dicendum quòd licèt diuinum velle sit eius esse secundùm rem, tamen differt ratione secundùm diuersum modum intelligendi, & significandi*: Ergò iuxtà D. Tho. volitio actualis differt ratione ab essentia, & consequenter Dei essentiam per rationem non constituit, nec est esse, vel essentia diuina *formalitèr constitutiuè*, sed tantùm *formalitèr realitèr*. *Confirmatur 1.* Et augetur difficultas ex dicta solutione ad primum, quam ita concludit: *Et ideò, licèt non sit aliquid aliud à se, vult tamen aliquid aliud à se*, vbi ex discrimine secundùm rationem, quod inter esse Dei, & illius velle versatur, infert verificari Deo, quod velit aliud à se, non tamen, quod sit aliud à se: ergò sentit ad hæc verificanda, necessariam esse prædictam differentiam: at etiam est verum Deum aliam à se intelligere, & non esse alia à se: ergò eadem differentia, quæ inter velle, & esse inuenitur, reperitur inter intelligere, & esse.

214 *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundò ex D. Th. 1. *Contra Gentes cap.* 73. vbi probat, Deum identificare sibi suum velle: *Quia vult in quantum intelligit; sed intelligit per suam essentiam: ergo vult per illam; & consequenter sua essentia est suum velle*: ergò iuxta D. Th. identitas essentiæ cum intellectione, est aptum medium, vt probet identitatem essentiæ cum volitione, & consequenter si esset suum intelligere *constitutiuè formalitèr*, eodem modo esset suum velle actuale. *Confirmatur 3.* Confirmatur, & vrgetur tertiò ex eodem D. Th. 1. *Contra Gentes cap.* 45. vbi probat, Deum identificare sibi suam intellectionem: *Quia intellectio est actus intelligentis in ipso existens; quidquid autem est in Deo, est diuina essentia*: ergò sentit D. Tho. intelligere identificari cum Deo, eo modo, quo alia, quæ in Deo sunt identificantur cum ipso; at cætera attributa non *constitutiuè*, sed tantùm *formalitèr realitèr* identificantur cum essentia diuina: ergò idem est de actuali intellectione dicendum.

215 *Confirmatur 4.* Denique vrgetur ex doctrina D. Th. 2. *Contra Gentes cap.* 9. ratione prima, qua probat, quòd potentia Dei sit sua actio, in hunc modum; *Quæ enim vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem: diuina autem potentia, est eius substantia vt ostensum est cap. præcedenti, eius etiam actio, est eius substantia, vt in 1. lib. ostensum est de intellectuali operatione; eadem enim ratio in alijs competit, igitur in Deo non est de potentia, & aliud actio*: ergò sentit D. Th. eodem modo identificari alias operationes immanentes cum Deo, quo identificatur cum illo actualis intellectio: patet consequentia ex illis verbis: *Eadem enim ratio in alijs competit*; at aliæ operationes non identificantur cum Deo *constitutiuè formalitèr*, sed tantùm *formalitèr realitèr*: ergò nec intellectio actualis.

216 *Quarta Auctoritas D. Th.* Quartò colligitur, & efficaciter satis probatur nostra conclusio ex D. Th. *in* 1. *distinct.* 22. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 4. illis verbis: *Dicendum, quod differunt nomina attributorum secundùm rationem, non tamen quæ sit solùm in ratiocinante sed quæ saluatur in ipsa re secundùm veritatem, & proprietatem rei. Quod sic patet: omnia enim huiusmodi dicuntur de Deo, & creaturis, non æquiuocè, sed secundum vnam rationem analogicè: vndè cum in creatura ratio sapientiæ, non sit ratio bonitatis, oportet quod etiam hoc in Deo sit verum: Sed in hoc differunt, quòd in Deo idem sunt re, in creaturis autem differunt re.* Quod etiam docuit *in* 1. *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 2. *in corp & art.* 3. *in corp. dist.* 35. *q.* 11. *art.* 1. *ad* 2 *& q.* 7. *de potentia art.* 6. Ex qua doctrina tale argumentum conficio: quia sapientia, & bonitas dicuntur de Deo, & creaturis, non *æquiuocè*; sed secundùm vnam rationem *analogicè*, & in creaturis ratio sapientiæ non est ratio bonitatis; bonitas, & sapientia distinguuntur ratione cum fundamento in re, & consequenter distinctione rationis ratiocinatæ; sed essentia, seù natura, & intellectio actualis dicuntur de Deo, & creaturis non *æquiuocè*, sed secundum vnam rationem *analogicè*, & ratio essentiæ in creaturis, non est ratio intellectionis: ergò essentia, seù natura, actualisque intellectio, distinguuntur in Deo ratione ratiocinata, & consequenter actualis intellectio non constituit ratione nostra essentiam, nec naturam diuinam.

217 *Quinta Auctoritas.* Deniq; & efficacitèr satis eadem conclusio colligitur ex Angelico Doctore *in hac* 1. *p. infra q.* 30. *a.* 2 *ad* 2. quod ità procedebat: *Non plus natura in Deo à voluntate differt, quàm natura ab intellectu; sed in diuinis est alia persona, quæ procedit per modum voluntatis, vt amor, & alia, quæ procedit per modum naturæ vt Filius: ergo est etiam alia, quæ procedit per modum intellectus vt Verbum, & alia quæ procedit per modum naturæ, vt Filius. Et sic iterùm sequitur, quod non sunt tantùm tres personæ in diuinis.* Cui argumento ità respondet Angelicus Doctor: *Ad secundum dicendum, quod id, quòd procedit per modum intellectus vt Verbum, procedit secundum rationem similitudinis, sicut & id, quod procedit per modum naturæ. Et ideo suprà dictum est, quòd processio Verbi diuini est ipsa generatio per modum naturæ. Amor autem in quantum huiusmodi, non procedit vt similitudo illius, à quo procedit, licèt in diuinis amor sit coessentialis in quantum est diuinus, & ideo processio amoris non dicitur generatio in diuinis.*

Ponderatur Auctoritas. Ex cuius solutionis doctrina cum argumento collata, tale argumentum conficio: si essentia Dei in actuali intellectione consisteret, deberet maior argumenti negari, illaq; negata, totalitet eius efficacia corrueret; sed D. Th. maiorem argumenti non negat, sed illa admissa, ad aliud principium recurrit, nempè, ad hoc, quòd intellectus assimilatiuus est; secùs autem voluntas: ergo sentit D. Th. Dei naturam, & essentiam non constitui intellectione actuali. Consequentia est bona. Minor constat ex doctrina solutionis. Maiorem autem probo, voluntas in sententia Thomistarum, non constituit Dei essentiam, sed est eius attributum; sed si intellectio Dei naturam constitueret, intellectus attributum non esset, sed de primo conceptu Dei: ergò plus differret natura à voluntate, quàm ab intellectu in Deo, & consequenter maior argumenti, qua asseritur, non plus differre in Deo naturam ab intellectu esset falsa.

218 *Consequentia probatur 1.* Patet consequentia primò: nam plus differt natura ab attributo, quàm à sui constitutiuo: ergò si intellectus esset de constitutione Metaphysica naturæ, minùs ab illa differret, quàm voluntas quæ attributum est. *Secundò.* Secundò: nam si intellectio, & intellectus *Metaphysicè* diuinam essentiam, & naturam constituerent, non distinguerentur ab illa ratione ratiocinata, & *obiectiuè*, sed tantùm ratione ratiocinante, & ex modo significandi, & concipiendi; at voluntas differt à natura in Deo ratione ratiocinata, & *obiectiuè*, vt nostri Thomistæ fatentur: ergò plus differret natura à voluntate, quam ab intellectu in Deo; & consequenter maior argumenti deberet negari; cum ergò D. Th. maiorem argumenti non neget, signum manifestum est, Angelicum Doctorem sentire, tàm intellectum, quàm voluntatem rationem attributi sortiri, & Dei essentiam, & naturam *Metaphysicè* constitutam præsupponere.

219 *Opponit Opposita sententia Auctores D. T.* Contrà hanc doctrinam opponunt contrariæ sententiæ Auctores, D. Th. *in hac* 1. *p. q.* 14. *art.* 4 *in corp.* quod ita concludit: *Et sic patet ex omnibus præmissis, quod in Deo intellectus, intelligens, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino vnum, & idem. Vnde per hoc, quod Deus Dicitur intelligens, nulla multiplicitas ponitur in eius substantia.* Quę verba sic ponderant *Primò. Illa ponderat 1.* primò: quæ sunt vnum, & idem omninò, nec virtualiter distinguuntur: nam ly *omnino* quamlibet distinctionem excludit; distinctio autem virtualis, aliqua distinctio est; sed intellectio, & Dei substantia sunt omninò vnum, & idem, vt asserit D. Th. ergò intellectio actualis, nec *virtualitèr* adhuc, à Dei substantia distinguitur. *Secundò.* Secundò: nam si intellectio actualis *virtualitèr* à Dei substantia differret, per hoc quod Deus diceretur intelligens, aliqua multiplicitas in illius substantia poneretur; cum multiplicitas virtualis, aliqua sit multiplicitas, sicut virtualis distinctio aliqua distinctio est; sed, vt D. Th. docet, per hoc, quod Deus dicatur intelligens, nulla multiplicitas in eius substantia ponitur: ergò actualis intellectio ab essentia Dei *virtualitèr* non differt. *Tertiò.* Tertiò ex eisdem verbis sic arguit Heritce: identitas inter intelligere, & esse colligitur ab Angelico Doctore ex identitate speciei cum essentia diuina, vt constat ex verbis *immediatè* ad relata præcedentibus, ibi: *Vnde cum ipsa*

sua

sua essentia sit, etiam species intelligibilis, vt dictum est, necessariò sequitur, quod ipsum eius intelligere sit eius essentia; sed ratio speciei idem est nedum *formaliter*, verum etiam *virtualitèr* cum natura diuina: ergò actualis intellectio *virtualitèr* ab essentia non differt.

220 *Respondetur. Primum solutionis motiuum.* Respondeo, D. Tho. cum docet intelligere esse omninò vnum, & idem cum essentia, & esse in Deo, non loqui de identitate virtuali, & constitutiua, sed de identitate reali formali: quod patet primò; quia cum D. Tho. *locis à nobis adductis*, ita clarè agnoscat inter essentiam, & actualem intellectionem in Deo distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ apud nos idem est, quod virtualis, sibi ipsi manifestè aduersaretur. *Secundò.* Prætereà: nam, vt ex D. Tho. vidimus, eo modo identificatur volitio cum esse in Deo, quo identificatur cum esse, actualis intellectio; volitio autem non identificatur cum essentia Dei, omninò per exclusionem distinctionis rationis, & virtualis, sed tantùm distinctionis realis formalis: ergo cum docet intelligere identificari omninò cum esse, solam istam distinctionem excludit.

221 *Tertium.* Deindè: nam identitas realis formalis, sufficit intento D. Tho. *in art. alleg.* quod erat saluare in Deo simplicitatem in linea intelligendi, sicut illam in linea essendi probauerat *q. 3. art. 4.* ad hoc autem sufficit indistinctio realis formalis, nec identitas virtualis, & constitutiua exigitur; Deus enim volens, est *simplex*, & tamen volitio non identificatur cum Deo *virtualitèr*; & *constitutiuè*, sed tantùm *formalitèr*.

Quartum. Deniquè; nam ratio, qua D. Thomas suadet identitatem, quia nempè, actus intelligendi manet in intelligente: ac proinde si à Deo distingueretur, Deus esset in potentia ad aliquid aliud à se, solùm probat identitatem realem formalem, non autem constitutiuam, & virtualem: volitio namquè non identificatur cum essentia *virtualitèr constitutiuè*, sed tantùm identitate reali formali; & tamen est actus in Deo manens, quin ex hoc inferatur, esse Deum in potentia ad aliquid aliud à se: vnde Diuus Thomas *infra quæstione 28. art. 2.* eadem ratione vtitur contra Gilbertum, vt probet relationes, non distingui ab essentia; cum tamen relationes ab essentia *virtualitèr* distinguantur: cum ergò docet actum intelligendi, & essentiam, esse omninò vnum, & idem, solùm intendit excludere distinctionem realem entitatiuam, aut formalem, non autem distinctionem rationis, aut virtualem.

222 *Ad 1. ponderationem.* Nec ponderationes vrgent, non prima: nam ly *omninò* accipiendum est, vt cadit supra identitatem realem, sic autem solùm realem distinctionem excludit, quæ simplicitati opponitur. *Ad secundam.* Nec secunda: nam multiplicitas exclusa ab Angelico Doctore, solùm est multiplicitas realis, quæ simplicitati opponitur, non autem virtualis; cum qua optimè simplicitas Dei compatitur; multiplicitas autem virtualis realis non est, nec simplicitati opposita; ac proinde nec à D. *Ad tertiã.* Thoma exclusa. Nec magis tertia ponderatio vrget: nam, concessa maiori, neganda est minor; sicut enim in linea actiua, intellectus *virtualitèr* à natura v *radicalitèr* actiua in nostra sententia distinguitur: ità in linea passiua ratio speciei, per quam essentia est potens *proximè* ad sui intellectionem mouere, *virtualitèr* ab essentia distinguitur. Et quidem eidem argumento tenetur occurrere Herice: nam D. Thomas, vt vidimus, probat identitatem volitionis cum Deo ex identitate intellectionis, quæ in sententia Herice est virtualis, & constitutiua; & tamen identitas volitionis cum diuina essentia constitutiua non est in istius Auctoris sententia: ergò ex eo quòd Diuus Thomas probet identitatem intellectionis cum esse ex identitate speciei cum essentia, & hæc sit identitas virtualis, inconsequenter infert identitatem virtualem, & constitutiuam cum essentia diuina.

223 *Secundò opponunt eundem D. Tho.* Secundò opponunt, testimonium Diui Thomæ *in hac prima parte quæstione 18. articulo tertio*, vbi inquirit, an Deo conueniat vita, & pro parte negatiua, sic arguit: *In omnibus, quæ viuunt, est accipere aliquod viuendi principium: vndè dicitur 2. de anima, quòd anima est viuentis corporis causa, & principium; sed Deus non habet aliquod principium: ergò sibi non conuenit viuere.* Cui argumento ita respondet: *Ad secundum dicendum, quod sicut Deus est ipsum suum esse, & suum intelligere, ita est suum viuere, & propter hoc sic viuit, quod non habet viuendi principium.* Ergò sensit non solùm non dari in Deo principium reale actus intelligendi, sed nec etiam principium virtuale, & per rationem.

Consequentia prob. primò. Patet consequentia: tùm; quia docet; *sicut non habet principium sui esse, ita nec suæ vitæ, aut suæ intellectionis*; sed Dei essentia, nec virtuale habet principium: ergo vita actualis, & actus intelligendi, virtuale principium non habent. *Secundò.* Tùm etiam: nam si sentiret dari in Deo principium virtuale intelligendi, & viuendi, distingueret maiorem argumenti, illamque concederet de principio reali, aut virtuali, & negaret de principio determinatè reali; at Diuus Thomas non fuit vsus hac distinctione, sed illam absolutè negauit acceptam vniuersaliter pro viuente creato, vel increato: ergò iuxtà Diuum Thomam actualis intellectio non habet virtuale principium in Deo.

224 *Respondetur. Ad 1. cõsequentiæ probationem.* Respondeo, negando consequentiam. Ad primam probationem dicatur, similitudinem tenere quoad rationem principij realis, quod nec datur respectu essentiæ, nec respectu intellectionis, non tamen quoad rationem principij virtualis, aut per rationem; vt enim docet D. Thomas *in 1. dist. 7. q. 1. art. 1. ad 2. & quæst. 1. de Potentia art. 1.* de ratione essentiæ non est habere principium, benè tamen de ratione operationis: vndè essentia Dei non habet principium, nec secundùm rem, nec secundùm rationem; operatio autem diuina habet principium secundùm rationem: cum ergò intelligere sit actio non transiens in exteriorem materiam, sed manens in intellectu, vt docet D. Thomas *infra q. 34. art. 1. ad 2.* fit, quòd in Deo habeat principium secundum rationem, non autem secundùm rem, & in hoc secundo æquiparatur essentiæ, non autem in primo à D. Thoma *in præsenti*, ne in eius doctrina, vel apparens contradictio admittatur.

225 *Ad secũdam.* Ad secundam probationem dicatur; potuisse D. Thomam distinctione illa argumentum diluere, non tamen fuisse necessarium; tùm, quia ly *habere principium* absolutè prolatum, vt sumitur in maiori, denotat principium reale, & ideò potuit maior absolutè negari, imò & debuit. Tùm etiam, quia sumitur in maiori, vt probatum ex Philosopho *lib. 2. de Anima*, sic autem reale principium importat. Tùm deniquè; nam maior significat principium, quod habere imperfectionem dicit, quod solùm est verum de principio reali, non autem de virtuali, aut per rationem, vt ex dicendis constabit; ideòque D. Thomas maiorem non distinxit, sed absolutè negauit.

226 *Instatur 2. probatio.* Et quidem doctrina D. Thomæ intelligitur de omni actu vitali Dei; aliàs argumentum non solueret; sed volitio diuina non potest non habere virtuale principium; cum distinguatur virtualiter à natura; & consequenter virtualiter ab illa procedat, iuxtà dicta §. 5. quod Nostri Thomistæ non negant: ergò cum D. Thom. excludit à Deo principium respectu vitæ, & intellectionis diuinæ, est de principio reali accipiendus. Et eodem modo interpretandus est D. Thomas *in hac 1. p. infra quæst. 34. art. 1. ad 2. & in corp.* vbi inter intellectionem, & Verbum hoc statuit discrimen, quòd de ratione Verbi est ab intelligente procedere; ob quam rationem solùm personaliter dicitur in diuinis, de ratione autem intellectionis non est ab intelligente procedere. S. THO. Quæ doctrina, & differentia est de processu reali accipienda; cum quo stat, vt intellectio diuina secundùm rationem procedat ab intellectu, iuxtà illa, quæ ex D. Thoma *quæst. 1. de Potentia art. 1.* proximè ponderabamus, quod *loco allegato* notauit Caietanus.

§. I V.

Eadem conclusio argumentis à ratione probatur.

227 *Deinde prob. ratione conclusio. Maior prob. 1.* PRima ratio sumitur ex doctrina D. Thomæ in hunc modum: actio naturalis non potest constituere naturam; sed actualis intellectio actio naturalis est: ergò non constituit naturam, aut essentiam diuinam. Consequentia tenet. Maior constat primò: nam iuxtà D. Thomam, generatio actiua, quia actio personalis est, non constituit Patris personam, sed illam constitutam supponit: ergò pariter actio naturalis non potest constituere naturam. *Secundò.* Secundò: nam iuxtà D. Thomam, actio præsupponit principium à quo procedit; sed eo ipso præsupponit essentiam, & naturam constitutam, vt constat ex dictis in præcedentibus: ergò actioni naturali repugnat constituere naturam, cuius est actio. *Tertiò.* Tertiò: ablato namque ab actione, quod fit ab alio, non remanet per quid constituatur in ratione actionis; sed eo ipso, quod ab alio fit, non potest esse primum, quod in aliquo intelligitur: ergò actioni ex proprio conceptu actionis repugnat esse primum in re, quæ agit, intellectum;

 & con-

& consequenter ex conceptu actionis repugnat esse constitutiuam naturæ, cuius est actio, de cuius conceptu est esse, quod primò intelligitur.

228 *Deinde minor prob. 2.* Deinde minor argumenti probatur primò ex D. Thoma *infra quæstione 34. articulo primo ad secundum*, ibi: *Et similiter intelligere, quod ità se habet ad intellectum in actu, sicut esse ad ens in actu, non enim intelligere significat actionem ab intelligente exeuntem, sed in intelligente manentem*. Ergò iuxtà D.Thomam intellectio actualis diuina est actio immanens in Deo. *Secundò.* Secundò probatur: nam intellectio diuina est vita perfectissima in actu secundo; sed licèt essentia viuentis non consistat in operatione, vita verò in actu secundo,& exercitium viuendi in operatione consistit: ergò actualis intellectio, qua Deus in actu secundo viuit, in actione, & operatione consistit.

229 *Respondebis 1.* Huic argumento tripliciter potest occurri ex doctrina aduersariorum. Prima solutio negat maiorem acceptam vniuersaliter: nam licèt operatio creata cum imperfectionibus inuoluta, petat à principio egredi; & consequenter illud constituere nequeat, sed necessariò constitutum supponat; actio tamen increata, qualis est actus intelligendi diuinus, quia habet rationem actionis, & operationis *formalitèr*, & *eminentèr*, & absquè vlla imperfectione, nec egreditur à principio, nec essentiam constitutam supponit, eo quòd debet sibi identificare *formalitèr eminentèr*, absque distinctione virtuali, quidquid ad primam lineam intellectualem spectat: vnde non potest à natura, & essentia intellectuali distingui, sed illam primò constituit. Ita doctissimi Patres Salmanticenses *tract.3. de Scientia Dei disp. 4. dub.2. num.77.*

230 *Reijcitur solutio primò.* Cæterùm contrà hanc solutionem obstat primò doctrina Diui Thomæ *quæst.1. de Potentia art.1.* vniuersaliter asserentis, de ratione actionis esse habere principium: ex quo infert, quòd licèt essentia Dei principium non habeat, nec re, nec secundùm rationem, operatio autem diuina ratione principium habet; at omnis Dei operatio ab imperfectione est immunis: ergò quamuis intellectio diuina sit operatio omnem excludens imperfectionem, principium secundùm rationem supponit.

Secundò. Facit secundò: nam iuxtà Diuum Thomam, quia origo actiua est actio personalis, non potest personam Patris constituere, sed illam constitutam supponit; at si doctrina traditæ solutionis esset vera, ratio Diui Thomæ esset nulla: nam responderi posset, originem actiuam esse actionem, non purè *formalitèr*, sed *formalitèr*, & *eminentèr* simul, sicque non necessariò supponere constitutam personam: ergò si intellectio diuina est *formalitèr* actio, non potest naturam constituere, sed necessariò illam constitutam supponere. *Confirmatur.* Explicatur, & vrgetur: actio personalis non potest, per hoc, quod sit actio *formalitèr eminentèr*, excludi à suppositione principij personalis, nec personam constituere: ergò actio naturalis, vel alicuius naturæ, per hoc, quòd sit actio *formalitèr eminentèr*, non excluditur à suppositione principij, nec redditur habilis ad constituendam naturam.

231 *Tertiò.* Tertiò: nam per hoc, quod sit actio *eminentèr*, non tollitur, quod sit actio *formalitèr*; aliàs solum *eminentèr* esset actio: ergò per hoc, quod sit actio *eminentèr*, non potest ab illa excludi, quod est de conceptu actionis; sed de conceptu actionis est egressus à principio, formalis, aut virtualis, in re, aut secundùm rationem: ergo si actus intelligendi diuinus obtinet rationem actionis *formalitèr*, per hoc, quod simul *eminentèr* sit actio, non tollitur, quod principium supponat, & ab illo egrediatur egressu virtuali in re, & secundùm rationem formali.

232 *Quartò.* Quartò: quia namque de ratione volitionis est supponere cognitionem; non potest volitio, per hoc, quod sit talis *formalitèr eminentèr* excludi ab hoc, quod est cognitionem supponere; aliàs volitio diuina Dei naturam constitueret, per hoc, quòd esset volitio *formalitèr eminentèr*, indequè cognitionem, nec ratione præsupponeret, quod prædicti Patres negant; sed non minùs est de ratione actionis præsupponere principium, quàm de ratione volitionis supponere cognitionem: ergò ex hoc, quod diuina intellectio sit actio *formalitèr eminentèr*, non potest eximi à suppositione principij.

233 *Quintò.* Deniquè: nam actus intelligendi eo modo, quo ab essentia Dei distinguitur, egreditur ab eadem essentia; sed siuè sit actio *formalitèr* solùm, siuè *formalitèr*, & *eminentèr* simul distinguitur ab essentia diuina ratione ratiocinata, vt ex Diuo Thoma § *præcedenti* monstrauimus: ergò etiam si sit actio *formalitèr eminentèr*, habet secundùm rationem principium; & consequenter non potest Metaphysicè essentiam, & naturam diuinam constituere.

Nec vrget aliquid doctrina, qua prædicti PP. se muniunt nempè, actionem intelligendi debere sibi *virtualitèr* identificare omnia spectantia primariò ad lineam intellectiuam; cum quo non potest componi, quòd principium præsupponat, nec quòd virtualiter ab essentia diuina differat. Non inquam, vrget: nam eo ipso, quòd actus intelligendi sit actio, non potest spectare primariò ad lineam intellectiuam, vt probatum manet: ergò nec debet identificare sibi *virtualitèr*, & ratione, illa, quæ primò ad prædictam lineam spectant. 234 *Ad munimen solutionis respondetur.*

Secunda solutio est, actum intelligendi considerari posse dupliciter, scilicèt, per modum actionis, & per modum actualitatis, & gradus; & licèt sub prima consideratione, non possit Dei essentiam constituere, benè tamen sub secunda. Ita noster Albelda *disp.36. concl.3.& 5.* 235 *Respondebis 2.*

Sed contrà istam solutionem facit primò: nam eo ipso, quod actus intelligendi diuinus, sit actio, debet ab actualitate constituente essentiam Dei, *virtualitèr* distingui: ergò eo ipso non constituit essentiam, nec sub ratione actionis, nec sub ratione actualitatis, sed constitutam supponit. Consequentia patet; vt enim de actu intelligendi sit verum constituere essentiam diuinam, debet constituere ratione alicuius prædicati proprij: prædicatum autem *virtualitèr* ab illo distinctum, proprium actus intelligendi non est: ergò si distinguitur *virtualitèr* ab actualitate constituente, non est verum, actum intelligendi constituere, sicut nec verum est constituere volitionem, vel relationem, quia actualitas constituens *virtualitèr*, à volitione, & à relatione distinguitur. 236 *Contra 1.*

Antecedens autem probatur: eo ipso, quod actus intelligendi sit actio, debet egredi *virtualitèr* ab actualitate constituente essentiam, vt prædictus Magist. fatetur, indè excludens actum intelligendi, vt actio, à constitutione naturæ diuinæ, quia vt actio egreditur ab illa; sed actus *virtualitèr* ab aliquo egrediens, *virtualitèr* distinguitur à principio *à quo* egressionis, sicut actus egrediens *realitèr*, reali distinctione distinguitur à principio: ergo eo ipso, quòd actus intelligendi diuinus, sit actio, distinguitur *virtualitèr* ab actualitate constituente naturam, & essentiam diuinam; & consequentèr non verificatur actum intelligendi constituere sub conceptu actualitatis, & non constituere sub conceptu actionis.

Explicatur difficultas: ideò verificatur paternitatem constituere Patrem sub conceptu formæ hypostaticæ, non autem, vt relatio, vel vt referens, quia vterque conceptus absquè distinctione virtuali adæquata in paternitate secundùm vltimam differentiam includitur, quod si conceptus formæ hypostaticæ esset *virtualiter adæquatè* distinctus à conceptu ad relatiuo, non esset verum personam Patris per relationem constitui in ratione personæ; sed eo ipso, quòd actus intelligendi sit actio, non potest non distingui *virtualitèr adæquatè* ab actualitate constituente essentiam, & naturam diuinam: ergò non verificatur actum intelligendi, Dei essentiam constituere. Probatur minor; actus, & principium *à quo* egressionis virtualis, *adæquatè virtualitèr* distinguuntur, sicut *adæquatè realitèr* actus, & principium *à quo realitèr* actus egreditur; sed actus intelligendi vt actio, egreditur virtualiter ab actualitate constituente; ergò *virtualitèr adæquatè* ab illa distinguitur. 237 *Cōfirmatur.*

Facit secundò: nam eo ipso, quòd actus intelligendi non constituat sub ratione actionis, corruit prima ratio, qua prædictus Magist. mouetur, vt doceat, naturam Dei actuali intellectione constitui, quia nempè constitui debet per vltimam actualitatem lineæ intelligendi actiuæ: ergò eo ipso non constituit. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur: vltima actualitas lineæ actiuæ intelligenda est actualis intellectio sub ratione actionis: ergò eo ipso, quòd non constituat sub ratione actionis, non debet constitui natura, & essentia Dei per vltimam actualitatem lineæ actiuæ intelligendi. Consequentia est nota,& antecedens probatur: illa est vltima actualitas in aliqua linea, vltrà quam in tali linea non est dabilis vlterior; sed vltra omne, quod non est actio intelligendi, vt actio, est dabilis vlterior actualitas, nempe ipsa actio intelligendi inspecta sub ratione actionis, vltra illam autem sub hac consideratione, vlterior actualitas in linea actiua non da- 238 *Contra 2.*

tur;

tur: ergò sola actio intelligendi, vt actio, est vltima in linea actiua.

239 *Contra 3.* Praetereà: nam eo ipso, quòd haec doctrina admittatur, corruit secundum fundamentum, quo ducitur praedictus Mag. vt probet non constitui naturam, & essentiam diuinam per principium virtuale intelligendi, quia nempè, virtuale intelligendi principium, vt potentiale concipitur; sic arguit *conclusione facta*: ergò minus consequenter procedit. Probatur antecedens: eo ipso quòd admittatur actum intelligendi non constituere vt actio, eo ipso admitti debet in Deo principium virtuale illius inspecti sub ratione actionis; sed Deo nihil potentiale potest attribui, sicut nihil imperfectum; ergò eo ipso, in ratione principij virtualis intelligendi, nulla importatur potentialitas; & consequenter ex capite potentialitatis, non est principium virtuale intelligendi à constitutione naturae diuinae excludendum, nec ex hoc principio est probandum, debere per actum intelligendi constitui.

240 *Si respondeatur.* Si fortè dicatur: quod licèt principium virtuale intelligendi, in re potentiale non sit, concipitur tamen, vt potentiale, & natura diuina debet constitui per aliquid, quod nec in re potentiale sit, nec vt tale concipiatur.

Contra 1. In contrarium obstat primò: nam si conceditur principium virtuale intelligendi in Deo, estò concipiatur vt potentiale, non est cur natura diuina debeat constitui per aliquid, quod nec potentiale sit in re, nec vt potentiale conceptum: ergò solutio tradita est nulla. Probo antecedens: concesso principio virtuali intelligendi in Deo, estò vt potentiale conciptatur, non repugnat prędicatis diuinis concipi vt potentialia, quàmuis realis potentialitas illis repugnet: ergò si tale principium conceditur, nullum est fundamentum, vt afferat praedictus Magister esse de ratione praedicati constituentis naturam, nec esse potentiale in re, nec vt potentiale concipi.

241 *Secundo.* Secundò obstat contrà eandem solutionem: si semel principium virtuale intelligendi, vt potentiale concipitur, non posse non concipi vt potentialem naturam non constitutam actu intelligendi, vt est actio: ergò solutio tradita, & illius doctrina deficiunt. Probo antecedens: si principium virtuale intelligendi vt potentiale concipitur; ideò est, quia concipitur vt determinabile per actum intelligendi; sed natura diuina concepta, vt non constituta per actum intelligendi sub ratione actionis, necessario concipitur, vt determinabilis, & actuabilis per actum intelligendi vt actio, quandòquidem est denominabilis ab illa, non extrinseca, sed intrinseca denominatione; & consequenter est *intrinsecè* per illam sub ratione actionis actuabilis: ergò si principium virtuale intelligendi, vt potentiale concipitur, natura diuina concepta vt non constituta per actum intelligendi inspectum in ratione actionis concipitur vt potentialis.

242 *Denique principalis solutio impugnatur.* Deniquè contrà solutionem principalem facit: non enim stat actionem non esse de constitutione naturae sub conceptu actionis, & *ab*, & constituere sub alia ratione pertinente ad conceptum actionis: ergò si actus intelligendi est actio, & non constituit sub ratione actionis, & *ab*, sub nulla ratione ad ipsum pertinente potest Dei naturam constituere. Consequentia est bona, & antecedens probatur: excluso namque à constitutione essentiae, & naturae primo alicuius conceptu, non potest non excludi secundus, & posterior conceptus eiusdem rei; sed primus conceptus actionis est *ab*; ergò, hoc excluso à constitutione naturae, & essentiae diuinae, sub nullo potest esse constitutiua *Metaphysicè* illius. Consequentia tenet. Maior est certa; nam secundus conceptus praesupponit primum: essentia autem constitutura supponitur ad priorem conceptum: ergò, primo excluso à constitutione, non potest essentia per secundum conceptum constitui. Minor autem probatur: nam in actione, siuè transiens sit, siuè immanens, priùs est egredi à principio, quàm inhaerere passo, in quo actio transiens recipitur, vel quàm inhaerere, aut immanere in agente; sed praeter istos conceptus, alius in actione non datur: ergò primus actionis conceptus consistit in egressu à principio; & consequenter consistit in *ab*, hoc est in ordine egressionis à principio.

243 *Relatio sub conceptu formae hypostaticae constituit personam diuinam: verò, nec personam, nec naturam constituere potest.* Hinc discrimen deprehenditur inter relationem ex vna parte possit constituere personam diuinam sub conceptu formae hypostaticae differentiali relatiuo, & non sub conceptu *ad*, hoc est, expressio respectus ad terminum: & actionem ex alia, vt non possit, nec personam, si personalis sit, constituere, nec si sit actio naturalis; naturam, quia nempè, in relatione, v.g. in paternitate, prior est conceptus *in*, hoc est, respicientiae subiecti, quàm conceptus *ad*, & expressio respicientiae termini; & ideò hoc posteriori excluso à constitutione personae, non inde conceptus *in*, qui prius in relatione intelligitur, excluditur à constitutione personae; in actione autem, excluso conceptu *ab*, à constitutione personae aut naturae, non potest constituere sub alio conceptu, qui proprius actionis sit, quia ille prior est, & omnis alius posterior; ex eo autem quòd primus à constitutione excludatur, omnis alius intelligitur exclusus.

244 *Si opponatur 1.* Nec obstat, si aliquis dicat, prius esse aliquid constitui in se, quàm ad aliud comparari, sicut prior est absoluta rei consideratio, quàm inspectio comparatiua: ergò actio priùs in se constituitur, quàm quòd respiciat principium; & consequenter conceptus egressionis, & *ab* nequit in actione esse primus. Non inquam, obstat, quia antecedens solùm est verum in entibus absolutis, non autem in respectiuis, quorum essentia in respectu alterius consistit; actio autem essentialiter est respectiua principij; & ideò prima illius consideratio est in comparatione ad principium, sicut prima consideratio accidentis est in comparatione ad subiectum, quia accidentis esse est inesse, idest posse, inhaerere subiecto, illudque respectu inhaerentiae respicere. *Respondetur.*

245 *Si opponatur 2.* Nec obstat, si secundò alius obijciat: in filiatione diuina prius intelligitur, quòd sit origo passiua, quàm conceptus subsistentiae relatiuae; cum priùs sit, quod Filius à Patre procedat, quàm quòd sit persona, & Filius; & tamen non constituit Filium in ratione personae sub conceptu originis, sed sub conceptu formae hypostaticae: ergò non est vniuersaliter verum, excluso primo alicuius rei conceptu à constitutione Metaphysica alterius, posteriorem necessariò excludi; & consequenter licèt conceptus egressionis, & *ab*, prior sit in actione, & excludatur à constitutione essentiae diuinae, non benè à nobis colligitur, non posse ab intellectione sub alio conceptu, estò posteriori, constitui.

246 *Respondetur.* Non inquam, obstat: nam concessis maiori, & minori, distinguendum est primum consequens: si res constituenda petat primum conceptum praecedere, nego consequentiam: si non petat primum conceptum praecedere, nego consequentiam: si non petat primum conceptum praecedere, sed potiùs ad illum subsequi, concedo consequentiam, & deindè secunda consequentia est neganda: nam essentia, & natura, quae est operandi principium, petit praecedere conceptum *ab*, qui est primus actionis conceptus: vndè si per illum non constituitur, non potest per actionem sub secundo, & posteriori constitui; aliàs iste esset prior, & posterior, quod implicat; esset posterior, quia supponitur, & prior, quia constitueret essentiam, & naturam, quae est prior; non enim potest natura praecedere, quin illius constitutiuum praecedat.

247 *Origo passiua non constituit filium diuinum licet sit prior conceptu formae relatiua.* In Filio autem diuino oppositum, opposita ratione contingit; cum enim Filius persona genita sit, petit à Patre accipere esse, & personalitate à Patre producta constitui; cumquè passiua productio sit prior termino producto, petit constitui per relationem sub conceptu non praecedente, sed potiùs subsecuto ad conceptum originis, & passiuae processionis; ideòque quamuis iste prior sit in filiatione, & excludatur à constitutione Filij in ratione personae, non indè infertur excludi à constitutione illius sub conceptu formae hypostaticae posteriori conceptu originis, & passiuae processionis. Hinc videmus consequentiam nostram tenere in Patre diuino, quia Pater est generationis principium; & consequenter petit constitui per aliquid praecedens generationem actiuam sub conceptu egressionis, & originis; & quia in origine actiua conceptus egressionis est prior, arguit D. Thomas, & rectè, vt ex ipso *supra* vidimus, ex eo quòd origo non constituat sub conceptu originis Patris personam, illam sub nulla ratione constituere. Sed de his fusè *alibi* de constitutiuo diuinarum personarum agentes.

248 *Respondebis tertio principali rationi.* Tertia principalis argumenti solutio, concessa maiori, quod nempè, actio non possit id, cuius est actio constituere, si actio personalis personam, etsi est actio naturalis, aut naturae, naturam, negat, quod intellectio actualis non possit Dei naturam, & essentiam constituere, eo quòd actuale intelligere non est actio, aut operatio *obiectiuè*, aut ex parte rei conceptae, sed tantùm est actio, & operatio ex modo concipiendi, & significandi: vndè *obiectiuè* non habet rationem actionis, vel operationis, sed ratio-

nem

nem actus purissimi, seu formæ perfectissimæ ex se subsistentis, ex quo solùm potest inferri, non constitui per intellectionem ex modo concipiendi, & significandi, non tamen quod *obiectiuè* per illam non constituatur.

249 *Ad probationes minoris respond.* Et ad probationes minoris ex D. Thoma desumptas, iuxtà hanc solutionem occurritur, explicando D. Thomam, quod intelligere diuinum est actio non *obiectiuè*, sed ex modo significandi, quia nempè, significatur ad modum actionis, & per speciem intellectionis creatæ, quæ actio est, concipitur, & significatur. Et eodem modo explicant prædicti PP. Angelicum Præceptorem 1. *p. q.* 26. *art.* 2. docentem, beatitudinem cuiusuis naturæ intellectualis in intellectuali operatione consistere, ex quo infert, beatitudinem Deo secundùm intellectum competere, & consistere in operatione intellectuali increata: quòd nempè, loquatur de operatione ex parte modi significandi, & concipiendi, non autem *obiectiuè*, & ex parte rei significatæ.

250 *Reÿcitur primò.* Sed contrà istam solutionem facit primò: nam actualis intellectio eo modo obtinet rationem actionis, & operationis, quo ab intellectu diuino distinguitur; sed distinguitur ab illo, non solùm ex parte modi significandi, sed etiam ex parte rei conceptæ, & significatæ: ergò *obiectiuè* obtinet rationem actionis, & operationis. Maior est certa: nam eo ipso, quòd ab intellectu distinguatur, debet egredi ab intellectu, egressu proportionato qualitati distinctionis, iuxtà dicta §. 5. Minor autem probatur: nam distinctio solùm ex modo significandi non est distinctio rationis ratiocinatæ, sed rationis ratiocinantis; at distinctio intellectionis ab intellectu, & essentia diuina, est distinctio rationis ratiocinatæ, vt §. *præcedenti* monstrauimus: ergò est distinctio non solùm ex modo significandi, sed etiam obiectiua, & ex parte rei significatæ.

251 *Secundò.* Secundò; nam generatio actiua est actio, & operatio *obiectiuè*, & ex parte rei significatæ ex mente Diui Thomæ: ergò intellectio non solùm ex modo concipiendi, & significandi, sed etiam *obiectiuè*, & ex parte rei significatæ actio, & operatio est. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens autem probatur: quia namque origo actiua significatur vt actio, probat D. Thomas non constitui per illam personam Patris, cuius doctrina, vt communiter à Thomistis accepta, procedit de constitutione obiectiua; at, si solùm esset actio ex modo significandi, & non ex parte obiecti significati, non posset ex conceptu actionis excludi à constitutione obiectiua personæ, sed solùm ex modo significandi; cum solùm eo modo ex conceptu actionis possit à constitutione excludi, quo rationem actionis sortitur: ergò origo actiua est actio non solùm ex modo significandi, sed etiam ex parte obiecti.

252 *Confirmatur.* Quod ampliùs vrgetur: vt enim frequentius à nostris Thomistis docetur *in hac* 1. *p. infra quæst.* 41. *art.* 4. origo actiua in recto in actu intelligendi consistit, connotata paternitate in obliquo; sicut potentia generatiua est intellectus prout in Patre; sed vt ex D. Thoma deducimus, est actio, & operatio *obiectiuè*, & non solùm ex modo concipiendi, & significandi: ergo actus intelligendi *obiectiuè*, & non solùm ex modo significandi obtinet rationem actionis.

253 *Tertiò.* Tertiò impugnatur solutio: vt enim prædicti PP. fatentur, scientia, vt dicit specialem modum cognitionis in Deo, *obiectiuè* est operatio: ergò in conceptu operationis obiectiuæ nulla imperfectio importatur, & consequenter non est cur intellectioni actuali conceptus obiectiuæ operationis negetur. Confirmatur primò: si namquè actualis intellectio operatio *obiectiuè* non esset, maximè quia est

Confir. 1. subsistens, ideòque nihil prius se ipsa supponit, à quo vt à principio egrediatur, sed hæc ratio est nulla: ergò est *obiectiuè* operatio, & non tantùm ex modo concipiendi, & significandi: Probatur minor: scientia Dei etiam est subsistens, & similiter diuina volitio; cum vtraquè sit substantia, & non accidens in Deo; & tamen ex hoc non amittunt conceptum operationis obiectiuæ: ergò ex eo quòd intellectio pertingat ad rationem subsistentis, non amittit conceptum obiectiuum operationis. Confirmatur secundò:

Confir. 2. estò relatio ascendat, vt subsistens sit, non amittit conceptum respiciendi terminum, & si amitteret, relatio non esset: ergò pariter, quàmuis actio, & operatio ascendat, vt sit subsistens, non ideò ab alio *virtualiter* saltem non erit, & consequenter, cum intellectio actio, & operatio sit, quamuis sit intellectio subsistens virtualitèr erit ab alio.

Deniquè principalis solutio impugnatur: nam intellectio diuina *obiectiuè* est actus vitalis; sed de ratione actus vitalis est, quod operatio sit: ergò est *obiectiuè* operatio. Consequentia est bona. Maior certa, aliàs Deus intelligendo non viueret; sed solùm conciperetur à nobis ad modum, & per speciem viuentis. Minor autem probatur: nam viuere in actu secundo consistit in se mouere; sed aliquid se mouere, est esse suæ operationis principium: ergò viuere in actu secundo est esse in actu secundo principium vitalis operationis; & consequenter de ratione actus, qui vitalis est *obiectiuè*, est quòd sit *obiectiuè* operatio. Maior est definitio viuentis ab omnibus accepta. Minor autem constat: nam se mouens per hoc solùm à moto ab alio distinguitur, quòd hoc se habet tantùm *passiuè*, illud autem *actiuè* comparatur ad operationem, vel motum: ergò se mouere actu, est actu esse sui motus, vel operationis principium actiuum. 254 *Tertiò reÿcitur solutio.*

Respondebis: viuere in actu secundo, vt abstrahit à viuente creato, & increato, non consistere in se mouere per motum, vel operationem à viuente *effectiuè* causatam, hoc namquè solùm conuenit viuenti creato, quod est *realitèr* ab actu vitali distinctum; sed in hoc, quòd est habere à se perfectionem abstrahendo ab hoc, quòd est habere perfectionem à se per identitatem, & à se per egressionem, & priori modo conuenit Deo viuere in actu secundo per actualem intellectionem, quam à se habet per summam identitatem. 255 *Respondebis.*

Sed contrà: viuere in actu secundo, etiam in viuente increato, non consistit in habere à se perfectionem per solam identitatem: ergò consistit in habere à se perfectionem per egressum virtualem; & consequenter, vt Deus viuat per intellectionem, requiritur, quòd ab illo *virtualiter obiectiuè* egrediatur: ac proindè quòd *obiectiuè* sit operatio. Consequentia probatione non indiget. Antecedens autem probatur primò: nam Deus habet existentiam, subsistentiam, & alias omnes perfectiones à se, per identitatem; & tamen non viuit in actu secundo per existentiam, & subsistentiam, nec per omnes perfectiones: non enim omnis diuina perfectio est vita in actu secundo: ergò viuere in viuente increato non consistit in habere à se perfectionem per solam identitatem. 256 *Contra.* *Antecedens probat.* 1.

Secundò: nam ens diuinum transcendens omnes Dei formalitates, habet à se entitatem, attributaque transcendentia per summam identitatem; & tamen ens diuinum sic transcendens, non est formaliter viuens: ergò viuere in actu secundo, etiam in viuente increato, non consistit in habere à se perfectionem per solam identitatem. Consequentia est bona. Maior certa: nam ratio entis diuini transcendentis omnes Dei formalitates, consistit in ratione entis à se per exclusionem causæ dantis entitatem, estquè suæ essentiæ *summè* identificatum: ergò habet à se per identitatem, suam propriam entitatem. Minor etiam est certissima: nam ens diuinum in illa communitate transcendens transcendentia formàli attributa, & relationes; ratio autem viuentis diuini, hac transcendentia non gaudet, aliàs paternitas v. c. esset formalissimè viuens vita intellectuali, essetque actualis volitio, & intellectio actualis eadem formalitate, qua est realitas, & entitas: ex quo vlteriùs fieret, vt sicut realitas, & entitas *realitèr* multiplicantur in diuinis relationibus, ratio vitæ, intellectioque, & volitio multiplicarentur *realitèr*: ergo ens diuinum transcendens omnes Dei formalitates non est *formaliter* viuens. 257 *Secundò.*

Dices, viuere in actu secundo, non consistere in habere à se quamlibet perfectionem, sed in habere à se perfectionem vitalem, & quæ sit vita actualis, & quia existentia vita non est, nec ratio entis transcendentis diuini in perfectione vitali consistit, nec similiter attributa transcendentia exprimunt rationem vitæ, fit consequens, quòd Deus per existentiam, aut per subsistentiam non viuat, nec ens diuinum transcendens, viuat *formaliter* per entitatem, aut per attributa transcendentia, quàmuis Deo, & enti diuino à se per identitatem conueniant; beaè tamen Deus per intellectionem, eo quòd perfectio vitalis est, Deoquè conueniens per summam, perfectissimamquè identitatem. 258 *Respondebis.*

Sed contrà: nam quod vna perfectio, & non alia vitalis sit, & vita in actu secundo, est quia vna, & non alia conuenit ab intrinseco; cum in conuenientia ab intrinseco consistat ratio vitæ in actu secundo: ergò, quòd intellectio in Deo perfectio vitalis sit, secus autem existentia, aut 259 *Contra.*

alia

aliæ quæuis perfectio, prouenire debent ex conuenientia, & non conuenientia ab intrinseco: at non prouenit ex conuenientia, & non conuenientia ab intrinseco per identitatem; cum hoc commune sit omni perfectioni diuinæ: ergò prouenit ex ratione essendi ab intrinseco *egressiuè* conueniente intellectioni diuinæ, & non conueniente alijs Dei perfectionibus, quæ vitales in actu secundo non sunt.

260 *Secundò probatur concl.* Secundò principaliter probatur nostra conclusio: per id constituitur essentia diuina, metaphysica constitutione, quod primò in Deo intelligitur cum fundamento in re; sed quod primò in Deo intelligitur cum fundamento in re, non est intellectio actualis, sed intellectualitas per modum radicis: ergo intellectio actualis non constituit *metaphysicè* essentiam diuinam. Consequentia tenet. Maior constat ex dictis in præcedentibus. Minor autem probatur: in Deo intelligitur cum fundamento in re principium radicale intelligendi, & volendi: ergò actualis intellectio non est quod primò in Deo cum fundamento in ipso concipitur. Consequentia ipsis aduersarijs est nota, nec posse ab vllo negari, fatetur ex contrarijs Herice, cum enim de ratione principij sit præcedentia ad id, cuius est principium, eo ipso, quòd admittatur in Deo principium virtuale intellectionis, hoc est, quòd primò intelligitur; & consequenter non potest primò in ipso concipi actualis intellectio.

261 *Antecedens probat. 1.* Antecedens autem probatur primò ex communi Thomistarum sententia 1. 2. *quæst.* 112. asserente, gratiam habitualem esse formalem Dei naturæ participationem. Ex quo euidenter infertur participatæ debere prædicatum *formaliter* existens in Deo, aliàs non erit participatio formalis, sed virtualis; cum in hoc formalis participatio à virtuali distinguatur, vt *ibi* latè docetur; sed non participat actualem intellectionem, sed rationem principij radicalis videndi, & amandi Deum: ergò in Deo datur principium virtuale radicale intelligendi.

262 *Secundò.* Secundò probatur; vt enim ex Diuo Thoma vidimus §. 6. essentia, & intellectio actualis *virtualitèr* distinguuntur in Deo; sed hoc non potest saluari, quin admittatur in ipso principium virtuale intelligendi: ergò datur hoc prædicatum in Deo. Probatur minor: essentia Dei, vt ab actuali intellectione *virtualitèr* distincta, est viuens vita intellectuali; & consequenter est habens intellectionem actualem à se, sed prout distincta, non habet à se actualem intellectionem per identitatem virtualem: ergò est potens illam habere à se per virtualem egressionem; & consequenter est principium *quo* virtuale intelligendi. Deniquè antecedens probatur: omnis namquè perfectio non dicens imperfectionem, est in Deo constituenda; sed prædicatum radicis virtualis intellectionis est perfectio, imperfectionem non dicens: ergò inuenitur in Deo.

263 *Respond. Herice.* Respondebis cum Herice, negando minorem: nam principium radicale intelligendi dicit habitudinem principij effectiui, & receptiui actualis intellectionis, & vtrumque est imperfectio, ideòquè non est Deo concedendum. Sed *Reijcitur primò.* contrà primò: nam ad rationem principij radicantis *virtualitèr* actum intelligendi, non petitur esse causam *realitèr formalitèr* illum causantem, & recipientem, sed *virtualitèr* tantùm in re, & per rationem *formalitèr*; at in hoc nulla imperfectio importatur: ergò in ratione principij radicalis virtualis intellectionis nulla imperfectio importatur. Maior cum consequentia tenet.

264 *Minor prob. 1.* Minor autem constat primò: nam distinctio si realis sit inter absolutas formalitates, imperfectionem importat; & tamen distinctio in re virtualis, & per rationem formalis inter formalitates absolutas Dei absque vlla imperfectione conceditur: ergò pariter, licèt radicatio per influxum realem formalem, imperfectionem inuoluat, radicatio tamen in re virtualis, & per rationem formalis nullam imperfectionem Deo, illiusque absolutis perfectionibus repugnantem importat.

265 *Secundò probatur minor.* Secundò: realis præsuppositio formalis inter prædicata absoluta repugnat ob imperfectionem, Deo; & tamen suppositio in re virtualis, & formalis per rationem absque vlla imperfectione inter perfectiones absolutas conceditur: ergò licèt ratio principij radicalis, *realitèr formalitèr* radicantis, imperfectionem importet, ideòquè excludatur à Deo, ratio tamen principij radicalis radicantis in re *virtualitèr*, & per rationem *formalitèr* imperfectio non erit; & consequenter admitti debet in Deo inter perfectiones absolutas.

266 *Secundò reijcitur solutio.* Contrà secundò, & explicatur magis vis præcedentis obiectionis, in Deo datur principium virtuale radicale volitionis actualis, absque vlla imperfectione, vt plures ex aduersarijs fatentur: ergò in ratione principij radicalis virtualis, nulla includitur imperfectio; & consequenter non est negandum in Deo respectu intellectionis actualis. *Respondebis primò ex Herice.* Respondebis primò ex Herice, negando consequentiam, & discrimen est; nam intellectio, quæ in Deo est radix volitionis, comparatur ad illam vt actus purissimus ad actum purissimum, atquè adeò absquè vlla imperfectione potentiæ passiuæ, aut receptiuæ, principium autem radicale intellectionis, non potest non in potentia ad intellectionem comparari, & ideò imperfectionem importat.

267 *Contra 1.* Sed contrà primò: nam in hac solutione committitur petitio principij; & consequenter est nulla; cur enim sicut essentia constituta per actum intelligendi comparatur ad volitionem, vt actus purissimus ad actum purissimum, non poterit sic comparari natura constituta per intellectualitatem radicalem, cum intellectione actuali? *Contra 2.* Secundò, & explicatur magis difficultas: natura constituta per intellectionem actualem, est principium virtuale volitionis absque imperfectione efficientiæ, & subiectum actuatum, & perfectum per illam absquè imperfectione receptionis, & potentialitatis: ergò pariter, essentia Dei constituta per rationem substantiæ spiritualis existentis à se, poterit esse principium virtuale, & subiectum actualis intellectionis absque imperfectione efficientiæ, receptionis, & potentialitatis; & consequenter seruata purissima actualitate.

268 *Respondebis 2.* Respondebis secundò, & est communis solutio: intellectionem esse vltimam actualitatem intrà primum conceptum lineæ intellectiuæ, & idcircò debere identificari *formalitèr*, & *virtualitèr*, cum natura intellectuali, aliàs hæc vt potentialis concipietur, vtpotè concepta sine vltima suæ lineæ actualitate; volitio autem non primariò, sed secundariò spectat ad lineam intellectiuam, ideòquè negatio identitatis virtualis illius cum natura intellectuali, nullam in ea infert potentialitatem; & quia vt detur radix, seu principium virtuale intellectionis, aut volitionis requiritur virtualis distinctio; hinc fit, quod possit dari in Deo virtuale principium, & radix virtualis volitionis, secùs autem intellectionis actualis.

269 *Contra 1.* Sed contrà primò: nam licèt intellectio actualis pertineat ad ordinem intelligendi, qui adæquatè sumptus, prior est volitione, non tamen pertinet ad primum conceptum lineæ intellectiuæ: ergò solutio tradita falso nititur fundamento, & consequenter est nulla. Probatur antecedens; linea intelligendi actiua est diuisibilis in intellectuale per modum naturæ, & intellectuale per modum operationis, quorum primum est primus conceptus lineæ actiuæ intelligendi, secundum autem pertinet ad secundum prædictæ lineæ conceptum: ergò intellectio actualis non pertinet ad primum conceptum lineæ actiuæ intelligendi.

270 *Antecedens probat. 1.* Consequentia est bona, & antecedens probatur primò à priori, quia in hoc quòd sic diuidatur, nulla inuoluitur imperfectio: ergò sic est diuidenda. *Secundò.* Secundò; nam linea actiua volendi diuiditur in volitiuum radicale, & actualem operationem: ergò pariter linea actiua intelligendi. *Tertiò.* Tertiò: nam linea personalis diuiditur in personam, & actionem personalem; ergò linea intellectualis, sine imperfectione diuidetur in naturam, & operationem naturæ. *Quartò.* Quartò ad hominem contrà PP. Salmanticenses: ipsi namquè agnoscunt diuisionem lineæ actiuæ intelligendi, cum asserant, peculiares modos cognitionis, nempè, luminis principiorum, sapientiæ, prudentiæ, & artis, non ad primum conceptum, sed ad secundum lineæ actiuæ intelligendi pertinere: ergò pariter debet admitti diuisio lineæ actiuæ intelligendi in intellectiuum radicale, & actualem intellectionem.

271 *Contra secundò.* Contrà secundò: vt enim plures ex Auctoribus contrariæ sententiæ admittunt existentia, & subsistentia *virtualitèr* distinguuntur ab essentia diuina; & tamen existentia est vltima actualitas in linea entis: ergò quamuis actualis intellectio sit vltima actualitas in linea intelligibili, poterit absque vlla imperfectione à natura intellectiua *virtualitèr* distingui; & consequenter datur in Deo virtuale principium radicale actualis intellectionis absquè potentialitate, & absquè vlla imperfectione. *Confirmatur.* Et augetur difficultas: actualis generatio, & potentia *proximè* generatiua, *virtualitèr* distinguuntur in Deo sinè vlla imperfectione: ergò

gò pariter imperfectio non erit *virtualitèr* distingui actualem intellectionem, & potentiam *proximè* intellectiuam; & consequenter idem à fortiori est dicendum de actuali intellectione, & principio radicali intelligendi.

§. IX.
Argumentis in contrarium occurritur.

272 *Arguitur primò.* COntra nostram conclusionem objiciunt contrarij Auctores primò: etenim natura diuina est formaliter in linea intellectuali, vt nos fatemur, & *inferiùs* monstrabimus; ergo nec ratione ratiocinata potest ab vltima actualitate istius lineæ distingui; at intellectio actualis est vltima actualitas in linea intelligibili: ergo natura diuina non distinguitur *virtualitèr*, aut ratione ratiocinata ab intellectione actuali; & consequenter per illam *metaphysicè* constituitur essentia, & natura diuina. Secunda consequentia ex prima colligitur: Minor subsumpta constat; nam illa est vltima actualitas in aliqua linea, vltrà quam vlterior actualitas in tali linea non datur; sed vltrà omne id, quod non est actualis intellectio, vlterior actualitas datur, nempè, ipsa actualis intellectio, per quam cætera actuantur, vltrà illam autem, actualitas vlterior non datur: ergo intellectio actualis est vltima actualitas in linea intellectuali. Prima autem consequentia probatur: essentia diuina est actus purissimus omnem potentialitatem excludens; at si distinguatur *virtualitèr* ab vltima actualitate lineæ intelligendi actiuæ, erit *virtualitèr*, & per rationem potentialis: ergo non potest ab illa *virtualitèr*, aut ratione distingui.

273 *Minor prob. 1.* Minor ostenditur primò; si *realitèr* distingueretur ab vltima actualitate, esset potentialis *realitèr*: ergo si ratione distinguitur, erit per rationem potentialis. *Secundò.* Secundo: natura diuina distincta ab vltima actualitate, & concepta vt radix illius, concipitur vt determinabilis per intellectionem actualem, tanquàm per vltimum actum: ergo concipitur vt potentialis in ordine ad illam. Patet consequentia: actui namquè correspondet potentia: ergo si concipitur vt determinabilis per actum, concipitur vt potentia.

Confir. 1. Confirmatur, & vrgetur primo: si datur principium virtuale intellectionis, debet esse virtualis, & immanens: ergo non solùm actiuum, sed etiam receptiuum illius: ergo debet concipi vt eliciens, & vt recipiens intellectionem; sed quod concipitur, vt recipiens actum, concipitur vt potentia passiua; & consequenter vt potentiale: ergo principium virtuale intellectionis, non potest non concipi vt potentiale.

274 *Confir. 2.* Confirmatur secundo: constitutiuum essentiæ, & naturæ diuinæ debet esse perfectissimum in linea intellectuali; at nisi constituatur per actualem intellectionem non erit perfectissimum in linea intellectuali: ergo constitui debet intellectione actuali. Probatur minor: intellectio actualis est actus, & perfectio omnium pertinentium ad lineam intellectualem: ergo est perfectior omnibus pertinentibus ad illam; & consequenter constitutiuum essentiæ omnibus perfectius non erit, nisi constituatur intellectione actuali.

Confir. 3. Confirmatur, & vrgetur tertio: intellectio est vltima actualitas, & perfectio lineæ intellectualis: ergo quidquid sinè illa concipitur, intelligitur sinè vltima perfectione: at quod sinè vltima perfectione intelligitur, nequit concipi vt summè perfectum: ergò diuina natura concepta per modum radicis, & principij virtualis, actualis intellectionis non concipitur vt *summè* perfecta.

275 *Respond.* Hoc est præcipuum contrariæ sententiæ argumentum, quod manifestè instatur in volitione actuali, alijsquè attributis Dei, quæ ad naturam comparantur, vt actus, & perfectiones, quin ex hoc imperfectio, aut potentialitas in natura, & essentia diuina inferatur, estò virtualis distinctio intercedat; & tamen si distinctio esset realis, absque dubio foret potentialis, & imperfecta; sicut ergo ob identitatem realem formalem essentiæ cum attributis, & virtualem continentiam illorum, omnis imperfectio excluditur, & omnis potentialitas tollitur, ità in præsenti. Ad illud in forma respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem.

Ad 1. probationem minoris. Ad primam probationem minoris, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia hoc ipso quòd realiter identificetur essentia cum intellectione actuali, illamque *virtualitèr* actu contineat, est infinita, & actus purus; & consequenter omnem potentialitatem excludens. Si dicas, non stare hæc duo, & quod infinita sit, & actus purus, omnem potentialitatem excludens, & quod sit *virtualitèr* ab actu intelligendi distincta. *Si oppônas. Respondetur.* Respondeo, negando antecedens: nam sicut hæc duo stant simul loquendo de volitione actuali, de attributis, & diuinis relationibus, quod nempè diuina essentia distinguatur virtualiter ab illis, & nihilominus sit finita, & actus purus omnem potentialitatem, & imperfectionem excludens; ità compatiuntur hæc duo in comparatione essentiæ ad actum intelligendi.

Ad secundam minoris probationem, distinguo antecedens: concipitur vt determinabilis per actum sibi identificatum, & in essentia actu *implicitè* inclusum, concedo antecedens; per actum distinctum *realitèr*, & non inclusum actu *implicitè* in essentia, nego antecedens, & consequentiam; quia vt conciperetur vt potentialis, deberet concipi vt determinabilis per actum sibi non identificatum, nec in ipsa essentia actu *implicitè* inclusum, cuius oppositum in essentia diuina inuenitur: actualis namque intellectio non distinguitur *realiter* ab essentia, & aliàs quamuis in essentia sub conceptu essentiæ non explicetur actualitas intellectionis importatur actu *implicitè*; & sicut hoc sufficit vt potentialis non sit comparatione volitionis, attributorum, & relationum; ità sufficit, vt non sit, nec concipiatur vt potentialis comparata cum actuali intellectione. 276 *Ad 2. minoris probationem.*

Sed dices: gradus genericus concipitur vt potentialis in ordine ad differentias contractiuas; & tamen sunt actus realiter indistincti à gradu generico: ergo, quod actualis intellectio identificetur essentiæ, non obstat vt concepta, quatenus determinabilis, concipiatur vt potentialis. 277 *Replicabis.* Respondeo, negando consequentiam; ratio autem discriminis est; nam gradus genericus, etsi identificetur *realitèr* cum differentijs, per rationem tamen *adæquatè* ab illis præscindit, ideoque vt potentialis apprehenditur, conceptus vt determinabilis per differentias contractiuas; cæterùm essentia diuina, & identificatur *realitèr* cum intellectione actuali, & per rationem actu *implicitè* illam includit, ideoque nec est potentialis *realitèr*, nec vt potentialis concipitur. *Respond.*

Instabis: ratio entis concepta vt determinabilis per modos illam contrahentes, concipitur vt potentialis in ordine ad illos; & tamen modi contrahentes ens, identificantur *realiter* cum ente, & actu *implicitè* per rationem includuntur in illo: ergo identitas intellectionis cum essentia, & actualis implicita inclusio per rationem in illa, non tollit, quin concepta essentia vt determinabilis per actualem intellectionem concipiatur vt potentialis. 278 *Instabis.* Respondeo, negando consequentiam; ratio autem discriminis consistit in diuerso modo inclusionis: nam inclusio modorum in ente, non prouenit ex actualitate entis, sed potiùs ex illius potentialitate, ratione cuius est contrahibile per omnes modos, in quibus ob suam transcendentiam includitur; cæterùm intellectio actualis eluditur actu *implicitè* in essentia diuina ratione summæ actualitatis, & vt in principio actualissimo, à quo virtualiter, & per rationem egreditur, ideoq; ex tali inclusione actuali omnis potentialitas à diuina essentia excluditur. *Respond.*

Et quidem non potest negari, supposita distinctione relationum ab essentia quam communis sententia admittit, concipi essentiam diuinam vt determinabilem per relationes, & per illas actuabilem, & insuper perfectibilem, si relationes actualitatem addant essentiæ, perfectionemquè relatiuam, quin ex hoc inferatur sic conceptam, concipi vt potentialem in ordine ad relationes, quod non aliunde prouenit, nisi vel ex summa identitate reali relationum cum essentia, vt plures Theologi docent, vel ex hac & insuper ex implicita actuali inclusione per rationem, vt veriùs à Nobis censetur; pariter ergò in præsenti: An autem concedenda sit essentiæ, quatenus sic conceptæ, potentialitas per rationem quoad explicitum? Ex dicendis *disp. sequent.* constabit; est enim difficultas communis respectu omnium attributorum, imò, & respectu relationum: vndè si hæc admittatur in comparatione cum relationibus, & cæteris attributis, non est cur inconueniens debeat censeri in comparatione essentiæ cum actu intelligendi. 279 *Instatur argumentum.*

Sed adhùc vrgebis: estò essentia diuina possit concipi, vt non exprimens relationes, & attributa in sui constitutione, absq; vlla potentialitate, non tamen potest sic concipi absque potentialitate comparata cum intellectione: ergò defi- 280 *Vrgebis.*

deficit solutio, & instantia, in qua fundatur. Consequentia tenet, & antecedens probatur: quod est in aliqua linea, vt potentiale concipitur nisi intelligatur exprimens vltimam talis lineæ actualitatem; sed vltima actualitas lineæ actiuæ intelligendi, est actualis intellectio: ergò essentia Dei, quæ est in linea intelligendi, vt potentialis concipitur, si non concipitur exprimens actualem intellectionem, estò possit sine vlla potentialitate non exprimere relationes, perfectionesquè attributales, quæ non sunt vltimæ actualitates lineæ actiuæ intelligendi.

281 *Respondetur.* Respondeo negando antecedens; ad probationem, distinguo maiorem; si sit vltima actualitas contenta intra genus lineæ, non autem in specie, nego maiorem; si intra speciem vel quasi speciem lineæ contineatur, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam intellectio actualis, licèt sit actus naturæ intellectualis, illam intelligentem actu constituens, non tamen est actus contentus in linea naturæ, quæ est quasi species lineæ actiuæ intelligendi, eo quod est operatio, de conceptu autem operationis est supponere principium; & consequenter naturam constitutam in esse naturæ ideòquè non concipitur imperfecta, aut potentialis natura intellectualis concepta vt exprimens rationem principij intellectionis, & non exprimens actum intelligendi, eo quòd huiuscemodi expressio non est debita naturæ sub conceptu naturæ, imò repugnat expressione intellectionis constitui.

282 *Instatur argumentum.* Instoquè argumentum in actione personali in linea personali contenta, vt vltima in illa linea actualitate, non tamen constituente personam, eo quòd est extra lineam illius. Instoetiam in existentia, quæ est actualitas vltima essentiæ intra lineam entitatiuam; quia tamen non est intra lineam essentiæ, essentiam constitutiuam supponit, vt plures ex contrariæ sententiæ Auctoribus docent, quin ex hoc potentialitas in essentia inferatur, & in omnium sententia personalitas diuina constituam supponit essentiam, & tamen est actus essentiæ intra lineam entis, quia est extra lineam essentiæ: pariter ergo Nos dicimus sine expressione actualis intellectionis constitui essentiam diuinam, quin ex hoc potentialis concipiatur, quia actualitas, quam non exprimit, etsi vltimus actus sit, est actus extra lineam essentiæ, & naturæ intellectiuæ, quamuis non extra lineam actiuam intelligendi, sumptam veluti *genericè*, qua ratione ambit sub se principium radicale, principium proximum, & actualem intellectionem.

283 *Ad primam confirmationem.* Et ex his ad primam confirmationem, concesso antecedenti, & prima consequentia, distinguo minorem: quod concipitur, vt recipiens actum *realitèr* distinctum, & in se actu *implicitè* non inclusum, concipitur vt potentiale, concedo minorem: actum *realitèr* indistinctum, & in recipiente inclusum actu *implicitè* nego minorem, & consequentiam: quia actualis intellectio est ab essentia diuina, tùm *realitèr* indistincta, tùm actu *implicitè* in illa inclusa, ideòquè illam *virtualitèr* recipit absq; vlla imperfectione, & absq; vlla potentialitate. Instoq; in essentia diuina comparata ad volitionem, attributa, & relationes.

284 *Ad secundam.* Ad secundam, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: cum enim actus sit per modum operationis contentæ *virtualitèr* in essentia, vt in principio actualissimo, quamuis actuet essentiam, non est perfectior essentia, sed potiùs ab illa *virtualitèr* exceditur. Nec ex eo quòd essentiam in actualitate excedat, sequitur esse perfectiorem essentia excessu perfectionis *simplicitèr*, sed tantùm secundum quid; *simplicitèr* autem essentia est illa perfectior, eo quòd essentia est radix, tùm actualis intellectionis, tùm etiam omnium perfectionum, quæ reperiuntur in Deo; & sicut in creatis omnes proprietates dimanant *realitèr*, ab essentia, & ad illam vt ad finem ordinantur, quò circà ab essentia exceduntur; id ipsum in Deo contingit, non reali dimanatione, nec reali formali ordinatione, benè tamen virtuali; & sicut in creaturis, quamuis sub lite sit positum, an actualis operatio excedat in perfectione potentiam *proximè* operatiuam, extra controuersiam est, essentiam, operationem excedere, ità in Deo, estò sub lite esse possit excessus inter potentiam proximam intelligendi, & actualem intellectionem, cæterùm comparatione facta inter actum intelligendi, & essentiam, certum est excessum stare pro essentia, in quocumquè constituatur, quod contrarij Auctores necessarium est, vt fateantur, loquendo de essentia diuina, & volitione actuali, de qua restat idem argumentum soluendum.

Ad vltimam confirmationem dicatur; intellectionem esse vltimam actualitatem in linea actiua contentam sumpta *genericè*, non tamen in linea naturæ: vnde vt Dei natura *summè* perfecta concipiatur, non est necesse concipi, vt exprimentem actualem intellectionem, sed sufficit concipi, vt actualissimam radicem intellectionis *summè* actualis, nec ex non expressione actualis intellectionis redditur *priuatiuè* imperfecta, sed tantùm *negatiuè*, hoc est non exprimens vltimam actualitatem, & perfectionem lineæ actiuæ intelligendi sumptæ *genericè*, quæ non expressio non est priuatiua, sed tantum negatiua imperfectio, quia est carentia perfectionis non debitæ, sicut naturam diuinam non exprimere volitionem, attributa, & relationes, imperfectio priuatiua non est, quia illi non debetur expressio harum perfectionum in sui metaphysica constitutione. 285 *Ad vltimam confirmationem.*

Sed dices: perfectiùs constituta intelligeretur essentia, & natura Dei concepta vt exprimens actualem intellectionem, quàm concepta sub ratione principij virtualis illius: ergò constituta per radicale principium intelligendi sine expressione actualis intellectionis, non concipitur *summè* perfecta in linea naturæ, & essentiæ. Respondeo primò, distinguendo antecedens; perfectione, & excessu repugnante, omitto antecedens: non repugnante, nego antecedens, & consequentiam: vt enim summè perfecta sit in linea essentiæ, & naturæ, sufficit constitui perfectione summa non repugnante: carentia namque excessus perfectionis repugnantis in aliqua linea, non tollit rationem summi, in tali linea constituto sine tali perfectione, repugnat autem constitui in linea naturæ, & essentiæ per actum, & operationem; ac proinde carentia constitutionis per operationem, non potest inducere carentiam priuatiuam perfectionis maioris, nec facere, quòd essentia constituta per principium virtuale *summè* perfecta non sit in linea essentiæ, & naturæ. 286 *Opponet.* *Respondetur primo.*

Secundò respondeo, negando antecedens: nam si conciperetur vt exprimens actualem intellectionem, non conciperetur viuens: ac proinde nec concipi posset in gradu omnium perfectissimo, nempe, in gradu cognoscitiuo. Ex quo vlteriùs fieret, vt non conciperetur ità perfecta, ac concipitur sub ratione principij virtualis radicalis intelligendi; cum sic concipiatur viuens vita intellectuali, qui est gradus omnium perfectissimus. *Resp. 2.*

Secundò principaliter arguitur: natura diuina secundùm primum conceptum intelligitur viuens in actu secundo; non vita vt sic: ergò vita intellectuali: ac proindè constituitur per actualem intellectionem. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur: nam viuens vita intellectuali in actu secundo, constituitur per actualem intellectionem: ergò si secundùm primum conceptum intelligitur natura diuina viuens in actu secundo vita intellectuali, intelligitur primò, & per se constituta per actualem intellectionem. Prima consequentia probatione non indiget, sicut nec minor. Maior autem, in qua est difficultas, probatur: natura diuina ante radicationem cuiuslibet perfectionis concipitur, vt habens in actu secundo perfectionem à se: ergo est viuens in actu secundo. Antecedens est certum: nam prima Dei perfectio non conuenit ipsi ab alio: ergò conuenit ipsi ab alio: ergò conuenit à se; non enim datur medium inter conuenientiam ab alio, & à se. Consequentia verò probatur: nam vita actualis, vt abstrahit à creata, & increata, consistit in hoc, quod est habere à se perfectionem: ergò si sub primo conceptu intelligitur vt habens à se perfectionem, concipitur vt viuens in actu secundo. 287 *Secundo arguitur.*

Antecedens probatur primò: nam vita in illa abstractione, non potest consistere in motu, nec in hoc, quod est se mouere; cum Deo motus, & moueri repugnet: ergò sic sumpta consistit in habere perfectionem à se; Secundo idem antecedens probatur: nam per hoc, quod est habere perfectionem à se, sufficienter viuens à non viuente distinguitur, hoc namquè non à se, sed ab alio perfectionem habet: ergò viuere vt sic, & commune ad viuens creatum, & increatum, consistit solùm in habere perfectionem à se. 288 *Antecedens probatur 1. Secundo.*

Respondeo negando antecedens: nam licèt natura diuina secundùm primum conceptum sit viuens secundùm essentiam viuentis, non tamen est viuens in actu secundo, & secundùm actuale vitæ exercitium, sed principium virtuale radicale actus secundi vitalis, sicut homo secundùm essentiam non est viuens in actu secundo, & quoad exercitium viuentis, sed principium radicale reale remotum opera- 289 *Respond.*

ratio-

rationis vitalis. Ad probationem antecedentis, distinguo antecedens: concipitur secundùm primum conceptum, vt habens primam perfectionem à se per solam identitatem, concedo antecedens: per egressum formalem, aut virtualem, nego antecedens, & consequentiam: ad cuius probationem, distinguo, & explico antecedens: in habere à se perfectionem per egressum formalem, aut virtualem, concedo antecedens: per solam identitatem, nego antecedens, & consequentiam: nam prima Dei perfectio, etsi Deo à se conueniat per summam identitatem, non tamen ipsi conuenit à se per egressum, nec realem, nec virtualem, quod necessarium erat, vt per illam viueret in actu secundo, vt §. *præcedenti* monstrauimus.

290 *Ad 1. antecedentis probationem.* Nec probationes antecedentis distinctioni traditæ obsistunt, non prima: nam licèt vita, vt abstrahit à creata, & increata, non consistat in motu, qui propriè fit motus, consistit tamen in motu accepto pro operatione actuali, de cuius conceptu est egressus à principio, formalis, aut virtualis: ac proindè sine egressu aliquo ex prædictis modis non saluatur ratio viuentis in actu secundo. Nec magis secunda probatio vrget, cuius antecedens est falsum: Deus namquè vt existens; & vt subsistens, est habens à se perfectionem per summam identitatem; & tamen prout sic, non viuit in actu secundo *formaliter*: ens etiam diuinum transcendens, est ens, verum, bonum, & vnum à se; & tamen prout sic non est *formaliter* viuens: ergò viuens in actu secundo non constituitur sufficienter per hoc, quod est habere à se perfectionem per solam identitatem, quamuis summam, & perfectissimam, nec per id à non viuente distinguitur sufficienter, vt §. *præced.* vrgebamus.

291 *Opponet.* Obijcies: si viuere in actu secundo vt abstrahit à creato, & increato consisteret in habere à se perfectionem per egressum, Deus non esset viuens in actu secundo *formaliter*, sed tantùm *virtualiter*; consequens est falsum: ergò non consistit in habere à se perfectionem per egressum, sed in habere à se perfectionem abstrahendo ab egressu, & identitate. Consequentia tenet. Minor est certa: nam si solùm esset, *virtualiter*, & non *formaliter* viuens, non *formaliter*, sed *virtualiter* tantùm esset intelligens; cum de ratione intelligentis actu, sit viuere in actu; & consequenter ratio intelligentis actu, & viuentis in actu proportionantur quoàd conuenientiam formalem; sed falsum est, Deum solùm *virtualiter* esse intelligentem actu: ergò etiam est falsum, non *formaliter*, sed tantùm *virtualiter* esse viuentem. Maior autem, aut sequela probatur: si vita in actu secundo consisteret in egressu, iuxtà qualitatem, & conditionem egressus, esset qualitas, & conditio viuentis in actu secundo; sed egressus intellectionis solùm est virtualis in Deo: ergò vita actualis, & viuere in actu secundo, non conueniet Deo *formaliter*, sed *virtualiter* tantùm; sicut quia intelligere est viuere, non potest saluari ratio intelligentis *formaliter* cum ratione viuentis in actu secundo *virtualiter* tantùm.

292 *Respondetur.* Respondeo, negando maiorem: ad illius probationem, distinguo maiorem: si consisteret in egressu formali, concedo maiorem: si consisteret in egressu non determinatè formali, sed in egressu abstrahente à formali, & virtuali, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: vt enim denominatio egressus, & denominatio viuentis in actu secundo se consequerentur, quoàd conuenientiam formalem, necessarium erat, quod de ratione vitæ, vt sic, esset egressus formalis, tunc enim rectè inferretur: *Ergo cui non conuenit formalis egressus, non conuenit vita formaliter*, sicut cui discursus formalis non conuenit, non est *formaliter* homo, quia de essentia hominis est formalis discursus; quia tamen de ratione vitæ, vt sic in actu secundo, non est egressus formalis sed abstrahens à formali, & virtuali, vt saluetur viuens *formaliter* in actu secundo, non requiritur formalis egressus, sed conuenientia formalis egressus abstrahentis ab egressu formali, & virtuali; licèt autem egressus formalis intellectionis non conueniat Deo *formaliter*, conuenit *formaliter* ipsi egressus virtualis, ideòque *formaliter* viuit in actu secundo per intellectionem, non *formaliter*, sed *virtualiter*, egredientem ab ipso.

293 *Instabis primò.* Sed vrgebis adhùc primò: si namquè sinè influxu formali, ratione influxus virtualis saluatur ratio viuentis *formaliter*, poterit etiam saluari ratione influxus, qui nec sit formalis, nec virtualis, sed tantùm eminentialis; sed cum influxu eminentiali essentiæ diuinæ in actualem intellectionem stat per intellectionem actualem *Metaphysicè* constitui: ergò ex ratione viuendi non tollitur, quominùs diuina essentia constituatur intellectione actuali.

Instabis secundò. Secundò: nam sequitur ex hac solutione, posse in Deo vnam perfectionem absolutam respicere aliam relatione reali prædicamentali; consequens est absurdum; aliàs ex mutuo respectu reali diuinarum personarum, non colligetur realis illarum distinctio: ergò doctrina tradita nequit subsistere: probatur sequela: non minùs est de ratione viuentis in actu secundo egressus actus vitalis ab illo, quam de ratione relationis correlatiuum respicere; sed per Nos saluatur ratio viuentis in actu secundo *realitèr* per egressum virtualem actus vitalis ab ipso, & per influxum virtualem in actum secundum vitæ: ergò etiam saluabitur realis relatio prædicamentalis *formalitèr* per respectum realem virtualem; at quod vna perfectio absoluta Dei, aliam *virtualitèr* respiciat, nullam dicit repugnantiam, quandòquidem illam non dicit, quod vna ab alia *virtualitèr* egrediatur, & quod vna ab alia *virtualitèr* dependeat: ergò sequitur ex nostra doctrina, posse vnam perfectionem absolutam in Deo referri ad aliam relatione reali prædicamentali.

294 *Confirmatur.* Et augetur difficultas: non minùs petit distinctionem extremorum respectus transcendentalis, quam relatio prædicamentalis; sed si vera est nostræ resolutionis doctrina, datur inter actualem intellectionem, & essentiam, quæ sunt perfectiones absolutæ, respectus realis transcendentalis absquè reali distinctione: ergò etiam poterit dari inter illas relatio realis prædicamentalis. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur egressus vnius perfectionis ab alia est respectus dependentiæ vnius perfectionis; & consequenter est respectus transcendentalis in dependentia consistat; sed datur in nostra doctrina egressus realis vnius perfectionis ab alia, absquè reali distinctione: ergò datur absquè illa realis respectus transcendentalis vnius perfectionis ad aliam.

295 *Instabis tertiò.* Tertiò instabis: nam sequitur ex eadem doctrina, posse admitti in Deo compositionem realem *formalitèr*; consequens est falsum: ergò doctrina traditæ solutionis subsistere nequit. Minor cum consequentia tenet. Maior autem, aut sequela probatur: ideo excluditur à Deo compositio realis *formalitèr*, quia de ratione compositionis realis, est distinctio realis extremorum; sed si doctrina solutionis est vera, poterit saluari compositio realis *formalitèr*, per solam distinctionem realem virtualem, quæ non repugnat in Deo; ergò ex illa sequitur posse dari in Deo compositionem realem *formalitèr*. Probatur minor: non minùs est de ratione viuentis in actu secundo realiter, egressus realis actus vitalis ab ipso, quàm de ratione compositionis realis, realis extremorum distinctio; sed iuxtà nostram doctrinam saluatur ratio viuentis in actu secundo *realitèr* in esse formali, per realem virtualem egressum actus vitalis ab illo: ergò saluari etiam poterit compositio realis talis *formalitèr*; cum sola distinctione reali virtuali inter extrema, si doctrina traditæ solutionis est vera.

296 *Instabis quartò.* Deniquè, si definitur viuens per egressum vitæ à principio, ita definitur generans per processionem termini à principio generante; sed ad rationem generantis *formalitèr*, non sufficit processio virtualis termini è principio, sed requiritur origo, & processio formalis: ergò ad rationem viuentis *formalitèr*, non sufficit virtualis egressus, sed est necessarius formalis. Vel aliter potest proponi: si de ratione viuentis esset habere à se perfectionem per egressum, ad rationem viuentis *formalitèr* non sufficeret, habere à se perfectionem per egressum virtualem; consequens est in nostra sententia falsum: ergò ratio viuentis non consistit in habere à se perfectionem per egressum. *Aliter proponitur instantia.* Probatur maior: quia de ratione causæ est dependentia termini ab ipsa, non sufficit ad rationem causæ realis *formalitèr* dependentia virtualis; aliàs Deus esset causa realis intellectionis *formalitèr*, & intellectio diuina esset *realitèr formalitèr* effectus diuini intellectus: ergò si de ratione viuentis esset habere à se perfectionem per egressum, ad rationem viuentis *formalitèr*, non sufficeret habere à se perfectionem per egressum virtualem.

297 *Ad 1. instantiam resp.* Respondeo ad primam replicam, negando sequelam: nam egressus eminentialis ab egressu virtuali distinctus, in nullo alio consistit, quàm in continentia actiua actus vitalis creati *realitèr* à principio creato egredientis; non autem sufficit, vt in Deo cum fundamento in ipso concipiatur à no-

nobis intellectio, vt egrediens ab intellectu; quod Deus eminenter contineat actum intelligendi creatum *realitèr* à creatura egredientem, sicut quòd Deus *eminenter* contineat discursum creatum non sufficit, vt a nobis concipiatur, vt discurrens, nec quòd *eminenter* contineat formalem compositionem nostri intellectus, sufficit, vt à nobis, vt componens, concipiatur conceptione in ipso fundata; ideòque eminentialis egressus distinctus à virtuali, non sufficit ad rationem vitæ actualis in Deo; virtualis autem egressus, vt à nobis constituitur, non consistit in hac continentia eminentiali, sed in fundamento, quod in Deo reperitur, vt nos concipiamus actum intelligendi diuinum, vt egredientem ab intellectu, & essentia; cum quo fundamento non stat vt actualem intellectionem concipiamus, vt constituentem essentiam: ac proindè cum virtuali egressione intellectionis ab intellectu diuino, non stat, quod essentia Dei ratione nostra constituatur per actualem intellectionem.

298 Ad secundam, nego sequelam. Ad probationem, distinguo maiorem: non minùs, & eodem modo, nego maiorem; & diuerso modo, concedo maiorem; & concessa minori, nego consequentiam: ratio autem discriminis est: nam de ratione viuentis in actu non est egressus realis formalis *determinatè*, sed *disiunctim* formalis, aut virtualis; & ideò absque egressu reali formali saluatur ratio viuentis in actu per egressum virtualem actus vitalis ab ipso; de ratione autem relationis prædicamentalis realis, non est realis respicientia *disiunctim* virtualis, aut formalis, sed *determinatè* realis formalis; ideòque respicientia virtualis non sufficit ad rationem relationis realis prædicamentalis.

Ad secundam.

299 Ad confirmationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem dicatur: egressum realem formalem consistere in respectu transcendentali, & dependentia reali formali; egressum autem virtualem in respectu non formali, nec formali dependentia, sed in respectu, & dependentia virtuali: vnde cum egressus a nobis concessus in Deo non sit formalis, sed virtualis in re, & per rationem nostram formalis, non sequitur, concedendum esse in Deo respectum realem transcendentalem *formalitèr*, sed *virtualitèr* solùm.

Ad confirmationem.

300 Ex his ad tertiam obiectionem respondeo, negando sequelam. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem: ad illius probationem, distinguo maiorem: non minùs & eodem modo, nego maiorem, & diuerso modo, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: & ratio discriminis est: nam compositio realis petit distinctionem realem extremorum talem *formalitèr*, non autem distinctionem realem *formalitèr*, aut *virtualitèr* realem, & ideò cum distinctione reali virtuali non stat realis compositio; at vero viuere in actu secundo consistit in habere à se perfectionem per egressum, non *determinatè* formalem, sed *disiunctim* formalem, aut virtualem, & ideo saluatur viuens in actu secundo per hoc, quod habeat a se actum secundum vitalem per egressum virtualem.

Ad 3. instantiam.

Quòd si rationem petas. Respondeo, eam esse, quia 301 definitio compositionis realis sic explicatur ab omnibus, quòd petat realem distinctionem; in nullo enim alio consistit, quàm in hoc, quod sit distinctorum vnio, non autem sufficit esse vnionem distinctorum per rationem; hoc namque ad summum arguet compositionem rationis; & consequenter requiritur ad realem compositionem, realis extremorum distinctio; definitio autem viuentis vt abstrahit à creato, & increato, non potest explicari de egressu reali formali, sed disiunctim formali, vel virtuali; alias in suo conceptu imperfectionem Deo repugnantem inuolueret; ac proindè, vt hoc vitetur, explicari debet de egressu in illa abstractione.

Ad realē compositionem non sufficit distinctio virtualis extremorum.

302 Si dicas: melius vitatur imperfectio, explicando ly *à se* positum in definitione viuentis, absque vlla ratione egressus, per conuenientiam *à se* per summam identitatem ergò absque illo fundamento, & absque vlla necessitate explicatur à Nobis de egressu formali, vel virtuali. Respondeo, negando antecedens; vt enim §. *præcedenti* monstrauimus, non potest ratio vitæ saluari, explicando ly *à se* positum in definitione viuentis, per solam identitatem, quantumuis perfectissimam, & summam, absque vlla ratione egressus; aliàs, vt ibi arguebamus, Deus omni sua perfectione viueret in actu secundo; cum omnis Dei perfectio illi conueniat à se per summam identitatem; aliàs etiam ens diuinum transcenderet transcendentia logica omnia Dei prædicata, esset *formalitèr* viuens; cum habeat entitatem, veritatem, & bonitatem à se per summam identitatem, quod non posse admitti, efficaciter ostendimus. ex quibus rectè deducimus, ly *à se* accipiendum esse ita vt dicat non solam identitatem, sed etiam aliquem modum egressus; cumque egressus realis formalis, non possit esse de ratione viuentis vt sic; aliàs Deo repugnaret; fit consequens, vt de ratione viuentis in illa communitate non sit egressus *determinatè* formalis, sed *disiunctim* formalis, aut virtualis, & quòd definitio viuentis sic debeat necessariò explicari; cumque nihil horum militet in compositione reali, & relatione reali prædicamentali; fit consequens, vt definitio relationis explicetur per realem terminii respicientiam, & definitio compositionis realis per realem distinctionem extremorum talem *formalitèr*.

Vrgebis.

Respondetur.

Ad vltimam respondeo, negando consequentiam, & ratio discriminis est: nam definitio viuentis explicatur ab omnibus de egressu, non *determinatè* formali, sed *disiunctim* formali, vel virtuali; aliàs in suo conceptu diceret imperfectionem; generans autem, & causa definiuntur per originem, & dependentiam formalem, sicque ab omnibus accipiuntur illorum definitiones, nec est cur non sic accipiantur. Ex quibus ad idem argumentum, vt alio modo propositum, constat solutio. 303

Ad 4. instantiam resp.

Tertiò arguitur: nullum est prædicatum in actu intellectionis excludens illam a constitutione obiectiua naturæ, sed tantum à constitutione essentiæ, & naturæ Dei ex parte modi concipiendi, & significandi; ergo *obiectiuè* constituit *Metaphysicè* essentiam, & naturam diuinam. Antecedens probatur; si excluderetur a constitutione obiectiua, esset quia operatio est; at non est actio, & operatio *obiectiuè*; ergo nullum est prædicatum excludens actualem intellectionem à constitutione obiectiua. Consequentia tenet. Maior ex dictis constat, & de se est manifesta; solùm enim excluditur, quia supponit principium; & consequenter non est primum prædicatum, quod in Deo cum fundamento in ipso concipimus; ideò autem præsupponit principium, quia operatio est; ergo præcise excluditur ratione huius prædicati. Minor autem, cui inest difficultas, probatur: intellectio actualis diuina non est operatio *realitèr*; ergò non est operatio *obiectiuè*, sed tantùm ex modo significandi: Consequentia patet; quam intellectioni diuinæ *obiectiuè* solùm conueniunt prædicata realia ipsius: ergo si non est vere, & realiter operatio, non est operatio *obiectiuè*, sed tantum ex modo significandi. Antecedens autem probatur: de ratione operationis est conceptus *ab*, & egressus à principio; ergò de ratione operationis, quæ *realitèr* est operatio, est esse à principio *realitèr*, & realis egressus ab illo; sed intellectio actualis diuina non est ab essentia *realitèr*, nec ab illa *realitèr* egreditur, aliàs *realitèr* distingueretur ab illa; cum inter principium reale, & actionem *realitèr* a principio egredientem, realis distinctio intercedat: ergo non est *realitèr* operatio. 304

Tertiò arguitur.

Nec sufficit respondere, esse operationem per rationem, eo quòd a nobis concipitur, vt egrediens ab essentia, & intellectu diuino, & quia concipitur, vt egrediens *obiectiuè*, concipitur vt *obiectiuè* operatio, quamuis realis operatio non sit, sed tantum ratione nostra. Non inquam, sufficit primò; quia operatio non abstrahit ab operatione reali, & operatione rationis, sed est prædicatum *determinatè* reale, sicut intellectus non abstrahit ab intellectu reali, & intellectu rationis, nec similiter voluntas: ergò intellectio diuina, vel est *realitèr* operatio, vel nullatenus est operatio *obiectiuè*, sed tantùm ex modo significandi, quia nempè, à nobis concipitur ad modum operationis, & ad instar, & per speciem illius. 305

Respondetur.

Contra 1.

Secundò; nam quòd intellectio actualis diuina rationem operationis formalis, suadetur, quia est intellectio, & vita actualis, sed non est vita & intellectio tantùm per rationem nostram, sed *realitèr*; ergò si est operatio, est *verè*, & *realitèr* operatio. Patet consequentia: nam si probatur esse operationem, quia est vita, iuxta qualitatem vitæ debet esse qualitas operationis; & consequenter si *realitèr* est vita, *realitèr* debet esse operatio, vel *obiectiuè* operatio non est.

Contra 2.

Difficultas huius argumenti cum præcedenti coincidit, cum hac solùm differentia, quod præcedens sumitur ex parte principij vitæ, hæc autem ex parte vitæ actualis. Ad illud respondeo, consequenter ad ea, quæ *præmisimus*, 306

Respondetur,

mus, negandò antecedens: ad probationem, concessa maiori, nego minorem: ad cuius probationem, nego antecedens: ad illius probationem, distinguo antecedens: conceptus ab, & egressus *determinatè* formalis, nego antecedens: formalis, aut virtualis, concedo antecedens: & sub eadem distinctione primi consequentis, distinguo minorem: egressu reali formali, concedo minorem: egressu virtuali in re, & per rationem formali, nego minorem, & consequentiam; vt enim actualis intellectio diuina sit *realitèr* operatio, sufficit, quod egrediatur ab essentia, & intellectu egressu virtuali in re, & formali per rationem, sicut vt in Deo saluetur prædicatum naturæ, sufficit esse radicem operationum radicatione in re virtuali, per rationem formali, & sicut vt saluetur in Deo prædicatum intellectus, & potentiæ intellectiuæ, sufficit esse principium intellectionis per influxum in re virtualem, & per rationem formalem; & sicut ista consequentia non valet: *Radicatio operationis conueniens diuinæ essentiæ, in re solùm est virtualis; & formalis per rationem: ergò non est in re natura formalitèr, sed in re virtualitèr, & formalitèr per rationem*; eo quòd ad rationem naturæ, quæ sit talis *formalitèr realitèr*, sufficit radicatio in re virtualis, & formalis per rationem; ità huiusmodi consequentia non tenet: *Egressus intellectioni conueniens solùm est virtualis in re, & formalis per rationem: ergò solùm est operatio in re virtualitèr, & per rationem formalitèr*; sed est realis operatio *formalitèr* ratione egressus in re virtualis, & formalis per rationem, eo quòd de conceptu operationis realis, non est egressus realis formalis, sed realis, aut virtualis.

307 Quartò arguitur: nam egressus virtualis in nullo alio in nostra sententia consistit, quàm in fundamento, quod in
Quartò arguitur. Deo reperitur, vt à nobis intellectio concipiatur vt egrediens ab intellectu, & essentia; sed in Deo tale fundamentum non datur: ergò diuina intellectio non egreditur à Deo adhuc virtuali egressu. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primò: in Deo non est fundamentum vt eius intellectioni à nobis aliqua imperfectio
Maior prob. 1. attribuatur; sed egredi intellectionem ab intellectu, est in intellectione imperfectio: nam egredi idem est, quod causari, & esse effectum; ratio autem causati, & effectus imperfectionem importat; ergò non est fundamentum in Deo, vt à nobis illius intellectio, vt ab ipso egrediens concipiatur.

Secundò. Secundò: non enim minor est imperfectio in intellectione causari, quàm potentialitas in intellectu; sed quia potentialitas est imperfectio, non est fundamentum in Deo, vt à nobis illius intellectus vt potentialis concipiatur: ergò nec est fundamentum in Deo, vt à nobis concipiatur illius intellectio, vt causata; & consequenter nec vt concipiatur egrediens ab intellectu.

308 Tertiò: non enim est minor imperfectio in cognitione ab intellectu causari, quàm cum intellectu componere;
Tertiò. sed non datur fundamentum in Deo, vt eius intellectio, etiam ratione nostra, cum diuino intellectu componat, aliàs Deus esset capax *Metaphysicæ* compositionis: ergò nec vt ratione nostra ab intellectu causetur, vel quod idem est, egrediatur. Denique non enim stat, quod intellectio di-
Quartò. uina ratione nostra ab intellectu egrediatur, conceptione in Deo fundata, nisi vt vera cognitione, vt ab intellectu egrediens, cognoscatur; sed in Deo esse nequit fundamentum, vt vera cognitione illius intellectio cognoscatur, vt ab intellectu egrediens: ergò in ipso fundamentum non est, vt intellectio ab illius intellectu ratione nostra egrediatur. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: nam intellectionem egredi ratione nostra ab intellectu diuino, non consistit in eo, quod à nobis cognoscatur ad instar intellectionis creatæ *realitèr* ab intellectu egredientis: hoc namq; solùm est egredi intellectionem ab intellectu diuino ex modo significandi non ex parte rei conceptæ, sicut Deus conceptus à nobis ad instar corporis non est *obiectiuè* corpus, & conceptus ad instar entis finiti, non est *obiectiuè* ratione nostra finitus: ergò intellectionem diuinam ab intellectu Dei egredi ratione nostra, est vera cognitione cognosci intellectionem egredi ab intellectu diuino.

309 Respondeo, concessa maiori, negando minorem: ad
Respondetur. Ad 1. probationem minoris. cuius primam probationem, concedo maiorem, & distinguo minorem: egredi egressu reali formali est in intellectione imperfectio, concedo minorem: egressu in re virtuali, & per rationem formali, nego minorem, & consequentiam; sicut enim concipi vnam perfectionem absolutam in Deo, vt distinctam ab alia distinctione reali formali, esset concipi vt imperfectam; ideoque non adest fundamentum in Deo ad huiusmodi conceptionem; concipi autem, vt distinctam distinctione in re virtuali, & formali per rationem, non est concipi vt imperfectam, ideoque ad hunc modum concipiendi datur fundamentum in Deo; ita concipi intellectionem diuinam, vt causatam ab intellectu per influxum realem formalem, est concipi vt imperfectam, & vt sic concipiatur non est fundamentum in Deo; concipi autem vt ab intellectu causatam per influxum in re virtualem, & formalem per rationem, non est imperfectio in diuina intellectione, & ad istum modum conceptionis datur fundamentum in Deo.

Ad secundam probationem dicatur, veram esse maiorem: loquendo de causalitate, & potentialitate reali, fal- 310
sam autem de causalitate virtuali comparata cum virtuali *Ad secundam.*
potentialitate; & concessa minori, distinguendum est consequens distinctione maioris: ratio autem discriminis est: quia vt intellectus concipiatur potentialis, debet concipi, vt non explicans, nec includens actu intellectionem actualem ad quod requiritur, quòd illi non sit essentialis intellectio, quod est imperfectio, ideòque non datur fundamentum in Deo, vt illius intellectus vt potentialis concipiatur; causalitas autem obiectiua per rationem intellectionis actualis ab intellectu, huiusmodi obiectiuam præcisionem non petit, sed sufficit non exprimi in conceptu essentiæ cum implicita inclusione: vndè sicut ob hanc causam concedimus fundamentum in Deo ad distinctionem rationis inter eius perfectiones sine imperfectione in ipso, quin ex hoc inferatur dari in Deo fundamentum ad potentialitatem obiectiuam; ob eandem, hoc fundamento negato, concedimus fundamentum vt intellectio diuina concipiatur vt causata per rationem.

Ad tertiam probationem, concessa maiori, distinguo 311
minorem: compositione rationis conceptuum mutuò se ex- *Ad tertiam.*
cludentium, concedo minorem: compositione rationis conceptuum non se excludentium *implicitè*, sed tantùm quoad expressionem nego minorem, & consequentiam. Nec sequitur dari in Deo fundamentum ad compositionem Metaphysicam, non enim consistit in quacumque compositione rationis, sed requirit mutuam exclusionem conceptuum, non solùm quoad expressionem, sed etiam quoad implicitam inclusionem, vel, vt alij volunt, requirit compositio Metaphysica, quod extrema per rationem se excludant exclusione fundata in obiecti potentialitate, non autem fundata in eminentia obiectiua, & in summa actualitate.

Ad vltimam probationem, distinguo maiorem: vera 312
cognitione immediata, & directa, nego maiorem: vera *Ad quartam.*
cognitione reflexa, & mediata, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet repugnet Deo cognitione vera directa, & in ipso immediatè fundata, cognosci illius intellectionem vt ab intellectu, & essentia egredientem egressu formali, quia cognitio rei directa immediata in re fundata conformatur cum ipsa re prout in se; & consequenter hoc esset diuinam intellectionem egredi ab essentia egressu reali formali, quod sine imperfectione esse nequit; quod autem cognitione vera reflexa mediatè fundata in Deo, & immediatè in imperfectione, & modo nostri intellectus, cognoscatur diuina intellectio, vt egrediens ab essentia, nulla est imperfectio in Deo, quia ex hoc non colligitur, quòd in re ipsa egrediatur, sed quòd ob suam eminentiam fundamentum sit, vt à nobis, vt egrediens concipiatur.

Quam doctrinam dedit Nobis D. Th. *in 1. dist. 2. q. 1.* 313
art. 3. in corpore, loquendo in simili de distinctione, vel
multiplicitate attributorum, quòd nempè, fundatur me- *Ex D. T. confir. solutionis doctrina.*
diatè in Deo; immediatè autem in modo concipiendi intellectus; & ideò intellectus noster falsus non est cum illam attribuit Deo. Et *q. 1. de potentia art. 1. ad 10.* loquendo de ratione principij, docuerat D. Thomas *in solutione ad 9. argum.* quòd potentia in Deo non est aliud, quàm essentia secundum rem, sed tantùm secundùm modum intelligendi. Contrà quam solutionem opponit 10. *argum* his verbis: *Omnis intellectus, cui non respondet aliquid in re, est cassus, & vanus.* Cui argumento ità respondet: *Ad decimum dicendum, quod intellectui respondet aliquid in re dupliciter. Vno modo immediatè, quando videlicet intellectus concipit formam rei alicuius extra animam existentis, vt hominis, vel lapidis. Alio modo me-*

mediatè, quando videlicèt aliquid sequitur actum intelligendi, & intellectus reflexus supra ipsum considerat illud. Vndè res respondent illi considerationi intellectus mediatè, idest, mediante intelligentia rei, verbi gratia, intellectus intelligit naturam animalis in homine, in equo, & multis alijs speciebus; ex hoc sequitur, quid intelligit eam vt genus. Huic intellectui, quo intellectus intelligit genus, non respondet aliqua res extra immediatè, quæ sit genus; sed intelligentiæ, ex qua consequitur ista intentio respondet aliqua res. Et similiter est de ratione principij, quam addit potentia supra essentiam. Nam ei respondet aliquid in re mediatè, & non immediatè. Sentit ergò D. Thomas, quòd sicut intellectus intellectione vera, mediata, & reflexa concipit animal esse genus, quin ex hoc inferatur animal in re genus esse, & quin illi vt in se intentio generis competat, sed mediatè cognitione intellectus; ità noster intellectus intellectione vera, mediata, & reflexa cognoscit Deum esse suæ intellectionis principium, & intellectionem egredi ab ipso, quin ex hoc inferatur esse rè ipsa principium intellectionis, & intellectionem in re ab illo egredi, sed tantùm ratione nostra.

314 *Instabis.* Sed dices; vt intellectus noster intelligat intellectione vera, reflexa, & mediata, quòd animal est genus, necessarium est, quod intentio generis sequatur in animali ex vi alterius cognitionis, qua cognoscitur esse in homine, in equo, & in alijs speciebus, vt constat ex verbis Angelici Præceptoris: ergò pariter, vt intellectus noster cognoscat cognitione vera, reflexa, & mediata intellectionem egredi à Deo, necessarium est, quod diuinæ intellectioni egressus ab intellectu conueniat ex vi alterius cognitionis, qua vt egrediens cognoscatur; sed hoc nequit esse verum: ergò non potest Dei intellectionem cognoscere cognitione vera reflexa, & mediata, vt ab intellectu egredientem: at vt illius cognitionis conueniat intellectioni diuinæ egredi ab essentia Dei, non sufficit cognosci ad instar intellectionis ab intellectu creato egredientis; nam Deus cognoscitur ad instar corporis, ad instar entis imperfecti, finiti; & tamen ex hoc non est ratione nostra corporeus, finitus, & imperfectus: ergò exigitur cognosci, vt re ipsa ab essentia Dei egredientem; & consequenter requiritur cognitio, qua Dei intellectio verè cognoscatur, vt ab essentia egrediens, & ab intellectu diuino, quod implicat, loquendo de cognitione directa.

315 *Respondetur.* Respondeo, concesso antecedenti, & prima consequentia, negando minorem subsumptam: ad illius probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: in actu signato, & cognitione compositiua, nego consequentiam; in actu exercito, & simplici apprehensione, concedo consequentiam; sicut namquè animal non fit genus cognitione illa reflexa, & compositiua, qua affirmatur esse genus, sed cognitione simplici comparatiua, qua apprehenditur in ordine ad suas species, ac si esset vnum in illis, quæ cognitio compositiua non est, nec ad intentionem generis terminatur in actu signato, sed tantùm in actu exercito; ità ratio egressus non conuenit intellectioni diuinæ ex vi cognitionis reflexæ, qua affirmatur egredi à diuina essentia, sed ex vi cognitionis directæ, qua cognoscitur, vt distincta ab essentia, & per ordinem ad illam, quæ compositiua non est; ac proindè nec vera, nec falsa, nec in actu signato concipit in intellectione diuina rationem egressionis ab essentia, sed simplex quædam apprehensio, qua intellectio Dei apprehenditur in ordine ad diuinam essentiam, ac si re vera egrederetur ab illa exercità *obiectiuè* ratione egressionis, non autem importata *signatè*, est tamen cognitio fictiua, & ideò impotens conuenire diuino intellectui.

316 *Hoc argumentū etiam aduersarios premit.* Et quidem hoc argumentum soluere tenentur omnes, qui admittunt inter attributa diuina distinctionem rationis ratiocinatæ: nam inquiri ab illis potest, qua cognitione fiat huiusmodi distinctio, illa, qua cognoscuntur ad instar similium perfectionum, quæ in creaturis distinguuntur, vel alia, qua cognoscantur *verè*, vt inter se distinctæ? Non primum ob rationem in argumento assignatam: ergò secundùm, ac proindè erunt re vera distincta: sicut ergò duplex assignatur cognitio multiplicitatis attributorum, vna reflexa, & compositiua, quæ illam Deo attribuit ab intellectu nostro iam factam; alia simplex, & apprehensiua, quæ ad distinctionem *signatè* non terminatur, sed tantùm *exercitè*, & distinctionem confingit: idem etiam est de ratione egressus ab essentia in diuina intellectione dicendum, & sicut cognitioni distinctionem attributorum faciendi non respondet ex parte Dei aliqua multiplicitas realis, sed vna simplicissima ratio apprehensa, ac si esset plures, vt docet D. Thomas *quæst. 1. de Potentia art. 1. ad 12. & in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 2. & 3.* ita cognitioni nostræ, qua concipitur diuina intellectio, vt egrediens ab essentia, aliquid in re diuina respondet, videlicèt summa identitas intellectionis cum essentia, diuersis formis repræsentata, quarum vna apprehenditur, ac si esset aliquid ab essentia causatum, & altera, ac si esset intellectionis principium; sicut enim eo ipso, quod diuersis conceptibus attributa concipiantur, licèt non importetur obiectiua distinctio *signatè*, importatur tamen *exercitè*; ita eo ipso, quod intellectio, & essentia diuina diuersis cognoscantur conceptibus; licèt ratio egressus intellectionis, & principij ex parte essentiæ non importentur *signatè*, importantur tamen *exercitè*, quia concipitur intellectio, ac si re vera ab essentia egrederetur, & essentia, ac si re vera esset intellectionis principium.

317 *Vltimo arguitur.* Denique principalitèr arguitur: estò intellectioni repugnet constituere essentiam diuinam sub ratione *ab*, & egressus à principio, non tamen repugnat illi constituere *Metaphysicè* essentiam sub alio conceptu ad eius lineam spectante: ergò illam constituit sub conceptu actualitatis, & gradus, vt asserit noster Albelda. Probatur antecedens: quamuis relationi repugnet constituere personam sub conceptu explicito *ad*, non tamen sub conceptu *in*, & formæ hypostaticæ pertinente ad lineam relationis, vt cum frequentiori Thomistarum sententia docebimus *infra quæst. 41. art. 4.* ergò pariter, etsi intellectioni repugnet constituere naturam, & essentiam diuinam sub conceptu expresso *ab*, & vt concipitur ad modum actionis, poterit tamen essentiam constituere sub conceptu actualitatis subsistentis: Probatur consequentia, non minùs est de conceptu relationis supponere fundamentum, & personam, vel subiectum, quam de ratione actionis præsupponere principium: ergò si diuina relatio, quia subsistens est, quamuis personam supponat sub conceptu explicito *ad*, constituit sub conceptu *in*, aut formæ hypostaticæ subsistentis, paritèr intellectio diuina, quia subsistens est, præsupponet quidem principium, naturam, & essentiam constitutam sub conceptu explicito *ab*, & egressionis, non verò sub omni conceptu, sed constituet naturam, & essentiam sub conceptu actualitatis, & gradus.

318 *Confir. 1.* Confirmatur: etsi origo actiua non constituat Patrem in ratione personæ sub conceptu explicito originis, constituit tamen sub alio indistincto ab illa *virtualitèr adæquatè*: ergò pariter, estò intellectio non constituat essentiam diuinam sub conceptu actionis, & *ab*, constituet essentiam sub alio conceptu, quia ab illa sub ratione actionis non distinguitur *adæquate virtualitèr*.

319 *Confir. 2.* Explicatur, & vrgetur: eadem entitas, & formalitas paternitatis sumpta *adæquatè* secundum conceptus *inadæquatè* solùm distinctos, præstat munus constituendi Patrem in ratione personæ, & actionis personalis, absquè distinctione virtuali adæquata inter ipsam, vt constituit personam, & eandem vt habet rationem originis, & actionis personalis: ergò pariter eadem ratio intellectionis diuinæ constituet essentiam, & naturam in ratione essentiæ, & naturæ, & habebit rationem actionis intelligendi, absque distinctione virtuali adæquata. Antecedens suppono ex frequentiori sententia infrà *quæst. 41. art. 4.* aliàs darentur plures relationes prædicamentales, quam quatuor in Deo; cum paternitas, vt constituit personam, relatio prædicamentalis sit, & similiter origo, vt origo, ad ordinem relatiuum pertineat: ac proindè, si inter illa est adæquata distinctio, erunt duæ relationes. Consequentia autem probatur ex sæpius repetita similitudine inter actionem personalem, & actionem naturalem: Et insuper, quia sicut natura est principium actionis naturalis, ità persona est principium actionis personalis: ergò si hoc saluatur absquè distinctione virtuali adæquata inter personam, & actionem egredientem ab illa, poterit primum saluari absquè distinctione adæquata virtuali inter naturam, eiusquè constitutiuum, & actionem à natura egredientem. *Consequentia probatur 1. Secundo.*

320 *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens; ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; & ratio discriminis constat ex dictis §. *antecedenti* inter impugnandam secundam solutionem primæ rationis, quia nempè pri-

primum, quod in relatione intelligitur, non est respectus ad terminum, sed respectus ad subiectum in relatione creata, & conceptus subsistentis in diuina, ideòq; exclusa relatione à constitutione personæ sub expresso conceptu respectus ad terminum, non inde excluditur sub alio conceptu, qui est prior; in actione autem, siuè immanente, siuè transeunte, primum, quod intelligitur, est conceptus *ab*, seù egressionis à principio, ideòquè exclusa à constitutione naturæ sub hoc conceptu, necessariò excluditur sub omni.

Ad confirmationem concesso antecedenti, nego consequentiam; ratio autem discriminis est: nam personalitas 321
Ad primā confirmationem. non est principium *quo* respectu actionis personalis, sed tantùm conditio, & complementum principij; natura verò, aut essentia est principium *quo* actionis naturalis; maior autem distinctio petitur inter actionem, & principium, quàm inter complementum principij, & actionem, ideòquè potest vna, & eadem forma absquè distinctione virtuali adæquata gerere munus personalitatis, & actionis personalis, secus autem munus naturæ, & actionis. Et quidem eodem argumento, si quid probatur, conuincitur, posse vnam, & eandem formalitatem diuinam, & naturæ, & volitionis munus præstare, quod Auctores contrarij non intendunt. Et ex his ad explicationem constat solutio. *Ad secundam.*

322 *Replicabis primò.* Sed instabis primò: cognitio ad volitionem, solùm vt conditio se habet; & tamen non minus distinguitur cognitio à volitione, quàm natura, quæ est principium *quo* illius: ergò quòd personalitas conditio sit ad actionem personalem, essentia verò principium *quo* respectu actionis naturalis, non probat excessum distinctionis inter naturam, & propriam actionem suprà illam, quæ versatur inter personalitatem, & actionem personalem; & consequenter, si hæc est inadæquata virtualis, pariter, & illa inadæquata esse poterit.

323 *Secundò.* Secundò: nam personalitas solùm est conditio principij generationis, & termini per generationem producti; natura autem est principium *quo* vtriusquè; & tamen maior est distinctio personali atis producentis, à termino genito, quàm naturæ ab eodem termino: ergò quòd conditio sit personalitas ad actionem personalem, natura verò principium ad actionem naturalem, non infert minorem distinctionem requiri inter personalitatem, & actionem personalem, quàm inter naturam, & actionem naturalem.

324 *Tertiò.* Tertiò: nam personalitas Patris est principium *quod* Filij; & consequenter etiam est principium *quod* generationis Filij, cum idem sit principium termini, & actionis termini productiuæ; sed non minor distinctio requiritur inter principium *quod*, & actionem, quàm inter principium *quo*: ergò non minùs petit personalitas distingui ab actione personali, quàm natura ab actione naturali: Maior probatur: principium *quod* Filij, & generationis, est persona Patris; sed persona idem est quod personalitas, cum persona importet proprietatem personalem in recto, & in obliquo naturam: ergò personalitas Patris est principium *quod* Filij, & originis actiuæ.

325 *Ad primam replicam respond.* Respondeo ad primam replicam, concessa maiori, distinguendo minorem; eo quòd est conditio, nego minorem: ex alio principio, & ratione, concedo minorem, & nego consequentiam; quòd namquè cognitio distinguatur *adæquatè* à volitione, non prouenit ex eo quòd ad illam, vt conditio, supponitur, sed quia in sua linea *adæquatè* intelligitur, quin ex sua ratione formali petat in se includere volitionem, cuius oppositum in personalitate Patris contingit; cum enim petat à personalitate Filij realiter distingui, & distinctio realis in diuinis non possit à formalitate absoluta præstari; fit consequens, vt ex propria ratione petat sibi identificare conceptum referentis, absq; distinctione virtuali ab illo, & conceptum originis actiuæ, si relatiuus est, vt supponitur, aliàs darentur in Patre, vt generante, plures relationes prędicamentales reales contrà communem Theolog. senten. docentem in Deo solùm dari quatuor relationes reales scilicet, paternitatem, filiationem, spirationem actiuam, & passiuam. Ad secundam *Ad secundam.* obiectionem dicatur, paternitatem non ideò realiter à filiatione producta distingui, quia est conditio principij producentis ipsam, sed quia est ipsa relatiua oppositio, expressè quidem sub conceptu referentis, & connexiuè, & implicitè sub conceptu formæ hypostaticæ subsistentis.

326 Ad tertiam, nego maiorem: nam principium *quod* Filij, & generationis, non est personalitas, sed persona Patris, nec persona supponit pro personalitate in abstracto, sed in concreto constante ex personalitate in recto, & natura in obliquo, quod quidem concretum distinguitur *realitèr* à termino genito, & *virtualitèr* ab actione generatiua; cum hac tamen differentia, quod distinctio à termino genito, non est in ratione formali terminandi generationem comparata cum principio *quo*; cum potiùs in ea hæc summa identitas petatur, sed in proprietate personali producta comparata cum proprietate personæ producentis; distinctio autem virtualis actionis generatiuæ à principio *quod* generante, non est ratione proprietatis personalis, quæ solùm est conditio, sed ratione principij *quo* generationis, quæ est natura generantis. *Ad tertiam.*

§. X.

Exclu ditur existentia à constitutione Metaphysica essentiæ diuinæ.

QVARTA CONCLVSIO. *Existentia non constituit essentiam diuinam, vt vltima, vel quasi vltima differentia.* Hanc statuo contra Authores quintæ sententiæ, quos sequitur Franciscus Fœlix *Tract. de scientia Dei difficult. 6.* docens cum Theodoro Smising. Deum esse essentialiter substantiam spiritualem viuentem vita intellectuali, existentem per essentiam, ità vt prima illa prædicata, quamuis essentialia sint, non tamen sunt vltima differentia, sed hoc modo per existentiam sibi essentialem Dei naturam, & essentiam *Metaphysicè* constitui Nostram conclusionem tenent Albelda, Marcus de la Serra, & Ildefonsus Miguel vbi *suprà*. Tenet etiam ex PP. Societatis Granadus *Tom. 1. in 1. p. tract. 2. disp. 2.* & à fortiori tuentur eandem sententiam Maironius, Bargius, & Trombetta, qui (vt refert Theodorus Smising. *disput. 2. de essentia Dei quæst. 1.*) censuere existentiam ab essentia Dei distingui ex natura rei, quos sequitur Philippus Faber *in 1. disp. 14. cap. 2. num. 12.* vbi ait: *Existentiam realiter sumptam esse de quidditate Dei, quia est idem cum illo, sumptam verò formaliter esse modum essentiæ diuinæ.* 327 *Quarta conclusio. Falia. Smising. Albelda. Serra. I. d. M. Granad. Mair. Barginus. Tromb. Faber.*

Supponendo tamen existentiam non distingui ex natura rei ab essentia, & insuper esse Deo essentialem, claudique in eius conceptu, quod ex dicendis *disp. sequenti* constabit, probatur nostra conclusio primo testimonijs D. Thomæ. Primum habetur *in hac 1. p. quæst. 14. art. 5. in corpore.* illis verbis: *Sicut enim esse consequitur formam, ità intelligere sequitur speciem intelligibilem, in Deo autem non est forma quæ sit aliud, quàm suum esse: vndè cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ex necessitate sequitur, quòd ipsum eius intelligere sit eius essentia, & eius esse.* Ex quibus verbis colligitur nostræ conclusionis veritas, primò: nam iuxtà D. Thomam sicut intelligere consequitur speciem intelligibilem, ità esse consequitur formam: sed intelligere in Deo, etsi non consequatur speciem intelligibilem *realiter*, consequitur tamen *virtualitèr*, ideòquè Deum non constituit in ratione speciei, sed constitutum supponit, ergò quamuis esse in Deo non consequatur formam, vel essentiam diuinam per realem consecutionem, vt in præcedentibus monstrauimus, illam tamen consequitur *virtualiter*; & consequenter non est de constitutione metaphysica essentiæ. 328 *Probatur primo testimonijs D. Thom. primum. Prima ponderatio.*

Secundò ex eisdem verbis colligitur, & probatur: loquitur namque eodem modo de identitate intellectionis, ac de identitate existentiæ cum essentia diuina, & ex ista probat primam; at, vt vidimus, & vrgenter satis ex D. Thoma *suprà* monstrauimus, identitas intellectionis cum essentia, non est virtualis, & constitutiua per rationem, sed ratione ratiocinata ab illa distinguitur: ergò idem est consequenter dicendum de identitate existentiæ cum essentia. 329 *Secundò.*

Secundum testimonium habetur in D. Tho. *quæst. 10. de veritate art. 12. ad 9.* ex argumentis positis secundo loco, quod ità procedebat: *Inter quæcumque distinguit ratio, vnum potest sine altero cogitari, sicut Deum esse possumus cogitare sine eo quod cogitemus, eum esse bonum, vt dicit Boetius de hebdomadibus, sed in Deo differunt ratione esse & essentia: ergo idē quod prius.* Cui argumēto ità resp. *Ad nonū dicendum, quod ea quæ sunt à ratione distincta, non semper possunt cogitari ab inuicem separata esse quamuis separatim cogitari possunt. Quamuis enim Deus cogitari possit sine hoc, quod eius bonitas cogitetur, non tamen potest cogitari, quod sit* 330 *Secundum testimonium D. Th.*

Deus

Deus, & non sit bonus: vnde licet in Deo distinguantur quod est, & esse, ratione, non tamen sequitur, quod possit cogitari non esse. Ergò iuxta D.Thom. existentia in Deo differt ratione ab essentia; & consequenter illam *metaphysicè* non constituit.

331 *Tertiu.* Tertium habetur *in 1.dist.2 2.q.1.art.3.ad 4.* ibi: *Dicendum, quod differunt nomina attributorum secundum rationem, non tamen quæ sit solum in ratiocinante, sed quæ salvatur in ipsa re secundum veritatem, & proprietatem rei. Quod sic patet; omnia enim huiusmodi dicuntur de Deo, & creaturis, non æquiuocè; sed secundum vnam rationem analogicè; vnde cum in creatura ratio sapientiæ non sit ratio bonitatis, oportet, quod etiam hoc in Deo sit verum, sed in hoc differunt, quod in Deo idem sunt re, in creaturis autem differunt re.* Quod etiam docuit *in eodem lib.dist.2. quæst. 1. art.3. in corp. & art.3. in corp. dist. 35.q. 1. art. 1. ad 2. & quæst. 7. de potentia art. 6.*

332 *Expenditur D.T. testimonium.* Ex qua doctrina sic arguitur pro nostra sententia, quia sapientia, & bonitas dicuntur de Deo, & creaturis non *æquiuocè*, sed secundùm vnam rationem *analogicè*, & in creaturis ratio sapientiæ non est ratio bonitatis, bonitas, & sapientia diuina distinguuntur ratione cum fundamento in re; & consequenter distinctione rationis ratiocinatæ; sed essentia, & existentia dicuntur de Deo, & creaturis non *æquiuocè*, sed secundùm vnam rationem *analogicè*, hoc enim nomen *ens*, siuè *nominalitèr*, sumptum, qua ratione essentiam significat, siuè sumptum *participalitèr*, qua ratione significat existentiam, dictum de Deo, & creaturis non æquiuocum, sed analogum est analogia proportionis, & in creaturis ratio essentiæ non est ratio existentiæ: ergò existentia, & essentia in Deo distinguuntur ratione cum fundamento in re, quæ est distinctio rationis ratiocinatæ; & consequenter existentia non constituit *Metaphysicè* essentiam diuinam.

333 *Quartū testimon.* Id ipsum deducitur ex alia doctrina D.Thomę *3 p.quæst. 17. art. 2.* vbi docet, in Christo esse duas naturas, non tamen duplex esse existentiæ. Ex quo fit, vt sicut natura humana subsistit subsistentia Verbi, existat existentia Verbi, quæ est eadem cum existentia naturæ, vt docet D. Thom. *ibidem sol.ad 3.* Ex qua doctrina tale argumentum pro nostra sententia resultat: essentia diuina non vnitur *formalitèr* naturæ humanæ sub conceptu essentiæ, aliàs illam Deum constitueret, quod est hæreticum, & vnitur *formalitèr*, sub conceptu existentiæ; quandòquidem per diuinam existentiam existit; sed hoc non posset saluari, quin essentia sub concep u essentiæ, & existentia sub conceptu existentiæ distinguantur aliquomodo ratione: ergò sic distinguuntur; & consequenter existentia sub conceptu existentiæ non exprimitur in conceptu essentiæ. Ex quo vlteriùs fit, vt essentia diuina, ratione nostra non constituatur per existentiam *formaliter*.

334 *Secundo probatur conclus. ratione.* Deindè probatur ratione, per id constituitur *metaphysicè*, ratione nostra, essentia Dei sub conceptu essentiæ, quod primò in illa intelligitur cum fundamento in re, sed quod primò sic à nobis intelligitur in Deo, non est existentia: ergò non constituit ratione nostra, & metaphysicè essentiam sub conceptu essentiæ. Consequentia tenet. Maior constat ex dictis sæpè *in hac disp.* & ab illis, cum quibus disputamus, supponitur. Minor autem probatur: existentia Dei distinguitur ab essentia diuina ratione ratiocinata; sed existentia vt sic distincta, non concipitur à nobis, vt prior essentia: ergò vt posterior essentia concipitur; & consequenter existentia non est, quod primò concipitur in Deo cum fundamento in ipso. Minor, & consequentia tenent.

335 *Minor prob. 1.* Maior autem constat ex doctrina D.Thomæ, vt probauimus, & ostenditur primò: etenim talis distinctio nullam ponit imperfectionem in Deo, dummodo realitèr cum essentia identificetur, in illaque implicitè includatur, vt à nobis constituitur: ergò distinguitur ab essentia ratione *Secundo.* ratiocinata. Secundò: sicut enim existentia est vltima actualitas essentiæ sub conceptu essentiæ, ità intellectio est vltima actualitas essentiæ suo conceptu naturæ; sed intellectio distinguitur à natura diuina ratione ratiocinata, quin ex hoc aliqua imperfectio sequatur, vt in præcedentibus satis ostendimus, & fatentur plures ex illis, contrà quos nostra conclusio procedit: ergò pariter ex distinctione rationis ratiocinatæ existentiæ Dei ab essentia, nulla sequitur imperfectio.

336 *Tertio.* Tertiò: non enim minus est de ratione termini, rem terminatam supponere, & consequenter ab illa distingui, quàm de ratione actionis præsupponere principium, & distingui ab illo; sed existentia ex propria ratione, & conceptu, est terminus essentiæ, sicut intellectio est actio; quò circa, vt docetur à nostris Thomistis cum Angelico Doctore *3. p. quæst. 17. art. 2.* non repugnat existentiæ diuinæ existentem reddere naturam humanam, quia nempè vt illam existentem constituat, sufficit vniri vt terminum, quì modus vnionis, cum natura creata, non infert imperfectionem in Deo: ergò sicut intellectio, quia vt actio, supponit naturam, ab illa distinguitur, illamq; non constituit in ratione naturæ, ità existentia, quia est terminus essentiæ, illam virtualiter terminans, distinguitur ab essentia, illam supponit, metaphysiceque non constituit.

Deniquè probatur maior: vt enim fatentur Scotistæ, existentia attributorum distinguitur ab illis ratione, aut ex natura rei, quod etiam docent Discipuli D. Thomæ, non agnoscentes in Deo, nisi vnicam existentiam, per quam existunt relationes, & omnia attributa. Ex quo euidenter infertur, existentiam ab attributis, & relationibus virtualiter, & ratione distingui, quin ex hoc aliqua imperfectio in attributis sequatur: ergò pariter distinctio rationis ratiocinatæ existentiæ ab essentia diuina, non infert imperfectionem. 337 *Quarto Probatur maior.*

Et ex his suadetur tertiò conclusio: si existentia esset Deo essentialis metaphysicè constitutiuè, maximè quia est actus purus, omnem potentialitatem excludens; sed hæc ratio est nulla: ergò Deo non est prædicto modo essentialis. Consequentia tenet. Maior videtur certa: nam existentia est actus excludens potentialitatem obiectiuam: ergò si Deo essentialis est, vt illum metaphysicè constituens, erit ex conceptu actus puri excludentis omnem potentialitatem. Patet consequentia: nam sub omni potentialitate includitur potentialitas obiectiua: Minor autem probatur: intellectus v.c. (idemquè est de quouis attributo dicendum) est actus purus omnem potentialitatem excludens, & tamen non est illi essentialis constitutiuè existentia, vt fatentur Auctores oppositi, & patet, aliàs omnia attributa constituerentur vltimò differentialitèr existentijs sibi proprijs, & totus Deus in existentias virtualitèr distinctas resolueretur: ergò ex ratione actus puri conueniente essentiæ diuinæ, non probatur, vltimò differentialitèr per existentiam constitui. 338 *Tertio probatur conclusio.*

Et augetur difficultas: enti diuino vt communi attributis, & relationibus, repugnat essentialiter potentialitas obiectiua; & tamen non est illi essentialis constitutiuè existentia: ergò ex eo quòd essentiæ sub conceptu essentiæ essentialitèr repugnet potentialitas obiectiua, non probatur metaphysicè per existentiam constitui, illiquè sub conceptu essentiæ esse essentialem existentiam metaphysicè constitutiuè. Consequentia benè infertur. Maior est certa: nam potentialitas obiectiua est status rei intra causas, at enti diuino vt sic, status intra causas essentialitèr repugnat: ergò illi vt sic essentialitèr repugnat potentialitas obiectiua. Minor autem ostenditur primò ex doctrina Thomistarum asserentium, attributa omnia vnica existentia existere, similitèrque relationes. Ex quo euidenter sequitur, existentiā non multiplicari, nec in relationibus realitèr, nec virtualitèr in attributis; at si ens diuinum vt sic, constitueretur metaphysicè existentia, non posset non multiplicari existentia, realitèr in relationibus, & virtualiter in attributis; quandòquidem ratio entis diuini in illis multiplicatur realitèr, aut virtualitèr, implicat autem multiplicari constitutum non multiplicato illius formali, & metaphysico constitutiuo: ergò existentia non est enti diuino in prædicta communitate essentialis metaphysicè constitutiuè. 339 *Confirm.* *Minor prob. 1.*

Secundò probatur contra discipulos Scoti, qui docent, existentiam non esse attributis essentialem; sed si esset de essentia entis diuini in illa communitate essentialis metaphysicè constitutiuè, non posset non esse essentialis attributis: ergò enti diuino, vt sic, non est prædicto modo essentialis: Maior traditur à Theodoro Smising. *vbi supra*: Minor autem non potest negari; non enim stat rationem aliquam essentialiter conuenire, quin essentialiter conueniat illius constitutiuum metaphysicum: quò circa nulli potest conuenire essentialitèr animal, cui essentialitèr non conueniat ratio viuentis sensibilis, constituens animal metaphysicè; nec homo potest alicui essentialitèr conuenire, cui essentialitèr non conueniat esse animal rationale constituens metaphysicè hominem; sed ratio entis diuini in illa communitate, essentialitèr conuenit attributis: ergò si consti- 340 *Secundo.*

constituitur metaphysicè per existentiam hæc essentialitèr debet conuenire attributis.

341 *Tertia.* Deindè contrà eosdem suadetur; vt enim ipsi contendunt, existentia est vltima differentia, vel quasi differentia essentiæ, prout essentia in Deo ab attributis ex natura rei, in illorum sententia, distinguitur; sed hoc nequit esse verum, si enti diuino in illa communitate sit constitutiuè essentialis: ergo sic essentialis non est. Maior illorum sententiam continet. Consequentia est bona, & minor probatur: prædicatum commune per logicam transcendentiam attributis, & essentiæ, non potest vltimò differentialitèr essentiam constituere, sicut nec illam ab attributis distinguere; sed si existentia constituit metaphysicè ens diuinum, est prædicatum commune per logicam transcendentiam attributis, & essentiæ, non minùs, quàm ens diuinum: ergò non potest distinguere essentiam ab attributis, & consequenter nec illam constituere, vt vltima differentia.

342 *Confirm.* Quod ampliùs vrgetur: ratio entitatis diuinæ non potest esse vltima differentia constitutiua essentiæ, vt ab attributis distinctæ, eo quòd est communis attributis, & essentiæ, sed non minùs est communis existentia diuina, si ens diuinum metaphysicè constituit: ergò existentia non constituit ens diuinum metaphysicè. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: non stat constitutum metaphysicè per aliquam differentiam esse pluribus commune, & non esse illis communem vltimam differentiam constituentem, vt proximè dicebamus; sed ens diuinum in illa communitate est commune per logicam transcendentiam attributis, & essentiæ: ergò existentia diuina etiam est illis communis, si ens diuinum metaphysicè constituit.

343 *Deniq. ae probatur conclusio.* Denique probatur conclusio: nam si ob aliquam rationem existentia, vt conueniens essentialitèr Deo, esset vltima differentia essentiæ, & naturæ diuinæ, maximè, quia sine illa non potest diuina intellectualitas à creata intellectualitate distingui, sed hoc est falsum: ergò existentia, vt conueniens essentialiter Deo, non constituit vt vltima differentia essentiam, & naturam diuinam. Maior continet rationem aduersariorum: minor autem ostenditur *Minor probat. 1.* primò: misericordia, & iustitia diuina non minùs distinguuntur à misericordia, & iustitia creata, quam natura intellectualis diuina à natura intellectuali creata; & tamen, vt distinguantur, non requiritur, quod existentia sit illis essentialitèr conueniens, vt vltima differentia: ergò pariter sine existentia, vt conueniente essentialiter ingrediente vt distinctiua, distinguetur sufficienter essentia intellectualis diuina ab essentia intellectuali creata.

344 *Secundo.* Secundò: intellectus, & intellectio increata distinguuntur essentiali er ab intellectu, & intellectione creata, quin illa distinguat existentia vt essentialis, aliàs omnia attributa metaphysicè constituerentur per suas proprias existentias, vt illis conuenientes essentialitèr, quod contrarij Auctores negant: ergò pariter essentia intellectualis diuina distinguetur sufficienter ab essentia intellectuali creata, sine eo quòd illam metaphysicè constituat existentia vt essentialis. *Tertio.* Tertiò: intellectus diuinus distinguitur sufficienter ab intellectu creato per rationem principij proximi virtualis identificantis sibi perfectissimam, actualissimamque intellectionem, & Dei comprehensiuam: ergo pariter essentia Dei sub conceptu naturæ, & principij remoti distinguetur à natura intellectuali creata, per rationem principij virtualis remoti identificantis sibi actualissimam, perfectissimamque intellectionem, Deique comprehensiuam, & sub ratione essentiæ sufficienter distinguetur ab essentia creata per conceptum radicis virtualis existentiæ perfectissimæ, sibique identificatæ; & consequenter, vt essentia intellectualis diuina distinguatur ab essentia intellectuali creata, non exigitur existentia, vt vltima differentia constituens.

§. XI.

Diluuntur contraria argumenta.

345 *Argumentum primo ex diuin. Script.* Contra nostram conclusionem objicitur contrarij Auctores primò illud Exodi 3. vbi Moysi quærenti, quod esset nomen Dei, hoc responsum fuit datum à Deo: *Ego sum, qui sum, hæc dices Filijs Israel, qui est, misit me ad vos.* Ex quibus verbis tale argumentum conficiunt: nomen proprium alicuius, est quod significat vltimam differentiam, qua ab alijs distinguitur; sed hoc nomen, *qui est*, est nomen proprium Dei, & existentiam significat: ergò existentia est vltima differentia essentiæ, & naturæ diuinæ. Confirmatur primò ex Hilario *lib. 1. de Trinit.* vbi hæc verba ponderans, ait: *Admiratus sum planè tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ diuinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo, ad intelligentiam humanam sermone loqueretur, non enim aliud magis proprium Deo, quàm esse intelligitur.* At si vltima differentia Dei existentia non esset, aliquid magis proprium Deo intelligi posset, & deberet; cum vltima alicuius rei differentia sit, quæ maximè illi est propria: ergò vltima differentia constitutiua *Metaphysicè* Dei, est existentia, vt ipsi *essentialitèr*, conueniens. *Confir. 1.*

346 *Confir. 2.* Confirmatur secundo: vt enim ex prædictis verbis arguit D.Thomas *in hac 1.p. infra quæst.13. art. 11. in argumento. sed contra*, hoc nomen, *qui est*, est maximè proprié nomen Dei, at nomen maximè proprium, est quod significat prædicatum maximè proprium: ergò hoc nomen, *qui est*, prout appropriatum Deo, significat prædicatum maximè proprium Dei; at hoc nomen, *qui est*, significat existentiam: ergo existentia est prædicatum maximè proprium Dei: & consequenter est vltima differentia illius. Patet vltima consequentia: nihil enim potest esse alicui magis proprium, quam vltima differentia, ratione cuius primò distinguitur ab alijs, quæ non sunt ipsum: ergò si existentia est prædicatum maximè proprium Deo est vltima differentia illius.

347 *Confir. 3.* Deniq; confirmatur, & vrgetur: nam ex prædictis verbis inferunt Ecclesiæ PP. ipsum esse soli Deo verè, & propriè conuenire. Ita Chrysostomus *homilia 14 in Ioannem.* Origines *homilia vnica in libros Regum.* Nazianzenus *oration.4.de Theologia.* Augustinus *11. de Trinitate cap. 2.* Hieronymus *in maioribus commentarijs ad Ephesios,* explicans illud *cap.3.* ex quo omnis paternitas, *& epist. 57. ad Damasum.* at non potest esse verum; quia creaturis nullatenus esse, vel existentia conueniat; cum verè in rerum natura existant: ergò ideo verum est, quia soli Deo essentialitèr conuenit existentia, & consequenter hæc, Dei essentiam *Metaphysice* constituit. *Chrysost. Origines. Naz. Augusti. Hieron.*

348 *Explicat.* Et augetur difficultas: nam omne prædicatum Deo, & creaturis conueniens diuerso modo in Deo, & creaturis reperitur; & consequenter existentia Deo, & creaturis communis, diuerso modo debet Deo conuenire ab illo, quo in creaturis inuenitur; sed hæc diuersitas non potest in existentia saluari, nisi Dei essentiam *Metaphysicè* constituat. ergò asserendum est Dei essentiam *Metaphysicè* constituere. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: ideo namquè in sapientia v.c. in misericordia, alijsque attributis saluatur differentia in modo conueniendi Deo, & creaturis, quia in Deo substantia sunt, ipsique identificata, secùs autem in creaturis; sed diuersitas in modo conueniendi existentiam, non potest per hoc saluari: nam etiam in creaturis est substantialis, & identificata cum illis; ergò vt saluetur, oportet quod existentia Deo conueniat essentialitèr: ac proindè, quod essentiam, & naturam diuinam metaphysicè constituat.

349 *Respond.* Respondeo ex verbis Exodi, solùm colligi, existentiam conuenire Deo essentialitèr, quod non negamus, non tamen constitutiuè in ratione essentiæ, & naturæ, quod negamus, nec ex vno sequitur aliud, vt falsò aliqui arbitrantur; vt enim essentialiter conueniat, sufficit in conceptu essentiæ includi; vt autem constitutiuè se haberet, deberet in conceptu essentiæ explicari. Et quidem relationes in nostra sententia, & Thomistis frequentiori essentialitèr in conceptu essentiæ includuntur; & tamen non constituunt metaphysicè essentiam, & naturam diuinam: attributa etiam sunt de conceptu implicito essentiæ, & vnum attributum in conceptu alterius includitur, quin ex hoc inferatur essentiam attributis metaphysicè constitui, aut vnum attributum per aliud.

350 *Nomen qui est, non est nomen proprium Dei proprietate adæquata, sed tamen inadæq.* In forma ad argumentum ex prædictis verbis sumptum respondeo, distinguendo maiorem: nomen proprium alicuius adæquatè, concedo maiorem: proprium inadæquatè, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam hoc nomen *qui est*, non est proprium nomen Dei proprietate adæquata, sed inadæquata solùm, ratio autem distinctionis, & doctrinæ traditæ est: nam illud nomen est proprium proprietate adæquata, per cuius significatum res differt ab omnibus alijs; illud autem nomen,

per

per cuius significatum res differt ab aliquibus, non tamen ab omnibus, etsi proprium sit, non tamen est proprium proprietate adæquata; Deus autem, etsi per existentiam vt essentialem differat à creaturis, non tamen differt illius essentia ab attributis, & relationibus per illam, quia omnibus essentialiter conuenit; ideoque etsi nomen *qui est*, sit nomen proprium Dei proprietate inadæquata, non est nomen proprium Dei proprietate adæquata, quia ad id necessarium erat, vt existentia distingueret Deum non solùm à creaturis, sed etiam distingueret essentiam ab attributis, vt enim in limine disputationis aduertimus, prædicatum constitutiuum essentiæ, & naturæ diuinę, debet illam ab attributis distinguere.

351 *Ad primam confirmationem.* Ad primam confirmationem, quæ solutioni traditæ obstare videtur, dicatur, loqui Hilarium de maiori proprietate, non ex parte rei significatæ, sed ex parte illius, à quo nomen imponitur; sic autem nomen Dei proprijssimum, est nomen *qui est*, vt explicat D. Thom. *Infra quæst. 13. art. 11.* eo quòd nomen *Deus*, quod ex parte rei significatæ est magis proprium, fuit ex operatione ad extrà ad significandum impositum; nomen autem *qui est* ab existentia; & quia existentia magis propria est essentiæ, quàm extrinseca operatio; fit consequens, vt nomen *qui est* excedat in proprietate quoàd id à quo nomen imponitur, non autem quoad rem per nomen significatam.

352 *Ad secundam.* Et ex his ad secundam confirmationem constat solutio, imò ex verbis, & doctrina D. Thomæ efficax argumentum contrà oppositam sententiam insurgit; si namque existentia esset constitutiua essentiæ, & naturæ Dei, hoc nomen *qui est* esset nomen Deo proprijssimum, non solùm quoàd id, à quo fuit impositum, sed etiam quoàd rem significatam, vt contrarij arguendo fatentur; at D. Thomas hoc negat: ergo sentit existentiam non esse differentiam Deitatis constitutiuam, nec in ratione essentiæ, nec in ratione naturæ, vt *inferius* ampliùs vrgebimus.

353 *Ad tertiā.* Ad tertiam confirmationem, concessis maiori, & minori, & prima consequentia, nego secundam, quæ subinfertur; stat enim existentiam essentialiter conuenire, & tamen non constituere, vt proximè dicebamus, constatque in relationibus, & attributis, quæ essentialiter conueniunt, & in essentia actu simpliciter includuntur; & tamen nec naturam sub conceptu naturæ, nec essentiam sub conceptu essentiæ *Metaphysice* constituunt, modi etiam contrahentes ens, essentialiter includuntur in ente, in communi Thomistarum sententia, & tamen non constituunt ens *Metaphysicè*, quia in ente non exprimuntur.

354 *Ad explicationem.* Ex hisque ad explicationem, concessa maiori, nego minorem: ad probationem, concessa maiori, & prætermissa minori, nego consequentiam; dato namque existentiam realitèr identificari cum essentia creaturæ, quod falsum est in doctrina D. Thomæ, adhuc subsistit discrimen, etiam si existentia non sit differentia constituens essentiam Dei per hoc, quod illi essentialis sit, quod in creatura non habet: nam licet detur existentiam non distingui realitèr ab essentia creaturæ, illi tamen essentialis non est, sed ab extrinseco aduenit, scilicet, per actionem creantis; Deo autem essentialis est existentia. Nec ex sola identitate duorum prædicatorum, sequitur vnum alteri esse essentiale; animal namque realitèr identificatur cum rationali, & hoc cum animali, & tamen nec animal essentiale est rationali, nec rationale animali: cum animal à rationali, & hoc ab animali præscindat perfecta præcissione quoàd implicitum, & explicitum. Vel potest discrimen subsistere, etiam si existentia non sit essentialis Deo secundùm esse formale, per hoc, quod in radice ipsi essentialiter conueniat, quia licèt demus existentiam sumptam formalitèr Deo essentialem non esse, radix tamen existentiæ, seu esse existentiæ radicem, Deo conuenit essentialitèr Metaphysicè, & constitutiuè: creaturæ autem, nec quoàd esse formale, nec quoàd esse radicale conuenit existentia essentialitèr, sed ab extrinseco aduenit, nempè à Deo creante, vel producente existentiam.

355 *Existentia diuina distinguit Deum à creaturis, non primariò, sed secundariò, & consecutiuè.* Et tamen obitèr aduertendum, vt tacitæ obiectioni occurratur, quòd cum asserimus, significatum huius nominis *qui est*, videlicet existentiam. Deum à creaturis distinguere, non est accipiendum de primaria distinctione, sed secundaria; cum enim existentia, nec Deum sub conceptu essentiæ pro ab attributis distinctæ, nec sub conceptu entis diuini transcendentis omnes Dei formalitates Metaphysicè primò constituat, non potest primò distinguere, sed secundò, & consecutiuè, quia tamen existentia notior nobis est, quàm entitas, vel essentia, in qua radicatur, ideo hoc nomine *qui est* significante existentiam, textus sacer vsus fuit ad indicandam distinctionem Dei à creaturis.

Secundò principaliter arguunt: illud est vltima differentia alicuius, per quod primò distinguitur ab omnibus ab illa distinctis; sed hoc solùm habet existentia vt Deo essentialiter conueniens: ergò existentia est vltima differentia Metaphysicè Dei essentiam, & naturam constituens. Consequentia est bona. Maior certa, & minor probatur in Deo namquè hæc prædicata essentialia inueniuntur, videlicet ratio entis, substantiæ spiritualis, viuentis, intellectualis existentis essentialitèr; at per nullum ex his distinguitur ab omni, quod non est Deus, præter quàm per existentiam: ergò sola existentia Deum ab omnibus alijs primò distinguit. 356 *Secundò arguitur ratione.*

Probatur minor: nam in primis ratio entis, communis est omni enti, prędicatum substantiæ, solùm ab accidenti distinguit, in illoque conuenit cum substantia creata, spiritualitas solùm distinguit Deum à substantia corporea, conuenit autem in illo cum substantia spirituali creata, in prædicato viuentis conuenit cum substantia viuente creata, & in prædicato vitę intellectualis conuenit cum hominibus, & Angelis: ergo per nullum ex illis prædicatis primò distinguitur ab omnibus alijs, sed solum per existentiam, quatenùs sibi essentialem. Explicatur difficultas: per prædicatum Deo, & creaturis commune non potest Deus primò ab omnibus alijs distingui, vt ex terminis est per se notum; sed prædicata illa nempe ens substantia spiritualis, viuens, & intellectualis, sunt Deo, & creaturis communia; sola autem existentia, vt conueniens essentialiter, Deo conuenit, & creaturis repugnat: ergo nullum ex illis, præterquam existentia, Deum ab omnibus distinguit; & consequenter sola existentia ipsum Metaphysicè constituit, vt vltima differentia. *Cōfirmat.*

Hoc argumentum in primis in contrarios retorquetur in hunc modum: prædicatum Dei essentiam Metaphysicè constituens, vt vltima differentia, non est, quod Deum à creaturis distinguit, sed quod intrà ipsum Deum contrahendo suo modo rationem entis diuini, essentiam distinguit ab attributis, & alijs diuinis formalitatibus; sed existentia vt conueniens essentialitèr, esto Deum à creaturis distinguat, non tamen distinguit essentiam ab attributis: ergo existentia vt conueniens essentialitèr, non constituit Dei essentiam vt vltima differentia. Consequentia est bona. Minor constat ex dictis §. præcedenti, & maior nequit negari: nam distinctio Dei à creaturis, communis est omni prædicato diuino: ergo prædicatum, Deum à creaturis distinguens, est commune attributis, & essentiæ; sed prædicatum attributis, & essentiæ commune, non potest essentiam constituere, vt ab attributis distinctam; ergo prædicatum, Deum à creaturis distinguens, non est prædicatum Dei essentiam Metaphysicè constituens, vt vltima differentia, sed quod intra ipsum Deum essentiam distinguit ab attributis, vel distinctione reali formali, vt volunt Scoti discipuli, vel virtuali, aut rationis ratiocinatæ, vt vera sententia tenet. 357 *Retorquetur argumentum in contrarios.*

Deindè instatur in intellectu diuino de quo potest idem argumentum ità formari: intellectus diuinus est principium proximum intelligendi, essentialiter existens, sed non distinguitur ab intellectu creato per esse principium proximum intelligendi, quandoquidem hoc prædicatum, etiam conuenit intellectui creato: ergo ab illo per existentiam vt essentialem distinguitur. Cuius sylogismi conclusio falsa est in sententia illorum, negantium existentiam constituere Metaphysicè attributa: ergo tenentur fateri argumentum in hoc non conuincere, vel quia consequentia non tenet, vel quia minor est falsa; & consequenter agnoscere in intellectu diuino prædicatum distinctum ab existentia, ipsum ab intellectu creato distinguens, quamuis inter se analogicè conueniant in ratione principij proximè intellectiui. Ex quo vlteriùs fit, vt quamuis natura intellectualis creata, & diuina conueniant in ratione principij *radicalitèr* intellectiui, malè inferatur, non posse inter se in linea intellectuali radicali, nisi per existentiam, vt essentialem distingui. 358 *Instatur argum.*

Si forte dicatur: argumentum non tenere in intellectu; benè tamen in natura intellectiua, eo quod in intellectu præter existentiam, datur aliud prædicatum distinguens, scilicet, prædicatum substantiæ conueniens intelle- 359 *Respond.*

ctui

ctui diuino, & repugnans intellectui creato: vndè quamuis conueniant in ratione principij proximè intellectiui, non sequitur per solam existentiam distingui; in natura autem intellectuali diuina non potest à prædicato substantiæ distinctio essentialis à natura intellectuali creata præstari, quia est prædicatum vtriquè naturæ commune; vnde ex eo quod conueniant in prædictis prædicatis, rectè infertur per solam existentiam distingui.

360 *Contra 1.* In contrarium obstat primò: nam prædicatum substantiæ est transcendens, & commune ad omnem diuinam formalitatem; sed prædicatum sic commune, non potest esse vltima differentia intellectus diuini: ergo præter illud datur alia vltima differentia, intellectum diuinum in sua quasi specie constituens, illumquè ab intellectu creato distinguens, non obstante conuenientia inter vtrumquè intellectum in ratione principij proximè intellectiui. *Secundò.* Secundò; nam distinctiuum vltimum intellectus diuini ab intellectu creato, non potest esse commune voluntati, & intellectui diuino, nec idem cum distinctiuo voluntatis diuinæ à voluntate creata; sed si ratio substantiæ distingueret vltimo intellectum diuinum à creato, esset commune intellectui, & voluntati diuinæ, idemquè cum illo, quod voluntatem diuinam distingueret à creata: ergo prædicatum substantiæ non est, quod vltimo distinguit intellectum diuinum ab intellectu creato. *Tertiò.* Denique: nam si prædicatum substantiæ, quia conuenit intellectui diuino, & repugnat creato, inter vtrumque sufficienter distingueret, etiam ratio entis diuini conueniens naturæ diuinæ, & repugnans creatæ, distingueret sufficienter naturam diuinam à natura creata: ergo quamuis conuenirent in illis prædicatis, quæ in argumento adducuntur, non sequeretur per existentiam essentialem vltimò distingui.

361 *Ad argumentum resp. 1.* Ad argumentum ergo responderi potest primo, distinguendo maiorem; per quod distinguitur ab omnibus contentis in ratione communi immediata, concedo maiorem: à non contentis in ratione communi *immediatè* superiori, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Itaquè essentia diuina, & distinguitur à creaturis, & distinguitur ab attributis; cum hoc tamen discrimine, quod cum attributis conuenit in ratione entis diuini, vt in ratione superiori immediata; cum creaturis autem in hac ratione non conuenit, sed in ratione entis, vt sic, quod *immediatè* diuiditur in creatum, & in increatum, & à quibus differt per rationem entis diuini, in qua conuenit essentia cum omni perfectione diuina, non autem per differentiam constitutiuam essentiæ: vndè ex eo quod essentia diuina à creaturis per solam existentiam differret, non sequeretur essentiam in ratione essentiæ per existentiam, vt per vltimam differentiam, constitui: sicut enim homo à planta differt per rationem sensibilis; non autem per rationalitatem, & à lapide per rationem viuentis, non autem per sensibilitatem, quia rationalitas est differentia immediatè sub animali contenta in qua non conuenit planta cum homine, & sensibilitas est differentia immediatè contenta sub viuente, in qua homo non conuenit cum planta: ita Deus à creaturis differt, non per differentiam vltimam essentiæ, quia hæc immediatè continetur sub ente diuino, in quo creaturæ non conueniunt cum Deo, sed per rationem entis diuini communem attributis, & essentiæ, quæ est differentia, aut quasi differentia immediatè contenta sub ente, in quo Deus, & creatura analogicè conueniunt.

362 *Quidam obiectioni occurritur.* Nec sequitur, posse vltimam differentiam essentiæ, & naturæ diuinæ conuenire naturæ creatæ; Cui namquè genus, aut ratio communis sub qua continetur differentia repugnat, non potest non repugnare differentia: cum ergo ratio entis diuini sub qua immediatè continetur differentia constitutiua essentiæ, & naturæ Dei, repugnet naturæ creatæ, non potest non repugnare eidem naturæ vltima differentia constitutiua essentiæ, & naturæ diuinæ; sicut quia animal sub quo immediatè continetur rationale, repugnat plantæ, etiam rationalitas plantæ repugnat, quamuis non sit differentia hominem à planta distinguens, vt proximè dicebamus.

363 *Secundo respond.* Secundo respondeo, concessa maiori, negando minorem; ad illius probationem, concedo maiorem, & nego minorem; ad cuius probationem dicatur: naturam intellectualem diuinam distingui in ratione naturæ à natura intellectuali creata, non per conceptum intellectualitatis, vt sic, in quo analogicè conueniunt, sed per conceptum talis intellectualitatis, nempè, radicantis virtualitèr intellectionem comprehensiuam; qui conceptus naturæ creatæ, siuè ordinis naturalis, siuè ordinis gratiæ, repugnat; etenim natura substantialis ordinis naturalis, quamuis sit intellectiua, & in hoc prædicato analogicè conueniat cum Deo, non tamen est radix connaturalis videndi, & amandi Deum, vt est in se; gratia autem habitualis, etsi connaturalitèr radicalitèr sit vt *quo* potens videre, & amare Deum, hoc habet per realem radicationem visionis, & amoris realitèr distinctorum ab ipsa, & non radicat visionem comprehensiuam, sed tantum quidditatiuam: vndè conceptus radicis virtualis connaturalis, intellectionis indistinctæ, & comprehensiuæ, solùm naturæ diuinæ conuenit; & consequenter illam ab omni natura creata sufficienter distinguit sine ingressu constitutiuo, & distinctiuo existentiæ vt essentialis. Quæ doctrina instantijs adductis constat.

Si dicas; conceptum radicis virtualis, & comprehensiuæ Dei, estò distinguat naturam Dei sub conceptu naturæ, à natura intellectuali creata, non tamen distinguit essentiam Dei sumptam sub ratione essentiæ ab essentia, & natura creata: ergo sub hoc conceptu sola existentia, vt essentiali distinguitur. 364 *Replicabis.* Respondeo, Auctores, qui hoc argumento vtuntur, sentire, naturam Dei, etiam sub conceptu naturæ, per solam existentiam constitui, quod argumento facto suadent, & pro hac parte illi tradita doctrina occurrimus. *Respondetur.* Prout autem ad probandam constitutionem essentiæ sub ratione essentiæ, potest idem argumentum formari, est addendum, quod sicut essentia Dei sub inadæquata expressione naturæ distinguitur à natura creata per conceptum radicis virtualis intellectionis actualissimæ, & comprehensiuæ Dei, quin actualis intellectio constitutiuè ingrediatur; ità sub expressione inadæquata essentiæ distinguitur ab essentia creata per rationem actualissimæ entitatis radicantis virtualitèr, siuquè identificantis perfectissimam, actualissimamque existentiam.

Tertio arguitur: Deitas in ratione essentiæ constituitur summa immaterialitate; sed hæc constituitur existentia essentiali: ergò Deitas in ratione essentiæ constituitur existentia, vt conueniente essentialiter. Consequentia est bona. 365 *Tertio arguitur.* Maior est certa: nam immaterialitas idem est, quod spiritualitas; Deitas autem in ratione essentiæ constituitur summa spiritualitate: est enim Deus substantia spiritualis per essentiam, & ex hoc est in summo gradu cognitionis: ergo summa immaterialitate constituitur: vnde D. Thomas infra quæst. 14. art. 1. inde probat, Deum esse summè cognoscitiuum, vel in summo gradu cognitionis, quia est summè immaterialis, & cognoscitiuum, immaterialitatem consequitur, & cum illa proportionatur. Minor autem probatur, idem est summè immateriale, quod actus purus omnem potentialitatem excludens; sed ratio actus puri excludens omnem potentialitatem, constituitur existentia vt sibi essentiali: ergo summè immateriale existentia constituitur. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: de ratione actus puri est exclusio omnis potentialitatis, & consequenter exclusio potentialitatis obiectiuæ; sed potentialitas obiectiua excluditur per existentiam formaliter: ergo de ratione actus puri est existentia formaliter, & consequenter existentia sibi essentiali constituitur. Probat minor: omnis potentialitas excluditur per sibi oppositum actum formalitèr, v. g. potentialitas ad albedinem excluditur formaliter per albedinem; potentialitas ad intelligendum, per actualem intellectionem, & sic de alijs: & ratio est, nam potentialitas consistit in priuatione actualitatis; & consequenter per actualitatem, vel actum sibi oppositum petit excludi; sed potentialitas obiectiua consistit in potentia ad existendum: ergò excluditur per existentiam formalitèr.

Respondeo, concessa maiori, negando minorem; ad cuius probationem, concessa etiam maiori, nego minorem; 366 *Respondes.* ad illius probationem, distinguo maiorem; de conceptu actus puri est exclusio potentialitatis obiectiuæ formalis, aut radicalis, concedo maiorem; formalis præcisè, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; vt enim diuina essentia sit in linea essentiæ actus purus, sufficit vt *radicaliter* omnem potentialitatem, etiam obiectiuam excludat, radicando existentiam, vt sibi identificatam, & in ipsa actu *implicitè* inclusam, ratione cuius *formaliter* potentialitatem obiectiuam excludat; vt autem existentia constitueretur *formaliter*, deberet de ratione essentiæ esse exclusio formalis, & explicata potentialitatis obiectiuæ, quod diuinæ essentiæ in linea essentiæ non conuenit,

conuenit,

conuenit, sed tantùm, quòd existentiam actualissimam radicet radicatione virtuali, illamque actu *implicitè* includat, quod sufficit, vt sit actus purus actualitate essentiæ, sicut sufficit, vt sit actus purus in linea intellectuali, quod licet non explicet actualem intellectionem, illam radicet in se actualissima radicatione, & actu *implicitè* includat.

367 *Replicabis 1.* Obijcies primò: si non explicat exclusionem potentialitatis obiectiuæ essentia sub conceptu essentiæ, sequitur, posse concipi vt potentialem potentialitate obiectiua; consequens est falsum: ergò sub conceptu essentiæ explicat exclusionem potentialitatis obiectiuæ. Consequentia tenet. Minor est certa; alias posset concipi vt potens non existere, & vt indifferens ad esse, & non esse, quod implicat. *Sequela prob. 1.* Sequela autem probatur primò: quod potest concipi vt non existens, potest concipi vt potentiale potentialitate obiectiua; sed si sub conceptu essentiæ non explicat exclusionem potentialitatis obiectiuæ, potest concipi vt non existens quandoquidem solus existentiæ conceptus opponitur conceptui negationis existentiæ: ergo si non explicat sub conceptu essentiæ exclusionem potentialitatis obiectiuæ potest concipi vt potentialis potentialitate obiectiua. *Secundo probatur.* Secundo probatur: si essentia sub conceptu essentiæ, non explicat exclusionem potentialitatis obiectiuæ, & existentiam, posset concipi vt indifferens ad existendum, & non existendum; sed in hoc potentialitas obiectiua consistit: ergo posset concipi vt potentialis potentialitate obiectiua. Probatur maior: sola inclusio existentiæ, non tollit, quod concipiatur vt indifferens ad esse, & non esse, vt constat in ente, in quo *implicitè* includuntur modi essendi per se, & in alio; & tamen quia non explicantur, concipitur vt indifferens ad modum essendi per se, & modum essendi in alio: ergo si essentia in primo suo conceptu non explicat existentiam, quamuis illam actu implicitè includat, potest concipi vt indifferens ad existendum, & non existendum.

368 *Replicabis 2.* Secundo obijcies: essentia sub conceptu primo essentiæ dicit rationem entis à se per exclusionem causæ, & principij virtualis, vt § *sequenti* dicemus: ergo in suo primo conceptu dicit exclusionem causæ, & repugnantiam ad essendum intrà causas; sed potentialitas obiectiua est status rei intra causas. ergo in suo primo conceptu explicat exclusionem potentialitatis obiectiuæ.

369 *Ad primā replicam resp. Ad 1. probationem sequelæ.* Respondeo ad primam replicam, negando sequelam: ad cuius primam probationem, distinguo maiorem: quod potest concipi vt non existens *præcissiuè* quoad explicitum, cum inclusione implicita existentiæ, nego maiorem: *præcissiuè* quoad explicitum, & implicitum, transeat maior: & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam; sicut enim *subiectiuè* potentiale non est, quod licèt non explicet actum intelligendi, illum actu *implicitè* includit; vt constat ex *supra* dictis; ità *obiectiuè* potentiale non est, nec vt tale concipitur, quod licèt non explicet existentiam actualem, illam actu *essentialitèr implicitè* includit, & quia actualitas essentiæ diuinæ, quamuis non explicet existentiam, illam actu *implicitè* claudit; consequens fit, vt potentialis obiectiuè non sit, nec vt talis concipiatur.

Ad 2. probationem. Ad secundam probationem, nego maiorem; vt enim aliquid possit concipi vt indifferens ad esse, & non esse, requiritur, vt non solùm non explicet existentiam, sed insuper, nec exigentiam essentialem illius; & quia essentia diuina sub conceptu essentiæ, & actualitatis essentialis, quamuis existentiam non explicet, explicat tamen radicationem virtualem, & exigentiam essentialem illius; fit consequens, vt non possit concipi vt indifferens ad esse, & non esse.

370 *Datur in sententia Scoti.* Quam doctrinam necessariò debent admittere Scotistæ, & etiam nostri Thomistæ, asserentes, existentiam attributis essentialem non esse; & consequenter possunt concipi attributa sine expressione existentiæ. Ex quo tamen non infertur, posse concipi vt indifferentia ad essendum, & non essendum: ergo quia existentiam includunt *implicitè* actu, vel quia illam *essentialiter* exigunt. Nec est simile de ente: hoc namque nullum ex modis includit, vt sibi adæquatum, ideoquè sub expresso entis conceptu est indifferens ad illos, essentia autem includit existentiam actualem, illamquè vt sibi adæquatam exigit *contrapositiuè* ad non esse, & ideò nequit concipi vt indifferens ad esse, & non esse.

371 *Ad secūdam replicam.* Ad secundam replicam, distinguo antecedens: rationem entis à se *nominaliter* sumpti, concedo antecedens: sumpti *participialiter*, nego antecedens, & distinguo consequens; exclusionem causæ, & status intra causas *radicaliter*, & inclusione implicita, concedo consequentiam: *formaliter*, & *explicitè*, nego consequentiam: nam exclusio explicita causæ, & status intra causas, importatur solùm ab ente à se *participialitèr* sumpto, qualiter est concretum existentiæ, non autem essentiæ; Deitas autem sub conceptu essentiæ non est ens à se *participialitèr* sumptum *constitutiuè* sed tantum *radicalitèr*, & actu *implicitè*, *explicitè* verò & *constitutiuè* est ens à se *nominaliter*, sicut est actus purus actualitate entitatiua, & in linea essentiæ, non verò in linea existentiæ, ideoquè non explicat exclusionem causæ *formalitèr*, & *complete*, sed *inchoatiuè*, & *radicalitèr*, sicut essentia creata, quæ in sententia Thomistarum est subiectum existentiæ pro priori ad existentiam non concipitur intrà causas, nec extrà causas *complete*, sed *inchoatiuè*, & *vialitèr*.

372 *Instabis.* Sed dices; quod in creaturis distinguantur actualitas essentiæ, & actualitas existentiæ prouenit ex illarum limitatione; sed hæc ratio cessat in Deo: ergò in illo actualitates istæ sine vllo fundamento distinguuntur. *Respondetur.* Respondeo, veram esse maiorem de distinctione reali, falsam autem de distinctione virtuali sufficiente, vt ratio essentiæ non sit ratio existentiæ: ex quo solùm sequitur, actualitates essentiæ, & existentiæ non distingui in Deo *realiter*, non autem, quod *virtualitèr*, & ratione non distinguantur, sicut quòd misericordia distinguatur *realitèr* à iustitia in creatis ex limitatione prouenit, quòd autem ratio iustitiæ non sit ratio misericordiæ, non prouenit ex isto principio, sed ex suis rationibus formalibus, ideoquè in Deo distinguuntur virtualiter, & ratione ratiocinata, non autem reali distinctione.

373 *Vrgebis.* Instabis: indigere complemento, vt existat, limitationis argumentum est in essentia, & ex illa oritur; quandoquidem nascitur ex incompletione, quæ sine limitatione non datur; sed existentia est essentiæ complementum: ergo illa indigere ad existendum ex limitatione nascitur; & consequenter non potest diuinæ essentiæ competere.

Respondetur. Respondeo, indigere complemento *realiter* distincto, vt existat, & per existentiam realiter distinctam existere, ex limitatione nasci, Deoquè repugnare; indigere autem complemento *virtualitèr* distincto, & per existentiam *virtualitèr* distinctam existere, non nasci ex limitatione, nec ex incompletione reali; atquè adeò non repugnat Deo per existentiam *virtualiter* à se distinctam existere, & per aliquid virtualiter distinctum compleri. Et quidem indigere potentijs *realitèr* distinctis ad operandum, & per actum *realitèr* ab operante distinctum operari, ex limitatione oritur, & Deo nequit competere; indigere autem potentijs *virtualiter* distinctis ab essentia, operariq; per actum *virtualitèr* ab operante distinctum, nec imperfectionem, nec limitationem arguit; quandoquidem Deo conuenit, vt plures ex contrarijs fatentur, loquendo de potentijs, quæ sunt proxima principia operandi, & frequentius docetur à Theologis vtriusquè sententiæ, loquendo de actuali operatione.

374 *Quarto arguitur et replicatur contradictā.* Quarto arguitur, & instatur contra dicta: eo ipso quòd essentia diuina distinguatur *virtualitèr*, & ratione ab existentia, non potest non esse potentialis potentialitate obiectiua, & indifferens ad esse, & non esse; sed talis potentialitas, & prædicta indifferentia repugnant diuinæ essentiæ: ergo etiam repugnat ab existentia virtualiter, & ratione distingui. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur: quod non habet existentiam à se, sed ab alio, est potentiale potentialitate obiectiua, & indifferens ad esse, & non esse; sed eo ipso, quod essentia diuina distinguatur virtualiter, & ratione ab existentia, non potest existere à se, sed ab alio: ergo eo ipso est potentialis, & indifferens ad esse, & non esse.

375 *Minor prob.* Minor, in qua sola esse potest difficultas, probatur: essentia diuina, vt distincta *virtualiter* ab existentia, non existit à se ipsa *formaliter*, & *constitutiuè*; sed vt sic distincta non potest à se existere *effectiuè* efficientia formali, nec virtuali: ergo sic distincta non potest existentiam à se habere; & consequenter admissa illa distinctione, necessariò existit ab alio; Consequentia est bona. Maior certa: nam supponitur, quòd constituatur existens per existentiam virtualiter distinctam; & consequenter essentia vt distincta ab existentia, non existit *formalitèr* per se ipsam. Minor etiam pro prima parte est certissima: nam effici efficientia reali pugnat omni diuinæ formalitati. Pro secunda parte probatur: nam principium effectiuum, siuè reali, siuè virtuali

tuali

tuali efficientia petit præintelligi existens in actu secundo ante effectum, vel realem, vel virtualem, sed essentia pro priori ad existentiam, non potest præintelligi existens; ergo essentia nequit esse principium virtuale existentiæ; & consequenter non potest existere à se per efficientiam existentiæ, nec realem, nec virtualem.

376 *Confirmatur.* Confirmatur, & vrgetur: efficientia virtualis vnius ab alio consistit in eo, quòd si *realiter* inter se distinguerentur, vnum ab alio procederet per efficientiam realem formalem, vel hac conditionali explicatur: ergo etiam dimanatio virtualis in illa conditionali consistit, vel per illam explicatur; sed si existentia diuina ab essentia *realitèr* distingueretur, non dimanaret ab illa dimanatione reali formali: ergo modo non dimanat *virtualitèr* ab essentia diuina. *Minor probatur primo.* Minor probatur primo: nam si existentia *realitèr* distingueretur à Deo, se haberet ad eius essentiam modo quo existentia in creaturis ad essentiam comparatur; sed existentia creata non dimanat ab essentia; tùm, quia aliàs esset passio, & proprietas essentiæ. Tùm etiam, quia effectus dimanationis supponit terminum primarium actionis *essentialitèr* completum; actio autem productiua creaturæ, non complerut *essentialitèr* non intellecta existentia: ergo existentia Dei tunc casus non dimanaret realiter ab essentia. *Secundo.* Secundo probatur minor: nam dimanatio vnius ab alio in sententia Thomistarum non est actio noua, & distincta, sed est extensio, vel secunda terminatio actionis productiuæ essentiæ; sed in illa hypothesi essentia diuina non est per aliquam actionem producta: nam supponitur essentia diuina; & consequenter *essentialitèr* productioni ab alio repugnans: ergo in prædicta hypothesi non posset existentia diuina *realitèr* dimanare ab essentia.

377 *Respondetur.* Respondeo, negando maiorem: ad probationem, nego minorem; ad illius probationem dicatur: ad efficientiam strictam, & rigorosam requiri in causa efficiente, non solùm existere in re, sed etiam præintelligi existens; secùs verò ad illam, quæ efficientia rigorosa non est; dimanatio autem non est rigorosa efficientia, nec principium dimanationis est causa rigorosa effectiua: vndè etsi requirat existentiam in re, non requirit sub existentia præintelligi. Et quidem hoc argumentum tenentur Auctores contrarij soluere quandoquidem, in illorum sententia, in creaturis existentia ratione, & *virtualiter realitèr* ab essentia distinguitur; & consequenter existentia ratione nostra subsequitur ad essentiam; & tamen essentia non præintelligitur existens pro illo priori: ergò ad istum modum consecutionis per rationem, & virtualem, non est necessaria existentia vt præintellecta. Eodem etiam argumento vrgentur discipuli D. Thomæ distinguentes *realitèr* actualitatem essentiæ, ità vt implicet actualitas essentiæ sine existentia, vel ad ipsam consequuta, vel sine existentia aliena vices propriæ existentiæ supplente: ergò existentia consequitur necessaria consecutione ad actualitatem essentiæ; & tamen actualitas essentiæ pro priori ad existentiam non concipitur existens: ergo ad rationem principij necessariæ consequutionis non requiritur sub existentia præconcipi. Et ratio omnium esse potest, quia sicut tale principium deficit à rigore efficientis, deficit ab exigentia omnium, quæ petuntur à principio *propriè*, & *rigorosè* effectiuo.

378 *Replicabis.* Sed dices: proprietates consequuntur ad essentiam non *rigorosè effectiuè*, sed tantùm *dimanatiuè*; & tamen illam supponunt conceptam vt existentem: ergò de ratione principij dimanationis est, non solùm in re existere, sed etiam præconcipi existens. *Respondetur.* Respondeo, concessis maiori, & minori, distinguendo consequens: ex ratione principij dimanationis, nego consequentiam: ex ratione talis principij, concedo consequentiam. Cum enim proprietates dimanantes ab essentia in creaturis sint accidentia, accidens autem, vtpotè dans esse *secundum quid* necessariò supponat esse *simplicitèr*, fit, vt supponat necessariò existentiam, quæ est actus vltimus, & talis simplicitèr. Et quidem, vt materia formam recipiat, illamque *materialitèr* causet, non requiritur, quod præintelligatur existens in sententia Thomistarum; & tamen vt accidentia recipiantur in substantia, exigitur, quod substantia præconcipiatur existens ob rationem assignatam, quia nempè esse *secundum quid*, quod ab accidenti præstatur supponit esse *simplicitèr*: sicut ergò subiectum petit præconcipi existens, vt accidentia recipiat, non ex conceptu communi causæ materialis vt sic, sed ex ratione talis causæ, & ex ratione talis effectus, ità principium dimanationis accidentium non ex conceptu communi principij dimanationis, sed ex ratione talis principij petit illam conditionem.

379 *Instabis.* Instabis, attributa Dei non sunt accidentia; & tamen vt virtualiter ab essentia dimanent, illam præsupponunt conceptam vt existentem: ergò quod proprietates creatæ, vt dimanent ab essentia, illam præsupponant conceptam sub existentia, non prouenit ex ratione accidentis dimanantis in communi; & consequenter, quod substantia debeat præconcipi existens, vt sit principium dimanationis proprietatum, illi conuenit non ex ratione talis principij dimanationis, sed ratione communi principij dimanationis. *Si respondeatur.* Si dicatur attributa Dei non esse accidentia physica, bene tamen accidentia metaphysica ideòque vt dimanent ab essentia, illam præsupponunt conceptam sub existentia. *In contrarium obstat.* In contrarium obstat; nam si attributa diuina sunt accidentia metaphysica, etiam existentia Dei erit accidens metaphysicum: ergo si attributa, quia sunt accidentia metaphysica, supponunt virtualiter essentiam conceptam vt existentem, idem erit de existentia dicendum. Probatur antecedens: si attributa diuina sunt accidentia metaphysica, ideò est, quia essentiam in ratione essentiæ constitutam præsupponunt; sed etiam existentia Dei essentiam in ratione essentiæ præsupponit constitutam, vt nostra conclusio docet: ergò si attributa sunt accidentia metaphysica, existentia, accidens metaphysicum erit.

380 *Respondetur.* Respondeo iuxtà solutionem datam, ad cuius impugnationem, nego antecedens. Ad illius probationem, nego causalem maioris vt adæquatam, sed ideò attributa sunt accidentia metaphysica, quia ex propria ratione non pertinent ad lineam substantiæ, sed id obtinent in Deo ex capite infinitatis, & quia diuinis perfectionibus physica inhæsio repugnat: vndè essentiam in linea essentiæ non solùm constitutam, sed etiam completam præsupponunt; existentia autem diuina ex conceptu existentiæ complentis essentiam substantialem, substantia est, & quàmuis essentiam *metaphysicè* constitutam supponat, non tamen supponit in linea substantiæ completam, sed *virtualitèr* illam in linea substantiæ complet, ideòque accidens metaphysicum non est, nam accidens metaphysicum dicitur ad instar physici, hoc autem non solùm supponit essentiam *essentialitèr* constitutam, sed etiam *substantialitèr* completam; & consequenter accidens metaphysicum vtrumquè debet supponere, & quia attributa hoc habent, secùs autem existentia, ideò attributis conuenit ratio accidentis metaphysici, secùs autem existentiæ diuinæ.

381 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem prætermisso antecedenti, & prima consequentia, nego minorem subsumptam. *Ad primã confirmationẽ minoris.* Ad primam probationem, nego maiorem: nam existentia creata non est passio essentiæ, aliàs prædicaretur de illa in secundo modo dicendi per se, quod est falsum, & à nemine assertum, conuenit enim creaturæ ab extrinseco, nempè ab agente, absquè eo quod exigatur ab essentia, nec connectatur necessariò cum illa, in hypothesi autem admissa, cum supponatur manens essentia diuina, ac per consequens in producta, non potest ab alio habere existentiam, sed illam à se haberet, necessariòque, & ab intrinseco cum illa connecteretur: vndè non se haberet tunc casus respectu essentiæ eo modo, quo existentia in creaturis comparatur cum essentia, atquè adeò quamuis demus existentiam in creaturis non dimanare ab essentia, non sequitur existentiam diuinam non dimanaturam dimanatione reali ab essentia, casu in quo ab illa *realiter* distingueretur.

382 *Ad secundam.* Ad secundam probationem minoris, dicatur, dimanationem vnius perfectionis ab alia consistere in extensione secundaria actionis prout terminatæ ad principium dimanationis, cum tale principium habet esse per actionem, cum verò per actionem non fit, nec ab alio habet esse, non potest in actione consistere, sed in necessitate essendi primò conueniente vni, & dependenter ab illo, & per extensionem alteri: vndè cum in illo casu supponatur manens essentia diuina, & consequenter non habens actualitatem essentialem ab alio per actionem productam, sed à se per exclusionem causæ, & principij, dimanatio existentiæ ab essentia non consisteret in actione vt extensa secundariò ad existentiam ex vi termini primò producti, sed in necessitate essendi primò conuenienti essentiæ secundum actualitatem essentiæ, & secundò existentiæ. Et quidem hæc secunda probatio non militat *specialiter* contra dimanationem existentiæ ab essentia, sed *vniuersaliter* contrà dimanationem attributorum, de quibus posse idem argumentum fieri, cui-

libet

libet est manifestum, & absq; vllo negotio constabit.

383 *Videtur arguitur. Sequela probatur primo.* Deniquè arguitur: si essentia Dei non constitueretur per existentiam *formaliter*, sequeretur excedi ab existentia in perfectione; consequens est falsum: ergò constituitur per existentiam *formalitèr*. Probatur sequela primò: existentia in creaturis excedit in perfectione essentiam, quia est vltima actualitas illius; sed etiam existentia est vltima actualitas essentiæ diuinæ: ergò illam in perfectione excederet. *Secundo.* Secundò: nam quod excedit in actualitate, excedit in perfectione; cum actualitas sit perfectio *simplicitèr*; sed excederet essentiam in ratione actualitatis; cum compareretur ad essentiam vt actus; ipsa autem à nullo actuetur: ergò excederet in perfectione. *Tertio.* Tertiò: nam D. Thomas *infra quæst. 4. art. 1. ad 3.* docet, quòd *esse* est perfectissimum omnium; comparatur enim ad omnia vt actus, nihil enim habet actualitatem, nisi vt est: ergò si existentia in Deo *virtualiter* ab essentia distinguitur, erit perfectior virtualiter essentia.

384 *Respondetur. Ad primam probationem sequelæ primo.* Respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem responderi potest primò, negando maiorem: licèt enim sententiam illam plures ex Thomistis teneant, alij in oppositum inclinant, quos refert Mag. Prada *1. p. metaphysicæ controuers. 7. art. 6. §. 1.* docentes, quòd licèt existentia excedat essentiam creaturæ excessu *secundum quid* in ratione actualitatis, exceditur tamen ab illa *simplicitèr*. Tum, quia existentia est aliquid incompletum, & modale, essentia autem aliquid completum est; tùm etiam, quia existentia est propter essentiam, non autem è contra, natura autem nusquam perfectiora ad minus perfecta vt ad finem ordinauit. Tum deniquè: nam gratia habitualis, vtpotè diuinam naturam participans, perfectior est visione beatifica, & potentiæ simplicitèr sunt perfectiores suis actibus in frequentiori sententia, estò ab illis excedantur excessu *secūdumquid* in ratione actualitatis. Nec ex eo quòd existentia sit vltima actualitas essentiæ, probatur excessus *simpliciter*, sed tantùm *secundumquid* ob rationem assignatam, quia nempè est actualitas completa, finisq; ad quem ordinatur existentia: vndè resarcitur excessus, & præualet ille, quo essentia superat existentiam. Nec ex D. Thoma oppositum huius colligitur, tum quia explicari potest de excessu *secundumquid* in ratione actualitatis, non autem de excessu *simpliciter*. Tùm etiam, quia potest accipi non de existentia contraposita actuali essentiæ, ità vt hæc ab existentia excedatur, sed de existentia, vt ambit actualitatem essentiæ contraposita essentijs, vt possibilibus, & in potentia obiectiua; & sic verum est essentiam actualem actualitate essentiæ, & existentiæ esse perfectiorem *simpliciter* essentia vt intra causas, & in potentia obiectiua. Ex quo tamen non sequitur, quòd facta comparatione actualitatis essentiæ cum actualitate existentiæ, hæc illam excedat excessu perfectionis *simplicitèr*.

385 *Ad secundam probationem sequelæ.* Nec secunda probatio sequelæ oppositum huius conuincit: nam in linea actualitatis datur excessus *simpliciter*, & excessus *secundumquid*, & asserimus, existentiam comparatam cum actualitate essentiæ excedere illam in ratione actualitatis excessu *secundumquid*, scilicèt, quia vltima est; excedi autem ab illa, etiam in ratione actualitatis *simplicitèr*, quia essentia est completa actualitas, existentia autem incompleta, & modalis. Et quidem vnio gratiæ cum subiecto est actualitas gratiæ, & proximior existentiæ, quā actualitas gratiæ entitatiua, & tamen nemo dicet esse gratia *simpliciter* perfectiorem; subsistentia etiam, & personalitas, estò vltima actualitas absolutè non sit quia vltrà illam, adhuc restat existentia, est vltimior actualitas actualitate entitatiua substantiæ; cum illam vltimò ad existendum disponat, & tamen subsistentiam excedi in perfectione ab essentia, frequentior sententia tenet; operatio deniquè, substantiam superat in ratione actualitatis, estquè actualitas vltimior, quàm existentia cum adueniat suprà illam, & tamen nullus dixit esse substantia simpliciter perfectiorem: paritèr ergò nos dicimus, quod, etsi existentia excedat actualitatem essentiæ in ratione actualitatis, quia est vltima, nō indè excessum *simplicitèr* colligi, sed tantùm *secundumquid*, quia illa est actualitas completa, existentia verò incompleta, & modalis actualitas est.

386 *Si opponas 1. Respond.* Nec refert si dicas, operationem, estò in actualitate excedat, excedi à substantia *simpliciter*, quia operatio accidens est, & accidens minùs perfectum est substantia. Non, inquam, refert, quod enim in operatione prouenit ex ratione accidentis, quamuis operatio entitas completa sit, prouenit in existentia ex ratione incompletionis, quamuis sit in linea substantiæ; si namquè operatio, quamuis actualior sit, & aliundè entitas completa exceditur à substantia, quia est accidens, excessu perfectionis *simplicitèr*, non est cur existentia, quamuis substantialis sit, & aliundè actualior essentia, non excedatur *simpliciter* ex capite incompletionis.

387 *Si opponas 2.* Nec iterùm refert, si obijcias; modus vnionis hypostaticæ, quia est supernaturalis, & aliundè substantialis, est *simplicitèr* perfectior humanitate, quæ est substantia non modalis, sed competà: ergò paritèr existentia, quia est actualior essentia quamuis incompleta sit, excedet illam *simplicitèr*. *Respondetur.* Non inquam refert: nam supernaturalitas conueniens vnioni comparata cum completione substantiæ ordinis naturalis, meritò præualere censetur, vt illam *simpliciter* superiorem constituat, eo quòd talis conditionis est, vt *physicè* Deo coniungat humanitatem; excessus autem in ratione actualitatis se tenens ex parte existentiæ, quia nempè in ratione actualitatis est vltima, non est cur adeò præualere debeat suprà completionem actualitatis essentiæ, vt talis *simplicitèr* debeat censeri, nec cur sicut excessus vltimæ actualitatis competens operationi resarcitur in substantia ex conceptu substantiæ, ità vt hæc operationem excedat excessu perfectionis *simpliciter*, ità excessus vltimæ actualitatis, quo existentia præualet suprà actualitatem essentiæ non resarciatur ex conceptu actualitatis completæ, ità vt essentiæ actualitas, quia completa, & non modalis excedat excessu *simpliciter* existentiam, quæ modalis, & incompleta actualitas est. Hæc obiter dicta sufficiant in quæstione phylosophyca, in qua inter se discordant discipuli D. Thomæ, & in extremas diuiduntur sententias.

388 *Secundo respondetur ad primam probationem sequelæ.* Quia tamen sententia docens, existentiam in creaturis esse perfectiorem essentia, quam tenent Caietanus *in hac prima parte quæst. 4. art. 1. & 2.* Ferrara *1. Contra Gentes cap. 24.* quos alij recentiores sequuntur, illam explicantes de excessu perfectionis *simplicitèr*, est probabilis; ideò ad primam probationem sequelæ respondeo secundò, distinguendo maiorem: quia est vltima actualitas essentiæ non contenta in illa, sed ab extrinseca adueniens, concedo maiorem: quia est vltima actualitas *præcisè*, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; existentia namquè diuina, estò sit ab essentia *virtualiter*, & ratione distincta, continetur actu *implicitè* in essentia, vt in entitate actualissima, & vt in actu purissimo actualitate essentiæ, ideòquè, etsi comparetur ad essentiam, vt actus ad subiectum, vel quasi subiectum, non tamen comparatur ad illam vt potentialem: ac proindè non excedit, nec potest excedere essentiam.

389 *Probatur exemplo actus, & potentiæ.* Sicut dici solet de actu, qui quamuis excedat in actualitate potentiam, sumptam prout in actu primo, non tamen excedit potentiam, vt præmotam *efficaciter*, eo quòd in potentia, vt sic præmota, continetur vt in principio actuali tota perfectio, & actualitas actus, & sicut ab alijs dicitur, quòd licèt operatio actualis excedat in actualitate naturam creatam excessu reali formali, operatio tamen diuina nequit virtuali excessu superare, aut excedere naturam ob similem rationem discriminis, quia nempè operatio creata non continetur in natura, vel essentia creaturæ inspecta ratione sui, vt in principio actuali, sed ad illam sic continendam indiget præmotione diuina; actualitas autem operationis diuinæ continetur actu perfectissimè in natura, ideòquè, nec etiam in ratione actualitatis potest naturam *virtualiter* excedere, idem nos asserimus, & eadem ratione de existentia comparata cum essentia, quod nempè, estò essentiam creaturæ excedat, quia in illa non continetur, non indè sequitur, quòd excedat, excessu virtuali, existentia essentiam diuinam, in qua, vt in actu, perfectissimo continetur.

390 *Ad secundam probationem sequelæ. Ad tertiā probationē sequelæ.* Et ex his ad secundam probationem constat solutio; quamuis enim existentia diuina vt *virtualiter* distincta ab essentia, ad illam comparetur vt actus, quia tamen in essentia actu *implicitè* continetur, vt in principio actualissimo, fit, vt essentiam non excedat in ratione actualitatis: ac per consequens, nec in perfectione illam superet. Ad tertiam probationem dicatur, loqui D. Thom. de esse, vel existentia comparata cum illis, à quibus distinguitur *realitèr*, ad quæ comparatur vt actus *realitèr* ab illis distinctus, & in illis non contentus, ideòquè illa excedit in perfectione, quæ ratio non tenet in Deo, etsi ab illo *virtualiter* distinguatur, vt constat ex dictis.

Sed instabis ex eodem D. Thoma in eadem *quæst. art. 1. ad 3.* 391

Instabis ex D. Th. ad 3. quod ità procedebat: *Viuens est perfectius, quàm ens, & sapiens, quàm viuens: ergo & viuere est perfectius, quàm esse, & sapere, quàm viuere; sed essentia Dei est ipsum esse: ergo non habet in se perfectionem vitæ, & sapientiæ, & alias huiusmodi perfectiones.* Cui argumento ità respondet: *Ad tertium dicendum, quod sicut in eodem capite Dionysius dicit, licèt ipsum esse sit perfectius, quàm vita, & ipsa vita, quam ipsa sapientia, si considerentur secundum quod distinguuntur ratione, tamen viuens est perfectius, quam ens tantum, quia viuens etiam est ens, & sapiens est ens & viuens; licèt igitur ens non includat in se viuens, & sapiens, quia non oportet quod illud quod participat esse, participet ipsum secundum omnem modum essendi, tamen ipsum esse Dei includit in se vitam, & sapientiam quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse ei, quod est ipsum esse subsistens.* Ergò iuxtà D. Tho. esse prout ratione distinguitur à vita, & sapientia, est perfectior vita, & sapientia: at per nos esse, aut existentia Dei distinguitur ratione ab essentia, quæ in vita intellectuali radicali consistit, *vt §. sequenti* dicemus: ergò existentia diuina est perfectior, quam essentia.

392 *Respondetur.* Respondeo, D. Thomam in dicta solutione *ad 3.* non loqui de esse existentiæ, sed de gradu essendi quoad essentiam comparato cum gradu viuendi, & cum gradu intelligendi, & afferre illos gradus sumptos in abstracto, & prout distinguuntur ratione, sic comparari, quod primus excedit omnes, & secundus nempè gradus vitæ, excedit gradum intelligendi, licèt sumpto gradu viuendi, vt includit gradum essendi sit perfectius viuens, quàm ens, & sumpto gradu intelligendi, prout alios in se excludit, sit etiam illis perfectius, quia viuens includit ens, & aliquid addit, & intelligens includit ens, & viuens, & aliquid addit. Quæ doctrina sic est accipienda, quod gradus essendi, vt abstrahit abstractione totali, excedit alios excessu extensiuo, vt verò abstrahit abstractione formali, excedit in actualitate intensiua, & quia viuens est superius ad intelligens, etiam sub prima abstractione excedit gradum intelligendi *extensiuè*, & sub secunda in actualitate intensiua. Ex quo non infertur existentiam vt *virtualiter* ab essentia diuina distinctam, illam excedere excessu perfectionis *simpliciter*. An autem sequatur Dei essentiam consistere in ente à se? Ex dicendis *infrà* constabit.

393 *Alia solutio.* Mitto illorum solutionem, qui docent, eodem modo esse phylosophandum de essentia, & existentia diuina, ac de essentia, & existentia creata: vndè, si hæc *realitèr* excedit essentiam, illa Dei essentiam *virtualiter* excedet excessu perfectionis *simpliciter*, nec Dei essentiam exposcere constitui per rationem, quæ sit omnium perfectissima; sed tantùm in linea formæ & naturæ, quod verum manet, etiamsi ab existentia in perfectione excedatur; quia existentia in linea naturæ non est. Mitto, inquam, hanc solutionem, quia ex dictis in nostra resolutione impugnata relinquitur, *Relinquitur; & impugnatur.* sicut enim Deus non posset à se habere intellectionem, si intellectio excederet naturam in perfectione; ità nec existentiam haberet, posset à se, si illius essentia esset inferior existentia in perfectione; sed Deus habet existentiam à se: ergò hæc non excedit essentiam, sed ab illa in perfectione exceditur.

§. XII.

Respondetur directè quæstioni, explicaturquè, in quo Dei essentia, & natura consistat

394 *Vltima conclusio responsiua quæsito.* VLtima conclusio sit. *Essentia, & natura Dei non constituitur vltimò differentialitèr per rationem entis à se, sed per rationem substantiæ spiritualis, aut immaterialis à se radicaliter intellectiuæ in intellectione comprehensiua Dei.* Hæc conclusio est Caietani *infra q. 13 art 11. §. ad hoc breuiter dicitur*, vbi explicans doctrinam D. Thomæ *scilicet ad 1.* ait, ideo hoc nomen *Deus* quoad rem significatam esse magis proprium Dei, quàm nomen, *qui est*, quia Deitas importat naturam Dei quasi secundùm vltimam differentiam specificam, secùs autem nomen *qui est*. Et infra *q. 93. art. 2.* vbi docet, solas intellectuales creaturas assimilari Deo in quasi vltima differentia, quia illæ solùm assimilantur Deo in quantùm intellectiuo.

395 *Notandū primò.* Ante cuius probationem aduertendum est primò, Deo vt præuenit attributa, hæc omnia prædicata competere, nempè ratio entis à se, ratio viuentis à se, & ratio intelligentis, vel alijs terminis, gradus essendi, gradus viuendi, & gradus intelligendi. Quod patet: nam istæ prædicationes sunt veræ: *Deus est ens per essentiam, est viuens per essentiam, & intellectualis per essentiam*; sed huiusmodi prædicata non sunt attributa Dei; quandòquidem ratio entis, viuentis, & intellectualis sunt essentiales creaturæ intellectuali: ergò conueniunt Deo vt præuenit attributa.

Secundò aduertendum est, quod licèt in Deo non sit compositio metaphysica ex genere, & differentia, sunt tamen rationes aliquæ communes, in quibus cum alijs conuenit, conuenientia saltèm analoga, & ratio particularis, per quam ab alijs distinguitur, quam vocamus differentiam, non quia propriè talis sit, hæc enim repugnat Deo, non minùs, quam ratio generis, sed quia est ratio distinguendi ab his, cum quibus in rationibus communibus conuenit. 396 *Secundò.*

Tertiò est aduertendum ex dictis in præcedentibus, quod licet ratio essentiæ, & naturæ non distinguantur in Deo virtualitèr adæquatè, distinguuntur tamen penès expressiones inadæquatas diuersas; essentia enim explicatur per comparationem ad esse, natura autem explicatur penès comparationem ad operationem, quod etiam esse verum in nobis, ex præcedentibus constat. 397 *Tertiò.* Quartò aduertendum est, ly *à se* dupliciter sumi, scilicet *participialitèr*, & sic est concretum existentiæ, & *nominaliter*, & sic est concretum essentiæ radicantis existentiam à se. Et hoc modo adhuc dupliciter, scilicèt per exclusionem causæ, & per exclusionem virtualis principij. *Quartò.*

His positis, quod in præsenti asserimus est, Dei essentiam, & naturam, etsi *essentialitèr* rationem entis, & viuentis includat, non constitui per illas vltimò differentialitèr, sed per gradum intellectualē, qui sub expressione essentiæ, consistit in ratione substantiæ spiritualis à se, & sub expressione naturæ in intellectualitate radicali, non qualibet, sed intellectione comprehensiua Dei. Sic accipiendi sunt omnes Theologi Dei essentiam, & naturam constituentes in intellectualitate radicali; non enim in solo conceptu radicis intelligendi contendunt Dei essentiam consistere, sed in conceptu substantiæ perfectissimæ spiritualis, aut immaterialis *radicalitèr* intellectiuæ. 398 *Conclusio explicatur.*

Quibus breuiter notatis, prima pars conclusionis suadenda est primò ex Angelico Doctore *infra quæst 13 art 8.* vbi docet, hoc nomen *Deus* esse nomen naturæ diuinæ, & *art. 11. ad 1.* vbi docet, hoc nomen, *qui est* esse nomen magis proprium Dei quantùm ad id, à quo nomen imponitur, non autem quoad id, ad quod significandum imponitur; quia quantùm ad hoc est magis proprium hoc nomen *Deus*, quod impositum est ad significandam diuinam naturam: ergò iuxtà D. Thomam hoc nomen, *qui est*; quod in sententia aduersariorum idem est, quod ens per essentiam, & à se, non est nomen naturæ, & essentiæ diuinæ. Patet consequentia: nam si hoc nomen, *qui est*, esset nomen naturæ, & essentiæ diuinæ, esset æquè proprium nomen Dei ex parte rei significatæ, ac est illud nomen *Deus*, & aliàs esset magis proprium quoad id à quo fuit impositum ad significandum; sed D. Thomas docet, hoc nomen *Deus* quia est nomen naturæ esse magis proprium Deo ex parte rei significatæ, quàm nomen *qui est*: ergò hoc nomen *qui est*, quod est idem, ac ens per essentiam, & à se, non est nomen naturæ, & essentiæ Dei; at si natura, & essentia diuina constitueretur vltimò differentialiter per rationem entis à se, & per essentiam, hoc nomen *qui est*, vel hoc nomen *ens per essentiam* esset nomen naturæ, & essentiæ Dei: ergo iuxta D. Thomam Dei natura, & essentia non constituitur vltimò differentialiter per rationem entis per essentiam, & à se. Patet minor: illud namque est nomen essentiæ, & naturæ alicuius, per cuius formale significatum illius essentia differentialitèr constituitur; sed significatum huius nominis *ens per essentiam*, est ratio entis à se: ergò si diuina essentia consisteret in ratione entis à se, vt in vltima differentia, hoc nomen *qui est*, vel hoc nomen *ens per essentiam*, esset nomen naturæ, & essentiæ Dei. 399 *Prima pars conclusionis probatur primò ex D. Thom.*

Dices, D. Thomam non asserere hoc nomen *Deus* esse nomen essentiæ, sed naturæ, ex quo tantùm sequitur hoc nomen *qui est*, vel hoc nomen *ens per essentiam*, non esse nomen naturæ; non autem quòd nomen diuinæ essentiæ non sit, ac proinde solùm sequitur, naturam sub conceptu naturæ, non constitui per rationem entis à se, non verò quòd per illam non constituatur in ratione essentiæ. Sed contrà nam præterquàm quòd Auctores, contra quos disputamus, frequentiùs hanc distinctionem reijciunt, nosq; illam in *hac disp § 2.* impugnauimus, hoc effugium ex dictis manet præclusum; si namq; hoc nomen *ens per essentiā* esset nomen essentiæ diuinæ, esset æquè proprium nomen Dei, 400 *Respondetur.* *Contra.*

atq;

atq; nomen *Deus* quòad rem significatam per nomen; at hoc negat D.Tho. *art.* 11. *proximè* relato *in solutione ad* 1. ergò hoc nomen *ens per essentiam*, nec est nomen naturę, nec nomen essentiæ diuinæ: Minor cum consequentia tenet.

401 *Maior probat.* 1. Maior autem probatur primò; vt enim docet, D. Thomas *infra q.* 39. *art.* 2. *ad* 3. *Quia natura designat principium actus; essentia verò ab essendo dicitur, possunt dici aliqua vnius naturæ, quæ conueniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia. Sed vnius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est vnum esse. Et ideo magis exprimitur vnitas diuina, per hoc, quod dicitur, quod tres personæ sunt vnius essentiæ, quàm si diceretur, quod sunt vnius naturæ.* Verba sunt D.Thomæ ex quibus apertè constat Angelicum Doctorem sentire vnitatem rei, & consequenter illius distinctionem, aptius explicari nomine *essentiæ*, quàm nomine *naturæ*: ergò si hoc nomen *qui est* esset nomen essentiæ, vel esset magis proprium, vel ad minùs æquè proprium nomen Dei, atque hoc nomen *Deus* significans eius naturam, quòad rem significatam per nomen.

402 *Secundo.* Secundo: nam, esto essentia, & natura virtualitèr distinguantur, se habent conuertibilitèr in sui prædicatione: ità, vt cui essentia alicuius rei conuenit, illius natura etiam competat, & cui ratio essentiæ repugnat, etiam repugnet ratio naturæ: ergò ità est propria Deo ratio essentiæ, ac ratio naturæ; & consequenter æquè proprium nomen erit illud, quo illius significatur essentia, ac illud, quo illius significatur natura. *Tertiò.* Tertio nam si in Deo ratio essentiæ; & ratio naturæ virtualitèr distinguuntur, conceptus naturæ erit attributum essentiæ, vt *supra* arguebamus; sed quamuis attributa, & essentia sint propria Deo, magis tamen propria est essentia, quàm attributa; cum illa sit prima ratio distinguendi, & consequenter prima ratio proprietatis: ergo si hoc nomen *qui est* esset nomen essentiæ diuinæ, esset magis proprium Deo, non solum quoad id, à quo fuit, ad significandum impositum, sed etiam quo ad rem significatam per nomen, quam hoc nomen *Deus* eius naturam significans, cuius contrarium traditur à D Thoma.

403 *Quarto.* Mitto, absque fundamento nomina multiplicari, alterum, quo Dei essentia significetur, & alterum eius naturam significans; cum namquè Deum nominemus ad instar rerum creatarum, nomina ad illius perfectiones significandas imposita, non debent multiplicari; cum in creaturis vno, & eodem nomine similes perfectiones significentur; sed in creaturis non sint diuersa nomina imposita, ad significandam essentiam, & naturam alicuius, sed vno, & eodem nomine essentia, & natura significantur, hoc namque nomen *homo*, & essentiam, & naturam humanam significat, hoc nomen *equus* significat, equi essentiam, & naturam, & ideò etiam in Angelis eodem nomine essentia, & natura significantur: ergò pariter in Deo vnum, & idem nomen, illius essentiam, & naturam significat, & consequenter si hoc nomen *Deus* est nomen naturæ, etiam est nomen essentiæ, etsi hoc nomen *qui est*, vel *ens per essentiam* nomen naturæ non est, nec etiam est nomen essentiæ.

404 *Secundò probatur conclusio ex eodem D. Tho.* Secundò probatur ex alia doctrina D. Thomæ *infra quæst.* 93. *art.* 2. vbi docet solas creaturas intellectuales esse factas ad imaginem Dei, in illisquè solis rationem imaginis Dei imperfectam reperiri, eo quòd solùm creaturæ intellectuales immitantur Deum, illique assimilantur in ratione intellectualis, quæ est quasi differentia Dei; de ratione autem imaginis est assimilari exemplari in specie, vel quasi specie. Quam doctrinam desumplit ex Augustino *lib.* 83. *quæst. q.* 51. ex qua tale argumentum conficitur si Deitas constitueretur vltimo differentialitèr per rationem entis, aut per rationem viuentis à se, non solum creaturæ intellectuales, essent ad imaginem Dei, & imago Dei imperfecta; consequens est contrà D.Thomam vbi *proximè*: ergò nec per rationem entis à se, nec per rationem viuentis à se, sed solùm per intellectualitatem constituitur, vt per vltimam, aut quasi vltimam differentiam. Minor cum consequentia tenet. *Maior probatur primo.* Maior autem probatur primò; ad rationem imaginis sufficit similitudo ab altero expressa in specie, vel quasi specie, vt constituta per vltimam differentiam; sed si prædictæ rationes constituerent vltimò differentialitèr Deum, non solùm creaturæ intellectuales essent Deo similes in vltima differentia, sed hoc alijs creaturis competeret: nam lapis v.c. Deo est similis in ratione entis, & planta, & bruta animalia Deo in ratione viuentis assimilantur: ergò si gradus entis, & gradus vitæ constituerent Deitatem vt vltimæ differentiæ, non solum intellectuales creaturæ essent ad imaginem Dei, sed hoc alijs creaturis, imò omnibus conueniret; quandoquidem omnes in gradu essendi sunt similes Deo.

405 *Secundo probatur maior.* Secundò probatur maior: quia intellectuales creaturæ Deo imperfectè assimilantur in ratione cognoscitiui, & hæc Deum vt vltima differentia constituit, sunt ad imaginem Dei; sed si ratio entis, aut ratio viuentis à se; sunt vltima differentia deitatis, lapis v.c. & planta imperfectè assimilantur Deo in vltima differentia, nempè in gradu essendi, & in gradu viuendi: ergò si rationes istæ ingrediuntur *differentialiter* deitatis constitutionem, aliæ creaturæ, præter intellectualem, sunt ad imaginem Dei. *Confirmatur.* Explicatur, & vrgetur, quia intellectualitas per essentiam, & à se constituit Deum, vt vltima differentia; creatura intellectualis dicitur ad imaginem Dei, quia illi assimilatur in ratione intellectualis, quamuis illi non sit similis in eo, quod est à se: ergo si ratio entis, aut viuentis per essentiam, Deum vt vltima differentia constituit, creaturæ non intellectuales Deo similes in ratione entis, & in ratione viuentis, erunt ad imaginem Dei, quamuis illi non sint similes in ratione entis, & viuentis à se.

406 *Respondebis.* Respondebis, negando consequentiam, & ratio discriminis est: nam licèt essentia Dei constituatur vltimò differentialiter per rationem entis à se, viuentis à se, & intellectualis à se, vel per rationem entis à se, vt hæc omnia comprehendit, perfectissimum autem, quod ibi consideratur est gradus intelligendi, & quia creaturæ intellectuales sunt Deo similes in illo; secùs autem, quæ intellectuales non sunt, fit consequens, vt solùm creaturæ intellectuales, sint ad imaginem Dei, quia illæ solùm sunt Deo similes in illo, quod inter conceptus differentiales perfectius consideratur.

407 *Contra* 1. Sed contrà primo, vt enim constat ex doctrina D.Thomæ loco *proximè* allegato, ratio imaginis, aut non imaginis, non prouenit ex assimilatione ad perfectissimum conceptum differentialem, & negatione huius assimilationis, sed ex assimilatione in genere, aut ratione communi, & assimilatione in specie, aut ratione differentiali; sed si creaturæ non intellectuales Deo assimilantur in aliquo conceptu differentiali, quantumuis non perfectissimo, sunt similes Deo non in ratione generica, aut quasi generica, sed in specie, aut quasi specie: ergò erunt ad imaginem Dei, & non solùm Dei vestigia. Secundo: vt enim D. Thomas *ibi* docet, & communiter acceptatur, similitudo ab alio expressa in specie, vel quasi specie, sufficit ad rationem imaginis: ergo similitudo in gradu differentiali est ad rationem imaginis sufficiens: ergo quamuis assimilatio in gradu differentiali minùs perfecto minuat perfectionem imaginis, non tamen rationem imaginis tollit; & consequenter, licèt creaturæ non intellectuales habeant minùs perfectè rationem imaginis Dei, quàm creaturæ intellectuales, erunt tamen ad imaginem Dei, & ratio imperfectæ imaginis illis conueniet, & non sola ratio vestigij.

408 *Tertiò.* Tertio; quia namque homo & Angelus Deo assimilantur in ratione intellectualis, quæ est vltima differentia Dei, illum in specie, vel quasi speci. constituens, in vtroque ratio imaginis inuenitur, quàmuis perfectiùs in Angelo, quàm in homine, vt docet D. Thomas vbi proximè art. 4. eo quod gradus, ille, perfectiùs inuenitur in Angelo, quàm in homine: ergo si adæquata differentia, vel quasi differentia Deitatis non est ratio intellectiui, sed etiam ratio viuentis, & ratio entis à se, non solùm in creatura intellectuali participante gradum cognoscitiuum, sed etiam in creaturis non intellectualibus participantibus gradum entis, & gradum viuentis, ratio imaginis reperietur, quamuis perfectiori modo in creaturis intellectualibus, eo quod ex differentialiter constituentibus perfectiorem conceptum participant.

409 *Quarto.* Deindè tradita solutio impugnatur; si namquè actualis volitio Deitatem metaphysicè constitueret, & Spiritui Sancto ex vi processionis communicaretur formalitèr, esset genitus, Filius, & imago, vt sentiunt nostri Thomistæ communiter infra q. 19. art. 1. & q. 27. art. 2. & 4. inde arguentes ad probandum Dei essentiam non constitui actuali volitione; & tamen volitio actualis, pro eo quod exprimit, non adæquat perfectionem actualis cognitionis: ergo ad rationem Filij, & imaginis naturalis sufficit assimilatio habita ex vi processionis in conceptu differentiali, quantumuis minus perfecto; & consequenter ad rationem imaginis imperfectæ, quæ in creaturis inuenitur, sufficiet assimila-

assimilatio ad Deum in conceptu differentiali, etiam si minùs perfecto.

Denique contrà eandem solutionem sic vrgeo: nam ex
410 *Quinto.* illa sequitur, Dei essentiam non constitui per rationem entis à se, vt *implicitè*, importantis gradum essendi, viuendi, & intelligendi, sed per intellectualitatem à se, vt *implicitè* alios gradus importantem; consequens est contra ipsos: ergò solutio non potest in illorum doctrina subsistere. Consequentia est bona. Minor certa: nam Auctores, quos impugnamus, non negant, intellectualitatem radicalem Dei essentiam constituere, sed asserunt, gradum viuendi intelligendi, & essendi *constitutiue* ad diuinam essentiam se habere, hoc tamen debere explicari per rationem entis à se. Sequelam autem sic probo: ratio entis à se, non explicat gradum viuendi, & intelligendi, sed solum gradum essendi; alios autem gradus solum implicitè importat; at gradus intellectualitatis, etsi non explicitè, implicitè tamen importat gradum viuendi, & essendi: ergò constitutio essentiæ non est explicanda per rationem entis à se, sed per intellectualitatem à se. Probo consequentiam: intellectualitas implicat gradum essendi, sicut gradus essendi, vel ratio entis à se explicat gradum intelligendi; & aliàs explicat perfectiorem rationem, vt tradita solutio fatetur: ergò explicanda est constitutio essentiæ, & naturæ diuinæ, non per rationem entis à se explicantis gradum essendi, & implicantis gradus viuendi, & intelligendi, sed per rationem intellectualitatis à se implicantis gradus viuendi, & essendi, & explicantis perfectissimum gradum, scilicet intelligendi.

Tertio probatur, gradus intellectualis est vltima dif-
411 *Tertio probatur.* ferentia Deitatis: ergo Deitas non constituitur vltimo differentialitèr per rationem entis, aut viuentis à se, sed per rationem substantiæ spiritualis à se radicaliter intellectiuæ. Consequentia videtur bona, & antecedens probatur
Antecedens probatur. 1. primo: nam gradus intelligendi est perfectior gradibus viuendi, & essendi, vt docet D. Thomas articulo secundo, relato: ergò in illo debet consistere differentia *Metaphysicè* constitutiua Deitatis.

Secundò: nam gradus iste conuenit essentialiter Deo
Secundo. esse namque substantiam spiritualem radicaliter intellectiuam, non est attributum; cum nihil præsupponat in Deo, quod prædicto prædicato sit prius, sed non conuenit tanquam ratio communis: ergo est vltima, aut quasi vltima differentia, illum in specie, vel quasi specie constituens.

Dices; esse vltimam differentiam, cæterum non adæ-
412 *Respond.* quatam, sed tantùm inadæquatam: adæquata namque differentia conflatur ex gradu essendi, viuendi, & intelligendi. Sed contra: gradus intelligendi contrahit gradum viuendi, & ille contrahit gradum essendi; gradus etiam
Contra. essendi superior est ad gradum viuendi; quandoquidem extra illum inuenitur, gradus etiam viuendi est superior ad gradum intelligendi, eo quòd aliqua, quæ non intelligunt, viuunt: ergò tres isti gradus in Deo non constituunt vltimo differentialiter, sed gradus intelligendi est vltima differentia adæquata; alij autem gradus prædicata communia; & consequenter vltima differentia, Deitatem, metaphysicè constituens in specie, vel quasi specie, non est ratio entis, aut viuentis à se, sed in intellectualitate adæquatè consistit.

Dices, antecedens verum tenere in creaturis, in qui-
413 *Respond.* bus datur compositio metaphysica ex genere, & differentia, non autem in Deo, cui huiusmodi compositio repugnat: Vnde gradus essendi, & viuendi, non possunt Deum metaphysicè constituere, vt prædicata communia, sed vt vltimæ differentiæ inadæquatæ, illius constitutionem
Contra. ingrediuntur. Sed contra: nam licet repugnet Deo compositio metaphysica ex genere, & differentia, non tamen repugnat ipsi compositio ex ratione communi analogicè, & ratione suo modo differentiali: ergo quamuis Deitas non
414 *Non repugnat Deo compositio ex ratione communi analogica, & ratione impropriè differentiali.* possit ex his gradibus constare, compositione metaphysica ex genere, & differentia; poterit ex illis constitui, vt ratione analogicè communi, & ratione impropriè differentiali, quasi illorum contractiua.

Consequentia patet, & antecedens probatur, & explicatur: Deus namque cum creaturis conuenit in ratione entis, & ab illis differt per rationem entis à se; & consequenter per rationem constituitur ex ratione entis, in qua conuenit analogicè cum creaturis, & ex conceptu à se, per quem differt à creaturis: paternitas etiam diuina conuenit analogicè in ratione relationis diuinæ cum filiatione, & passiua spiratione, differtquè ab illis per conceptum peculiarem intra lineam relationis; & consequenter constituitur ex ratione communi, & quasi differentiali: ac denique essentia diuina constituitur per rationem ex conceptu entis diuini communi attributis, & essentiæ, & ex conceptu à se per exclusionem virtualis principij, per quem ab illis distinguitur: ergò licet Deo repugnet compositio ex genere, & differentia, non tamen repugnat constitutio ex vna ratione analogicè communi, & alia differentiali, aut quasi differentiali: ac proinde, etsi repugnet Deum constitui ex illis gradibus per compositionem metaphysicam generis, & differentiæ; non tamen repugnabit constitui prædictis gradibus, vt ex ratione communi, & differentiali, aut quasi differentiali: vnde optimè Caietanus infra q. 93. art. 2. explicans rationem Angelici Præceptoris, qua probat, solùm creaturas intellectuales esse ad imaginem Dei, quia solùm illæ assimilantur Deo in gradu cognoscitiuo, ait, idcircò hoc verum esse, quia solæ creaturæ intellectuales assimilantur Deo secundùm quasi vltimam differentiam gradus ergò intellectiuus, etsi propriè vltima differentia non sit, quia hæc petit esse contractiua generis, quod in Deo non inuenitur, est tamen quasi vltima differentia, quia determinat cæteros gradus, vt rationes analogicè communes.

Deinde secunda pars conclusionis probatur: vt enim docet Diuus Thomas infra quæst. 14. art. 1. ideò aliquid est cognoscitiuum, quia est immateriale: ex quo intulit, 415 *Secunda pars conclusionis probatur.*
quia Deus est summè immaterialis, esse summè cognoscitiuum: ergò Deitas sub conceptu inadæquato essentiæ summa immaterialitate constituitur; sed summè immateriale idem est, quod substantia spiritualis à se: ergò Deitas in ratione essentiæ constituitur per rationem substantiæ spiritualis à se; at non à se solum per exclusionem causæ; hoc enim omni perfectioni diuinæ est commune; ergò constituitur in ratione essentiæ differentialiter per rationem substantiæ immaterialis, & spiritualis à se per exclusionem virtualis principij. Cum autem ens à se possit accipi dupliciter, videlicet, nominaliter, vt concretum est essentiæ, & participaliter, prout concretum existentiæ, maneatquè supra probatum, existentiam non constituere essentiam, accipiendum est primo modo, videlicet nominaliter, & consistit in hoc, quod est esse à se radicando existentiam perfectissimam, sibique identificatam, à nullo etiam vt principio, acceptam.

Quod autem constituatur per rationem substantiæ spi- 416 *Tertia pars probatur.*
ritualis radicaliter intellectiuæ, vt asserit tertia pars conclusionis, probatur: nam constituitur substantia spirituali, quatenus intellectiua, vt probauimus, sed non est intellectiua in actu vltimo intelligendi, vt etiam ex dictis constat: ergo est radicaliter intellectiua. E quod constituatur vltimo differentialiter radice intellectionis comprehensiuæ Dei, vt asserit vltima pars conclusionis, probatur:
nam in ratione intellectiuæ, vt sic conuenit analogicè cum *Vltima pars probatur,*
creaturis intellectualibus ordinis naturalis, in ratione autem radicis connaturalis amandi, & videndi Deum, conuenit analogicè, cum gratia habituali, quæ etiam est radix connaturalis tendendi in Deum, vt est tale, vt à Thomistis 1. 2. quæst. 110. docetur: ergo nullo ex his prædicatis constituitur Deitas sub expressione naturæ vltimo differentialiter, sed tantùm per conceptum radicis videndi, & amandi Deum connaturaliter, & comprehensiue, qui conceptus soli Deitati conuenit, & omni alteri repugnat.

§. Vltimus.

Argumentis in contrarium occurritur.

Argumenta, quibus contrarij Auctores probant, non 417 *Contra 1. partē conclusionis arguitur ex D. Th.*
dari in Deo principium virtuale intelligendi, sed constitui debere per actum intelligendi, diluimus §. 9. modo contra primam partem nostræ conclusionis arguitur ex D. Thoma *infra q. 4. art. 2. ad 3. argumentum*, quod ita procedebat. *Viuens est perfectius, quam ens, & sapiens, quam viuens ergo & viuere est perfectius, quam esse, & sapere, quam viuere, sed essentia Dei est ipsum esse; ergò non habet in se perfectionem vitæ, & sapientiæ, & alias huiusmodi perfectiones.* Cui argumento ita respondet: *Ad tertium dicendum, quod sicut in eodem capite idem Dionysius dicit, licet ipsum esse sit perfectius, quam vita, & ipsa vita, quam ipsa sapientia, si considerentur secundum quod distinguuntur ratione, tamen viuens est perfectius, quam ens, quia viuens est ens, & sapiens,*

tantum, quia viuens etiam est ens, & sapiens est ens, & viuens, licet igitur ens non includat in se viuens, & sapiens, quia non oportet, quod illud, quod participat esse participet ipsum secundum omnem modum essendi, tamen ipsum esse Dei includit in se vitam, & sapientiam, quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse ei, quod est ipsum esse subsistens. Ergo iuxta D. Thomam essentia, & natura Dei consistit *formalitèr* in ratione entis per essentiam, & à se, prout in se vitam, & sapientiam includit, vel gradum viuendi, & intelligendi.

418 *Consequentia prob. primo.* Patet consequentia primo, ex illis verbis: *ipsum esse Dei includit in se vitam, & sapientiam, quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse id, quod est ipsum esse subsistens*: ergò sentit Diuus Thomas, esse, vel essentiam Dei consistere in esse à se subsistente, ideoquè includente gradum viuendi, & intelligendi; sed esse subsistens à se, idem est, quod ens à se, & per essentiam: ergò sentit consistere essentiam Dei in ratione entis à se, & per essentiam vt includentæ gradum vitæ, & gradum intelligendi.

Secundo. Secundò: vt enim ex prædictis verbis constat, esse, prout ratione distinctum à vita, & sapientia, est perfectius vita, & sapientia; ergò gradus essendi vt ratione à gradu viuendi, & gradu intelligendi distinctus, illos excedit in perfectione; sed vt constat ex dictis §. *præcedenti*, gradus intelligendi in Deo ratione distinguitur à gradu viuendi, & essendi; quandoquidem à Nobis assertum est, gradum intelligendi constituere, vt vltimam differentiam; alij autem gradus ingrediuntur, vt rationes communes, inter differentiam autem, & prædicata communia distinctio rationis datur: ergò non constituitur essentia, & natura Dei per gradum intelligendi, vt distinctum à gradu essendi, sed per gradum essendi vltimo differentialitèr. Patet consequentia: nam constituitur, eo quod perfectissimum est; sed vt docet Diuus Thomas, gradus essendi est perfectior: ergò per illum vltimò differentialiter constituitur.

419 *Confirmatur 1.* Confirmatur primò: vt enim docet Diuus Thomas *quæst. 7. de potentia art. 2. ad 4 & 5. argumentum*, esse Dei distinguitur à quolibet alio esse, per hoc ipsum, quod est esse per se subsistens, & non adueniens alicui naturæ, quæ sit aliud ab ipso esse; sed distinctiuum Dei à quolibet alio à Deo, est ipsius vltimum constitutiuum. ergò esse per se subsistens, est constitutiuum Dei: sed esse per se subsistens idem est, quod ens per essentiam, & à se; ergò constitutiuum Metaphysicum Deitatis est ratio entis per essentiam, & à se.

Confirmatur 2. Confirmatur secundò ex eodem Diuo Thoma *art. citato in corpore*, vbi probat, quòd esse est de essentia, & natura Dei, quia esse creatum est proprius effectus illius: *Proprius autem effectus alicuius causæ procedit ab ipsa secundum similitudinem suæ naturæ: oportet ergò* (concludit Diuus Thomas) *quod hoc, quod est esse sit substantia, vel natura Dei*: sed similitudo effectus ad causam, vt sit proprius effectus illius debet esse secundùm id, per quod causa constituitur in suo esse specifico, vel quasi specifico: ergò per esse à se, vel per rationem entis per essentiam, & à se constituitur essentia diuina vltimò differentialiter.

420 *Explicatur amplius.* Explicatur difficultas: si esse à se, & per essentiam non esset constitutiuum Deitatis in ratione essentiæ, & naturæ, existentia non esset in Deo ratio formalis causandi in actu primo existentiam creatam, sed tantùm conditio ad illius efficientiam; sed hoc est contrà doctrinam D. Thomæ vbi *proximè*: ergò Deitas *metaphysicè* constituitur per rationem entis à se, & per essentiam. Consequentia tenet. Maior videtur certa: nam si ratio entis per essentiam, & à se, non constituit *metaphysicè* Deitatem, existentia erit extrà illius constitutionem, vnumquodquè autem per sui constitutiuum est potens in actu primo, saltim *radicalitèr* ad causandum, vt per rationem formalem: ergò existentia solùm erit conditio ad causandum ad extrà. Minor autem probatur: nam similitudo effectus ad causam non est in eo, quod se habet vt conditio ad causandum, sed in eo, quod vt ratio formalis ex parte principij se tenet; sed vt docet D. Thomas, ideò existentia creata est proprius effectus Dei, quia solum Deo assimilatur in aliquo prædicato, quod est eius essentia, & natura, videlicèt, existentia: ergò hæc; non vt conditio solùm se habet; sed vt ratio formalis Deum in actu primo constituens in ordine ad existentiam creatam.

421 *Respondetur.* Respondeo ad argumentum, admissa tota Diui Thomæ doctrina, negando consequentiam. Ad cuius primam probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: *Ad 1. consequentiæ probationem.* in esse à se subsistente, accepto pro esse existentiæ, nego consequentiam: accepto pro esse essentiæ existentis, subsistentisquè *radicalitèr*, concedo consequentiam, & distinguo minorem subsumptam: idem est in re, concedo minorem; idem est ratione nostra, nego minorem, & consequentiam: itaquè fatemur Deitatem in ratione essentiæ constitui per esse à se subsistente ly *esse* accepto pro esse essentiæ, esse autem à se subsistens in hac acceptione, idem est, quod ratio substantiæ spiritualis, & omnimodè immaterialis: nā ens ex conceptu entis non explicat subsistentiā, cum sit commune subsistenti, & non subsistenti; substantia autem spiritualis, & immaterialis omnimoda immaterialitate ex propria ratione petit existere, & subsistere à se: vndè Deitas in ratione essentiæ, non constituitur per rationem entis à se, sed per rationem substantiæ spiritualis, & immaterialis à se existentis, & subsistentis, non *formalitèr*, sed *radicalitèr*, nec ex verbis D. Thom. oppositum huius infertur.

422 *Pro solutione 2. notandum primo.* Pro responsione ad secundam probationem aduerto primò, Diuum Thomam per ly *esse* non accipere esse existentiæ, sed essentiæ, scilicèt gradum essendi comparatum cum alijs gradibus viuendi, & intelligendi. Quod patet: nam docet *esse* acceptum prout ratione distinctum à vita, & sapientia esse illius perfectiorem; sed esse existentiæ non ratione, sed *realitèr* à vita, & sapientia distinguitur: ergò non loquitur de esse existentiæ, sed essentiæ, scilicèt, de gradu essendi.

423 *Notandum 2.* Aduerto secundò: gradum essendi sic sumptum posse ad alios gradus *dupliciter* comparari, nempè, vt abstractum abstractione totali, & vt abstractum abstractione formali inter quas abstractiones, hoc intercedit discrimen, quod in prima comparatur, vt potentia perfectibilis, & contrahibilis per illorum differentias, vt actus: in secunda autem comparatur vt actus; vndè nascitur, vt quò aliquis gradus vniuersalior est, eo sit potentialior in abstractione totali, quia quò vniuersalior est, eo est indifferens, vt per plura contrahatur, & per illa perficiatur; vt verò abstractum abstractione formali, quò vniuersalior est, eo est actualior, quia cum omnium inferiorum actualitatem in prædicta abstractione contineat, & omnia inferiora actuet, quò à pluribus abstrahit, eò plurium actualitatem continet, & consequenter quo vniuersalior est, eo est actualior; & quia gradus essendi vniuersalior est gradu vitæ, & gradu intelligendi; fit consequens, vt consideratum *esse* vt abstractum abstractione formali à gradu viuendi, & à gradu intelligendi, prout ratione ab illis distinguitur, illis sit actualius, & perfectius.

424 *Notandum tertio.* Deniquè aduertendum est, quod vt gradus, quo superior, abstractus, abstractione formali excedat inferius contrahens, debet in inferior contrahente potentialitas aliqua reperiri. Quod patet: nam ideò in abstractione formali excedit gradus vniuersalis, inferius sub illo contentum, quia vt sic abstractus sumit, quod actualitatis in inferiori inuenitur, & relinquit potentialitatem: ergò si in inferiori nulla potentialitas inueniatur, non poterit illud excedere: quia ergò gradus intellectiuus in Deo est actus purus omnem potentialitatem excludens; fit consequens, vt licèt gradus entis, vt abstractus abstractione formali excedat in actualitate, & perfectione gradum vitæ, & gradum intelligendi creatum, gradum tamen intellectiuum diuinum, non possit in actualitate excedere.

425 *Ad 2. probationem consequentiæ.* His positis, ad secundam probationem consequentiæ respondeo explicando, & distinguendo maiorem: comparatione facta inter gradum essendi, & alios, vt in creaturis, concedo maiorem; vt in Deo, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam: & ratio distinctionis tradita est, quia gradus essendi comparatus ad gradum viuendi, & intelligendi creatos, præscindit in abstractione formali ab illorum potentialitate, & ideò actualior, indequè perfectior est; comparatus autem cum gradu intelligendi diuino, non præscindit, nec relinquit aliquam potentialitatem, ideoquè non potest in actualitate, nec perfectione excedere.

426 *Ad primam confirm.* Ad primam confirmationem dicatur, Diuum Thomam *loco allegato* agere de esse existentiæ, sic autem sumptum, distinguit Deum à quolibet alio extra Deum per conuenientiam essentialem à se, non autem distinguit intrà Deum essentiam ab attributis, quod necessarium erat, vt per illud Dei essentia constitueretur *Metaphysicè* in ratione

tione essentiæ, & naturæ, iuxta dicta §. 11. *solut. ad primum argumentum.* *Ad secundam.* Ad secundam dicatur; vt existentia creata sit proprius effectus Dei, sufficere, quòd existentia diuina in re sit illi essentialis, & ratione in illius essentia includatur, nec oportet, quod illum constituat, vt vltima differentia; alias vt §. 10. arguebamus, quælibet creatura vt existens, esset ad imaginem Dei; quandoquidem esset illi similis in vltima differentia, scilicèt in existentia.

427 *Ad explicationem.* Ad explicationem respondeo, existentiam sumptam *identicè*, esse Deo rationem formalem agendi, quia hæc est essentia in Deo, cum qua *realiter formalitèr* existentia identificatur, imò, & *essentialitèr* in eius conceptu includitur; si verò sumatur *formaliter*, prout sub conceptu expresso existentiæ ratione ab essentia distinguitur, sic conditionem esse ad producendas creaturas, & existentiam illarum. Nec Diuus Thomas nobis in hac parte aduersatur, cùm docet, existentiam creatam esse effectum Dei proprium, quia procedit ab illo secundùm similitudinem in natura, eo quòd illi est similis in existentia, quæ est eius natura; ex quo videtur inferri, existentiam in Deo esse principium quo ex parte Dei in ordine ad existentiam creatam. Hoc namquè accipiendum est de existentia sumpta *identicè*, prout identificatur in re cum essentia, vel de existentia in radice, nempè, in actualitate essentiæ radicantis existentiam, sibiquè illam identificantis.

Secundò contrà eandem partem conclusionis arguitur; vt enim ex dictis constat, per id constituitur essentia in ratione essentiæ, quod primò in Deo intelligitur cum fundamento in re; sed ratio entis per essentiam, & à se est, quòd

428 *Secundo arguitur.* primò in Deo intelligitur cum fundamento in ipso. ergò ratio entis per essentiam, & à se constituit essentiam Dei per modum vltimæ differentiæ. Probatur minor: Deus *essentialitèr* est ens à se, & per essentiam; sed antè hoc prædicatum nullum aliud intelligitur: ergò hoc prædicatum est, quod primò intelligitur in Deo.

Respondeo, distinguendo maiorem: quod primò in Deo intelligitur vt prædicatum commune, nego maiorem,

429 *Respond.* vt prædicatum proprium, & differentiale cætera prædicata radicans, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet ante rationem entis à se nullum prædicatum concipiatur in Deo, in quo ratio entis à se radicetur, quia tamen hoc prædicatum solùm explicat gradum essendi, & iste est gradus communis non differentialis Dei: fit consequens, vt per rationem entis à se non constituatur vltimò differentialiter essentia, & natura Dei. Recolantur dicta §. *præcedenti in secunda conclusionis probatione.*

Obijcies; licet ratio entis sit communis Deo, & creaturis, ratio tamen entis à se non est communis creaturis,

430 *Replicabis.* sed solùm conuenit Deo: ergò ratio entis à se non solùm primò intelligitur, sed etiam est prædicatum proprium, & consequenter Deitatem in ratione essentiæ constituit vltimò *differentialitèr*. Respondeo, distinguendo antecedens: ratio entis à se ex conceptu entitatis, nego antece-

Respond. dens: ex conceptu *à se*, concedo antecedens: & sub eadem distinctione prim. consequentis, nego secundam, quæ subinfertur: nam in hoc quasi cõplexo *ens à se*, & est conceptus entitatis, & est cõceptus à se per exclusionem causæ, & principij, primus cõmunis est Deo, & creaturis, & essentiæ, & attributis; secundus autem est proprius diuinæ essentiæ, vt à creaturis distinguitur; & etiã prout differt ab attributis, ex quo solum sequitur ly *à se* differentiã Deitatis explicare, nõ tamen, quod ens à se Deitatem in ratione essentiæ constituat vltimo *differentialiter*, nec quod sit prædicatum Dei proprium ea proprietate, quæ petitur vt Deitatem in ratione essentiæ constituat vt vltima differentia.

431 *Instabis.* Instabis, etiam in hoc complexo *substantia spiritualis à se*, ratio substantiæ spiritualis communis est Deo, & creaturis, essentiæquè, & attributis, & solum ly *à se* explicat quod est proprium Deitatis, prout à creaturis, & attributis distinguitur; & tamen, vt nos asserimus, Deitas in ratione essentiæ constituitur vltimò *differentialitèr* per rationem substantiæ spiritualis à se: ergò quod in ente à se ratio entis gaudeat prædicta communitate, non tollit, quin per rationem entis à se vltimò *differentialitèr* constituatur Dei essentia.

Respondeo, negando consequentiam; ratio autem dis-

432 *Respond.* criminis est: nam ratio entis est communior, quam ratio substantiæ spiritualis, in Deoquè gradus essendi suo modo contrahitur per gradum viuendi, & intelligendi consistentem in ratione substantiæ spiritualis, & immaterialis, ideòquè differentia vltima Deitatis in ratione essentiæ, & naturæ non est explicanda per ly *à se*, vt coniunctum cum ratione entis, sed cum ratione substantiæ spiritualis, & omnimodè immaterialis, quia vltima differentia alicuius rei, non est explicanda complexo importante rationem cõmunem mediatam, & magis vniuersalem, & rationem vltimò distinguentem ab omnibus, sed complexo importante rationem vltimò ab omnibus distinguentem, vt determinantem rationem immediatè communem, & minùs vniuersalem; sicut meliùs explicatur, & definitur homo per animal rationale constans ex vltima differentia absolutè, & genere sibi immediato, quàm per viuẽs rationale compositũ ex differentia, & genere magis remoto, & magis vniuersali.

Sed contra hanc resolutionem duæ restant difficultates ex doctrina Angelici Præceptoris *infra q. 13. art. 11.* Pri- 433

Vrgebis primo. ma est, quia vt *ibi* docet in corpore arti. ult: *Quanto aliqua nomina sunt minus determinata, & magis communia, & absoluta, tanto magis propriè dicuntur de Deo à nobis.* Ex quibus verbis, supponendo eandem esse rationem nominis, & significati per nomen, sic arguitur contrà datam solutionem, sed gradus essendi est minùs determinatus, & magis communis, & absolutus, quàm gradus intelligendi: ergo gradus essendi explicatus per ly *qui est*, vel per *ens à se, & per essentiam*, est Deo magis proprius, quàm gradus intelligendi explicatus per *intellectuale à se*; & consequenter non potest hic, vt differentia comparari ad Deitatem, ille verò, vt prædicatum commune.

Secunda difficultas sumitur ex D. Thoma in eodem ar- 434

Secundo S.THO. ticulo in corpore, illis verbis: *Intellectus noster non potest ipsam Dei essentiam cognoscere in statu viæ secundum quod est in se, sed quemcumque modum determinat circa id, quod de Deo intelligit, deficit à modo, quo Deus est in se.* Ex quibus verbis tale argumentum conficitur; intellectus noster determinando, deficit à modo Dei: ergò magis determinando, magis deficit; sed intelligendo Deum sub ratione intellectiui, determinat concipiendo gradum determinatum, intelligendo verò Deum sub ratione entis à se, non determinat: ergò hic secundus conceptus minùs deficit à modo, quo Deus est in se, quàm primus; sed conceptus minùs deficiens, est magis proprius; ergò conceptus entis à se, est Deo magis proprius, quàm conceptus substantiæ spiritualis *radicalitèr* intellectiuæ; & consequenter per rationem entis à se constituitur in ratione essentiæ, & naturæ.

Respondeo ad primam difficultatem; proprietatem no- 435

Ad ... respond. minis Deum significantis, duplicem esse; prima consistit in distinctione, & hæc, quò à pluribus distinguit, est maior. Secunda consistit in conformitate modi concipiendi ad modum essendi Dei: cum ergò docet D. Thomas, nomen quò vniuersalius eò magis proprium esse Dei, non loquitur de priori, sed de secundo modo proprietatis, quia cum Deus vt in se, habeat esse omnimodè illimitatum, & vniuersale incausando, & continendo omnium rerum perfectiones, quò concipitur conceptu vniuersaliori, eò concipitur conceptu magis conformi modo, quem habet in se; ac per consequens magis proprie isto modo proprietatis, non autem conceptu magis proprio proprietate distinctionis. Ex quo solùm sequitur, gradum essendi explicatum nomine *qui est*, vel nomine *ens à se, & per essentiam*, esse magis proprium Deo, quam gradus intelligendi, proprietate consistente in maiori conformitate modi concipiendi ad modum essendi, non autem proprietate distinctionis: nam gradus essendi non distinguit, nisi à non ente, gradus viuendi distinguit à non viuentibus, gradus verò intelligendi, distinguit ab omni eo quod non est intellectiuum: vndè à pluribus distinguit, ac proindè est magis proprius proprietate distinctionis, quæ attendi debet præcipuè ad inuestigandam vltimam rei differentiam.

Et ex his ad aliam difficultatem dicatur, ex maiori 436

Ad instantiam. determinatione solùm colligi minorem proprietatem conformitatis modi concipiendi ad modum essendi, non autem maiorem proprietatem constitutiuam; ac proinde, ex eo, quòd gradus intelligendi sit magis determinatus, ad summum inferri potest conceptum exprimentem gradum intellectualem esse minus proprium Deo proprietate conformitatis modi intelligendi ad modum essendi, non autem proprietate distinctionis, & constitutionis, quæ præcipuè attendi debet in vltima differentia.

Et qui-

437 *Instatur argumentum.* Et quidem hoc nomen *sapientia diuina* deficit à modo, quo sapientia diuina est in se, quia sapientia diuina in se, à nulla Dei perfectione distinguitur, vt autem significatur hoc nomine, concipitur vt particularis perfectio distincta ab alijs, quibus in re summè identificata inuenitur. Ex quo non infertur, non esse nomen proprium sapientiæ diuinæ, imò oppositum colligitur, quia nomen proprium sapientiæ non est quod illam cum alijs perfectionibus confundit, sed potiùs illud quod sapientiam ab alijs perfectionibus ratione nostra distinguit; ità in præsenti dicimus nomen illud esse proprium nomen essentiæ diuinæ, quod illam significat, vt distinctam à cæteris perfectionibus, non autem quod essentiam cum alijs confundit vnde cum nomen *qui est*, aut nomen *ens per essentiam* non distinguat, sed confundat essentiam cum attributis, nomen autem Deus Deitatem ab attributis distinguat, est nomen magis proprium Dei, quam nomen *qui est* ex parte rei significatæ, vt docet D.Th. *art. allegato ad primum*, quamuis attendendo ad modum significandi collatum cum modo essendi, nomen minùs proprium sit. Quæ doctrina necessariò est accipienda, vt solutio *ad primum* Angelici Præceptoris consonet cum his, quæ docet in *corpore art.*

438 *Tertio arguitur, & est replica contra dicta.* Tertiò arguitur, & instatur contra dicta: essentia diuina consistit in conceptu radicante omnem perfectionem, quæ reperitur in Deo; sed conceptus, omnes Dei perfectiones radicans, non est ratio intellectualis à se, sed ratio entis à se, & per essentiam: ergò iste, non autem ille Dei essentiam *Metaphysicè* constituit. Consequentia cum maiori tenet. *Minor prob. 1.* Minor autem ostenditur primò: Deo namque non solùm conuenire intellectus, sed etiam voluntas est attributum illius; sed gradus intellectiuus vt talis, non radicat voluntatem, sed solùm intellectum; aliàs etiam voluntas esset apprehensiua obiecti; cum id, quod radici vt tali conuenit *radicaliter*, conueniat potentiæ ex tali radice dimananti per modum principij proximi; gradus autem intellectiuus sit apprehensiuus *radicaliter*: ergò gradus intellectiuus non radicat adæquatè attributa: *Secundo.* Secundò, nam immensitas, & æternitas sunt attributa propria radicata in eius essentia; sed Deus non ideò est æternus, nec immensus, quia est intellectiuus, sed quia est ens per essentiam, & a se: ergò gradus intellectiuus, non est radix omnium attributorum.

439 *Tertio.* Tertiò probatur: nam Deo conuenit radicare omnia attributa ex conceptu perfectissimo; sed gradus essendi est conceptus perfectissimus, non autem gradus intelligendi: ergo radicatio omnium attributorum conuenit Deo, non ex conceptu intellectualis à se, sed ex conceptu entis à se, & per essentiam. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur ex doctrina nostris Thomistis communi, asserente, eò gradum aliquem actualiorem esse; ac proindè perfectiorem in abstractione formali, quò vniuersalior est, & communior: nam eò ipso ad plura comparatur vt actus, & plurium continet actualitatem; vndè ens in ratione obiecti metaphysicè excedit obiecta aliarum scientiarum naturalium, quia est obiectum illius vt abstractum abstractione formali, & quia est vniuersalius obiectis omnium aliarum scientiarum, sequitur esse in ratione obiecti perfectius, sed gradus entis vniuersalior est gradu viuendi, & intelligendi: ergò vt abstractus abstractione formali est perfectior; sed gradus Deum *Metaphysicè* constituens, consideratur vt abstractus abstractione formali; quandòquidem omnem materiam excludit: ergò gradus entis est perfectior; & consequenter deitatem in ratione essentiæ constituit.

440 *Respond. ad 1. probationem minoris.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem concedo maiorem, & nego minorem: non enim solùm intellectus, sed etiam voluntas Deo conueniunt, quia intellectualis est *radicaliter*, nec sequitur voluntati conuenire vim apprehensiuam *proximè*: hæc namque solùm participatur a prima potentia orta ex gradu intellectuali; secunda autem, quæ est voluntas, non participat vim *proximè* apprehensiuam, sed inclinatiuam in obiectum, vt præcognitum, & præapprehensum, ideòque est potentia intellectualis.

441 *Ad secundam.* Ad secundam probationem, concessa maiori distinguo minorem: quia intellectiuus sub expressione naturæ intellectualis, concedo minorem: sub expressione essentiæ intellectualis, nego minorem, & consequentiam: vt enim ex sæpè iam dictis constat, gradus intellectualis duplici expressione constat, nempè, naturæ, & essentiæ, sub priori constituitur per conceptum radicis intelligendi, & volendi, sub ratione autem essentiæ constituitur per conceptum substantiæ omnimodè immaterialis, & ex isto habet Deus esse immensum, & æternum: ac per consequens id habet, quia intellectiuus intellectualitate sumpta sub expressione essentiæ, non autem sumpta sub expressione naturæ. Quod autem dicta attributa Deo conueniant ex ratione substantiæ omnimodè immaterialis, patet: nam Deus est æternus, quia immutabilis; est autem immutabilis, quia est actus purus: ergò quia est omnimodè immaterialis; ratio autem immaterialis omnimodè idem est, quod ratio substantiæ spiritualis à se: nam omnimoda immaterialitas non coniungitur immediatè cum ente, sed medio prædicato substantiæ; accidenti namquè repugnat esse omninò immateriale: ergò æternitas Deo conuenit ex conceptu substantiæ, spiritualis à se, & idem de immensitate est dicendum, cum Deo conueniat, quia est omnipotens; est autem, omnipotens, quia est actus purus, & consequenter, quia est substantia spiritualis à se.

442 *Ad 3. probationem respondetur 1.* Ad tertiam probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem constat ex dictis solutione primi, nempè doctrinam illam esse veram facta comparatione gradus vniuersalioris ad minùs vniuersalem vt in creaturis repertum, in quibus semper cum aliqua potentialitate inuenitur; secùs autem comparatione facta ad gradum inferiorem in Deo, cui vt sic omnis potentialitas repugnat. *Respond. 2.* Vel secundo dicatur, excessum illum actualitatis in gradu vniuersaliori, esse tantùm extensiuum, quia eo ipso, quòd vniuersalior sit gradus inspectus sub illa abstractione, ad plura actuanda extenditur, non autem esse intensiuum, & iste debet attendi ad constitutionem Deitatis in ratione essentiæ, & naturæ.

443 *Respond. 3.* Vel tertiò dicatur, abstractionem formalem duplicem esse, scilicet, rationis, & realem, illa à nostro intellectu fit, hæc autem in reali repugnantia cum materia, vel potentialitate consistit; gradus autem Deum constituens, non sumitur, vt abstractus à materia abstractione per rationem, sed vt abstractus abstractione reali, & quia repugnantia materiæ, & potentialitatis Deo conuenit ex ratione actus puri, & hæc consistit ratione substantiæ spiritualis, & immaterialis à se, quæ constituit gradum intellectiuum, non autem ex ratione entis à se, prout ens à substantia præscindit; sit consequens, vt gradus diuinam essentiam constituens sit gradus intellectiuus.

444 *Subsistentia in Deo distinguitur virtualiter ab existentia, & essentia.* Ex dictis in discursu disputationis colligitur subsistentiam in Deo ab existentia, & essentia *virtualiter*, & ratione distingui. Quod probo: nam inde distinctionem virtualem existentiæ ab essentia probauimus §. 10. quia existentia, & essentia dicuntur de Deo, & creaturis, non *æquiuocè*, sed secundum conuenientiam analogam, & in creaturis ratio essentiæ non est ratio existentiæ; argumento desumpto ex D. Tho. *in primo dist.* 22. sed subsistentia, existentia, & essentia dicuntur de Deo, & creaturis, non *æquiuocè*, sed secundùm conuenientiam analogam, & in creaturis ratio subsistentiæ non est ratio essentiæ, nec ratio existentiæ: ergò subsistentia in Deo distinguitur ab existentia, & essentia distinctione virtuali, & per rationem. Quæ autem huic doctrinæ obstare possunt, soluta manent ex dictis §. 11. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 1. *dist.* 8. §. 1. ad illa verba: *Et quis magis est, quam ille, qui dixit famulo suo Moysi: ego sum qui sum,* *M. Sent.* disputando de existentia, an Dei essentiam constituat *dist.* 22. mouendo quæstionem de omnibus attributis §. 1. ad illa verba: *De nominum diuersitate, quibus loquentes de vnitate, &c.* Dist. 35. §. 1. quæst. excitando de scientia. *Et dist.* 4. §. 1. ad illa verba: *Sciendum est ergò, quia voluntas, siue volens de Deo secundum essentiam dicitur,* illam de voluntate excitando.

DISPVTATIO QVINTA.

Quo genere distinctionis distinguantur attributa diuina ab essentia, & inter se?

§. I.

Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ.

Nu. I. Latissimus, vberrimusquè disceptandi campus occurrebat, nisi omnia, quæ difficultatem possunt in præsenti ingerere, à Nobis *infrà quæst.* 28. in simili essent discutienda. Quarè ab hac disputatione breuiter Nos expediemus, præmittendo in primis *In Deo dantur attributa* dari in Deo perfectiones, quæ attributales, vel attributa dicuntur, non quia ipsi ab intellectu nostro attribuantur, sed quia re vera ibi sunt, vt essentiæ nostro modo intelligendi aduenientes; quod ex communi modo loquendi, & sentiendi Theologorum satis probatur. In descriptione autem attributi assignanda variant Theologi, vt cum illa, propria placita concordent, frequentiùs sic definitur. *Attributum* *Attributi definitio.* *est perfectio absoluta, & necessaria superueniens essentiam constitutam*. Cui addendum censeo, *& in esse substantiali completa*. Qua definitione à ratione attributi excluduntur actus liberi, proprietates relatiuæ, subsistentiaque, & existentia, etsi ab essentia distinguantur *virtualiter*, illamque *Metaphysicè* constitutam præsupponant, quia non præsupponunt illam in linea substantiæ completam. Et ratio prædicti superadditi est: nam attributa à nobis concipiuntur in Deo ad instar accidentium in creatura; hæc autem non solum supponunt constitutam essentiam in suo esse Metaphysico, sed etiam in esse physico, & substantiali completam: pariter ergo attributa.

Deinde certum est apud omnes inter attributa, & es-
2 sentiam, aliquam distinctionem dari, quod probant ad *Inter attributa, & essentiam dari aliquam distinctionem probatur.* minùs argumenta, quibus probari contenditur, distingui ex natura rei, & patet: nam prædicata contradictoria non possunt de vno, & eodem omnino verificari; at de intellectu, & voluntate, contradictoria verificantur: nam de voluntate affirmatur esse principium *quo* productionis Spiritus Sancti, quod de intellectu negatur, & de intellectu affirmatur, per illum Verbum procedere, quod negatur de voluntate: ergò intellectus, & voluntas distinguuntur inter se aliquo genere distinctionis; consequenterque ab essentia aliqualiter distinguuntur: si namque omnibus modis essent idem cum essentia, non possent inter se aliqua ratione distingui.

Denique extrà controuersiam est, exploratumquè inter
3 Catholicos, attributa non distingui ab essentia *realitèr entitatiuè*, quod in simili, loquendo de relationibus, defini- *Non distinguuntur realitèr entitatiuè ab essentia.* tum est in Concilio Remensi sub Eugenio III. & in Lateranensi sub Innocentio III. contra Gilbertum Porretanum, docentem relationes *realitèr* ab essentia distingui, cuius errorem sequuntur fuisse Gualterum, & alios innominatos refert Augustinus Nifus *in dilucidario lib.* 12. *Metaphysicæ disp.* 13. censentes perfectiones absolutas, ad diuersa prædicamenta spectantes, non posse *realitèr* identificari. *Probatur.* Nostra tamen suppositio non potest salua fide negari: si namque attributa *realitèr entitatiuè* differrent inter se, & ab essentia, ex essentia, & attributis, realis resultaret compositio, quod summæ Dei simplicitati, quam fides docet, repugnat, Deus etiam esset in reali potentia ad illa, quod repugnat summæ Dei actualitati, attributaque essent physica accidentia, & entitates creatæ; & consequenter Deus per entitatem creatam actuaretur, & perficeretur *intrinsecè*, quæ omnia absurda sunt in Theologia.

Nec motiuum Gualteri vrget, tùm, quia falsum est, ea, 4
quæ ad diuersa spectant prædicamenta, non posse identi- *Diuersa prædicamenta non petunt realem entitatiuam distinctionem.* ficari *realitèr*; cum actio, & passio ad diuersa prædicamenta pertineant; & tamen *realitèr* identificari plures probabiliter doceant, & passiones entis, & ens, quamuis genera primò diuersa constituant, *realiter* inter se identificantur. Tum etiam, nam attributa, & essentia ad prædicamenta diuersa non spectant, sed omnia in linea substantiæ sunt. Tum denique, nam esto in entitate creata, non possint prædicamenta diuersa venire in identitatem, malè infertur non posse identificari in Deo, in quo ob summam perfectionem, & infinitatem *realitèr* identificantur, quæ in creaturis *realitèr* distinguuntur; nec aliundè in Deo potest realis distinctio consurgere, nisi ex relatiua oppositione, vt docet commune Theologorum axioma, *in diuinis omnia esse vnum, vbi non obuiat relatiua oppositio*; cumquè hæc inter attributa inter se, nec cum essentia inueniatur, sit, vt inter se, & cum essentia *realiter* identificentur. His positis, restat examinare, quo genere distinctionis distinguantur attributa ab essentia, & inter se.

In quo variæ sunt Theologorum sententiæ. Prima docet, distingui ante opus intellectus distinctione reali for- 5
mali, quæ alijs terminis vocatur *distinctio ex natura rei*. Ità *Prima sententia, Scotus.* Scotus *in* 1. *dist*. 8. *quæst*. 4. & licet illum nonnulli explicent de distinctione virtuali in re, & per rationem formali, frequenter illius discipuli hanc interpretationem non sustinent, sed eius sententiam defendunt in sensu a Nobis relato; ita Theodorus Smising. *in præsenti tract*. 2. *disp*. 1. *q*. 2. pro eadem sententia ab aliquibus refertur Durandus *in* *Smising. Durand.* 1. *dist*. 2. *quæst*. 4. *& dist*. 33. *quæst*. 3. falso tamen, nam etsi de relationibus sentiat ab essentia distingui modalitèr, de attributis autem nusquam hoc docuit, sed communi sententiæ adhæsit.

Secunda sententia docet, attributa distingui ab essentià 6
distinctione virtuali intrinseca, quæ non est realis formalis, *Secunda.* nec fundamentalis rationis, sed dicitur virtualis, vel quia æquiualet distinctioni reali in creaturis, vel quia est principium distinctionis realis in Deo, vel quia vna, & eadem formalitas, ita exercet diuersa munera, ac si haberet formalem, aut entitatiuam diuersitatem, vel quia illi conuenit constitutiuum distinctionis realis in creaturis, scilicèt, fundare veritatem contradictionis. Hanc tenet Molina *infrà quæst*. 28. *art*. 2. *disp*. 2. Ægydius de Præsentatione *Molina.* *tom*. 1. *de beatitudine lib*. 5. *q*. 6. *art*. 7. pro illa referens *Ægidius.* Valentiam *p*. *p*. *disput*. 1. *quæst*. 13. *punct*. 3. eò quod in *Valent.* diuinam immutatem reducit, quòd in Deo cum summa identitate reali, virtualis contradictio saluetur. Eandem sententiam sequuntur Petrus Hurtado *in Metaphysica disp*. 6. *sect*. 3. *&* 4. Herice 1. *p*. *disp*. 12. Arriaga *disp*. 42. *Hurtado.* quibus alij Recentiores adhærent, varie distinctionem *Herice.* hanc explicantes, omnes tamen eo fine statuentes, vt *Arriag.* verificentur de vna, & eadem entitate, & formalitate, absque distinctione reali entitatiua, aut formali, propositiones contradictoriæ, vt quod essentia communicatur filio, & paternitas non communicatur, quod voluntas est principium Spiritus Sancti, & non intellectus, & quod

intel-

intellectus est principium processionis Verbi, secus autem voluntas. Inter quos etiam non est vnus sensus, nec vna sententia in explicando inter quæ prædicata diuina huiusmodi distinctio intercedat, quibusdam asserentibus solùm inter voluntatem, intellectumque inueniri; alijs docentibus esse omni attributo communem, cui sententiæ fauere videtur Caietanus *de ente, & essentia cap. 6. quæst. 12. ad vltimum argumentum Scoti, & in hac 1. p. quæst. 39. artic. primus ad primum, & secundum Scoti argumentum.*

Caietanus.

7 Tertia docet, distingui non distinctione rationis ratiocinatæ, aut distinctione rationis obiectiua, sed solum distinctione rationis ratiocinantis, quia nempè essentia, & attributa diuersis nominibus nominantur, concipiunturque ad instar perfectionum creatarum, & per illarum species, inter quas realis, aut formalis distinctio inuenitur, quod etiam extendunt ad essentiam, & relationes. Pro hac referuntur ex Nominalibus Ochan *in 1. dist. 2. quæst. 2.* Gabriel *quæst. 2. art. 2.* Gregorius *dist. 8. quæst. 2. art. 1.* Maior. *quæst. 1. conclus. 2.* Aliacensis *quæst. 6. art. 2.* Aureolus *in. 1. dist. 2. p. 3. art. 4. & dist. 6. quæst. 3. art. 6. & dist. 45. quæst. vnic. art. 3.* Quorum sententiam aliqui Recentiores sequuntur.

Tertia. Ochan. Gabriel. Gregor. Maior. Aliac. Aureol.

8 Quarta sententia docet, attributa inter se, & ab essentia distingui solùm distinctione rationis ratiocinatæ, & virtuali, sumpta pro fundamentali rationis. Hæc est communis Thomistarum sententia, cum D. Thoma *in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 2. & 3. dist. 22. quæst. 1. art. 3. ad 4. dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad 2. & quæst. 7. de potentia art. 1. in hac 1. p. quæst. 13. art. 4. quæst. 19. art. 1. ad 1.* loquendo de volitione in speciali, *quæst. 28. art. 2. quæst. 39. art. 6.* loquendo de essentia, & relationibus diuinis. Diuum Thomam sequuntur omnes eius discipuli, Capreolus *in 1. dist. 8. quæst. 3. & dist. 33. quæst. 1.* Ferrara *1. Contra Gentes cap. 35. & 4. Contra Gentes cap. 14.* Caietanus *in hac 1. p. locis ex D. Thoma allegatis*, & præcipuè *quæst. 39. ad art. 6. & cap. 6. de ente, & essentiæ quæst. 12.* Bannez, Zumel, Zanardus, Ripa, PP. Salmanticenses, Mag. Sancto Thoma, Serra, Illustrissimus Araujo, & cæteri Recentiores agentes, tùm de attributis, tùm etiam de relationibus. Eidem sententiæ adhæret maior, & melior pars Societatis, Valentia *in hac 1. p. quæst. 2. punct. 3. & quæst. 13. punct. 1.* Suarez *lib. 4. de Trinitate cap. 4.* Vazquez *1. p. disp. 118. cap. 3.* Arrubal *disp. 100. cap. 2.* Granadus *tomo 1. in 1. p. tract. 2. disp. 5. sect. 2. & tract. 3. disp. 3. sect. 2 & sequentibus.* Alarcon *tract. 5. disput. 2. per plura c.* pro illa referens Ruizium, & Gilium, estque apud Recentiores Societatis frequentior. Pro cuius explicatione sit.

Quarta sententia. S. THO. Capreolus. Ferrara. Caietanus. Bannez. Zumel. Zanard. Ripa. Salmant. S. Thom. Serræ. Araujo. Valentia. Suarez. Vazquez. Arrubal. Granadus. Alarcon.

§. II.

Prima sententia reijcitur.

9 PRIMA CONCLVSIO. *Attributa non distinguuntur inter se, nec ab essentia distinctione reali formali, aut ex natura rei ante intellectus operationem.* Ità Auctores secundæ, tertiæ, & quartæ sententiæ, ex quibus nonnulli sententiam Scoti grauibus notant censuris. Molina *conc. 2.* ait esse in fide parùm tutam. Valentia parùm fidei consentaneam. Arrubal non esse in fide securam. Alarcon ab Schola veræ Theologiæ deportandam, & expellendam. Zumel nostram sententiam asserit fidei, & communi sensui Ecclesiæ esse consonam. A quibus censuris abstinens, probo conclusionem primò, argumento, quo huiusmodi distinctio, nedum in Deo, sed etiam in creaturis communitèr impugnatur: etenim sicut ens adæquatè diuiditur in ens reale, & rationis, ità vnitas, vel distinctio, quæ est passio entis, in realem, & rationis adæquatè secatur; sed inter ens reale, & rationis, non datur medium, sed omne ens in rerum natura existens, vel est reale, vel rationis: ergò inter distinctionem realem, & rationis medium non datur, sed omnis distinctio esse debet, vel rationis, vel realis; & consequenter distinctio ex natura rei media inter realem, & rationis non datur.

Prima conclusio. Probatur primò.

10 Dices, & est communis solutio, inter distinctionem realem, & rationis medium non dari, benè tamen inter distinctionem realem entitatiuam, & distinctionem rationis, ex quo solùm sequitur distinctionem ex natura rei esse realem non autem realem entitatiuam, sed formalem, quæ non *absolute*, & *simplicitèr* dicitur realis distinctio, sed cum addito, & *secundùm quid*. Sed contrà primò: nulla datur formalitas existens à parte rei ante operationem intellectus, quæ ens reale non sit: ergò nulla datur distinctio existens à parte rei antè operationem intellectus, quæ non sit distinctio realis entitatiua. Patet consequentia: nam distinctio, & vnitas est passio entis. Secundò, quia omnis formalitas antè operationem intellectus existens est realis, ergò distinctio formalis antè operationem intellectus existens est realis; sed formalitas ante operationem intellectus existens non solùm est realitas, sed etiam est entitas: ergò distinctio antè operationem intellectus existens, non solùm est realis, sed etiam entitatiua.

Respondebis. Contra 1. Contra 2.

11 Deindè, quidquid sit de valore huius rationis ad impugnandam prædictam distinctionem in communi, probatur secundò conclusio: nam iuxtà Ecclesiæ PP. Deus non solùm est bonus, sed est ipsa bonitas, non solùm sapiens, sed ipsa sapientia, non solùm est volitiuus, sed est sua voluntas; ac demùm est omnia sua attributa, non solùm prædicatione in concreto, sed in abstracto, quæ loquutio debet absolutè esse vera ob PP. auctoritatem; sed si Deitas ex natura rei, & distinctione reali formali distingueretur ab attributis, non possent attributa in abstracto absolutè, & in sensu proprio prædicari de diuina essentia: ergò talis distinctio inter attributa, & essentiam non datur. Consequentia patet. Maior constat ex Dionysio *cap. 4. de diuinis nominibus*, Anselmo *in monologio cap. 15. & cap. 16.* ex Augustino *lib. 6. de Trinitate cap. 7. lib. 7. cap. 1. & 2. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 10.* & serm. 38. de tempore, illis verbis: *Trinitas vnus est Deus, solus bonus, magnus, æternus, omnipotens, ipse sibi vnitas, Deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, &c.* Ex Bernardo lib. 5. de consideratione illis verbis: *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè, Catholicèquè, sed multa vnum.* Et ad finem libri illis verbis: *Nobis, quia non possumus eum Dei simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit quasi quadruplicatum, facit hoc speculum, & enigma, cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus eum sicuti est.* Minor autem probatur: quæ ex natura rei, & *formalitèr realitèr* distinguuntur ab aliquo, non debent absolutè prædicari de ipso, sed potiùs absolutè negari: vndè in sententia distinguente relationem à fundamento distinctione reali formali, istæ propositiones falsæ absolutè censentur, *albedo est similitudo, generatio est paternitas* ergò attributa non distinguuntur ab essentia diuina ex natura rei distinctione reali formali, vel propositiones PP. quibus de Deo in abstracto enunciantur, erunt falsæ absolutè.

Secundò probatur conclusio. Dionys. Anselm. August. Bernard.

12 Confirmatur, & vrgetur primò: nam iuxtà Bernardum, multiplicitatem, & distinctionem diuinarum perfectionum facit speculum, & enigma, cùm autem Deum videbimus, multiplicitas non apparebit; at si esset multiplicitas, & distinctio realis formalis, non ab speculo procederet, sed in re esset, & videntibus clarè pateret: ergò talis distinctio inter Dei perfectiones admittenda non est. Cofirmatur, & vrgetur secundò; vt enim ex Concilio Remensi refert Vazquez *disp. 120. cap. 2.* in nullo sensu catholico potest negari, quòd diuinitas sit relatio, & relatio diuinitas: ergo pariter non potest in sensu catholico asseri, quòd diuinitas non sit sapientia, bonitas, & quæuis alia attributalis perfectio, at si ex natura rei formalitèr distinguerentur, hæc esset vera in sensu aliquo catholico, *diuinitas, sapientia non est*, imò formalior, veriorque sua contradictoria: ergò diuinitas non distinguitur ab attributis distinctione reali formali.

Confirmatur 1. Confirmatur 2.

13 Tertiò vrgetur, & confirmatur: vt enim constat ex Concilio Florentino Sessione 15. & 18. 19. & 24. *Relatio est eadem re, cum natura, solùm vero secundum modum intellectionis nostra differt, non re, sed sola ratione paterna hypostasis à substantia seiungitur*; sed attributa non minori identitate gaudent cum essentia, & natura diuina, quàm relatione: ergò non re, sed sola ratione distinguuntur ab essentia; sed si Scoti sententia esset vera, non sola ratione, nec solùm secundùm modum intelligendi ab essentia differrent, sed etiam re; cum idem sit re distingui, quod *realitèr*; distinctio autem à Scoto inter essentiam, & attributa posita, realis est, omnem nostri intellectus considerationem præueniens: ergò hæc distinctio admittenda non est. Quod amplius vrgetur: quia namque Diuus Thomas asserit, attributa, & relationes fo-

Confir. 3. Confir. 4.

solùm distingui ab essentia ratione, aut secundùm modum intelligendi, fatentur Scoti discipuli, se contrà D. Thom. sentire, asserendo distingui ex natura rei; sed hoc idem, & eisdem verbis relatis asseritur in Concilio Florentino: ergò distinctio ex natura rei, intellectus nostri considerationem præueniens *formalitèr* in re existens inter attributa, & essentiam, illi aduersari videtur.

14 Tertiò probatur: Pater namquè vt constitutus ex essentia, & paternitate, est summe vnus, & omninò simplex, vt constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 2. illis verbis: *Cum substantia Patris indiuisibilis sit, vtpotè simplex omnino*: ergo Deus intelligens, & volens vt constitutus ex essentia, & intellectione, & volitione, idemquè est de alijs attributis dicendum, est summè vnus, & simplex omninò. Quæ consequentia à contrarijs non negabitur. Tunc vltrà: ergò est irresolubilis in duas formalitates *realitèr formalitèr* distinctas. Patet consequentia primò: nam vnitas excludit distinctionem: ergò summa vnitas realis, omnem realem distinctionem excludit. Secundò, quia namquè simplicitas excludit compositionem, summæ simplicitati reali opponitur omnis realis compositio; sed vnitas excludit distinctionem: ergò summæ vnitati reali opponitur omnis realis distinctio.

Tertiò probatur conclusio.

15 Respondebis, in Deo, vt constituto ex essentia, & attributis esse summam vnitatem realem, quia formalitates, ex quibus constat, non distinguuntur *realiter entitatiuè*, nec obstat distinctio formalis realis, quæ inter illas inuenitur, quia hæc distinctio est necessaria, & indistinctio realis formalis inter illas formalitates est impossibilis, non autem tollitur summa vnitas realis per distinctionem necessariam, & indistinctionem repugnantem. Et quidem in *cap. damnamus de summa Trinitate* asseritur, relationes esse idem omnino, & omnimodo, & quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt idem omninò; & tamen ob hoc non excluditur realis relationum, personarumquè distinctio, quia hæc necessaria est, pariter ex distinctione reali formali attributorum ab essentia non tollitur summa vnitas ob rationem assignatam.

Respondebis.

16 Sed contrà primò: nam relationes non dicuntur omnimode identificati inter se, sed esse omninò vnum, & idem *neutraliter*, id est in essentia; sed in essentia non solum sunt vnum, & idem *entitatiuè*, sed etiam vnum, & idem *formaliter*, id est, essentiæ vnius non solum *entitatiuè*, sed etiam *formaliter realitèr*, non possunt dici esse eiusdem omnino essentiæ, si essentia in illis distingueretur distinctione reali formali: ergò paritèr, si Deus intelligens, & volens non est vnus vnitate reali formali, non erit summè, & omnimode vnus. Secundò: nam ad sic accipiendam vnitatem relationum, personarumq; in essentia, cogit fides Trinitatis, quia credimus esse in Deo Trinitatem personarum, distinctionemque relationum; at vt summam vnitatem inter attributa relationesquè, & essentiam, à Concilijs definitam coarctemus ad summam *entitatiuè*, & non intelligamus de summa, omni modo realis identitatis excludente omnem realem distinctionem, nihil in Scriptura, aut Concilijs vrgens inuenitur: ergò sine fundamento, & necessitate, Conciliorum verba attestantia summam illam vnitatem, coarctantur ad summam, solùm modo *entitatiuè*, non autem summam, omni modo realis vnitatis.

Contra 1.

Secundò.

17 Tertiò: nam sequitur ex tradita solutione, quòd, qui assereret, Patrem esse compositum compositione reali formali, non se opponeret Concilio Lateranensi, definienti Patrem esse *summè* simplicem, nec ab illo damnaretur; consequens est falsum, aliàs posset, salua fide, defendi compositio realis formalis inter diuinas formalitates, quod nec Scotus, nec aliquis Scotistarum vnquam asseruit, semper negantes ex distinctione reali formali, consequentem esse formalem compositionem: ergò solutio tradita est nulla. Probatur sequela. saluatur summa vnitas realis in Deo non obstante distinctione reali formali, quia hæc distinctio est necessaria, & implicans indistinctio illi opposita; sed qui affirmaret in Deo realem formalem compositionem, assereret esse necessariam, implicantemquè in compositionem realem formalem: ergo cum reali formali compositione saluaret summam simplicitatem; ac proinde non se opponeret Concilio Lateranensi, asserenti Deum esse summè simplicem.

Tertiò.

18 Patet consequentia: nam sicut summæ vnitati non opponitur distinctio realis necessaria, nec carentia identitatis realis impossibilis; ita summæ simplicitati non potest opponi necessaria compositio, nec incompositio implicatoria: ergò si Scotus docens distinctionem illam esse necessariam, & indistinctionem realem formalem inter attributa, & essentiam esse impossibilem, saluat veritatem Concilij statuentis summam vnitatem in Deo, ità qui assereret compositionem realem formalem ex formalitatibus distinctis *realitèr* esse necessariam, & incompositionem realem formalem in constituto ex illis esse possibilem, saluaret veritatem Concilij asserentis Deum esse summe simplicem; & consequenter potest, salua fide, defendi, Deum esse compositum *realiter* compositione reali formali.

19 Si fortè dicatur, Scotum ad asserendum distinctionem realem formalem inter attributa, & essentiam esse necessariam & indistinctionem oppositam repugnantem, habere sufficientem rationem; vt autem id de compositione reali formali asseratur fundamentum non esse, & ideo primum potest defendi, salua summa vnitate, secùs autem secundum salua summa simplicitate. In contrarium obstat primò: iam totum litigium non ad auctoritatem Concilij reduci, sed solùm ad rationem, & consequenter asserere realem formalem compositionem in Deo, contrà Auctoritatem Concilij non erit, sed contra rationem tantùm. Secundò: nam ferè omnes Theologi contra Scotum validum argumentum censent, quo ex reali formali distinctione infertur in Deo compositio realis formalis: ergo data sententia Scoti vt probabili asserente realem formalem distinctionem, superest ratio efficax in ferè omnium Theologorum sententia, vt admittatur in Deo compositio realis formalis; & consequenter, semel admissa sententia Scoti, poterit compositio realis formalis tutò, & saluata fide, defendi.

Respondebis.

Contra 1.

Secundò.

20 Tertiò. nam etiam, stando rationi, argumentum Scoti, quo probat distinctionem realem formalem inter attributa, & essentiam non est euidens, sed ad summum probabile, & ob tale argumentum summa vnitas in Deo à Concilijs prædicata explicatur de summa vnitate opposita distinctioni reali entitatiuæ, non autem opposita distinctioni reali formali; sed argumentum, quo ex reali formali distinctione infertur compositio realis formalis, estò demus euidens non esse, non potest negari esse vrgens, & valde probabile: ergò eadem ratione, qua summa vnitas asserta à Concilijs in Deo, explicatur de summa vnitate entitatiua, poterit etiam omnimoda Dei simplicitas a Concilijs definita, de simplicitate entitatiua explicari.

Tertiò.

21 Quòd si propter hæc asseratur, eum, qui doceret realem formalem compositionem in Deo, non ideò contrauenturum Concilijs summam Dei simplicitatem statuenti bus. In contrarium obstat primò: id non tam esse argumentum soluere, quam oneri argumenti succumbere: Secundò; hoc à Scoto, & illius discipulis vno ore negari: nam Scotus fuit semper in defendenda distinctione reali formali quin ex illa realis formalis compositio inferatur: ergò quia censuit hoc præiudicare summæ Dei simplicitati. Tertiò. nam ex data solutione sequitur, eum, qui pertinaciter assereret, Patrem esse *realiter* compositum ex essentia, & paternitate, docens realem entitatiuam distinctionem essentiæ a paternitate; & consequenter realem entitatiuam compositionem ex illis esse necessariam, non damnari à Concilijs definientibus, Deum esse simplicem omninò, etsi aliunde posset conuinci; consequens absurdum est: ergò tradita solutio sustineri non potest. Denique: nam id, quo aliquid datur simplicius, summè simplex non est; sed amissa in Patre compositione reali formali ex essentia, & paternitate, essentia, & paternitas carentes reali formali compositione, essent simpliciores Patre *realiter* ex essentia, & paternitate composito: ergò Pater summe simplex non esset.

Respondebis.

Contra 1.

Secundò.

Tertiò.

Deniquè.

22 Deniquè principaliter suadetur conclusio: nam sequitur ex contraria sententia Deum esse in potentia reali formali ad attributa, v. g. ad actum intelligendi, & volendi; consequens est falsum, & contra summam Dei actualitatem: ergo attributa non distinguuntur ab essentia, & inter se distinctione reali formali. Probatur sequela: si *entitatiuè realiter* distingueretur ab attributis, esset ad illa in potentia reali *entitatiuè*; ergo si ab illis distinguitur *realiter formaliter*, erit ad illa in potentia reali *formalitèr*.

Vltimò probatur conclusio.

23 Respondebis ex doctrina Scoti, negando sequelam: nam eo ipso, quod *entitatiuè realitèr* identificetur essentia cum attributis, est ens per essentiam, actus purus, & infinita simplicitas; actui autem puro, & enti per essentiam infinito repugnat esse ad aliquid in potentia reali, idemquè licèt

Respondebis.

licèt detur formalis realis distinctio, non sequitur inconueniens illatum. Sed contrà primò: ex identitate entitatiua essentiæ cum attributis cum distinctione reali formali, non sequitur in formalitate essentiæ infinitas per essentiam formalis, sed tantùm entitatiua: ergò non tollitur potentialitas realis formalis, sed tantùm entitatiua; & consequenter essentia in ordine ad attributa, erit in potentia reali formali, quamuis non entitatiua. *Contra 1.*

24 *Secundò.* Secundò: nam Deus non solùm *realitèr entitatiuè* est intelligens, & volens in actu secundo, sed etiam *formalitèr realitèr*; at prout *realiter formalitèr* ab intellectione, & volitione distinctus, non est volens, & intelligens per realem formalem identitatem: ergò est volens, & intelligens, per realem formalem receptionem actionum intelligendi, & volendi; & consequenter est potentia *realitèr formalitèr* prædictos actus recipiens, quod Nos intelligimus per esse ad prædictos actus in potentia reali formali.

25 *Tertiò.* Tertiò: non enim minus est de ratione entis per essentiam identificare sibi omnem perfectionem simpliciter simplicem, quam de ratione actus puri excludere potentialitatem; sed iuxtà Scotum saluatur in diuina essentia ratio entis per essentiam, & à se, per solam identitatem realem entitatiuam cum attributis, quæ sunt perfectiones simpliciter simplices, cum distinctione reali ex natura rei ab illis, seu cum distinctione reali formali: ergò saluabitur in essentia ratio actus puri per exclusionem potentialitatis entitatiuæ, etsi sit in potentia reali formali in ordine ad attributa.

26 *Quartò.* Denique: non enim minus est de ratione cuiuslibet perfectionis diuinæ ratio entis à se per exclusionem causæ realiter causantis, quàm de ratione actus puri ad nihil esse in potentia, seu exclusio realis potentialitatis; sed ex sententia Scoti colligitur, saluari in actibus intelligendi, & volendi rationem entis per essentiam cum causa *realitèr formalitèr* tali; ergò etiam ratio actus puri in diuina essentia subsistet per exclusionem potentialitatis realis entitatiuæ, quamuis sit in potentia reali formali. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur: in primis namque actus intelligendi, & volendi sunt ens per essentiam, & à se; sed ex sententia Scoti sequitur, habere intra Deum causam *realitèr formalitèr* illos causantem: ergò sequitur ex sententia Scoti saluari in diuinis attributis rationem entis per essentiam, & à se per exclusionem causæ *entitatiuè* causantis cum causa influente influxu reali formali.

27 *Minor probatur.* Minor, in qua est difficultas, probatur. etenim perfectio absoluta procedens *realitèr* ab alia *entitatiuè* distincta, est ab illa vt à causa reali *entitatiuè realiter* influente: ergo formalitas procedens ab alia formalitate, processu reali formali, est ab illa, vt à causa reali influente influxu reali formali; sed volitio v. g. est formalitas absoluta, & in sententia Scoti procedit à formalitate intellectus processu reali formali: ergo est ab intellectu, & à causa reali influente influxu reali formali. Probo secundam partem antecedentis: formalitas actus intelligendi prout *formalitèr* ab intellectu distincta, constituit intellectum intelligentem; & consequenter viuentem: ergò prout sic conuenire debet Deo vt intelligenti à se, vt constat ex definitione viuentis; sed prout distincta ab intellectu distinctione reali formali, non conuenit Deo à se per identitatem realem formalem: ergò conuenit Deo à se per egressum realem formalem ab illo; & consequenter Deus est causa intellectionis, illam causans influxu reali formali. Mitto argumentum sumptum ab inconuenienti compositionis realis formalis, quæ in Deo ex Scoti sententia sequitur, quia illud fusè prosequemur *infra quæst. 18.* agendo de relationibus.

§. III.

Argumentis in contrarium occurritur.

28 *Arg. 1. ex auctoritate Patrum. Dionys. Anselm. Damasc. August.* Contra istam conclusionem obijciunt Auctores oppositi primò, auctoritatem Patrum asserentium, esse in Deo multiplicitatem, varietatemque perfectionum. Ità Dionysius *cap. 9. de diuinis nominibus.* Anselmus *in monologio cap. 48.* Damascenus *lib. 1. fidei cap. 4.* Augustinus *lib. 2. de trinitate cap. 21. lib. 5. cap. 5. lib. 6. cap. 6. & epist. 102.* illis verbis: *Legitur quidem spiritus sapientiæ multiplex, sed rectè dicitur etiam simplex, multiplex, quoniam multa sunt, quæ habet, simplex autem, quoniam non aliud, quàm quod habet, est;* sed hæc perfectionum multiplicitas, quæ idem est, quod distinctio, non est realis entitatiua: ergò est realis formalis, aut ex natura rei. Respondeo ex PP. nihil nostræ assertioni contrarium posse apparenter inferri; non enim loquuntur de multiplicitate aliquo modo reali, sed de multiplicitate in re virtuali, & per rationem formali; aliàs vt *supra* arguebamus, Deus sua attributa non esset prædicatione in abstracto absolutè, quod PP. aduersatur. *Respondetur.*

Secundò arguunt ratione: ea namq; ex natura rei differunt, quæ *entitatiuè* sunt eadem, & definitione differunt; sed attributa inter se, & collata cum natura, differunt definitione; & aliàs sunt idem *entitatiuè*: ergò differunt ex natura rei; & consequenter distinctione reali formali. Consequentia tenet. Minor est certa: nam intellectus definitur esse id, quo Deus intelligit, voluntas esse id, quo Deus amat per modum principij proximi; essentia autem definitur esse id, quo Deus est, radicaleq; & vniuersale operationum principium; misericordia est id, quo Deus miseretur; iustitia est, qua Deus punit, & sic de alijs attributis, quæ definitiones sunt distinctæ. Maior autem probatur primò: nam definitio explicat naturam rei: ergò definitiones distinctæ, explicant naturas, & essentias distinctas; & consequenter, quæ definitione differunt, ex natura rei distinguuntur. 29 *Secundo arguitur. Maior prob. 1.*

Secundo id ipsum probatur, & præcedens ratio explicatur: distinctio enim essentialis, non potest dependere ab intellectu fingente; & consequenter intellectus nostri considerationem præcedit; Ex quo vlteriùs fit, vt sit realis; sed quæ differunt definitione, distinguuntur distinctione essentiali: ergò illorum distinctio existit ante operationem nostri intellectus; & consequenter, distinguuntur distinctione reali formali: Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam definitio explicat essentiam rei: ergò distincta definitio explicat distinctam essentiam; & consequenter, quæ differunt definitione, differunt differentia essentiali. 30 *Secundò.*

Quod amplius vrgetur; quod enim conuenit voluntati, & intellectui, vt sic, necessariò conuenit intellectui, & voluntati diuinæ; sed intellectui, & voluntati vt sic, conuenit distinctio essentialis: ergò intellectus, & voluntas diuina *essentialitèr* distinguuntur; & consequenter *realiter*, hoc est, ante omnem intellectus nostri considerationem. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur: nam intellectus, & voluntas, vt sic, definiuntur definitionibus essentialiter distinctis; sed quæ differunt definitione essentiali, differunt *essentialitèr*: ergò intellectus, & voluntas vt sic, essentialiter distinguuntur. 31 *Confirmatur.*

Respondeo, distinguendo maiorem: quæ differunt definitione adæquata naturæ rei, secundùm quod est in se, concedo maiorem: definitione non adæquata naturæ rei secundum quod est in se, sed prout à nobis, vt ab alia distincta concipitur, aut est conceptibilis, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam intellectus v. g. & voluntas diuina dupliciter definiri possunt, scilicet, definitione data de illis secundum quod sunt in se, qualiter solùm possunt definiri à Deo, vel ad lumen ab intellectu beati, vel definitione data de illis, non prout sunt in se, sed prout à nobis viatoribus imperfectè, & per alienas species concipiuntur: si primo modo definirentur, non habet & diuersas definitiones, sed vnam; secundo autem modo diuersis definiuntur definitionibus. Ex quo tamen non sequitur distingui ante intellectus nostri considerationem distinctione reali formali, quia cum definitio à nobis detur de illis, non prout in se sunt, sed prout à nobis concipiuntur, sufficit ratione nostra distingui, vt diuersis gaudeant definitionibus. 32 *Respondetur.*

Et quidem personalitas diuina, & diuina relatio diuersis definitionibus definiuntur; quandoquidem persona diuina dicitur ad se, & ad se definitur, relatio autem diuina dicitur, & definitur ad aliud; quò circà, vt pluribus locis docet Augustinus, Pater non dicitur persona Filij, dicitur autem Pater Filij; & tamen non sequitur, personalitatem diuinam ex natura rei à relatione distingui; aliàs personæ diuinæ constituerentur per aliquid absolutum, quod Scotistæ iam recusant; ergò diuersitas definitionum non arguit vniuersaliter distinctionem realem formalem, aut ex natura rei, sed tunc solùm quandò definitio adæquatur rei formalitati secundum quod est in se; cum autem formalitati rei vt in se non adæquatur, sed solùm prout à nobis imperfectè concipitur, non arguit distinctionem ex natura rei, nec realem formalem, sicut definitio adæquans entitatem rei, si diuersa sit, arguit distinctionem realem enti- 33 *Instatur argumentum.*

tita-

titatiuam; si verò entitatem rei non adæquet, talem distinctionem non inferr, vt tenetur Scotus fateri.

34 *Ad primam probationem maioris.* Ad primam probationem maioris, quatenùs distinctioni traditæ obstare potest, distinguo antecedens: naturam rei, secundùm quod est in se *adæquatè*, vel secundum quod ab intellectu concipitur, concedo antecedens: naturam rei *adæquatè*, secundùm quod est in se, subdistinguo antecedens: si detur de illa secundùm quod est in se, concedo antecedens: si sic non detur, nego antecedens: & sub eadem distinctione consequentis, concedo, & nego consequentiam, quæ distinctio constat ex dictis.

35 *Ad secundam.* Ad secundam, distinguo maiorem: distinctio essentialis realis, concedo maiorem: distinctio essentialis rationis, nego maiorem, & distinguo minorem; distinctione essentiali reali, nego minorem: reali, vel rationis, concedo minorem, & nego consequentiam; cum enim res definiantur, vt à nobis concipiuntur, vt definiantur diuersis definitionibus *essentialitèr*, sufficit quòd à nobis concipiantur, vt distincta *essentialitèr*, quod est distingui distinctione essentiali rationis, secùs contingeret, si definirentur à concipiente obiecta secundùm quod sunt in se; tunc enim diuersæ definitiones arguerent distinctionem essentialem realem. Nec ampliùs probatio antecedentis conuincit: nam definitio explicat essentiam rei prout à definiente conceptam: vnde vt diuersa sit definitio, sufficit, quòd essentia, vt distincta concipiatur, quamuis in re distincta essentia non sit.

36 *Instantia.* Si dicas; vt definitio sit bona, debet esse essentiæ rei definitæ conformis, & cum illa adæquari: ergò non stat diuersitas definitionum, absquè diuersitate essentiali reali.

Respondetur. Respondeo, distinguendo antecedens: debet adæquari cum essentia rei definitæ, prout à definiente conceptæ, concedo antecedens: cum essentia rei definitæ vt in se, subdistinguo antecedens: vt sit definitio quidditatiua, & adæquata rei, concedo antecedens: vt sit bona definitio rei *quoad an est*, & imperfecta nego antecedens, & consequentiam: nam à nobis viatoribus, non possunt intellectus, & voluntas diuina definiri definitione, illa vt in se adæquante, nec definitione quidditatiua, sed solùm definitione *quoad an est*, & inadæquata, ad quam sufficit adæquari cum essentia rei definitæ, non prout in se, sed prout à nobis imperfectè concipitur, vt non sit defectuosa *contrariè* attribuendo rei definitæ prædicatum ei repugnans, quamuis sit *negatiuè* defectuosa, hoc est non explicans omnia prædicata, illi prout in re essentialia. Quæ doctrina est

S.THO. D. Thom. *in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. in corp.* vers. *Quantum verò ad 4. & in hac 1. p. q. 13. art. 5.*

37 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: distinctio essentialis realis, nego minorem: realis, vel rationis, concedo minorem, & distinguo consequens: distinguuntur *essentialitèr realiter*, nego consequentiam: distinctione essentiali rationis, concedo consequentiam. Itaquè sicut intellectus, & voluntas vt sic, non distinguuntur *entitatiuè*, sed abstrahunt, & in creatis distinguuntur *entitatiuè* in Thomistarum sententia, & in Deo *entitatiuè* sunt idem, vt omnes catholici docent; ità ex se sumpta in communi ad Deum, & ad creaturas, non petunt distingui *formalitèr realiter*, nec distinctione essentiali reali, sed abstrahunt a distinctione essentiali reali, & à distinctione essentiali rationis; primum in creaturis sortiuntur; secundùm autem in Deo. Nec minoris probatio oppositum conuincit, vt constat ex dictis: nam ex diuersitate definitionum essentialium, licèt inferatur distinctio essentialis in obiectis definitis, non tamen determinatè realis, sed vel realis, vel rationis.

38 *Instatur confirmatio.* Et quidem substantia, & relatio, vt sic diuersis definitionibus definiuntur, vt constat illa definienti; & tamen non licet ex hoc inferre, sumpta in communi distingui distinctione reali essentiali; aliàs *relatio* diuina, & diuina hypostasis distinguerentur distinctione reali essentiali, & personalitas Patris, quæ *formalitèr* est substantialis, *formalitèr* relatio non esset, sed aliquid absolutum: ergò ex eo quod intellectus, & voluntas, vt sic, diuersas habeant definitiones, non sequitur, vt sic sumpta, distingui distinctione reali essentiali.

39 *Vrgebis.* Sed dices, intellectus, & voluntas vt sic, definiuntur à nobis definitione adæquata; & tamen gaudent distinctis definitionibus: ergò distinguuntur distinctione reali essentiali. Consequentia patet ex doctrina à nobis tradita. Minor constat, & maior probatur; definiuntur à nobis definitione quidditatiua, & non solùm *quoad an est*: ergò definitione adæquata. Consequentia videtur bona: nam inde asserebamus definitionem intellectus, & voluntatis diuinæ esse inadæquatam; quia est solùm connotatiua, & *quoad an est*. Antecedens autem probatur: vt enim *disp. 2. §. quinto*, docuimus, ens vt sic cognoscitur quidditatiuè ab intellectu viatoris, quia cognoscitur per speciem entis materialis, in quo ens vt sic continetur; cognitio autem alicuius per speciem ipsum continentis, est cognitio quidditatiua; sed intellectus, & voluntas vt sic, continentur in intellectu, & voluntate humana, quæ *quidditatiuè* cognoscimus: ergò cognitio viatorum de intellectu, & voluntate vt sic, est quidditatiua; & consequenter definiuntur à viatoribus quidditatiua definitione.

Respondeo, distinguendo antecedens; definitione adæquata cum intellectu, & voluntate vt sic, secundum id quod explicant, & *positiuè* petunt, concedo antecedens, secundùm id quod actu *implicitè* includunt, & *permissiuè* illis conueniunt, nego antecedens, & consequentiam: vt enim distinguerentur distinctione reali essentiali necessum erat, quod definitiones essent distinctæ; & adæquatè vtraq; adæquatione. Et quidem animal secundùm id, quod actu dicit in suo conceptu formali, definitur definitione adæquata distincta à definitione, qua rationale definitur, & tamen non colligitur animal, & rationale distingui ex natura rei, & distinctione reali essentiali; quia animal est in potentia, vt contrahatur per rationale, cum quo *realitèr formalitèr* identificatur in sententia omnium Thomistarum, & frequentiori apud alios, præter Discipulos Scoti: ergò ex eo quod definitiones diuersæ datæ de intellectu, & voluntate, vt sic, sint adæquatè cum suis definitis secundùm conceptum illorum explicitum, & actualem, non sequitur distingui inter se distinctione reali essentiali, aut formali, vel ex natura rei. Est tamen aduertendum, quòd cum admittimus attributa definiri diuersis definitionibus, non loquimur de definitione *strictè*, sed *largè*; propriè namq; nulla Dei perfectio definibilis est, vt docet D. Tho. *in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. dist. 22. q. 1. art. 1. ad 2. q. 8. de potentia art. 2.* & pluribus alijs locis. 40 *Respondetur.*

Tertiò sic arguunt: de vno, & eodem non possunt verificari propositiones contradictoriæ; sed de intellectu diuino, & diuina voluntate verificantur propositiones contradictoriæ: ergo intellectus, & voluntas non sunt idem *realiter*; cumque identitas realis entitatiua, non possit inter illa negari, fatendum est, distingui distinctione reali formali, aut reali ex natura rei. Consequentia tenet. Maior est certa: etenim propositiones contradictorias, non posse esse simul veras, est lumine naturali notum, quod non solùm verum est in creatis, sed etiam in Deo in quo luminè naturali cognoscitur, non posse idem simul esse, & non esse, quod in idem venit, ac non posse in Deo propositiones contradictorias esse simul veras, aut simul falsas. Minor autem probatur: nam hæc propositio est vera: *Intellectus est principium generationis Verbi*, & hæc etiam *voluntas non est principium processionis Verbi*; sicut etiam verum est Spiritum Sanctum procedere per voluntatem, & non per intellectum diuinum, ergo de intellectu, & voluntate verificantur propositiones contradictoriæ, taliter vt quod de intellectu affirmatur, de voluntate negetur, & è contrà; & consequenter non sunt vnum, & idem. Patet consequentia; aliàs de vno, & eodem essent veræ propositiones contradictoriæ, quod lumini rationis naturalis repugnat. 41 *Tertiò arguitur.*

Hoc est argumentum, cui præcipue Scoti sententia fidit, & quo motus fuit Gilbertus, vt distinctionem realem entitatiuam inter relationes, & essentiam statueret, Durandus vt assereret distingui distinctione reali modali, & Scotus ad suam distinctionem realem formalem, illud formando de relationibus comparatis cum essentia, sicut modo à Scoto inducitur ad probandam distinctionem realem formalem inter intellectum, & voluntatem diuinam. Sed nihil horum conuincit, & in forma respondetur, distinguendo maiorem: de vno, & eodem, re, & ratione, concedo maiorem; de vno, & eodem, re tantum, distincto tamen ratione, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Solùm enim sequitur, intellectum, & voluntatem diuinam distingui ratione ratiocinata, quod fatemur, non autem distinctione reali entitatiua, aut formali. Quod autem distinctio rationis sufficiat ad veritatem duarum propositionum de prædicato contradictorio, est doctrina expressa D. Thomæ *in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. ad 6.* 42 *Respondetur.* S.THO.

ad 6. & art. 4. ad 2. & art. 5. ad 4. distin. 33. q. 1. art. 1. ad 2. & 3. argumentum, & dist. 34. q. 1. art. 1. ad 2. in hac 1. p. infra q. 28. art. 3. ad 1. q. 39. art. 1. ad 2. & pluribus alijs locis.

43 *Replicat Scotus.* Sed contrà istam solutionem arguit Scotus instaurando argumentum: in quocumque signo contradictoria verificantur de aliquo, debet esse aliqua multitudo; aliàs de eodem penitùs contradictoria verificarentur, quod implicat; sed circumscripto omni actu intellectus, memoria, idest, intellectus diuinus, & voluntas sic se habent, quòd de ipsis verificantur contradictoria: nam intellectus est principium gignendi Verbum, non autem voluntas: ergò distinguuntur antè omnem actum, & considerationem intellectus; & consequenter distinctione aliqua reali.

44 *Confirmatur.* Quod ampliùs confirmari potest: nullum enim ens reale præsupponit aliquid fictum ab intellectu; cum de ratione entis realis sit ab intellectus fictione non dependere; sed personæ diuinæ sunt aliquid reale, & præsupponunt distinctionem voluntatis diuinæ ab intellectu: ergò huiusmodi distinctio existit antè operationem intellectus; & consequenter est realis. Maior cum consequentia tenet. *Minor probatur 1.* Minor autem probatur primò: nam ordo realis inter processiones, quòd, nempe priùs origine Filius procedat, quàm Spiritus Sanctus, & quòd Spiritus Sanctus à Filio procedat, prouenit ex ordine inter intellectum, & voluntatem; & consequenter ex illorum distinctione: ergò personæ procedentes præsupponunt distinctionem inter voluntatem, & intellectum.

45 *Secundò.* Secundò: nam quod processio Filij sit generatio, secùs autem processio Spiritus Sancti, prouenit ex eo quod Verbum procedit per intellectum, & non per voluntatem; tertia autem persona procedit per voluntatem, & non per intellectum; & consequenter, quòd vna processio generatio sit, & non alia, distinctionem intellectus à voluntate supponit; sed personæ vt realiter existentes hoc habent, quòd vna, & non alia terminet generationem: ergò personæ diuinæ procedentes supponunt distinctionem inter intellectum, & voluntatem in Deo. Huic argumento, quod sine dubio difficile est, *Respõdet. Auctores 3. sentent.* Respondent Auctores tertiæ sententiæ, totum hoc præstari à distinctione virtuali intrinseca reali antè omnem considerationem intellectus existente: vnde hæc sola conuincitur, non autem distinctio realis formalis. Contra quos sit.

§. IV.

Distinctio virtualis intrinseca excluditur.

46 *Secunda conclusio.* SEcunda conclusio. *Distinctio virtualis intrinseca realitèr existens ante operationem intellectus, distincta à distinctione fundamentali rationis, non est constituenda in Deo.* Ita Auctores quartæ sententiæ, qui licet inter relationes, & essentiam, & inter perfectiones absolutas, distinctionem virtualem realem admittant, vt videre est in *Capreol.* Capreolo *in 1. dist. 8. quæst. 4. art. 3. ad 1. Scoti contra 2. conclus.* loquuntur tamen de fundamento distinctionis rationis, quod quia a parte rei existit, dicitur virtualis distinctio per ordinem ad formalem fabricabilem ab intellectu.

47 *Prob. 1. ex Conc. Florent.* Suadetur conclusio primò: vt enim constat ex Concilio Florentino verbis *superiùs* relatis relationes solùm secundùm modum intelligendi, aut ratione solùm distinguuntur ab essentia, quod idem ex consequenti verum est de essentia, & attributis; sed si distinguerentur distinctione virtuali reali distincta à fundamentali rationis, non differrent solùm ratione; ergò talis distinctio non datur inter prædicata diuina. Patet minor: nam dictio exclusiua *solùm* si in rigore accipiatur, vt debet, omnem aliam distinctionem excludit; sed distinctio hæc virtualis, alia est à distinctione rationis, & illius fundamento, vt illius Auctores fatentur: ergò excluditur per dictionem exclusiuam.

48 *Respondebis.* Respondebis; Concilium esse accipiendum de distinctione actuali, sic autem verum est non distingui, nisi distinctione rationis, aut secundùm modum intelligendi, non autem excluditur distinctio virtualis intrinseca realis, quæ licet actu existat à parte rei, non tamen est distinctio actualis, sed virtualis. *Contra.* Sed contrà: nam si hæc solutio admittitur, poterunt etiam Scoti discipuli respondere, vt suam tueantur sententiam, explicando Concilium de distinctione entitatiua, in quo sensu verum est solùm ratione distingui, quia solùm per rationem multiplicantur entitates in Deo; distinctio autem realis formalis, non entitates, sed formalitates multiplicat, nec entitatiua est, sed formalis; at hoc effugium non admittunt Auctores, quos impugnamus, Scoti sententiam varijs censuris damnantes: ergò illorum explicatio admittenda non est. Maior probatur: nam verba Concilij vniuersalia sunt, & ly *solùm* est vniuersalis exclusiua: ergò si hoc non obstante, licet his Auctoribus illam *limitate* accipere, vt non omnem distinctionem realem excludat, sed tantùm actualem; licebit etiam discipulis Scoti illa magis limitare, dicendo loqui de distinctione actuali entitatiua, in quo sensu solam distinctionem realem entitatiuam excludit.

Secundò probatur ex Concilio Lateranensi vbi *suprà*, statuente summam vnitatem in Patre, vt constituto ex essentia, & paternitate: ex quo intulimus, idem esse dicendum de attributis, & essentia, nempè Deum, vt constitutum ex essentia, & attributis, esse *summè* vnum, & idem; sed summa vnitas, omnem realem distinctionem excludit, solùmque distinctionem rationis, & illius fundamentum admittit: ergò distinctio illa virtualis realis intrinseca distincta à fundamentali rationis inter attributa, & essentiam admittenda non est. 49 *Secundò probatur ex Concil. Lateran.*

Nec valet, si dicas, summam realem vnitatem excludere omnem distinctionem realem actualem, non tamen virtualem intrinsecam, quæ realis actualis non est. Non inquam valet: nam si hæc explicatio permittitur, datur locus distinctioni reali formali, explicando Concilium de summa identitate per exclusionem distinctionis realis entitatiuæ, non autem realis formalis; sed hoc non admittunt Auctores tertiæ sententiæ: ergò nec prædicta explicatio est ferenda. 50 *Respondebis. Contra.*

Tertiò probatur ex D. Thoma *in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. vers. Quantùm verò ad 4.* vbi inquirens, an diuersitas rationum, quas intellectus noster format de Deo diuersa attributa illi attribuens, sit tantùm ex parte nostri intellectus, an etiam ex parte Dei? Respondet, pluralitatem istam contingere, non solùm ex parte nostra, sed etiam ex parte Dei, quia res, quæ Deus est, nostrum intellectum excedit; quòd autem Deus nostrum intellectum excedat, est ex parte ipsius Dei propter plenitudinem perfectionis eius, & ex parte intellectus nostri, qui deficienter se habet ad eam comprehendendam; & concludit corpus articuli, his verbis: *Et sic patet, quod pluralitas istorum nominum, non tantùm est ex parte intellectus nostri formantis diuersas conceptiones de Deo, quæ dicuntur diuersæ rationes, sed etiam ex parte ipsius Dei in quantùm, scilicet, est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus, scilicet plena, & omnimoda ipsius perfectio, secundùm quam contingit, quod quodlibet nominum significantium istas conceptiones de Deo, verè, & propriè dicitur; non autem ita, quod aliqua diuersitas, vel multiplicitas ponatur in re, quæ Deus est, ratione istorum attributorum.* 51 *Tertiò prob. ex D. Tho.*

Ex quibus verbis tale argumentum formatur: fundamentum distinctionis rationis, quam intellectus noster inter attributa facit, iuxta D. Thomam, non est aliqua multiplicitas, vel diuersitas se tenens ex parte Dei, sed plenitudo, & eminentia perfectionis Dei comparata cum deficientia nostri intellectus non valentis rem, quæ Deus est, vno conceptu intelligere; sed si inter attributa inter se, & inter attributa, & essentiam daretur distinctio realis virtualis intrinseca, hæc fundaret distinctionem rationum, quas intellectus noster format de Deo, & distinctionem rationis à nobis fabricatam in ipso: ergo iuxta D. Thomam, talis distinctio virtualis realis intrinseca inter perfectiones diuinas non datur. 52 *Formatur ratio ex verbis D. Tho.*

Præterea suadetur conclusio ex D. Thom. sequenti consideratione: etenim D. Thomas arguens contrà identitatem relationum, & essentiæ, sæpè vsus est argumento sumpto ex prædicatis contradictorijs, quæ de relationibus, & essentia dicuntur, nempe, quod essentia est communicabilis; paternitas autem incommunicabilis est, quod est vnicum fundamentum, quo ducti fuere Gilbertus ad inferendam distinctionem realem entitatiuam relationum ab essentia, Durandus ad probandam distinctionem realem modalem, & Scotus ad suadendam suam mediam distinctionem inter realem, & rationis, quam vocat formalem realem; & quo Recentiores mouentur ad distinctionem realem virtualem intrinsecam inducendam; tùm inter relationes, & essentiam, tùm etiam inter perfectiones absolutas; at D. Tho. vt hoc argumentum solueret, nunquam recurrit ad distinctionem istam virtualem realem intrinsecam, sed ad solam 53 *Aliter ponderatur doctrina D. Tho.*

distin-

distinctionem rationis, quæ inter relationes, & essentiam versatur: ergò distinctio hæc virtualis realis intrinseca distincta à fundamentali rationis, iuxtà D. Thomam in Deo admittenda non est. Maior, & minor constant ex D. Th. locis *superius adductis*; & præcipuè *in hac 1. p. infra quæst. 28 art. 3. ad 1. & quæst. 39. art. 1. ad 1.* quod ita procedebat: *Affirmatio, & negatio simul, & semel non verificantur de eodem, sed affirmatio, & negatio verificantur de essentia, & persona: nam persona est distincta, essentia vero non est distincta: ergò persona, & essentia non sunt idem.*

S. THO.

54 *Argumentum quo vtuntur Recentiores sæpè soluerat D. Thom.*

En vobis argumentum sumptum ex veritate propositionum contradicentium de essentia, & de persona inductum à D. Thoma ad probandum personam in Deo non esse idem, quod essentia. Cui argumento ita respondet: *Ad secundum dicendum, quod in quantùm essentia, & persona in diuinis differunt secundùm intelligentiæ rationem, sequitur, quòd aliquid possit affirmari de vno, quod negatur de altero.* Ex quibus apertè constat veritas vtriusque præmissæ. Consequentia autem probatur: nam distinctio virtualis intrinseca inter prædicata diuina ad hoc tantùm constituitur ab Auctoribus tertiæ sententiæ, vt de ipsis verificentur affirmatio, & negatio, vel prædicata contradictoria; sed ad hoc sufficit, iuxtà Diuum Thomam, sola distinctio rationis: ergò iuxtà D. Thomam talis distinctio non est admittenda inter prædicata diuina.

55 *Quartò prob. conclusio ratione.*

Deindè probatur ratione: ad hoc enim illa distinctio statuitur in Deo, vt de intellectu v. c. sumpto prout in re existit, negetur *realitèr* prædicatum reale, quod de voluntate *realitèr* affirmatur, & è contrà v. c. vt hæc sit vera, *realitas intellectus non est principium processionis Spiritus Sancti*, quæ ratio de voluntate affirmatur, *& esse principium generationis Verbi*, quod de intellectu affirmatur, negetur de voluntate, prout à parte rei existit; sed hoc implicat salua reali entitatiua, & formali vnitate, quam prædicti Auctores fatentur inter voluntatem, & intellectum diuinum: ergò distinctio virtualis intrinseca, prout ab his Auctoribus ponitur, est implicatoria, & omninò impossibilis. Consequentia est bona. Maior constat; vt enim de intellectu affirmetur, quod de voluntate negatur, & è contra, sumptis intellectu, & voluntate prout ratione nostra distinctis, distinctio virtualis intrinseca necessaria non est, sed sufficit distinctio rationis, vt fatetur Scotus, & etiam Auctores tertiæ sententiæ: vnde vt Scotus probet distinctionem realem formalem, & præfati Recentiores distinctionem virtualem intrinsecam, arguunt ex veritate affirmationis, & negationis de intellectu, & voluntate, de essentia, & de relationibus sumptis, vt antequertunt considerationem nostri intellectus: ergo distinctio virtualis intrinseca ad hoc ab ipsis statuitur, vt propositiones contradictoriæ, vel affirmatio, & negatio verè dicantur de realitate intellectus, & de realitate voluntatis sumptis prout à parte rei.

56 *Minor probatur 1.*

Minor autem ostenditur primò: quia namquè intellectus, & voluntas sunt idem *formalitèr realitèr*, hæc propositio, *intellectus prout à parte rei existit, non est realitèr voluntas*, non potest verificari; sed omne prædicatum, quod de intellectu affirmatur, v. c. esse principium gignendi, est idem *realiter* cum voluntate: ergò non potest *realiter* de voluntate negari. Secundò: non enim stat principium generandi Verbum de voluntate *realitèr adæquatè* sumpta negari, quin de illa negetur *realiter* intellectus vt constitutus in aliquo esse reali, nempe, vt constitutus in esse reali principij generandi; cum non stet de aliquo negari constituens in esse reali, quin constitutum in tali esse negetur, vt ex terminis est per se notum, & exemplis potest euidens fieri; sed non potest intellectus, vt constitutus in aliquo esse reali, de voluntate *realitèr adæquatè* sumpta negari; aliàs *realitèr* ab illa distingueretur; cum eo modo vnum distinguatur ab alio, quo negatur de illo: ergò nullum prædicatum affirmatum de intellectu, potest de voluntate *realitèr* accepta negari.

Secundò.

57 *Tertiò.*

Tertiò probatur: non enim stat esse principium Verbi (& idem est de quocumque prædicato proprio intellectus dicendum) de voluntate *realitèr* sumpta, vt est in se ipsa negari, quin tale prædicatum *realitèr entitatiuè*, aut *formaliter* ad minùs distinguatur à voluntate; sed nullum prædicatum proprium intellectus potest *realiter formalitèr* à voluntate *realitèr* sumpta distingui: ergò esse principium Verbi, quod est proprium intellectus, non potest de voluntate realiter accepta prout in se ipsa negari. Consequentia est bona. Minor certa: si namquè prædicatum, quod est proprium intellectus, realiter à voluntate distinguitur, non potest non distingui intellectus à voluntate *realitèr*; sed supponitur, intellectum non distingui *realiter* a voluntate: ergò nullum prædicatum, quod sit proprium intellectus, potest *realiter* a voluntate distingui. Maior autem probatur: nam vnum distingui ab alio, est vnum non esse aliud, vt ex terminis est notum, vel assigna in quo alio consistat vnum ab alio distingui: ergò eo modo vnum ab alio distinguitur, quo vnum non est aliud; sed si esse principium Verbi *realiter*, de voluntate *realitèr* sumpta negatur, voluntas non est *realiter* principium Verbi: ergò si esse principium Verbi, *realiter* de voluntate negatur, esse principium Verbi *realiter* à voluntate distinguitur; & consequenter non stat esse principium Verbi, *realiter* de voluntate negari, quin esse principium Verbi distinguatur *realitèr* à voluntate.

58 *Responsio debilis.*

Nec valet si dicas, sufficere virtualem distinctionem inter esse principium Verbi, & voluntatem, vt *realitèr* negetur de illa. Non inquam valet, & ex dictis precluditur hæc euasio; tùm, quia intellectus supponitur *virtualiter* à voluntate distinctus; & tamen non potest *realitèr* de voluntate negari: ergò virtualis distinctio inter duo, non sufficit vt vnum *realiter* negetur de alio. Tum etiam: nam *virtualitèr* distingui, sufficiet ad virtualem negationem prædicati sic distincti de subiecto à quo distinguitur *virtualiter* non autem reali negationi formali; at negatio, quæ adstruitur à contrarijs Auctoribus, principij generandi de voluntate, non est virtualis, sed realis formalis, nec Nos virtualem negationem negamus consistentem in fundamento, vt per intellectum negetur: ergò tali negationi, virtualis distinctio non sufficit.

Contra 1.

Secundò.

59 *Opponitur.*

Si dicas: filiatio *realiter* negatur de paternitate, & non negatur *realiter* de essentia; & tamen essentia, & paternitas sunt vnum, & idem *realitèr*, & solùm *virtualitèr* distinguuntur: ergò sufficit virtualis distinctio inter duo, vt de vno aliquid *realitèr* negetur, quod realiter affirmatur de alio; & consequenter sola distinctione virtuali, quæ inter voluntatem, & intellectum datur, poterit esse principium Filij de voluntate negari, affirmariq; de intellectu.

60 *Respondetur.*

Respondeo, filiationem negari de paternitate sumpta *formalitèr*, vt hoc nomine *paternitas* significatur, vt substat conceptui diuerso, quo nos illam ab essentia distinguimus; non autem negatur de paternitate sumpta prout in re *adæquatè*, aliàs hæc esset vera, *realitas, quæ est paternitas non est filiatio*. Ex quo fieret, vt essentia, filiatio non esset, nec cum illa identificaretur *realitèr entitatiuè*, quod est contra fidem. Ex quo solùm sequitur, quod de voluntate, vt significatur hoc nomine, & vt subest conceptui illam distinguenti ab intellectu, negetur esse principium Verbi, quod libenter fatemur, non autem quod negetur de voluntate *realiter* sumpta secundum quod est in re, & hoc est, quod nos negamus. Et quidem non minus *realitèr* distinguit vnum non esse *realiter* aliud, quàm vnum ab alio procedere; sed distinctio virtualis non sufficit, vt vnum realitèr ab alio procedat; aliàs inter diuinas personas realis distinctio non esset, cum non aliundè probetur, nisi quia vna *realiter* ab alia procedit, quod non stat absquè reali distinctione: ergo nec potest sufficere vt vnum non sit *realiter* aliud.

Instatur argumentum.

61 *Vltimò, probatur conclusio, Primus modus.*

Deniquè suadetur conclusio impugnando modos, quibus à his Auctoribus explicatur distinctio illa virtualis intrinseca. Primus illam constituens in æquiualentia ad distinctionem realem in creaturis reijcitur. hæc namquè æquiualentia, nec requiritur, nec sufficit ad prædictam distinctionem: ergo non consistit in illa. Antecedens pro prima parte constat: nam inter bonitatem, & veritatem diuinam datur virtualis distinctio, si semel admittitur inter alia prædicata diuina; quandoquidem bonitas respicit voluntatem, non autem veritas, & tamen bonitas, & veritas diuina, non æquiualent distinctioni reali in creaturis; cum veritas, & bonitas creata non distinguantur *realiter*: ergo æquiualentia dicta non requiritur ad virtualem distinctionem in Deo. Pro secunda parte probatur: nam omnipotentia diuina æquiualet pluribus potentijs creatis, Dei scientia omnibus scientijs, quæ in creaturis inueniuntur, personalitas diuina æquiualet relationi, & personalitati creatæ, quæ realiter distinguuntur; & tamen nec in omnipotentia diuina dantur plures potentiæ *virtualiter*, nec in scientia Dei plures scientiæ *virtualiter*, neque persona-

litas,

litas, & relatio diuina *virtualiter* distinguuntur: ergo dicta æquiualentia non sufficit ad distinctionem virtualem intrinsecam.

62 *Secundus modus reijcitur 1.* Deindè secundus modus constituens distinctionem virtualem intrinsecam in eo quod vna, & eadem realis formalitas sit principium distinctionis realis in Deo, reijcitur primò: nam distinctio virtualis datur in Deo inter iustitiam, & misericordiam: nam iustitia Deus punit; non autem misericordia; & tamen non principiant realem distinctionem in Deo: ergò distinctio virtualis non consistit in principio realis distinctionis in ipso. *Secundo.* Secundò: nam paternitas, & essentia *virtualitèr* distinguuntur; & tamen nulla distinctio realis principiatur ab essentia, quæ etiam à paternitate non sit; cum vtraque ad personarum processionem concurrat: ergo idem quod priùs. *Tertio.* Tertiò: nam si principiare realem distinctionem in Deo, sufficeret ad distinctionem virtualem intrinsecam, etiam principiare realem distinctionem in creaturis ad eandem distinctionem sufficeret; sed hoc est falsum; aliàs omnipotentia, quæ plures distinctiones cteatas principiat, esset in plures potentias *virtualiter* distinctas partienda: ergò principiare realem distinctionem in Deo, non constituit distinctionem virtualem intrinsecam.

63 *Tertius modus.* Præterea, tertius modus constituens distinctionem virtualem intrinsecam in eo quod vna realitas, & formalitas exerceat diuersa munera ac si essent plures formalitates, eisdem exemplis reijcitur: nam omnipotentia in producendo creaturas, ita diuersa munera exercet, ac si essent plures potentiæ: scientia in attingendo omnia, quæ scibilia sunt; ità diuersa munera exercet, ac si essent plures scientiæ: paternitas etiam diuina, ità exercet munera referendi, & constituendi personam: ac si esset distincta in ratione hypostasis à ratione referentis; & tamen in nullo ex his datur distinctio intrinseca virtualis: ergo malè prædicto modo explicatur.

64 *Quartus modus reijcitur 1.* Deniquè quartus modus dicendi reijcitur primò: nam constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis, est vnum non esse *realitèr* aliud; sed hoc nequit conuenire prædicatis *virtualitèr* distinctis in Deo: ergo distinctio virtualis diuina non potest consistere in eo quod prædicatis *virtualitèr* distinctis conueniat constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis, vt asserit quartus modus dicendi. Consequentia tenet. Minor est certa, aliàs istæ propositiones essent veræ: *Paternitas realitèr non est essentia diuina intellectus non est in Deo realitèr voluntas*, quorum vtrumque est hæreticum, si negatio *entitatiue* accipiatur; est falsum in sententia Auctorum tertiæ sententiæ, si accipiatur *realitèr formaliter*; cum fateantur contra Scotum inter prædicata diuina non dari distinctionem realem formalem. Maior autem constat primò: nam vnitas entis consistit in diuisione in se, aliquid autem, quod est idem, ac esse distinctum, consistit in diuisione à quolibet alio; sed diuisio realis à quolibet alio, consistit in non esse *realiter* aliud: ergò constitutiuum formale distinctionis vnius entis ab alio in creaturis, est non esse *realitèr* aliud. Secundò: nam tunc aliqua *positiue realiter* distinguuntur, cum de illis verificatur, *hoc est realiter, & illud est realitèr, & hoc realiter non est illud*: ergo formale constitutiuum distinctionis realis in creaturis, est negatio realis vnius de alio inter entita realia positiua.

65 *Secundo.* Secundò reijcitur: si namquè distinctio virtualis consisteret in eo quod prædicatis *virtualitèr* distinctis competeret constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis, hoc ideò esset, quia ad distinctionem virtualem requiritur quòd verificentur prædicata contradictoria; sed ex hoc non sequitur, distinctionem virtualem in tali conuenientia consistere ergo non consistit in illa. Maior cum consequentia tenet.

66 *Minor prob. 1.* Minor autem ostenditur primò: nam de animali & rationali verificantur contradictoria, nempè, conuenientia, & non conuenientia: equus namque, & homo conueniunt in ratione animalis; non autem in rationalitate; verificatur etiam distinctio, & non distinctio: homo namque per rationalitatem differt ab equo, non autem per animalitatem; & tamen animal, & rationale non distinguuntur *entitatiue*, imò nec *formaliter realitèr*, vt ex frequentiori, & veriori sententia cum Angelico Doctore suppono: veritas etiam, & bonitas in creatis non distinguuntur distinctione reali entitatiua, aut formali, & tamen de illis contradictoria verificantur, nempè, specificare, & non specificare intellectum, & voluntatem: bonitas namquè specificat voluntatem, non veritas, & hæc specificat intellectum, non autem bonitas: deformitas etiam peccati non distinguitur ab entitate physica distinctione aliqua reali, & tamen de illis verificantur contradictoria, nempè, causari, & non causari à Deo: entitas enim physica actus peccaminosi à Deo, vt à prima causa causatur, secus autem deformitas, vt suppono ex sententia Thomist. 1.2. q.71. art.6. & q.79. & tract. de auxilijs: ergo ex eo quod ad distinctionem virtualem petatur verificari prædicata contradictoria, aut in tali verificatione, aut illius fundamento consistat, non sequitur virtualem distinctionem consistere in conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis; quandòquidem, vt constat in exemplis adductis verificantur in creaturis contradictoria de formalitatibus *realitèr* indistinctis.

Secundò probatur minor: nam de diuina essentia verè affirmatur vniri sub conceptu speciei cum intellectu beati, vt cum D. Thoma *infra q. 12. art. 2.* frequentiùs docetur à Theologis, & de illa sub conceptu naturæ, verè talis vnio negatur; item, diuinitas sub conceptu sanctitatis vnitur humanitati Christi *formalitèr*, vt suppono ex communi sententia *3. p. q. 7. art. 1.* quæ vnio de diuinitate sub conceptu naturæ, & vitæ actualis, aut radicalis negatur: ac deniquè filiatio diuini Verbi sub conceptu subsistentiæ, & personalitatis vnita est humanitati Christi, secùs autem sub conceptu referentis; aliàs illam relatam *physicè* redderet, quod negant communitèr Theologi, nullo, quem viderim, dempto; & tandem essentiæ diuinæ sub conceptu essentiæ, & sub conceptu speciei, non conuenit constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis, nec essentiæ diuinæ sub conceptu sanctitatis, & sub conceptu vitalis, nec deniquè filiationi Verbi sub conceptu subsistentiæ, & personalitatis; aliàs personæ diuinæ non constituerentur proprietatibus relatiuis, sed absolutis *formaliter*: ergo ex eo quod distinctio virtualis consistat in veritate duarum contradictoriarum, vel in fundamento illius, non sequitur consistere in conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis. 67 *Secundo probatur minor.*

Deniquè probatur minor: nam distinctio virtualis intrinseca, quam Recentiores in prædicta conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis constituunt, diuersa est à distinctione fundamentali rationis, & longe maior quam illa; sed vt verificentur prædicata contradictoria sufficit distinctio virtualis, sumpta pro fundamento distinctionis formalis rationis, vt constat ex D. Tho. locis vbi *supra* relatis: ergo ex eo quod virtualis distinctio petat verificari prædicata contradictoria, non sequitur consistere in conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis. 68 *Tertio probatur minor.*

§. V.

Argumento Scoti, & alijs contrà istam conclusionem occurritur.

Ad argumentum Scoti respondeo, concessa maiori, & minori, distinguendo consequens: aliqua distinctione formali, nego consequentiam: virtuali, sumpta pro fundamentali rationis, concedo consequentiam: licèt namquè distinctio rationis, vt *formalitèr* existens, dependeat à consideratione intellectus confingentis, & fabricantis illam, vt tamen existens *fundamentalitèr*, vel fundamentum illius, non dependet à consideratione intellectus, sed illius considerationem præcedit, & sufficit; vt contradictoria verificentur: animal namque fundat conuenientiam inter hominem, & equum, secus autem rationale, quod à parte rei de animali verificatur, & de rationali negatur, & in animali rationali, vt à parte rei existentia, non distinguuntur distinctione formali rationis sed tantùm fundamentali: & similiter bonitas antecedenter ad distinctionem rationis formalem specificat voluntatem, quod de veritate in eodem statu negatur; & tamen vt sic non distinguuntur distinctione rationis *formalitèr*, sed tantùm fundamentaliter: idem ergo est de voluntate, & in ellectu diuino dicendum, quod nempè, de voluntate vt distincta distinctione fundamentali rationis potest negari, quod de intellectu sumpto vt *fundamentalitèr* ratione à voluntate distincto, affirmatur. Et ex his ad confirmationem constat solutio, solùm enim conuincitur distinctio virtualis sumpta pro fundamentali rationis inter intellectum, & voluntatem diuinam præcedens considerationem nostri intellectus, quam, & non aliam nostri Thomistæ concedunt, cum admittunt distinctionem virtualem inter prædicata diuina. 69 *Ad argumentum Scoti respondet.* *Ad confirmationem.*

70 *Vrget Scotus.* Sed contra hanc resolutionem vrget Scotus pro sua distinctione reali formali, & Auctores tertiæ sententiæ, vt probent distinctionem virtualem intrinsecam: non enim solùm intellectus viatoris Deum *inadæquatè*, *connotatiueque* cognoscentis, sed etiam intellectus beati Deum videntis *intuitiuè*, imò & intellectus Dei, se ipsum comprehendentis, cognoscunt Verbum per intellectum, & non per voluntatem procedere, & è contra, Spiritum Sanctum procedere per voluntatem, & non per intellectum: ergo de intellectu, & voluntate diuina, vt ab ipso Deo cognitis, verificantur contradictoriæ: & tamen prout obijciuntur intellectui diuino non distinguuntur ratione, nec *formalitèr*, nec *fundamentalitèr*: ergo prout sic, distinguuntur, vel distinctione reali formali, quod Scotus intendit, vel ad minus distinctione virtuali reali intrinseca distincta à distinctione rationis, & à fundamento illius.

71 Consequentia patet: non enim potest de illis, vt nullo modo distinctis, contradictio verificari: ergo si verificatur de intellectu, & voluntate prout obiectis intellectui diuino, prout sic aliquomodo distinguuntur: ac proinde si prout sic non distinguuntur ratione distinguuntur vel *formalitèr realitèr*, vel distinctione intrinseca virtuali. Antecedens autem, quod aliqui Auctores negant probatur: Deus namquè vere cognoscit processionem Verbi esse generationem, & processionem Spiritus Sancti generationem non esse, & Verbum priùs origine procedere, quàm Spiritus Sanctus; at totum hoc ideò est verum, quia Verbum procedit per intellectum, & non per voluntatem, & Spiritus Sanctus è contrà: ergo Deus hanc veritatem cognoscit.

72 *Responderi poterat iuxta doctrinam Capreoli.* Si vera esset sententia Capreoli *in 1. dist. 8. quæst. 4. art. 3. ad 16. argum. Aureoli*, asserentis distinctionem rationis inter attributa diuina fieri non solùm ab intellectu viatoris Deum *inadæquatè*, *imperfectè*, *& connotatiuè* cognoscentis, sed etiam ab intellectu beati *intuitiuè* Deum videntis, & quod magis est, ab ipso Deo, peruia esset huius argumenti solutio: nam iuxtà hanc sententiam, concesso antecedenti, & prima consequentia, minor subsumpta est neganda: licèt enim attributa vt cognita à Deo ab æterno, non distinguantur ratione per intellectum creatum distinguuntur ratione per intellectum diuinum, & sicut de illis vt cognitis ab intellectu creato possunt verificari prædicata contradictoria, quia ratione distinguuntur, etiam de illis poterunt verificari vt obiectis intellectui diuino, quia etiam prout sic, quamuis sint realiter idem, distinguuntur tamen ratione non humana, sed diuina.

73 *Displicet eius doctrina.* Quia tamen hæc sententia Nobis displicuit in Logica, vbi cum frequentiori Thomistarum sententia docuimus, nullum ens rationis posse fieri ab intellectu diuino, eò quòd ens rationis non fit per quamcumq; cognitionem, cui obijcitur, sed petit pro causa efficienti sui cognitionem, quæ sit fictio, rem aliter, ac est repræsentans, videlicèt, non relatum, vt relatum, non distinctum, vt distinctum, quod summæ perfectioni, diuinæ cognitionis repugnat, idemq; de intellectu beati est dicendum, quòd scilicèt per beatificam visionem non distinguat attributa, & prædicata diuina, eò quòd Deum vt in se intuetur, & consequenter, ipsum aliter ac est, non cognoscit: vndè Bernardus *lib. 5 de consideratione ad finem*, soli cognitioni enigmaticæ, quæ est cognitio viatorum Deum per alienas species cognoscentiū, distinctionem perfectionum diuinarum attribuit, ideò.

74 *Vera obiectionis solutio.* Alitèr est obiectioni factæ occurrendum, concesso antecedenti, & prima consequentia, distinguendo minorem: prout obijciuntur intellectui diuino, voluntas, & intellectus non distinguuntur ratione *exercitè*, & *effectiuè*, concedo minorem: *obiectiuè*, & *signatè*, nego minorem, & consequentiam: nam licèt distinctio rationis inter intellectum, & voluntatem diuinam non fiat ab intellectu Dei, & ideò prout illi obijciuntur, non distinguantur ratione *exercitè*, & *effectiuè*, cognoscitur tamen ab intellectu diuino distinctio rationis, quæ inter prædicata Dei fit, vel potest fieri ab intellectu creato, & cognoscuntur à Deo voluntas, & intellectus diuinus, vt fundant distinctionem rationis ab intellectu creato factibilem, quod est ab ipso cognosci, vt distincta *signatè*, & *obiectiuè*; & consequenter cognoscit per intellectum, vt *obiectiuè* distinguibilem, distinctione facta ab intellectu creato à diuina voluntate, diuinum Verbum procedere, non autem per voluntatem, vt fundat distinctionem rationis ab intellectu, & hoc modo ab intellectu diuino cognosci, sufficit vt de intellectu, & voluntate sic sumptis verificentur affirmatio, & negatio.

75 *Mens Capreoli explicatur.* Et fortè nihil aliud intendit Capreolus *loco allegato* cum docet attributa distingui prout in intellectu diuino, nempè distinctione signata, non à Deo effecta, sed facta, vel factibili ab intellectu creato, quod verissimum est: nam Deus reuera cognoscit vnam, & eandem formalitatem sui intellectus & voluntatis, propter suam eminentiam fundamentum intellectui nostro præstare, vt distinctis conceptionibus illa cognoscat, & nominet diuersis nominibus, & insuper etiam cognoscit distinctionem, quam intellectus viatoris format, & potest formare, intellectum, & voluntatem, aliaquè prædicata diuina.

76 *Instabis primò.* Sed instabis primò: etiam si repugnaret intellectus creatus, Deus cognosceret Verbum per intellectū procedere, & non per voluntatem, & è contra; sed repugnante intellectu creato, non esset distinctio rationis fabricabilis ab illo, nec talis distinctionis fundamentum: ergo veritas illius contradictionis cognita ab intellectu diuino, non dependet à distinctione rationis, nec illius fundamento, vt cognito à diuino intellectu. Consequentia est bona. Minor videtur certa: sicut enim, repugnante effectu, repugnat causa, ità & fundamentum distinctionis repugnat, ipsa repugnante; at implicante intellectu creato, implicaret distinctio ab ipso dependens: ergo & fundamentum illius implicans constitueretur. Maior autem probatur: quòd processio Verbi sit generatio, non autem processio Spiritus Sancti, non dependet à possibilitate intellectus creati, sed quod vna sit generatio, & non alia, pendet, vel quasi pendet ex veritate prædictæ contradictionis: ergo quòd Verbum per intellectum procedat, & non per voluntatem, & è contra, non dependet à possibilitate intellectus creati; & consequenter maneret prædicta veritas, etiam si repugnaret, & redderetur implicans intellectus creatus.

77 *Secundò.* Secundò obijcies; quòd voluntas diuina fundet, vel possit fundare conceptum distinctum ab illo, quem terminat intellectus diuinus, & consequenter distinctionem rationis ab illo conuenit voluntati diuinæ, vt in re: ergo, si de voluntate diuina, vt *fundamentalitèr* ratione ab intellectu distincta, negatur, quod de intellectu affirmatur, verificantur propositiones contradictoriæ de intellectu, & voluntate sumptis secundùm quod sunt in re; & consequenter deficiunt, quæ contradictionem virtualem intrinsecam *proximè* opponebamus.

78 *Tertiò.* Deniquè: nam essentia non potest fundare distinctionem rationis à se ipsa, benè tamen formalitas, quæ est in intellectus, & voluntas; at hoc non ob aliam causam, nisi quia formalitas intellectus, & voluntatis *virtualiter* est multiplex, secùs autem formalitas essentiæ diuinæ: ergo multiplicitas virtualis est causa fundandi distinctionem rationis; & consequenter distinguitur à distinctione fundamentali rationis, vel à fundamento distinctionis rationis.

79 *Ad primam instantiam respondetur.* Respondeo ad primam replicam, negando maiorem: repugnante namquè intellectu creato, potente distinguere inter voluntatem, & intellectum diuinum, repugnaret pluralitas nominum, quæ supponit distinctionem conceptuum: ac per consequens repugnarent intellectus diuinus, & voluntas diuina, vt diuersimodè nominabiles, & conceptibiles, ex quo vlteriùs fit, vt repugnaret verificatio contradictionis. Ad illius probationem distinguo maiorem: non dependet dependentia stricta, & à priori, concedo maiorem: dependentia non stricta, & à posteriori consistente in connexione, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: vel distinguo consequens distinctione maioris: solùm enim sequitur, verificationem prædictæ contradictionis non dependere à possibilitate intellectus creati, dependentia à priori vt à causa, non autem quod non dependeat dependentia à posteriori, hoc est, quòd non connectatur cum illius possibilitate.

80 Quæ dependentia ab omnibus Thomistis admittitur in omnipotentia respectu creaturarum possibilium, nedum in communi, verum etiam in particulari, de quo *infra quæst. 12. art. 8. quæst. 14. art. 5. & quæst. 34. art. 1.* quibus in locis cum communi sententia Discipulorum D. Thomæ docebimus ex implicatione formicæ, quæ supponitur possibilis, & non implicans fore omnipotentiam destruendam ob connexionem necessariam, quæ in omnipotentia cum creaturis possibilibus inuenitur. Et quidem Auctores statuentes distinctionem virtualem intrinsecam in æquiualentia ad perfectiones creatas distinctas, vel inconuenientia constitutiui realis distinctionis in creaturis, eodem argumento premuntur; cum repugnet æquiualentia, repugnante æquiualen-

ualentiæ extremo, & repugnet conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis, repugnantibus creaturis.

81 *Ad secundam.* Ad secundam, concesso antecedenti, distinguo consequens: de illis sumptis, secundùm quod sunt in re *adæquatè*, nego consequentiam: sumptis secundùm quod sunt in re *inadæquatè* inadæquatione fundamentali rationis, concedo consequentiam: ex quo non sequitur deficere, quæ contrà Auctores distinctionis virtualis intrinsecæ, opponebamus: nam ipsi accipiunt intellectum, & voluntatem secundum quòd sunt in re præcisa distinctione rationis, & illius fundamento, & consequenter de illis realiter *adæquatè* sumptis contendunt verificari propositiones contradictorias, & quod de intellectu *realitèr* sumpto negetur, quod de voluntate *realitèr* sumpta affirmatur, & è contrà, quod nos implicatorium censuimus, & probauimus ex eò quòd ad hoc requirebatur realis, vel entitatiua, vel ad minùs formalis distinctio inter prædicatum negatum de voluntate, & ipsam voluntatem, quæ distinctio implicat cum vnitate reali formali, quæ inter intellectum, & voluntatem supponitur.

82 *Replicatis.* Si dicas: non potest intellectus de voluntate negari ratione distinctionis fundamentalis rationis: ergo nec potest, *esse principium quo productiuum Verbi*, quod de intellectu affirmatur, de voluntate ratione huius distinctionis negari. Antecedens constat; hæc namque propositio, *voluntas est intellectus*, est vera: ergo negatiua est falsa; & consequenter non potest intellectus verè de voluntate negari. Consequentia autem probatur: vt enim *suprà* contra Auctores tertiæ sententiæ arguebamus, quia ratione distinctionis virtualis hæc non potest esse vera, *voluntas non est intellectus*; nec ista verificari potest ratione virtualis distinctionis intrinsecæ, *voluntas non est principium Verbi*: ergo pariter si distinctio fundamentalis rationis non sufficit, vt verè intellectus de voluntate negetur, nec sufficiet vt *esse principium Verbi*, negetur de voluntate.

83 *Respondetur.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: sicut enim terminare processionem appellat proprium conceptum in termino, ideoq; verificatur Verbum terminare ratione naturæ, non autem ratione attributi naturæ, quamuis natura de attributo nequeat negari, quia in prædicatione vnius attributi de alio appellatio non exercetur, ideòq; quando vnum negatur de alio, negatur realis identitas; ita principiare processionem appellat proprium conceptum principij, ideòq; vt verificetur vnum, & non aliud attributum esse processionis principium, sufficit obiectiua distinctio, & vt de voluntate negetur esse processionis Verbi principium, sufficit, vt secundùm id, quod explicat, & ab intellectu ratione formali, aut fundamentali distinguitur, principium Verbi non sit; vt autem intellectus de voluntate negetur, requiritur realis inter vtrumq; distinctio.

84 *Ad consequentiæ probatio nē respondetur.* Ad probationem consequentiæ, concesso antecedenti, nego consequentiam; quia Auctores tertiæ sententiæ ad hoc distinctionem virtualem intrinsecam adstruunt, vt ratione illius de voluntate, vt in re, negetur prædicatum, quod de intellectu affirmatur, omni appellatione seclusa, ad hoc autem requiritur realis distinctio inter prædicatum, & subiectum: vndè sicut quia hæc distinctio inter intellectum, & voluntatem non datur, non potest intellectus de voluntate *realitèr* sumpta negari; ità quia inter principium *quo* Verbi, & voluntatem non interuenit realis, aut formalis distinctio, non potest *esse principium Verbi*, de voluntate negari; ac proinde contrà ipsos tenet argumentum factum, secùs autem contrà Nos.

85 *Confirmatur solutionis doctrina & instatur argumentum.* Et quidem vnum attributum non potest de alio negari: vndè hæc est falsa propositio, *iustitia non est misericordia*, definitio tamen vnius attributi verè de alio, & de illius definitione negatur: vndè hæc est vera, *id, quo Deus punit, non est id, quo Deus miseretur*, & hæc, *iustitia est, quo Deus miseretur*, est falsa, cuius discriminis, non potest reddi alia ratio nisi quia in affirmatione vnius attributi de alio fit sensus identicus, & consequenter in illius negatione, negatur realis identitas; in affirmatione autem definitionis vnius attributi de alio, & de illius definitione, fit sensus reduplicatiuus, & omninò formalis, & consequenter in illius negatione, non remouetur identitas realis formalis, sed identitas rationis.

86 *Ad vltimam obiectionem.* Ad vltimam obiectionem dicatur: ideò essentiam non posse ratione à se ipsa distingui, quia nomine essentiæ exprimitur, non totum, quod est in Deo, sed vna particularis formalitas, vt ratione ab alijs distincta, & consequenter non restat per quid essentia à se ipsa distinguatur ratione ratiocinata; intellectus verò, & voluntas distinguuntur ratione ratiocinata, quia, licèt significent eandem formalitatem identitate reali formali, non tamen illam explicant sub eadem, sed sub diuersa ratione: vndè concedimus in illa formalitate esse multiplicitatem virtualem, hæc autem non est in re, aliqua realis distinctio, sed vnitas eminentissima in re, & multiplicitas fundamentalis rationis. Ex quo solùm sequitur eminentiam vnitatis esse rationem fundandi distinctionem per rationem, non autem, quod distinctio aliqua realis, nec formalis, nec virtualis, sit ratio prædictam distinctionem fundandi. *(... tionem respondetur.)*

§. VI.

Adstruitur in Deo distinctio rationis ratiocinatæ.

87 *Tertia conclusio. Est expressa D. Th.* Sit tertia conclusio. *Attributa diuina distinguuntur inter se, & ab essentia distinctione rationis ratiocinatæ.* Ità Auctores quartæ sententiæ, & expressè D. Thomas *quæst. 7. de potentia art. 7. in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 2. in corpore & art. 3. etiam in corp. art. dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad 2. & dist. 22. q. 1. art. 3. ad 4.* illis verbis: *Dicendum, quod diffe runt nomina attributorum secundum rationem, non tamen quæ sit solùm in ratiocinante, sed quæ saluatur in ipsa re secundum veritatem, & proprietatem rei*: at distinctio, cuius fundamentum est non solùm in ratiocinante, sed etiam in ipsa re, est distinctio rationis ratiocinatæ, vt ex logica suppono: ergo attributa inter se differunt ratione ratiocinata; & consequenter eodem distinctionis genere distinguuntur ab essentia. Est tamen obiter aduertendum, quòd cum docet D. Th. distingui attributa Dei distinctione, quæ saluatur in ipsa re secundùm veritatem, & proprietatem, non loqui de distinctione secundum esse formali, sed de illius fundamento.

88 *Probatur ratione primò.* Deindè probatur ratione: nam nomina attributorum, & essentiæ diuinæ non sunt synonima, sicut *Marcus, Tullius, Cicero*, sed sunt diuersæ rationis: ergo licet omnia eandem perfectionem, entitatem, & formalitatem significent, non tamen illam significant sub eadem omninò ratione; & consequenter conceptibus his nominibus expressis, correspondent in Deo diuersæ rationes obiectiuæ: at huius diuersitatis ratio non sumitur ex nostro intellectu *adæquatè*, sed fundatur in eminentia perfectionis diuinæ comparata cum deficientia intellectus, non valentis illam vno conceptu concipere; & consequenter, nec nominare vno nomine: ergo distinctio attributorum inter se, & ab essentia, non est rationis ratiocinantis, sed rationis ratiocinatæ.

89 *Secundò probatur.* Secundò probatur conclusio: relationes ab essentia distinguuntur ratione ratiocinata: ergo attributa ab essentia, & inter se distinguuntur hoc genere distinctionis. Consequentia patet; tùm, quia Nominales, & Recentiores, qui Nominales sequuntur, eodem modo discurrunt de distinctione attributorum ab essentia, & inter se, ac de distinctione relationum ab essentia. Tùm etiam, quia si distinctio rationis relationum ab essentia fundatur, absque imperfectione in Deo; pariter etiam attributorum distinctio poterit in ipso absque vlla imperfectione fundari. Tùm deniquè à paritate rationis. Antecedens autem probatur: nam de essentia, & relationibus verificantur affirmatio, & negatio: istæ namquè propositiones sunt veræ; *essentia communicatur Filio, paternitas non communicatur Filio*; sed affirmatio, & negatio non possunt de eodem omninò verificari; alias duæ propositiones contradictoriæ possent esse simul veræ, quod lumini naturalis rationis repugnat; & consequenter nec in Deo est admittendum, cuius perfectio, etsi lumen naturalis rationis excedat, non tamen ipsi aduersatur: ergo essentia, & relatio idem omnimodo non sunt; & consequenter distinguuntur inter se aliquo genere distinctionis; cumquè non distinguantur distinctione reali, entitatiua, aut formali, nec modali, vt tenet communis sententia, distinguentur distinctione rationis.

90 *Respondebis 1.* Respondebis primò: distingui quidem ratione, non tamen ratiocinata, sed tantùm ratiocinante, quia distinctis conceptibus formalibus concipiuntur, non tamen quia suis conceptibus correspondeant rationes obiectiuæ diuersæ, vel quia huius distinctionis datur fundamentum in Deo, sed tantùm in nostro intellectu. Sed contra primò: nam affirmatio, & negatio, vt sint veræ, petunt distinctionem in illo, de quo dicuntur; sed affirmatio communicabilitatis, & *Contra 1.*

lius negatio, non de nostris conceptibus, sed de essentia, & relatione illis obiectis dicuntur: ergo petunt distinctionem, nedum in nostris conceptibus, sed etiam ex parte obiecti; & consequenter non solùm conceptus nostri formales, quibus essentiam, & relationes concipimus, sunt distincti,
Secundò. sed etiam essentia, & relatio distinguuntur obiectiuè. Secundò: nam quod entitas diuina simul sit communicabilis sub vna ratione, & sub alia incommunicabilis manens indistincta realiter, ex illius prouenit perfectione, & infinitate; sed in hac fundatur veritas affirmationis, & negationis de ipsa: ergo hæc verificatio in illa fundamentum habet; & consequenter distinctio, quæ ad talem verificationem exigitur, non fundatur *adæquatè* in nostro intellectu, sed etiam in ipso Deo.

91 *Respondebis 2.* Respondebis secundò: vt contradictoria *verè* dicantur de essentia, & paternitate, non requiri distinctionem rationis entitatis ab entitate, sed sufficere vnam entitatem indiuisibilem, adhuc ratione, cum diuersis muneribus, & quòd sub munere essentiæ sit in Filio, secùs autem sub munere paternitatis: nam eo ipso Filius erit Deus, & non Pater; idemquè de alijs relationibus erit dicendum, quòd nempè, vt Pater Deus sit, & non Filius, quod illa entitas, & formalitas, quàmuis ratione indiuisibilis sit, vt essentia, & filiatio, sit in Patre sub munere essentiæ, & non sub munere filiationis; sicut plures docent in Deo rationem essentiæ, vel naturæ, & speciei non distingui ratione ratiocinata; & tamen vnitur mentibus beatorum vt species, & non vt essentia, aut natura; & in filiatione Verbi ratio hypostasis, & ratio relationis non distinguuntur ratione, saltem *adæquatè*, & tamen vnita fuit humanitati Christi sub conceptu hypostasis, & non sub conceptu relationis; & in communi Theologorum sententia, potuit vniri personalitas Verbi cum natura bruti sub conceptu subsistentiæ, & non sub conceptu personalitatis, & tamen in illa ratio personalitatis, & ratio subsistentiæ non differunt ratione adæquata.

92 *Reijcitur solutio.* Cæterùm, quidquid sit de his exemplis, contra solutionem arguitur: essentia namque, & paternitas, non solùm distinguuntur munere, sed etiam in entitate: ergo solutio tradita est nulla: Probatur antecedens: essentia, & paternitas distinguuntur in eo, supra quod cadit affirmatio, & negatio; sed affirmatio, & negatio cadit supra illa in ratione entitatis: ergo non solùm munere distinguuntur, sed etiam in ratione entitatis. Consequentia est bona. Maior videtur certa: affirmatio namquè & negatio non possunt esse de eodem omni modo identitatis: ergo in eo, supra quod cadunt affirmatio, & negatio, debet esse distinctio. Minor autem probatur: nam essentia affirmatur de Filio sub ratione entitatis, paternitas autem sub ratione entitatis negatur de Filio: ergo affirmatio, & negatio cadunt suprà essentiam, & paternitatem sub ratione entitatis. Antecedens pro prima parte est certum: nam Filius *entitatiuè* est Deus: ergo Deitas *entitatiuè*; & consequenter sub ratione entitatis affirmatur de Filio: Pro secunda probatur: paternitas negatur *entitatiuè* de Filio, quandòquidem distinguitur *realitèr entitatiuè* ab illo; distingui autem vnum ab alio idem est, quod de illo negari: ergo paternitas negatur de Filio sub conceptu entitatis. Antecedens est de fide, & consequentia probatur: nam vnum ab alio *entitatiuè* distingui, est entitatem vnius non esse alterius entitatem: ergo si paternitas, & filiatio distinguuntur *entitatiuè*; entitas paternitatis, non est entitas filiationis; & consequenter paternitas sub conceptu entitatis de filiatione negatur; aliàs entitas essentiæ de Filio, & filiatione affirmatur: ergo affirmatio, & negatio cadunt suprà essentiam, & paternitatem sub conceptu entitatis, & consequenter distinguuntur ratione in entitate, & non solùm in munere.

93 *Vltimò probatur conclusio.* Deniquè probatur conclusio ratione D. Thomæ locis vbi *proximè* adductis, & præcipuè *in 1. distin. 22. quæst. 1. art. 3. ad 4.* quæ namquè de Deo, & creaturis dicuntur, non *æquiuocè*, sed secundùm conuenientiam analogam, & in creaturis ratio vnius non est ratio alterius, in Deo distinguuntur ratione cum fundamento in ipso; & consequenter ratione ratiocinata; sed essentia, voluntas, misericordia, & iustitia, v. c. dicuntur de Deo, & creaturis, non *æquiuocè*, sed secundùm conuenientiam analogam, & in creaturis ratio vnius non est ratio alterius: ergo distinguuntur in Deo ratione ratiocinata; idemquè argumentum de alijs attributis fit comparatis inter se, & cum essentia; & consequenter omnia attributa inter se, & ab essentia ratione ratiocinata distinguuntur.

Mitto argumentum, quo nonnulli Recentiores vtuntur, 94
vt probent distinctionem rationis inter attributa diuina, & *Aliorum argumentum, vt inefficax omittitur.*
inter se, & ab essentia; quia nempè, æquiualent perfectionibus creatis *realitèr entitatiuè* distinctis; cuius inefficacia ex dictis in discursu Disputationis colligitur: dicta namquè æquiualentia, nec requiritur, nec sufficit ad distinctionem rationis inter attributa: ergo male probatur ex illa. Consequentia tenet, & antecedens pro prima parte constat: nam bonitas, veritas, & entitas diuina distinguuntur ratione ratiocinata, vt communiter à nostris Thomistis docetur; & tamen non æquiualent perfectionibus *realitèr* in creaturis distinctis: nam bonitas, & veritas creata, nec inter se, nec ab ente creato *realitèr* distinguuntur: ergo ad distinctionem rationis in Deo dicta æquiualentia necessaria non est.

Quod autem non sufficiat probatur: nam in omnipotentia diuina continentia actiua hominis, non distinguitur ratione à continentia actiua equi; & tamen æquiualent entitatibus creatis *realitèr entitatiuè* distinctis: scientia etiam diuina est vnicum attributum indiuisibile, adhùc per rationem, in plures formalitates; & tamen æquiualet omnibus scientijs creatis *realiter entitatiuè* distinctis: ergo æquiualere perfectionibus creatis distinctis *entitatiuè*, non sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ inter prædicata diuina.

§. Vltimus.

Argumentis in contrarium occurritur.

Contrà istam conclusionem arguitur primò argumento Nominalium: idem namquè non potest à se ipso 95
ratione ratiocinata distingui, sed solùm ratione ratiocinante, quia idem bis nominatur, vt dicendo *Marcus, Tullius, Cicero*, vel quia idem prædicatur de se ipso, vt in hac *Petrus est Petrus*; sed attributa inter se, & cum essentia sunt idem: ergo non distinguuntur inter se, nec ab essentia ratione ratiocinata, sed solùm ratione ratiocinante. Maiorem probant primò: nam distinctum ab aliquo, non est aliquid illius; sed idem est aliquid sui ipsius: ergo idem à se ipso non potest distingui ratione. Secundò: nam distincta sunt plura; sed idem non potest esse plura. nam de ratione identitatis est vnitas, & de ratione vnitatis est indiuisio: ergo idem à se ipso distingui non potest. Tertiò: nam idem non potest esse plura secundum rem, vt ex terminis est notum, nec plura secundum rationem; aliàs esset plura entia rationis, quod magis implicat, quàm esse plura entia realia; ergo eiusdem à se ipso non potest dari rationis distinctio. Deniquè; non enim minùs propria est entis rationis distinctio rationis, quàm distinctio realis propria est entis realis; cum distinctio sit passio entis, sicut vnitas; vnitas autem rationis non minus enti rationis est propria, quàm enti reali propria est vnitas realis; sed ens rationis non potest distingui re, vel reali distinctione: ergò ens reale non potest distingui ratione; & consequenter idem *realiter*, non poterit ratione à se distingui.
Arg. 1. argumento Nominalium. Maior probatur primò. Secundò. Tertiò. Quartò.

Respondeo, distinguendo maiorem: Idem *realitèr* non 96
potest à se ipso ratione distingui, nego maiorem: idem re, & ratione, non potest à se ipso ratione distingui, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; solùm enim sequitur, quod attributa, nec inter se, nec ab essentia possint *realitèr* distingui, non autem, quod non possint distingui ratione ratiocinata, sicut nec in sententia Nominalium infertur, non posse distingui ratione ratiocinante.
Respondetur.

Ad primam probationem maioris, distinguo maiorem: eo modo, quo distinguitur, concedo maiorem: quo non distinguitur, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; vel distinguo consequens. idem *realiter* non potest ratione à se ipso distingui, nego consequentiam: idem re, & ratione idem, concedo consequentiam: nam licèt sapientia, quia est idem *realitèr* cum essentia, sit eiusdem, vel ipsa realiter, potest tamen non esse eadem, vel eiusdem ratione, quia ratione distinguitur.
Ad 1. probationem maioris.

Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem: 97
idem *realiter* non potest esse *realiter* plura, concedo minorem: idem *realitèr* non potest esse plura ratione, nego minorem, & distinguo consequens distinctione minoris: solùm
Ad secundam.

enim

enim sequitur sapientiam, & bonitatem, quia sunt idem *realitèr*, non posse esse *realitèr* plura; non autem quòd non possint esse plura ratione, aut per rationem plurificari.

Ad tertiam. Ad tertiam, nego secundam partem antecedentis, quòd nempè idem *realitèr*, non possit esse secundùm rationem plura: nam licèt sapientia, & bonitas distinguantur ratione *obiectiuè*, in quo consistit esse plura secundum rationem, non sunt ipsa distinctio rationis, nec relationes rationis, quibus inuicem distinguuntur: vnde ex eo quòd sint plura secundùm rationem, non sequitur, nec quòd sint ens rationis, nec quòd sint plura entia rationis.

98 *Ad quartam.* Ad vltimam, distinguo maiorem; distinctio rationis *subiectiuè*, id est, distinctio entis rationis concedo maiorem: distinctio rationis *obiectiuè* talis, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris; solùm enim sequitur, ens reale non posse distingui distinctione entis rationis, quod verissimum est, non autem, quod non possit distingui ratione obiectiua, idest, concipi vt distinctum ab alio, à quo *realitèr* non distinguitur, nec isto modo distingui ratione proprium est entis rationis, sed enti reali, & rationis commune, sicut vnitas rationis *subiectiuè*, idest ad ens rationis sequuta, propria est enti rationis, nec potest enti reali conuenire; vnitas autem obiectiua rationis, non est propria entis rationis, sed ipsi, & enti reali communis: vnde, sicut inter entia rationis dantur genera, & species, per hoc quòd, quæ in se distinguuntur, ab intellectu adunantur in aliqua vna ratione, vel generica, vel specifica; ità inter entia realia datur vnitas rationis obiectiua generica, vt omnium animalium in ratione vna animalis, & vnitas rationis specifica; vt omnes homines in ratione hominis vna vnitate specifica conueniunt ratione.

99 *Instant Nominales primò.* Sed instant Nominales primò: intellectus non potest facere ens reale, quod in se ens reale non est: ergò nec potest facere plura entia realia, quæ in se plura non sunt; & consequenter non potest inter entia realia *obiectiuè* distinguere, nec illa ratione multiplicare.

Secundò. Secundò: quia diuina essentia est eadem sibi ipsi, non potest ratione ratiocinata à se ipsa per intellectum nostrum distingui; sed non minùs est idem sapientia v. g. cum essentia diuina, quàm essentia est idem sibi; aliàs identitas sapientiæ cum essentia non esset summa, quandòquidem ab aliquo excederetur in ratione vnitatis, & identitatis; & consequenter Deus sapiens, *summè vnus* non esset, contrà ea, quæ *suprà* diximus, & contra veritatem catholicam: ergò sapientia ab essentia non potest ratione distingui, idemque deest alijs attributis inter se, & cum essentia comparatis dicendum.

Tertiò. Tertiò: nam si sapientia distinguitur ratione ab essentia, sequitur, essentiam distingui ratione à se ipsa; sed hoc implicat: ergò sapientia non distinguitur ratione ab essentia. Maior, in qua est difficultas, probatur: hæc consequentia est bona: *sapientia est essentia diuina; sed sapientia distinguitur ratione ab essentia: ergo essentia distinguitur ratione à se ipsa*; at præmissæ per Nos sunt veræ: ergò ex distinctione rationis sapientiæ ab essentia, sequitur distinctio eiusdem essentiæ à se ipsa.

100 *Ad primam replicam respondetur.* Respondeo ad primam replicam, distinguendo consequens: pluralitate reali, concedo consequentiam: rationis, nego consequentiam: nam licèt intellectus non possit facere, quòd sit ens reale, quod in se tale non est, nec pluralitatem realem, illam non habenti, præstare, potest tamen quod in se indistinctum est, & vnum, vt plura, & distincta cognoscere; & consequenter, plura efficere, quæ in se plura non sunt, non quidem pluralitate reali, benè tamen pluralitate rationis.

101 *Ad secundam.* Ad secundam, distinguo maiorem: quia est eadem re, & ratione sibi ipsi, concedo maiorem: re tantùm, nego maiorem, & distinguo minorem: identitate reali, concedo minorem: rationis, nego minorem, & consequentiam: itaquè nomine *essentiæ* significatur *explicitè* quædam formalitas particularis Dei, vt per rationem distincta ab alijs, cum quibus identificatur in re: vndè est vna re, & ratione; formalitas autem realis, quæ intellectus est, & voluntas, etsi vna sit in re, est secundùm rationem diuisibilis in duas significabiles nominibus intellectus, & voluntatis: nec ex eo quòd fundet distinctionem rationis tollitur æqualitas identitatis realis cum essentia, & inter se; cum identitate reali, quam habet essentia secum: nam realis vnitas non minuitur per distinctionem rationis, sed solùm per distinctionem realem; vndè ex eo quòd voluntas, & intellectus distinguantur ratione ab essentia; sed essentia verò essentia à se ipsa, non sequitur esse minùs vnum *realitèr* conflatum ex Deo, & intellectu, & voluntate, quàm essentia sola; & consequenter non tollitur, quod tale conflatum sit *summè* vnum *realitèr*.

102 *Ad tertiam.* Ad tertiam, nego maiorem: ad probationem, nego antecedens: nam arguitur ab identica ad formalem: nam maior solùm in sensu identico est vera, non autem in sensu formali rationis: vndè ex eo quòd isto modo sit verum, quòd *sapientia est essentia*, & quòd *sapientia distinguatur ratione ab essentia*, solùm sequitur, rem, quæ est essentia, distingui ratione ab essentia, non autem, quod essentia sub conceptu essentiæ, prout significatur hoc nomine, distinguatur ratione à se ipsa: Sicut ista consequentia non valet; *sapientia est essentia; sed sapientia est attributum essentiæ; ergo essentia est attributum essentiæ*, licèt benè inferatur, rem, quæ est essentia, esse attributum essentiæ.

103 *Secundò arguitur ex Aureolo.* Secundò arguitur ex Aureolo: si namquè attributorum distinctio haberet fundamentum in Deo, maximè ob illius eminentiam comparatam cum deficientia nostri intellectus; sed hoc non sufficit: ergò non fundatur in Deo: Maior est doctrina expressa D.Th. vbi *suprà*. Minor autem probatur: non solùm entitas diuina est perfectionis, & eminentiæ infinitæ, sed etiam diuina sapientia *infinitè* eminens est, & *infinitè* perfecta; & tamen comparata cum deficientia nostri intellectus, fundamentum non præbet, vt à nobis in plures sapientias distinguatur per rationem, nec vt in illa plures formalitates distinguamus: ergo pariter infinitas, & eminentia perfectionis realitatis diuinæ comparata cum deficientia nostri intellectus, non præbet fundamentum, vt in illa plures formalitates per rationem distinguantur.

Confirmatur. Quod ampliùs vrgeri, & confirmari potest: nam eminentia diuina non potest fundamentum præbere, vt ipsi aliqua imperfectio attribuatur, sed distinctio attributorum inter se, & ab essentia est imperfectio; ergò nequit in illius eminentia fundari.

104 *Si respondeatur.* Si respondeatur; distinctionem rationis inter perfectiones diuinas, esse imperfectionem nostram, eo quòd rationis distinctio est, non autem esse imperfectionem Dei; ideoq; posse in diuina eminentia fundari, non absolutè, sed vt comparata cum debilitate nostri intellectus. In contrarium

Contra 1. obstat primò: nam compositio etiam rationis, non potest in diuina eminentia fundari, vt communiter docent Thomistæ excludentes à Deo, non solùm realem, sed etiam rationis compositionem fundatam in ipso Deo: ergò distinctio, etiam si rationis sit, non potest in diuina eminentia, etiam vt cum deficientia nostra comparata fundari.

105 *Contra 2.* Secundò, & explicatur magis hoc ipsum: non minùs opponitur distinctio vnitati, quam compositio simplicitati; sed compositio etiam rationis, opponitur summæ simplicitati, quam Deus habet in re; ideòquè non potest in diuina eminentia fundari: ergò distinctio, etiam rationis, opponitur summæ vnitati reali, quam fatemur catholicè in Deo, nec potest in illius eminentia, etiam nobiscum comparata

Contra 3. fundari. Tertiò: non enim minùs opponitur distinctio vnitati, quàm potentialitas summæ actualitati; sed huic non solùm opponitur potentialitas realis, sed etiam potentialitas rationis, ideoquè nulla diuina perfectio potest cum fundamento in re esse ratione nostra potentialis: ergò summæ Dei vnitati, non solùm opponitur realis distinctio, sed etiam distinctio rationis: ac proindè non poterit distinctio rationis in eminentia diuina fundari, nec vt absolutè sumpta, nec sumpta comparatiuè ad deficientiam nostri intellectus, illiusquè imperfectionem.

106 *Respondetur.* Ad argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem: ad illius probationem dicatur: sapientiam diuinam esse infinitam *formalitèr*, vt obijcitur nostro conceptui, solùm in linea particulari, scilicet, in linea sapientiæ, ideoquè non fundat distinctionem rationis, qua possit à nobis in plures sapientias, pluresquè formalitates distingui, quia omnis Dei perfectio concipitur à nobis viatoribus, vt in propria linea *formalitèr* infinita, cum quo stat, vt pluribus concipiatur conceptibus, illam distinguentibus *obiectiuè*; realitas autem diuina est infinita non in linea *simplicitèr*, & continet in se perfectiones ad plures lineas spectantes, vt perfectionem sapientiæ, bonitatis, misericordiæ, & iustitiæ, & in hac eminentia, & infinitate fundatur, vt possit à nobis concipi, vno conceptu, vt ... sapientia, in quo *expressè* sola perfectio sapientiæ ... tur, etsi *implicitè* omnis alia perfectio imbibatur, ... vel mi-

misericordia infinita, in quo exprimatur, quod spectat ad lineam misericordiæ, aliæ verò perfectiones solùm importentur *implicitè*.

107 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem dicatur; distinctionem per rationem, tam longè abesse, vt arguat imperfectionem, quòd potiùs attestatur summæ perfectioni diuinæ, ex qua prouenit, vt quia in se excedit omnem perfectionem creatam, omnemque perfectionem vnitissime continet, non possit ab intellectu viatoris, Deum per speciem creaturarum cognoscentis: vno conceptu exprimi secundùm omnia, quæ habet; sed ad hoc pluribus egeat conceptibus, quorum vno sub vna ratione, & altero sub alia exprimatur, quod est per rationem distingui; vndè distinctio rationis in diuina eminentia fundatur, quin ex hoc liceat colligere imperfectionem in Deo.

108 *Ad 1. impugnationem respondent aliqui.* Ad primam impugnationem respondetur ab aliquibus, concesso antecedenti, negando consequentiam, & rationem discriminis reddunt: nam ad distinctionem rationis sufficit concipi vnam Dei formalitatem sine alterius expressione; ad quod Deum, fundamentum præstare, imperfectio non est, sed potiùs summa perfectio, quod nempè, ab intellectu viatoris non possit omnis Dei perfectio vno exprimi conceptu; ad compositionem verò, præter hoc, est necessarium, quod vna ex perfectionibus componentibus comparetur ad aliam, vt in potentia, & quia huiusmodi comparatio non potest in Deo fundari, vtpotè in quo nequit fundamentum ad esse concipi vt potentialem; fit consequens, vt non possit compositio rationis habere fundamentum in Deo, & quòd magis repugnet compositio rationis cum reali simplicitate, & potentialitas rationis cum summa Dei actualitate, quàm distinctio rationis cum summa vnitate Dei.

109 *Contra.* Cæterùm contra istam solutionem obstat; nam Deus, vt constitutus ex essentia, & attributis virtualiter, & ratione distinctis, non est omnino simplex simplicitate rationis; ergò est ex illis extremis aliqualiter per rationem compositus. Consequentia tenet: nam omnimoda simplicitas solùm tolli potest per aliquem modum compositionis: ergò si Deus, qua entùs sic constitutus, non est omninò simplex per rationem, est aliquomodo per rationem compositus; & consequenter datur in ipso modus aliquis compositionis per rationem. Antecedens autem probatur: nam simplicitas est species vnitatis; ergò omnimoda simplicitas omnimodam vnitatem importat; sed Deus, vt constitutus ex essentia, & attributis, non est omninò vnus vnitate rationis: ergo nec omninò simplex simplicitate rationis. Minor, in qua est difficultas, probatur: omnimoda vnitas omnem distinctionem excludit: ergò sicut omnimoda vnitas realis excludit omnem distinctionem realem ab eo, quod est omninò vnum realiter; ità omnimoda vnitas rationis excludit omnem distinctionem rationis ab eo, quod est omninò vnum ratione; sed in Deo vt constituto ex essentia, & attributis non est omnimoda vnitas rationis, quandoquidem essentia, & attributa ex quibus prout sic constituitur, distinguuntur ratione ratiocinata; ergò Deus, vt ex illis constitutus, non est vnus omnimoda vnitate rationis.

110 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & vrgetur primò: nam compositio est vnio distinctorum: ergò compositio realis, est vnio realiter distinctorum, & compositio rationis est vnio distinctorum ratione; sed in Deo, vt constituto, ex essentia, & attributis, est vnio distinctorum ratione: ergo est compositio rationis. *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundò: nam præcipuum argumentum, quo Scoti sententia de distinctione reali formali à Thomistis, & ab alijs extrà Scholam D. Th. impugnatur, est, quia ex illa sequitur esse in Deo compositionem realem formalem ex essentia, & attributis, eo quòd compositio in vnione distinctorum consistit; & consequenter iuxtà qualitatem distinctionis extremorum constituentium consurgit qualitas compositionis: ergò vel fatendum est, argumentum hoc contra Scotum non conuincere, vel asserendum, ex essentia, & attributis ratione distinctis Deum esse aliqualiter per rationem compositum.

111 *Confirmatur 3.* Confirmatur, & vrgetur tertiò; nam contrà Scotum negantem sequi compositionem realem formalem ex essentia, & attributis ex illorum reali formali distinctione, eo quod essentia non se habet in potentia ad attributa, quamuis ab illis distinguatur distinctione reali formali, arguunt ferè omnes Theologi primò, probando ex distinctione reali formali potentialitatem essentiæ, esseque essentiam diuinam ad attributa in potentia reali formali. Secundò; hoc omisso, admissoque essentiam in potentia reali non esse, nihilominùs non vitari compositionem realem formalem, eo quod ad rationem compositionis hoc non petitur necessariò, sed tantùm quod sit vnio distinctorum. Quod argumentum ferè ab omnibus Theologis, extra Scholam Scoti, efficacissimum reputatur; ergò pariter si essentia, & attributa distinguuntur ratione ratiocinata, Deus, vt ex illis constitutus, erit aliquomodo compositus per rationem, esto essentia, vt ab attributis distincta, non sit ad illa in potentia, quia nempè in Deo, vt sic constituto, datur vnio distinctorum per rationem, quæ est ad aliqualem compositionem per rationem sufficiens.

Vndè ad primam obiectionem respondeo, distinguendo antecedens compositio rationis ex conceptibus non se mutuò *implicitè* includentibus, quæ est compositio rationis talis *simpliciter*, concedo antecedens; compositio rationis quòad explicitum ex conceptibus non se mutuò explicantibus; mutuò tamen *implicitè* se includentibus, quæ est talis *secundum quid* in linea compositionis rationis, nego antecedens: & sub eadem distinctione consequentis, concedo, & nego consequentiam, Itàque compositio est iuxta qualitatem distinctionis extremorum; est autem duplex modus distinctionis rationis, scilicèt, conceptuum se inuicem actu *implicitè* non includentium, idest, quorum vnus ab alio non explicatur, nec in illo actu *implicitè* includitur, vt animal, & rationale, & ex his vnitis consurgit compositio rationis *simpliciter*; vel conceptuum, quorum vnus ab alio non explicatur, se tamen mutuo actu *implicitè* includunt, vt solet à Thomistis doceri de ente comparato cum modis *per se*, & *in alio*, quòd nempè, solùm distinguuntur penes implicitum, & explicitum, quia nempè, quod vnus explicat in alio tantùm *implicitè* importatur, & ex istis sic distinctis consurgit compositio rationis, quæ est talis *secundùm quid*. 112 *Vera 1. obiectionis solutio.*

Quia ergo attributa diuina, & essentia solùm distinguuntur ratione penes implicitum, quæ est distinctio rationis *secundum quid*, sequitur Deum, vt constitutum ex essentia, & attributis esse compositum compositione rationis penès implicitum, & explicitum, quæ est *secundùm quid* compositio intra lineam compositionis rationis, & non in limitatione, sed in eminentia fundatur non autem compositione rationis *simpliciter* ex conceptibus se mutuò excludentibus, quæ est compositio metaphysica in limitatione, & obiecti potentialitate necessariò fundata, & de hac accipiendos existimo Discipulos D. Thomæ, cum negant in Deo compositionem rationis ex essentia, & attributis. Et ex his secundùm replicam constat solutio. 113 *Ad secundam.*

Ad tertiam, nego maiorem; nam ad potentialitatem per rationem exigitur, quòd vna perfectio concipiatur vt per aliam perfectibilis, quam in se actu *implicitè* non includat, est autem de ratione actus puri non posse ab aliqua perfectione præscindere; ideòque illi opponitur esse in potentia ad aliquam perfectionem, nedum reali potentialitate, sed etiam potentialitate rationis; at verò ad distinctionem rationis hæc præcisio non requiritur, sed sufficit non expressio, & quia potest concipi essentia vt attributa non exprimens, & hæc vt non exprimentia essentiam, potest inter attributa, & essentiam dari distinctio rationis, non obstante summa vnitate, qua identificantur *realiter*, non autem potest concipi essentia, vt in potentia in ordine ad attributa, quia licet illa non explicet, actu tamen implicitè includit. 114 *Ad tertiam.*

Cæterùm contra solutionem ad primam, & secundam obiectionem, arguitur primò; substantia namquè vt constituta ex ente, & modo *per se*, solùm est composita compositione rationis penes implicitum, & explicitum; & tamen huiusmodi compositio est imperfectio in substantia: ergo compositio rationis penès implicitum, & explicitum imperfectionem importat; & consequenter debet relegari à Deo. Secundò; nam Deus est simplex omnino; sed simplicitas omnimoda omnem prorsus compositionem excludit; ergò nulla compositio est in ipso constituenda. 115 *Contra solutionem 1. & 2. obiectionis instabis 1.* *Secundò.*

Tertiò: nam Theologi absolutè admittunt distinctionem virtualem in Deo, & negant compositionem; ergò quia sentiunt diuersam esse rationem distinctionis, & compositionis, illamque posse in eminentia fundari, secùs verò compositionem. Quartò: nam compositum causatur à componentibus, & est effectus illorum: ergò compositum per rationem est per rationem effectus, & per ra- *Tertiò.* *Quartò.*

tio-

tionem causatur; sed in Deo nequit esse fundamentum, vt à nobis concipiatur vt causatus; ergò nec potest in ipso rationis compositio fundari.

116 *Contra solutionem ad tertiam obiectionem, instabis primo.* Deindè contra solutionem tertiæ obiectionis replicari potest primò: nam ens vt contrahibile per differentias, vel modos decem prædicamentorum concipitur vt potentiale, & vt in potentia ad illos, & tamen actu *implicitè* illos claudit, vt docet communis Thomistarum sententia: ergò quod essentia diuina actu claudat attributa, non tollit, quod concipiatur vt potentialis, & vt in potentia ad illa. *Secundo.* Secundò: si attributa non includeret esset ad illa in potentia secundum explicitum, & implicitum; sed quamuis actu *implicitè* essentia attributa includat, illa tamen *explicitè* non importat: ergò erit in potentia ad attributa secundùm conceptum explicitum, vel concipietur vt *explicitè* potentialis. Patet consequentia: nam conceptus determinabilis per formalitatem actu *implicitè* non inclusam; ideò est in potentia ad illam, quia *implicitè* caret, & potest illam habere, & per illam determinari, quoad implicitum, & explicitum; sed conceptus non explicans formalitatem, per quam est determinabilis, caret tali formalitate *explicitè*, & potest illam habere, & per illam determinari: ergò est ad illam in potentia secundùm explicitum, & *explicitè* potentialis.

117 *Respondebis.* Si respondeatur eo ipso quòd essentia *implicitè* actu omnem perfectionem contineat, & vt sic concipiatur, concipi vt actum purum, cui omnis potentialitas repugnat, ideòque non posse concipi vt *explicitè* potentialem, seù esse ad attributa in potentia secundùm explicitum; *Contra.* In contrarium obstat: nam inclusio implicita actualis attributorum in conceptu essentiæ solùm præstat, quòd concipiatur vt actus purus *implicitè*, non autem quòd *explicitè* ratio actus puri in tali conceptu importetur; sed cum ratione actus puri implicata stat potentialitas secundùm conceptum explicitum ad attributa *explicitè* habenda: ergò solutio tradita non euacuat vim argumenti: Probatur minor ex paritate sæpè repetita: non enim minus opponitur distinctio vnitati, quàm potentialitas actualitati; sed cum vnitate essentiæ cum attributis implicata in conceptu essentiæ, stat distingui ab illis secundùm conceptum explicitum: ergò cum ratione actus puri implicata in conceptu essentiæ, stabit potentialitas explicita, vel secundùm explicitum in ordine ad attributa.

118 *Ad primam replicam respondetur.* Respondeo ad primam replicam, concessa maiori, distinguendo minorem: ratione sui *formalitèr*, nego minorem: ratione fundamenti, concedo minorem, & nego consequentiam: compositio namquè rationis, quam concedimus in Deo fundatur in summa actualitate, & eminentia, ex qua prouenit, vt non vno, sed diuersis conceptibus, illius perfectiones exprimantur, & vlterius, vt ex illis, vt per rationem vnitis, talis compositio consurgat; in substantia autem non prouenit ex eminentia, & actualitate, sed ex potentialitate, ideòque ratione fundamenti imperfectionem importat huiusmodi compositio in substantia, non ratione sui *formaliter*, sed ratione fundamenti, in Deo autem nullo modo.

119 *Ad secundam.* Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem; omnem compositionem realem, concedo minorem; rationis, nego minorem, & consequentiam; sicut omnimoda vnitas Dei excludit omnem realem distinctionem, præter distinctionem personarum, non autem distinctionem rationis. *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur, Theologos concedentes absolutè distinctionem, negantes autem compositionem rationis, loqui de compositione metaphysica ex conceptibus *obiectiuè* præcisis, non autem de compositione rationis *secundùm quid*, penès implicitum, & explicitum.

120 *Ad quartam.* Ad quartam dicatur, dependentiam realem non posse vlli Dei perfectioni competere, dependentia autem virtualis, & per rationem soli diuinæ essentiæ sub conceptu primordiali essentiæ, & naturæ repugnat, quia est à se per exclusionem nedum causæ, sed etiam virtualis principij attributa namquè *virtualiter* essentiam supponunt, & in nostra sententia *virtualitèr* ab essentia dimanat, & ratione nostra ab illa dependent; & similitèr actus intelligendi, & volendi *virtualiter* egrediuntur à Deo, & ratione nostra dependent ab ipso, vt constat ex dictis *disputatione præcedenti*: licèt ergò Deo realis dependentia repugnet, non tamen repugnat dependentia virtualis in re, & formalis per rationem; ac proindè ex isto capite non repugnat Deo vt intelligenti, & volenti, ex deitate, & prædictis actibus *virtualiter*, & ratione nostrâ componi. Et quidem compositionem aliqualem rationis admittit in Deo D. Thomas *in 1. dist. 24. quæst. 1. art. 3. ad 4. & dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 2.* vbi etiam negat in Deo Metaphysicam compositionem. Quæ doctrina alitèr conciliari non potest, quàm negando compositionem rationis cum mutua præcisione obiectiua, admittendoquè compositionem rationis penès explicitum, & implicitum.

Ad primam replicam contrà solutionem tertiæ obiectionis concessis maiori, & minori, nego consequentiam: 121 *Ad primam replicam factam contra solutionem tertiæ obiectionis, respondetur.* ratio autem discriminis habetur ex dictis, quia nempè continentia implicita modorum in ente, non fundatur in entis actualitate, sed in potentialitate, idcòquè secundùm conceptum explicitum est potentiale; continentia autem actualis implicita attributorum in conceptu explicito essentiæ, fundatur in summa actualitate essentiæ, ideòquè nec *explicitè* est potentialis.

Ad secundam benè ibi. Ad cuius impugnationem dicatur; cum vnitate implicata stare distinctionem secundùm conceptum explicitum, quia ad hoc sufficit non exprimere perfectionem attributorum, stat autem benè illa 122 *Ad secundam.* actu *implicitè* includere, & explicitè illa non importare; & ideò cum vnitate essentiæ cum attributis implicata, stat distingui ab illis secundùm conceptum explicitum; cæterùm cum ratione actus puri implicata, non stat conceptum explicitum carere perfectione sibi debita eo modo, quo illi debetur; quia hoc esset imperfectio priuatiua, cum qua nulla Dei perfectio concipi potest; esse autem in potentia ad aliquam perfectionem dicit carentiam priuatiuam illius, & ideò non potest conceptus explicitus essentiæ, potentialis esse *explicitè*: vndè concedimus, intellectum verbi gratia esse potentiam determinabilem per actum intelligendi, quia ad hoc sufficit quòd secundùm conceptum explicitum sit principium virtuale illius, non autem dicendum, nec concedendum est esse potentialem, nec in potentia ad intellectionem, quia ad hoc requirebatur, quòd careret intellectione debita, quod non est verum: nam eo modo, quo illi debetur, nempe *identicè*, *realitèr*, & *formaliter*, & per rationem *implicitè*, illa non caret, expressio autem intellectionis non debetur essentiæ sub conceptu essentiæ, nec intellectui sub conceptu principij proximi intelligendi: vndè ex eo quòd essentia sub conceptu essentiæ, alia attributa non exprimat, non sequitur in illa carentia debitæ perfectionis: ac proindè, nec potentialitas, adhùc per rationem.

Instabis: conceptus explicitus essentiæ est determinabilis per conceptum explicitum attributorum; at per talem 123 *Instabis.* conceptum explicitum non concipitur actu determinatus: ergò concipitur vt in potentia determinabilis; & consequenter concipitur, vt *explicitè* potentialis. Respondeo, *Respondetur.* concessa maiori, distinguendo minorem: non concipitur vt determinatus pro signo virtuali præcedentiæ essentiæ ad attributa pro quo signo non debetur talis determinatio, concedo minorem: pro sequenti signo, pro quo debetur, nego minorem, & consequentiam; solùm enim sequitur esse potentiam per rationem explicitam receptiuam illorum non autem concipi vt potentialem, vel vt in potentia, quia ad hoc requirebatur determinabilitas, & carentia debitæ determinationis.

Replicabis: ergò voluntas pro signo actus primi in ordine ad volitionem, licèt intelligatur vt potentia *realitèr* receptiua volitionis, non tamen intelligitur vt potentialis, vel vt in potentia reali ad illam. Probo consequentiam, etsi pro illo signo non intelligatur sub actuali volitione, hæc tamen voluntati pro illo signo non debetur: ergò pro illo signo non intelligitur cum carentia actus pro illo signo debiti; & consequentèr non concipitur vt potentialis, nec vt in potentia ad volitionem, si vera est nostræ solutionis doctrina. 124 *Replicabis.* Respondeo, negando consequentiam: nam licèt voluntas pro signo actus primi non sit capax carentiæ priuatiuæ volitionis pro eodem signo, est tamen pro illo signo indifferens ad carentiam volitionis, & ad volitionem pro signo sequenti, & hoc sufficit, vt pro illo signo sit, non solùm in potentia, sed etiam potentialis intelligatur; essentia autem diuina pro signo prioritatis virtualis ad attributa exprimit, quod illi pro tali signo debetur, & aliàs non est indifferens ad carentiam attributorum pro signo sequenti, ideòquè pro tali signo non concipitur vt potentialis. *Respondetur.*

Tertiò principalitèr arguitur: si attributa distinguerentur 125

Tertio ar-guitur. rentur *virtualitèr*, & ratione ratiocinata ab eſſentia, & inter ſe, ſequeretur, eſſe *virtualitèr*, & ratione inæqualia in perfectione; conſequens eſt falſum: ergò non diſtinguuntur virtualiter, & ratione. Falſitas conſequentis conſtat primò ex Auguſtino *libro primo de Trinitate capit. ſeptimo, & lib. octauo in principio*, vbi docet, tantam eſſe æqualitatem in Trinitate, vt non ſolùm Pater non ſit maior Filio, ſed nec Pater, & Filius ſimul, maius aliquid ſint Spiritu Sancto, ex quo videtur inferri, etiam inter prædicata abſoluta tantam eſſe æqualitatem, vt nec vnum attributum ſit maius alio nec omnia ſimul, vnum attributum excedant in perfectione. Secundò: nam quodlibet attributum eſt ens per eſſentiam, & infinitum; ſed infinito *ſimpliciter*, non eſt dabile maius: ergò vnum attributum maius alio non eſt. Tertiò: quià alias eſſentia vt volens, eſſet perfectior *intenſiuè* eſſentia ſecundùm ſe; conſequens falſum videtur; aliàs eſſentia *infinitè* perfecta non eſſet: ergò idem quod priùs.

Minor probatur primò.

Secundo.

Tertio.

126 Quartò: nam, vt detur inter duo inæqualitas in perfectione, debet vnum carere alterius perfectione; ſed vnum attributum non caret perfectione alterius; ſed in noſtra ſententia, vnum clauditur in alterius conceptu, & in ſententia omnium vnum attributum identificatur cum alio: ergò omnia attributa *virtualitèr*, & ratione æqualia ſunt in perfectione. Denique: nam quodlibet attributum, etſi alia non includat, includit exigentiam identitatis cum omnibus; ſed exigentia identitatis cum alio, etſi non ſit *formaliter* aliud, eſt aliud æquiualenter; quiuis enim æquè æſtimabit exigere identitatem cum aliqua perfectione, ac talem perfectionem habere: nam *virtualitèr* iam illam habet in medio infallibili ad eius conſequutionem, & ſtrictiùs illam habet, quàm habens in ſe actionem dicitur habere terminum; ſed ad æqualitatem ſufficit æquiualentia: vnde æqualiter diues eſt, qui habet mille argenteos, ac qui habet centum aureos: ergò omnia attributa ſunt æqualia, ſaltèm *implicitè*, etſi vnum non includatur in alio.

Quarto.

Quinto.

Sequela autem probatur primò: nam inter diſtincta
127 *eſſentialitèr* non eſt æqualitas: vndè iuxta Philoſophum, *ſpecies ſunt ſicut numeri*, inter quos omnes diſtinctio eſſentialis infert inæqualitatem; ſed attributa vt diſtincta *virtualitèr*, & ratione inter ſe, & ab eſſentia, *eſſentialitèr* diſtinguuntur: ergò inter illa æqualitas virtualis, & ratione non eſt, ſed vnum eſt alio *virtualitèr*, & ratione perfectius. Secundo: intellectus *realitèr* à voluntate diſtinctus, eſt *realiter* voluntate perfectior: ergo intellectus *virtualitèr* a voluntate diſtinctus, eſt *virtualiter* perfectior voluntate.

Sequela prob. 1.

Secundo.

128 Tertiò: intellectus ex ſe eſt perfectior voluntate; ſed ex contractione, vel quaſi contractione voluntatis ad eſſe diuinam, non reſarcitur exceſſus: ergò intellectus diuinus eſt ratione, & *virtualitèr* voluntate perfectior. Conſequentia tenet: nam ſi per id, quod additur, non reſarcitur exceſſus, perſeuerat neceſſariò exceſſus. Minor autem probatur: nam differentia contrahens, aut quaſi contrahens voluntatem ad eſſe diuinam, non eſt perfectior differentia contrahente intellectum ad eſſe diuinum: ergò ex differentia contrahente non reſarcitur exceſſus competens intellectui ex ſe, & ex ratione communi præ voluntate.

Tertio.

129 Quartò: nam vnum attributum, vt *virtualitèr* ab alio diſtinctum, non eſt *virtualiter* infinitum in omni linea, ſed tantùm in propria, v. g. intellectus in linea intellectus, & voluntas in linea voluntatis; ſed licèt infinito in omni linea non poſſit dari maius, infinito autem in linea particulari poteſt dari aliud infinitum perfectius: ergò, non obſtante infinitudine attributorum, vnum eſt virtualitèr alio perfectius. Denique: nam infinitas attributorum, etſi obſtet illorum reali multiplicitati, & diſtinctioni, non tamen obſtat diſtinctioni illorum virtuali, & per rationem: ergò paritèr obſtabit inæqualitati reali, non autem virtuali, & per rationem. Patet conſequentia, quia non minùs eſt de ratione infiniti per eſſentiam immultiplicabilitas, quàm non poſſe ab alio excedi: ergo ſi infinitas per eſſentiam attributorum compatitur cum virtuali multiplicitate, compatietur etiam cum virtuali exceſſu.

Quarto.

Quinto.

130 In huius argumenti ſolutione variant Theologi, quidam docent attributa, non obſtante diſtinctione virtuali, & per rationem, eſſe *virtualitèr*, & per rationem omninò æqualis perfectionis, etiam quoad rationes explicitas. Ita Granadus *tom. 1. in 1. p. tract. 2. diſp. 9.* pro qua ſententia referuntur Scotus *in 1. diſt. 8. q. 4. § ad 4.* Mayronius *q. 5. §. his viſis*, Ochan *diſt. 2. q. 1.* Molina *1. p. q. 28 art. 2. diſp. 4.* Vazquez *diſp. 122. cap 7.* Suarez *lib 3 de Trinitate cap. 10.* & Zumel *q. 42 art. 1. q. 2. dub. 1.* Secundo alij reſpondent, concedendo inter attributa diuina inæqualitatem virtualem eo modo, quo inter ſe diſtinguuntur, ità, vt eſſentia ſit *virtualitèr* omnibus attributis perfectior, intellectus *virtualitèr* perfectior voluntate, & ſic de alijs. Pro iſta ſententia referuntur Durandus *in 1. diſt. 36. q 4.* & Gilius *lib. 2. tract. 2. cap. 9.* Recupitus *lib. 3. q 14.* illam tenent Arriaga *diſp. 17. ſect. 4. ſubſect. 1.* & Bernal *diſp. 3. de Incarnatione ſect. 1.*

Prima ſententia.

Granad. Scotus. Mairon. Ochan. Molina. Vazquez. Suarez. Zumel. Secunda. Durand. Gilius. Recupit. Arriaga. Bernal.

Cui ſententiæ adhærendum exiſtimo, dicendo primò, attributa ſumpta *realitèr* neque eſſe æqualia, nec inæqualia *poſitiuè*, bene tamen *negatiuè* æqualia. Primum, & ſecundum patet: nam æqualitas, & inæqualitas poſitiua requirit diſtinctionem extremorum; ſed attributa *realitèr* ſumpta, non diſtinguuntur, ſed ſunt omnino idem: ergo non ſunt æqualia, nec inæqualia *poſitiuè*. Tertium probatur: nam æqualitas negatiua conſiſtit in negatione exceſſus; ſed inter attributa ſumpta *realitèr*, exceſſus non datur; eiuſdem namquè ad ſe ipſum non datur exceſſus, *realitèr* autem ſumpta ſunt idem: ergo ſunt æqualia *negatiuè*. 131

Attributa ſumpta realitèr non ſunt æqualia, nec inæqualia poſitiuè, ſed negatiuè, æqualia.

Dicendo ſecundò, attributa ſi actu *implicitè* ſe inuicem, & eſſentiam includant, eſſe æqualis perfectionis ſecundum id, quod *implicitè* important, ſecùs autem ſi actu *implicitè* ſe non includant. Primum patet: nam in illa ſententia, eſſentia, & omnia attributa includuntur actu in voluntate, v. g. (& idem eſt de quouis alio attributo dicendum:) ergò voluntas ſecundùm id, quod *implicitè* includit, non poteſt ab eſſentia, nec ab attributis, diuiſim, nec ſimul ſumptis excedi. Patet conſequentia: nam quod in ſe habet alterius perfectionem, non poteſt ab illo in perfectione excedi; ſed voluntas habet in ſe actu *implicitè* perfectionem eſſentiæ, & omnium attributorum: ergò ſumpta ſecundùm id, quod *implicitè* importat, nec ab eſſentia, nec ab attributis etiam ſimul ſumptis exceditur. 132

Si actu implicitè ſe inuicem, & eſſentiam includant, ſunt æqualis perfectionis ſecundùm id quod implicitè important.

Secundùm probatur; quod namquè voluntas, v. g. *implicitè* dicat exigentiam identitatis cum intellectu, non ſufficit, vt adæquet in perfectione intellectum; ſed hac ſola ratione defenditur æqualitas attributorum ab his, qui mutuam attributorum præciſionem concedunt: ergo in hac ſententia voluntas non eſt æqualis intellectui in perfectione. Maior oſtenditur primò: exigentia identitatis cum intellectu non ſufficit, vt exigenti *formalitèr*, perfectio intellectus conueniat: ergò nec ſufficit, vt non excedatur perfectione ab intellectu. Secundò; exigentia identitatis cum perfectione non ſufficit, vt formalitas exigens, ſit *formaliter* perfecta, vt conſtat in paternitate diuina, v. g. quæ vt relatiua, petit identificari cum perfectione eſſentiæ, & tamen vt relatiua, perfectionem non dicit: conſtat etiam in deformitate peccati, quæ exigit identificari cum actualitate, & perfectione actus peccaminoſi, & tamen perfecta non eſt: ergo exigentia identitatis cum perfectione intellectus, non ſufficit ad eſſe *æquè* perfectum, ac eſt intellectus. 133

Secus autem ſi actu implicitè non ſe includant.

Probatur. Maior probatur primò. Secundo.

Tertiò probatur: ſi namquè prædicta exigentia ad æqualitatem ſufficeret, maximè quia ratione illius æquiualenter haberet perfectionem intellectus, & hoc ideò, quia ratione identitatis cenſetur illam habere in medio infallibili ad eius aſſequutionem; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo exigentia identitatis non ſufficit. Probo minorem primò: nam actio productiua hominis eſt medium infallibile ad exiſtentiam hominis: & tamen, non adæquat, nec *formalitèr*, nec *æquiualentèr* hominem: ergo quod ratione exigentiæ identitatis cum aliquo extremo infallibilitèr extremum habeatur, non ſufficit vt exigens identitatem cum illo, ſit illud *æquiualentèr*. Secundo: nam, ſi hoc eſt verum, ſequeretur materiam ratione vnionis cum anima rationali adæquatè perfectionem animæ rationalis, cum ratione vnionis habeat medium infallibile ad animam rationalem; conſequens eſt falſum, & à nemine vnquam admiſſum: ergo prædicta exigentia ad æqualitatem non ſufficit. 134

Tertio.

135 Dicendum eſt tertiò, eſſentiam ſecundùm conceptum explicitum eſſe perfectiorem omnibus attributis, & vnum attributum perfectius alio, quod conſtat rationibus, quibus ſequela argumenti probatur, & inſuper teſtimonio expreſſo Diui Thomæ *quæſt. 1. de potentia art. 1. ad 2.* quod

Eſſentia ſecundùm conceptum explicitum eſt perfectior omnibus attributis, & vnum attributum alio.

quod ità procedebat: *Omne perfectissimum est Deo attribuendum secundum Anselmum: ergò, quod respicit aliquid perfectius, non debet Deo attribui; sed omnis potentia respicit se perfectius, scilicèt passiuam formam, & actiuam operationem; ergò potentia, Deo attribui non potest.* Cui argumento ita respondet: *Ad secundum dicendum, quòd licet omne perfectissimum sit Deo attribuendum, non tamen oportet, quod omne illud, quod Deo attribuitur sit perfectissimum, sed oportet, quod sit conueniens ad designationem perfectissimi, ad quod competit aliquid ratione suæ perfectionis, quod habet aliquid perfectius se, cui tamen deest illa, quam aliud habet.*

136 *Probatur ex doctrina D. Th. primo.* Ex quibus verbis tale argumentum conficio; potentia secundum conceptum potentiæ reperitur in Deo, & exceditur in perfectione ab actu; ergò etiam aliæ perfectiones, quæ *formalitèr* reperiuntur in Deo, erunt secundùm explicita inæquales. *Secundo.* Secundò: nam iuxtà D. Thomam, etsi omne perfectissimum sit Deo attribuendum, non tamen omne, quod Deo attribuitur est perfectissimum, sed Deo aliquid potest attribui, quod habet aliquid perfectius se: ergò non omne attributum est perfectissimum, sed vnum erit alio perfectius cumquè doctrina D. Thomæ non possit intelligi de excessu perfectionis in re, necessariò est accipienda de excessu perfectionis secundùm conceptum explicitum; consequenterquè est asserendum, quòd ea, quæ in creaturis *realitèr* excedunt alia, in Deo *virtualitèr*, & secundum conceptum explicitum sunt perfectiora.

137 Vndè cum in creaturis essentia perfectior sit *realitèr* omnibus quæ subiecto ratione essentiæ conueniunt, quia in essentia radicantur, & ordinantur ad illam, ità in Deo essentia secundum conceptum explicitum, excedit omnes perfectiones diuinas, vtpotè radix, finisquè virtualis illarum, & sicut in sententia D. Thomæ intellectus creatus *realitèr* voluntatem excedit, ità in Deo *virtualitèr*, & sic discurrendum est circà alia attributa, quibus in creaturis similes perfectiones respondent, de alijs autem iuxtà maiorem, vel minorem proximitatem virtualem ad essentiam, ità vt sicut in creaturis proprietas proximior essentiæ iudicatur alia non ità proxima essentiæ, realitèr perfectior, ità in Deo attributum essentiæ proximius virtualitèr, erit perfectius, dummodò ex alio capite excessus non resarciatur.

138 *Ad primam probationem minoris supra positam respondetur.* Nec vrgent, quæ in probationem minoris adduximus. Non primum: nam Augustinus est accipiendus de æqualitate reali personarum, quam fides docet, ex quo solùm sequitur, attributa in se, & *realitèr* sumpta esse æqualia, quod libenter fatemur iuxtà dicta, scilicet, *negatiuè*. *Ad 2.* Ad secundum dicatur: quodlibet attributum, vt distinctum *virtualitèr* ab alio esse infinitum, non in omni linea *formalitèr*, sed tantum in propria linea, etsi *identicè*, quodlibet sit infinitum *simplicitèr*, ex quo tantùm sequitur, *realitèr* non posse excedi, non verò quòd *virtualitèr* non excedatur. *Ad 3.* Ad tertium, concessa maiori, nego minorem, nec obstat probatio: essentia namquè secundùm conceptum essentiæ non est *explicitè* infinita *simplicitèr*, sed tantùm in propria linea *formalitèr*, & in alijs *radicalitèr*, cui infinitati non obest excedi à se ipsa vt volente.

139 *Instabis.* Sed dices, effectus nòn potest causam sui adæquatam excedere, quod verum est tam de effectu reali, quam de virtuali; sed concretum hoc, *Deus volens*, est ab essentia diuina, vt à causa virtuali adæquata: ergò nequit illam excedere. *Respond.* Respondeo, in hoc concreto esse essentiam, & volitionem, inter quæ, comparata seorsim, essentia est perfectior, & quia in hoc concreto sola volitio est effectus, iam saluatur, effectum non excedere causam, quamuis comparatione facta concreti ad solam essentiam, illam excedat.

140 *Ad 4.* Ad quartam, concessa maiori, distinguo minorem: non caret *explicitè*, nego minorem: *implicitè*, concedo minorem, & distinguo consequens distinctione minoris: solùm enim sequitur vnum attributum secundùm id, quod implicat non excedi ab alio; non autem quod secundùm explicitum non excedatur *explicitè*. *Ad 5.* Ad vltimum, concessa maiori, nego minorem, cuius falsitas constat ex dictis. Quomodo autem cum hoc componatur, quòd relationes diuinæ sint æquales inter se, alterius est loci. Et quidem in mea sententia nullius difficultatis; non enim concedo relationibus diuinis relatiuam perfectionem, sed tantùm absolutam essentiæ, & attributorum, cumque in hac non distinguantur; fit consequens, vt omninò æquales sint. Qui verò relatiuas perfectiones concedunt, & nihilominus esse omninò æquales diuinas relationes tuentur, vt consequenter loquantur, debent fateri, cum distinctione virtuali attributorum saluari virtualem æqualitatem.

141 *Quarto arguitur,* Quartò arguitur: *Personalitas diuina, & diuina relatio,* non sunt synonima, nec similitèr *Pater, & prima persona*, cum *persona* nomen sit absolutum, *Pater* verò relatiuum: vndè, vt multoties docet Augustinus, Pater non dicitur persona Filij, dicitur autem Pater Filij, & tamen personalitas, & relatio diuina, Pater, & prima persona non distinguuntur ratione ratiocinata: ergò quòd nomina attributorum non sint synonoma, non probat attributa ratione ratiocinata distingui; & consequenter deficit prima ratio, qua ex D. Thoma conclusionem probauimus. Patet minor: si personalitas diuina, & relatio distinguerentur ratione ratiocinata, personalitas, vt ratione distincta; esset aliquid absolutum; consequens est falsum, aliàs personæ diuinæ non constituerentur proprietatibus relatiuis, sed absolutis: ergò personalitas, & relatio diuina non distinguuntur ratione ratiocinata.

142 *Respondetur.* Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: non differunt ratione adæquata, concedo minorem: inadæquata, nego minorem, & consequentiam: nec sequitur personas diuinas constitui modis absolutis: nam licet non constituantur relationibus secundùm conceptum *ad*, & munus referentis, constituuntur tamen relationibus secundùm conceptum *in*, & munus formæ hypostaticæ, qui duo conceptus in diuina relatione, relatiui sunt, distinguuntur tamen *inadæquatè*, quod sufficit, vt *personalitas, & relatio* non sint synonoma, eo quod *personalitas* significat relationem secundum vnum ex illis conceptibus, nempè formæ *hypostaticè* subsistentis, *relatio* autem secundùm conceptum *ad*, & respectum ad terminum, de quo *infra q. 41.*

143 *Instabis.* Sed dices: ergò ex eo quòd nomina attributorum non sint synonoma, non probatur, attributa distingui ratione adæquata; & consequenter, estò *inadæquatè* distinguantur inter se, & ab essentia; *adæquatè* tamen non distinguuntur, quod nostræ conclusioni non congruit, nec menti Auctorum, quos sequimur, qui distinctionem virtualem, & rationis adæquatam inter attributa, & essentiam, & attributa ad inuicem comparata contendunt. *Respondetur.* Respondeo, ex vi huius rationis præcisè, concedo consequentiam; nec ex hoc sequitur bonam non esse; cum enim contra Nominales à Nobis formata sit, qui solam distinctionem rationis ratiocinantis inter attributa constituunt, probando distinctionem obiectiuam rationis, estò non adæquata, sed inadæquata solùm probetur, rectè, & efficaciter contrà illos arguitur; ratio autem distinctionis adæquatæ inter attributa, & essentiam aliunde petenda est, & sufficientèr probatur illa, quam ex D. Thoma *in 1. dist. 22. quæst. 1. art. 3.* adduximus,

144 *Vrgebis, & est vltimū argumen.* Sed contrà hanc solutionem arguitur vltimò: si attributa, & essentia distinguerentur ratione adæquata, maximè, quia nomina attributorum, & essentiæ dicuntur de Deo, & creaturis, secundùm conuenientiam analogam, & alias in creaturis ratio, & definitio vnius non est ratio, & definitio alterius, sed hæc ratio est nulla: ergò non distinguuntur distinctione adæquata rationis. Maior continet rationem, qua ex D. Thoma nostram conclusionem probauimus. Minor autem probatur; persona, & relatio dicuntur de Deo, & creaturis non *æquiuocè*, sed secundùm conuenientiam analogam, & in creaturis ratio personalitatis non est ratio relationis; & tamen personalitas & relatio non distinguuntur in Deo *obiectiuè*, & ratione adæquata; ergò, ex eo quòd intellectus, v.c. & natura diuina dicantur de Deo, & creaturis, non *æquiuocè*, sed secundùm conuenientiam analogam, & in creaturis ratio naturæ, vel essentiæ, non sit ratio intellectus, non probatur distinctio virtualis, aut rationis adæquata inter essentiam, & intellectum diuinum; & consequentèr nec inter alia attributa inter se, & ab essentia, hac ratione prædicta distinctio probatur.

145 *Respondetur.* Respondeo concessa maiori, negando minorem. Ad probationem distinguo maiorem pro secunda parte; ratio, & definitio personalitatis non est ratio, & definitio relationis in creaturis ratione limitationis creatæ, concedo maiorem; ex se, & ex sua ratione formali, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam ratio Angelici Præceptoris est secundo modo accipienda, itaquè hoc vniuersaliter verum est, omne id, quod perfectionibus, vel formalitatibus in creaturis repertis conuenit ratione limitationis, non conuenit eisdem prout reperiuntur in Deo; est autem hæc differentia inter personalitatem, & re-

latio-

lationem ex vna parte, & voluntatem, & intellectum ex alia, quòd ſola diſtinctio realis voluntatis ab intellectu prouenit ex limitatione creata; quòd autem differant definitione adæquata ſecundùm rationes explicitas; hoc ex limitatione non prouenit ſed conuenit illis ex ſuis rationibus formalibus, quod, nempè, intellectus ſecundùm id, quod in propria linea exprimit, *adæquatè* definiatur ſine expreſſione voluntatis; & ideò ad Deum translata, amiſſa diſtinctione reali, quæ ex limitatione illis conuenit, retinent differentiam rationis, & quòd ratio vnius, alterius ratio non ſit; in perſonalitate autem, & relatione, non ſolùm realis diſtinctio, ſed etiam diſtinctio adæquata rationis, & definitionis, ex limitatione oritur, eo quòd in ente infinito ſola oppoſitio relatiua poteſt realem diſtinctionem cauſare; ac proinde quòd perſonalitas ſumpta *adæquatè* ſecundùm rationem explicitam, non ſit relatio, & perſonam conſtituat, *realiterque* diſtinguat, naſcitur ex limitatione; & ideò translatæ ad Deum perſonalitas, & relatio non ſolum non retinent realem diſtinctionem, ſed nec etiam virtualem, & rationis adæquatam.

146 Ex dictis in diſcurſu tractatus colligitur, Deum non eſſe ex materia, & forma compoſitum, quia eſt ſpiritualis, & immaterialis omninò nec ex accidenti, & ſubiecto, quia eſt actus purus, & ad nihil in potentia; nec ex eſſentia, & exiſtentia, nec ex eſſe, & ſubſiſtentia, quia identificantur in ipſo: ac denique eſſe ſimplicem omninò, quod D. Thomas per plures articulos probat in præſenti *quæſt.* 3. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *locis vbi* diſputatio præcedens.

Deus eſt omnino ſimplex, & omnis compoſitionis expers.

II Sent.

147 Poterat hìc diſputari an attributa ſint de conceptu eſſentiæ, & eſſentia de conceptu attributorum, etſi vnum attributum ſit de conceptu implicitoj alterius? Cui difficultati affirmatiuè reſpondeo iuxtà ea, quæ latè docebimus *infra quæſt.* 28. *agendo de diuinis relationibus*, vbi cum frequentiori Thomiſtarũm ſententia defendemus eſſentiam eſſe de conceptu relationum & relationes de conceptu eſſentiæ. Poterat etiam diſputari, an attributa exiſtant exiſtentijs *virtualiter* diſtinctis, vel vnica exiſtentia virtuali? Cui difficultati reſpondeo, exiſtere per vnicam exiſtentiam virtualiter indiſtinctam, iuxtà ea, quæ latè docebimus *infra quæſt.* 28. vbi cum Angelico Præceptore reſoluemus, relationes, etſi *realitèr* diſtinguantur; exiſtere vnica exiſtentia eſſentiæ, iuxta quam doctrinam conſequenter eſt aſſerendum, attributa, etſi inter ſe diſtinguantur *virtualiter*, exiſtere vnica, & *virtualitèr* eadem eſſentiæ exiſtentia.

Attributa ſunt de conceptu eſſentiæ, & eſſentia de conceptu attributorũ.

Licet inter ſe diſtinguantur virtualiter exiſtunt per vnicã exiſtentiã virtualiter indiſtinctam.

Deniquè diſputari poterat, an attributa ſuperaddant ad eſſentiam perfectionem, & conſequenter gaudeant perfectionibus *virtualitèr* diſtinctis in ratione perfectionis? Cui difficultati *affirmatiuè* reſpondeo conſequenter ad dicenda *quæſt.* 28. vbi docebimus, relationes non addere perfectionem ad eſſentiam, quia totum eſſe relationis eſt ad terminum, nec exiſtentiam exprimit, nec ordinem ad exiſtentiam, quod neceſſarium erat ad rationem perfectionis; ſed attributa relatiua non ſunt, nec totum ſuum eſſe conſiſtit in reſpicere terminum, & conſequenter ad exiſtentiam ordinem exprimunt: ergò, quamuis exiſtant eadem exiſtentia eſſentiæ, non tamen ſunt perfecta ſola eſſentiæ perfectione, ſed ſibi propria, & peculiari, & ſuperaddita ad perfectionem eſſentiæ. Ex quo vlterius fit, vt *virtualitèr* multiplicetur in illis ratio perfectionis, ſicut, & ratio entitatis.

148

Addunt ad eſſentiam perfectionẽ, & virtualiter multiplicatur in illis perfectio.

Et hæc de Tractatu Noſtro dicta ſufficiant.

(✠)

TRACTATVS SECVNDVS.

De Visione Dei.

DE Quo D.Thomas in 4. dist. 49. quæst. 8. de Veritate. 3. Contra Gentes cap. 54. 1. 2. quæst. 5. ac tandem in hac 1.p quæst. 12. per tredecim art. in quibus consideratis omnibus, quæ ad Visionem Dei, tam ex parte potentiæ eleuabilis, quam ex parte luminis eleuantis, speciei determinantis, & obiecti specificantis visionem concurrunt, omnia, quæ ad illius notitiam à viatore Theologo possunt desiderari, Angelico styllo, ea, quâ solet profunditate, claritate, & breuitate exactissimè tradit. Docens in primo articulo, posse intellectum creatum Deum videre per essentiam. In secundo, non posse Dei essentiam ab intellectu creato per similitudinem creatam videri. In tertio, non posse videri oculis corporalibus. In quarto, nullum intellectum creatum per sua naturalia posse diuinam essentiam videre. In quinto, intellectum creatum ad videndam Dei essentiam lumine creato indigere. In sexto, inæqualiter à Beatis videri. In septimo, non comprehendi ab aliquo intellectu creato. In octauo, videntes Deum per essentiam, non videre omnia, quæ in ipso videri possunt. In nono, secundum illam cognitionem, qua res cognoscuntur à videntibus Deum per essentiam in ipso Deo, non videri per similitudines creatas, sed solum per diuinam essentiam, per quam Deus ipse videtur. In articulo decimo docet, videntes Deum, simul videre omnia, quæ in ipso vident. In vndecimo, non posse ab homine puro Deum per essentiam videri, dum est in hac vita mortali, quæ doctrina est accipienda de lege ordinaria Dei. In duodecimo articulo docet, posse Deum in hac vita, naturali lumine cognosci, secundum quod est prima, & emmentissima causa, non autem secundùm quod est in se. Ac tandem in vltimo articulo docet, perfectiorem cognitionem haberi à nobis de Deo per gratiam, quàm per naturalem rationem. Pro quorum explicatione sequentes Disputationes subijcimus.

DISPVTATIO SEXTA.

Vtrùm intellectus creatus possit eleuari ad videndum Deum prout in se ipso?

§. I.

Catholica veritas prò conclusione statuitur.

Nũ. 1. *Armenorum error.* NON Posse intellectum creatum nec humanum, nec Angelicum. Deum intuitiuè, & prout est in se ipso videre, sed solùm quemdam illius fulgorem fuit Armænorum error, & aliorum Recentiorum Græcorum, vt Armacanus refert *lib. 14. quæstionum contra illos cap. 10.* eundem errorem adscribit Alphonsus de Castro *lib de heresibus*, verb. *Castro.* *Beatitudo heresi 2.* Abailardo, Arnaldo Brixiensi, ac tandem Almerico, & pluribus Albigensibus Galliæ à quibus non multum distare plures Ecclesiæ PP. tam Græcæ, quam Latinæ sincerè intellectos, contendit P. Vazquez, & multis *Vazquez.* conatur ostendere 1, p. *disp. 37. cap. 23, & 24.* Chrysostomum, scilicet Theodoretum, Nisenum, Hieronymum, Ambrosium, & alios, quàm plures, cui, quòad Theodoretum consentit Lorca accerrimus Patrum defensor; cum quo etiam Nisenum annumurat P. Herice contendens nullam veram interpretationem admittere posse 1. *p. tract. 4. disp. 36. cap. 3.*

Conclusio affirmatiua est de fide, *intellectum, scilicet Angelicum, & humanum posse & de facto Dei essentiam, prout est in seipso, videre,* & quamuis D.Thom. in præsenti solùm asserat, oppositum inconuenienter dici. Infra tamen *art. 4. in argumento 3.* illud erroneum vocat. *Et q. 8 de Veritate art. 1. & 3. Contra Gentes cap. 54.* hæreticum appellauit. Quæ multis Sacræ Paginæ testimonijs solet ostendi, nobis tamen illam comprobare sufficiat ex illis verbis 1. Ioannis 3; cap. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia vide-* 2 *Veritas affirmatiua est de fide.* *Prob. 1. authorit. Sac. Pag.*

1. Ioan. 3. 1. ad Corinth. 13. *videbimus eum, sicuti est*. Videre autem Deum sicuti est, est ipsum intuitiuè videre. Et ex illo Pauli 1. ad Corinthios 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, vbi Paulus distinguens inter cognitionem ænigmaticam confusam, & in creaturis, seu ex illis, vt ex speculo diuinitatis habitam, & cognitionem, quam vocat facie ad faciem, & istam concedens Beatis, illam autem Viatoribus, manifestè loquitur de visione intuitiua Dei, prout in seipso: hæc enim sola enigmaticæ contraponitur.

3 *Si opponas.* Si opponas in contra Exodi 33. dici de Moise, Deum facie ad faciem vidisse; & tamen ipsum intuitiuè non vidit: ergò visio facialis non est idem, quod visio intuitiua: ac proindè ex verbis Pauli, non rectè infertur illius possibilitas. Respondeo, negando illam vltimam consequentiam: nam licèt facialis visio aliquando in Scriptura accipiatur pro visione Dei, non in se ipso, sed in aliqua creata imagine, vt in loco allegato, & *Genesis 32. cap.* in præsenti tamen visionem Dei intuitiuam declarat, cuius ratio est duplex. Tùm communis Sanctorum Patrum interpretatio, qui verba Pauli de intuitiua notitia intelligi docent: verba autem in contrarium adducta non ità. Tùm etiam, ex eo quòd Paulus contraponit facialem visionem contra enigmaticam, & illam, quæ de Deo ex creaturis, tanquam per speculum habetur; licèt autem facialis visio absolutè accepta, non importet intuitiuam visionem; benè tamen illa, quæ enigmaticæ, & confusæ opponitur. In loco autem adducto, sic non contraponitur; imò ex subsequentibus constat, sermonem non esse de intuitiua visione; paulò enim post Moises hæc verba subiunxit: *Ostende mihi faciem tuam.* Cui respondit Dominus: *Non videbit me homo, & viuet*, quod egregie ad nostrum intentum notarunt Parens August. *in epistola 111. ad Paulinam*. Gregorius *lib. 18. Moralium cap. 78.* & Doctor Angelicus *in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. ad 15. argumentum.*

Respondetur. *S. Aug. S. Greg. S. THO.*

4 *Secundo ostenditur definitionibus Ecclesiæ.* Secundò probatur definitionibus Ecclesiæ, & in primis definitur expressè à Benedicto XII. in Extrauaganti *Benedictus* relata à Castro verbo *Beatitudo hæresi 6.* & multò antè à Bacono *in fine lib. 4. Sententiarum*, & quamuis Castro dictam Extrauagantem. Benedicto XI. attribuat, in quo ipsum sequuntur Vazquez 1. *part. disput. 37. cap. 5.* & Suarez *lib. 2. de attributis negatiuis cap. 7.* veriùs tamen Bacconus relatus, & Cardinalis Belarminus *tom. 2. lib. de beatitudine cap. 2.* Benedicto XII. illam adscribunt, vt rectè notauit Zanardus in præsenti. Vbi Pontifex expressè definit: *Animas beatas videre diuinam essentiam immediatè intuitiuè, & facialiter, & contrà oppositum defensantes, præcipit, vt tanquam contra Hæreticos procedatur.* Concilium etiam Florentinum in decreto de Purgatorio statuit: *Animas beatorum clarè intueri ipsum Deum Trinum, & Vnum prout est in se.*

Castr. Bened. Vazquez. Suar. Bacon. Belarm. Bened. Zanard. Conc. Flor.

5 *Tertio probatur ex SS. PP.* Tertiò probatur testimonijs Sanctorum, & in primis illam expressè tradidit Augustinus *tom. 2. lib. de videndo Deum cap. 2. 5. & 15. epist. 112. cap. 14.* & Gregorius Magnus *lib. 18. moralium cap. 28.* Hieronymus *epist. 61. ad Pammachium cap. 3.* his verbis: *Videbo, inquit Dauid, cœlos opera digitorum tuorum, video non video, videbo, quando faciereuelata gloriam Domini fuero contemplatus: nunc autem ex parte videmus, & ex parte cognoscimus.* Id ipsum docuit epistola 24. ad Marcellam, & epistola ad Eliodorum de Epitaphio Nepotiani cap. 15. quare immeritò Vazquez Armenorum errori adscripsit Hieronymum, Epiphanius *hæresi 70.* Gregorius Nazianzenus *Orat. 2. de Theologia*, Bernardus *serm. 31. in Cantica*, & alij, quam plures, quorum verba ad longum recensent. Moderniores Theologi in præsenti, & eruditè examinat Lorca *12. tract. de beatitudine disp. 27.*

S. Aug. S. Greg. S. Hier. Epiphan. D. Greg. Naz. D. Bern. Lorc.

6 *Quarto suadetur duplici ratione D. Th. & formatur prima.* Quartò probatur duplici Diui Thomæ ratione, quarum prima in hunc modum formatur: homo per Dei gratiam potest suam beatitudinem adipisci; aliàs peioris conditionis esset animalibus cunctis, imò, & insensibilibus rebus, quæ suam fœlicitatem obtinere possunt: sed hominis beatitudo in visione Dei, prout est in se ipso consistit, iuxtà communiorem, & veriorem sententiam, vel in actu voluntatis, qui visionem Dei, prout est in se ipso, supponit: ergò prædicta visio est possibilis. Consequutio est legitima. Maior à nullo rationis compotè potest negari. Minor autem prætorquamquòd disiunctiuè accepta est de fide, ostenditur à Doctore Angelico in præsenti in hunc modum: suprema fœlicitas hominis consistit in coniunctione perfectissima cum suo effectiuo, & finali principio; at perfectissima coniunctio hominis, in quantùm intellectualis est, cum suo principio effectiuo, & finali in visione Dei, proùt est in se ipso, vel in actu voluntatis illam supponente, consistit; cum vnum ex illis sit suprema hominis operatio: ergò in aliquo illorum suprema hominis fœlicitas est constituenda.

Respondebis, concessa maiori negando minorem: beatitudo namquè hominis debet cōsistere in cōiunctione perfectissima ex possibilibus cum Deo, qui est homini primum essendi principium; cumquè non sit possibilis visio Dei, prout est in se ipso, sed solùm secundùm fulgorem, aut lucem ab ipso deriuatam, in hac visione illius beatitudo consistet, & non in illa, quæ Deum intuitiuè, & proùt est in se ipso, cognoscat. Sed contrà primò: beatitudo hominis consistere debet in aliquo, illius appetitum quietante, & satiante; sed visio Dei secundùm fulgorem, & lucem ab ipso manantem, nequit hominis appetitum satiare, & quietare: ergò in illa beatitudo hominis nequit consistere. Probo minorem; voluntas hominis, vtpotè vniuersalis appetitus, tendit in bonum in vniuersali: ergò solùm in adeptione Dei, qui est principium, & origo omnis boni, potest quietari, non verò in aliquo dimanante ab ipso, quod vtpotè creatum, debet esse bonum particulare. 7 *Respond.* *Contra 1.*

Secundò; intellectus hominis potest attingere ex Dei eleuatione saltem, omne illud, quod sub obiecto, à quo specificatur, continetur; sed Deus, vt quidditatiuè, & in se ipso cognoscibilis, continetur sub ente, à quo speciem desumit intellectus humanus: ergò ex eleuatione saltem, illud potest attingere. Tertiò; omnis potentia, quæ ex proprijs viribus attingere valet aliquod obiectum imperfectè, & quo ad *an est*, eleuari potest ad illius attingentiam perfectam; quo circà voluntas ex proprijs Deum imperfectè attingens, ex eleuatione per gratiam, Deum valet amare, proùt in se ipso amore perfecto, nec aliqua instantia in oppositum poterit assignari; sed intellectus hominis ex propria natura Deum imperfectè cognoscit, quatenus ex creatis effectibus illius existentiam demonstrat: ergò eleuari poterit ad illius perfectam, & intuitiuam cognitionem. 8 *Secundo.* *Tertio.*

Dices; maiorem vniuersaliter veram non esse; appetitûs namque sensitiuus ex se ipso, vt præuenit vsum rationis, potest attingere bonum morale, iuxtà probabilem Caietani sententiam, quæ in illo, ante rationis vsum, admittit veniale peccatum; & tamen ex eleuatione adhuc, nequit attingere bonum rationis consumatum, & perfectum, nempè, Deum: ergo instatur maior assumpta. Respondeo: potiùs pro Nobis esse exemplum adductum. Appetitus namque sensitiuus hominis, si vera est Caietani sententia, solùm attingit bonum, & malum morale circa sensibilia, & istud perfectè attingit ex subordinatione ad voluntatem; cum in illo, prout sic subordinato subiectentur virtutes morales; vndè in forma distinguatur maior: bonum morale, proùt in materia sensibili, concedo maiorem: in materia spirituali, nego maiorem, & distinguo minorem: nequit attingere perfectè bonum morale separatum à materia sensibili, concedo minorem; in illa concretum, nego minorem, & nego consequentiam. 9 *Dices.* *Respond.*

Secunda D. Thom. ratio in hunc modum formatur; visis effectibus naturalibus, homo desiderat causam videre; ergo visis effectibus Dei, desiderabit homo naturaliter, Deum, prout est in se ipso, videre; at appetitus naturalis hominis, nequit frustrari; ergo visio Dei, prout est in se ipso, est possibilis; aliàs talis appetitus redderetur frustraneus, quam rationem inferiùs ampliùs examinabimus. 10 *Secunda ratio D. Tho. formatur.*

§. II.

Argumentis ab auctoritate occurritur, & ab opposito errore vindicantur PP.

MOdo contra Nostram conclusionem arguitur primò ex multis locis Sacræ Scripturæ, in quibus Deus absolutè dicitur inuisibilis. Primæ ad Timothæum 1. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili.* Et cap. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit; sed nec videre potest.* 1. Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Ac denique Exodi 33. *Non videbit, me homo, & viuet.* Et alibi sæpè. At ex eo quod Deus in Scriptura Sacra incomprehensibilis dicitur, infertur à Theologis, tanquam de fide certum, ab intellectu creato comprehendi non posse; ergo 11 *Arg. 1. locis Sacræ Scrip. 1. ad Tim. 3. 1. Ioan. 1. Exod. 33.*

ergò ex verbis adductis inferri debet, non posse ab intellectu creato intuitiuè videri.

12 Ad hoc argumentum respondetur, prædicta loca Scripturæ, non posse interpretari in toto rigore, quia ex rigorosa illorum interpretatione sequitur inconueniens maximum contra fidem. Vndè interpretari debent vno ex quatuor modis, iuxtà intelligentiam Sanctorum. Primò, quod Deus fit inuisibilis in hac vita mortali, non verò absolutè. Ita Mag. Gregorius *lib. 18. Moralium cap. 28.* Et Augustinus *Epist. 112. cap. 3.* quę interpretatio congruit maximè loco Exodi vltimò adducto. Secundò, quod sit inuisibilis visu corporeo. It Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 9.* D. Th. infra *art. . in arg. Sed contra.* Ex Augustino *epist. 112. ad Paulinam cap. 9.* Tertiò, quod fit inuisibilis ab intellectu creato per vires proprias, & naturales. Ità Ambrosius *in 1. caput Luca.* Et Epiphanius *hæresi 70.* Quartò, quòd sit inuisibilis comprehensiuè, qualiter à se solo potest cognosci: non autem per exclusionem cognitionis quidditatiuæ, & intuitiuæ, sic D. Th. *in præsenti art. ad 1. argumentum,* alijque plures.

Respondetur quadruplici modo explicando loca Scriptura. Greg. Mag. D. Aug. Cyrill. Hierosol.

13 Secundò arguitur testimonijs Sanctorum PP. passim asserentium, Deum, nec ab homine, nec ab Angelis posse videri, & licèt plures congerat Vazquez *loco suprà citato;* qui tamen speciali indigent explicatione, sunt Chrysostomus *homil. 14. in Ioannem* antè medium, vbi explicans illud Ioannis 1. cap. *Deum nemo vidit vnquam,* hæc verba subiecit: *Nam id, quod est Deus, non modò Prophetæ viderunt, sed nec Angeli, nec Archangeli, ed si eos percontatus eris, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantum referentes, gloria in excelsis Deo.* Et paulò interiùs addidit: *Deum ante Incarnationem fuisse Angelis inuisibilem: per Incarnationem autem factum fuisse visibilem.* ergò ex mente Chrysostomi, Deus ab intellectu creato, prout est in se ipso, videri non potest.

Arg. 2. ex SS. PP. S. Chrys. Ioan. 1.

14 Si respondeatur cum Doctore Angelico *in præsenti ad 1.* Chrysostomum solùm negasse possibilitatem comprehensiuæ cognitionis Dei: non autem intuitiuæ, & quidditatiuæ. In contrarium multipliciter insurgit Vazquez primò: quia Chrysostomus disputabat contra Anomæos, quos non constat, docuisse, Deum ab intellectu creato comprehendi posse: ergò Chrysostomus, non solùm istam nempè comprehensionem, sed etiam claram, & quidditatiuam cognitionem negat esse possibilem intellectui creato. Secundò: quia Chrysostomus ait, ab Angelis substantiam Dei videri non posse, sed solùm aliquid deriuatum ab ipsa: ergo vtramquè cognitionem negat. Tertiò; vt Angeli aliquid possent enarrare de Deo, necessaria non erat ipsius comprehensiua cognitio, sed sufficiebat clara, & quidditatiua; at Chrysostomus, ex eo quod negat ab Angelis posse videri, subinfert, quòd si eis percunctaueris, nihil ab eis de Dei substantia audies: ergò sentit, nec quidditatiuè Deum posse videre. Quartò; eam cognitionem negat Angelis de Dei substantia ante carnem assumptam, quam concedit eisdem post carnem assumptam; sed Angeli, post carnem assumptam à Verbo, ipsum non comprehensiuè, sed solùm clarè, & intuitiuè cognouerunt: ergò sentit Chrysostomus, cognitionem istam intuitiuam, & claram respectu substantiæ Dei ab Angelis haberi non posse.

Si respondeatur cum D. Th. Insurgit Vazquez primò. Secundò. Tertiò. Quartò.

15 His motus Pater Vazquez loco vbi suprà, Chrysostomum, & alios eiusdem Discipulos ex PP. Græcis cum Armenijs censet apertè consensisse. Cæteri tamen Theologi cum Doctore Angelico *in præsenti, & in 4. Sententiarum dist. 49. q. 1 art. 1.* Chrysostomum ab hac vindicant nota; vndè standum est traditæ explicationi, quam esse de mente Chrysostomi, ostenditur primò: quia si Chrysostomus non solum comprehensiuam, sed etiam quidditatiuam Dei cognitionem negaret possibilem esse per gratiam intellectui creato, apertè sibi contradiceret; cum in Epistola 5. ad Theodoretum lapsum, illam esse possibilem manifestè concedat his verbis: *Si Petrus, qui vidit obscuram quandam imaginem futurorum, omnia continuo reiecit ab anima propter voluptatem inditam animæ à talis aspectu, quid dicemus, quandò rerum veritas aderit, quando Regis cubiculi adapertis, intueri licebit ipsum Regem, non per ænigmata, nec per speculum, sed facie ad faciem.* Quibus verbis ità apertè negat Chrysostomus possibilitatem visionis claræ, & intuitiuæ Dei, prout est in se ipso, ac illam expressit Paulus *loco vbi suprà, Epistola 1. ad Corinth. cap. 13.* ergo sicuti de mente Pauli dubitari non licet, quamuis alibi Deum inuisibilem appellauerit; ità pariter, nulli de mente Chrysostomi dubitare licebit, etsi in alijs locis verbotenùs, opposito errori fauere videatur, sed explicandus erit sicuti, & Apostolus ab omnibus Theologis explicatur.

Chrysostomus vindicatur à nota, & de eius mente offensione D. Thom. probatur 1.

16 Secundò; quia intentum Chrysostomi erat, Anomæorum errorem expungere, qui non errabant, quia visionem Dei quidditatiuam possibilem esse per gratiam asserent, sed quia illius comprehensionem esse possibilem per naturam docuerunt: ergò Chrysostomus illorum errori se opponens, non primæ, sed secundæ, possibilitatem negauit. Minorem inficiatur Vazquez concedere; non enim ità adeò amentes fuere, Eunomius, & Anomæi, vt assererent possibilem esse hominibus cognitionem Dei ità perfectam, ac Deus habet de se ipso. Sed quis non videat virum aliàs doctum, in hac parte deficere, Chrysostomum amentem faciendo, & Eunomium à dementia liberando? Et quidem Eunomium adeò cæcutijsse, vt hominibus daret ita perfectam cognitionem de Deo, ac Deus habet de se ipso, testatur Chrisostomus *in quinque homilijs,* quas scripsit contra Anomæos, præcipue *homilia secunda* multò post initium, vbi Anomæorum errorem recenset, his verbis: *Quod nemo etiam dicere ausus est, ipsi, se ita nosse Deum, quemadmodum Deus seipsum nouit, asserunt.* Et paulò post medium hæc verba subiecit: *Quis eo temeritatis, atquè amentiæ peruenisti, vt quem glorificare dumtaxat debes, & adorare, hunc, ceu rem quandam abiectam, & vilem curiosè scruteris, & contendas penitus comprehendere.* Idem repetit *homilia tertia, quarta, & quinta.* En vbi Chrysostomus Anomæos amentes appellat, & adeo cæcutientes, vt concederent intellectui creato possibilem esse per vires naturæ Dei comprehensionem.

Secundò.

17 Nec sufficit respondere cum prædicto Auctore, nomine comprehensionis, non vsus fuisse Anomæos in rigore, quo illo vtuntur Theologi, sed solùm intellexisse claram Dei visionem. Tùm; quia Hæretici nunquam explicantur à Theologis, sed verba illorum accipiuntur, vt sonant, & in malam partem semper accipiuntur propter eorum mentem damnatam. Tùm etiam, quia debemus maiorem fidem dare Chrysostomo, qui illos de comprehensione in toto rigore fuisse locutos, apertè testatur illis verbis: *Penitus comprehendere.* Nec alij clarioribus potest explicari nomen comprehensionis in rigore Theologorum, & prout à quidditatiua notitia secernitur. Cum ergo ille fuerit error Anomæorum, itemus, oportet traditæ explicationi. Videantur Mag. Albelda *in præsenti disp. 1.* Et Collegium Salmaticense *dub. 2.*

Si respondeatur. Contra 1. Secundò.

18 Nec vrgent, quæ Vazquez opponit, non primum; constat namquè ex dictis eius solutio. Ad secundam respondeo, negando antecedens; nec enim vnquam asseruit Chrysostomus, solùm à Beatis videri aliquid deriuatum à Deo, sed Dei visionem condescentium appellauit, quia non videtur Deus comprehensiuè, sed limitato modo, & quidditatiuo, se attemperante Deo illorum finito conatui. Ad tertiam, distinguo maiorem: vt aliquid possent enarrare eo modo quo filius enarrat, nego maiorem; absolutè, concedo maiorem, & minorem distinguo eodem modo, & nego consequentiam. Itaquè non negauit Chrysostomus, Angelos beatos aliquid posse enarrare absolutè de Deo, sed posse id enarrare eo modo, quo filius, qui est in sinu Patris: vt autem eo modo, quo filius enarrat, ipsi enarrarent, necessaria erat illis eadem comprehensiua cognitio, quam filius habet de Patre.

Responderur ad 1. & 2. motiuum Vazquez. Ad tertium.

19 Ad quartam respondeo, Chrisostomum negasse Angelis comprehensiuam cognitionem de Dei substantia antè carnem assumptam, hoc statuendo discrimen, quod antè Incarnationem nullatenus Deum comprehendebant, post Incarnationem verò ipsum comprehendebant, non secundum propriam substantiam, sed secundùm carnem assumptam à Verbo. Eodem modo interpretandus venit Theodoretus, quem Vazquez prædicto errori apertè consensisse contendit. Licet P. Lorca nullam explicationem admittere posse fateatur *12. tract. de beatitudine disp. 27.* eo quod Eranisto interroganti: *Si Deus videri non potest ab Angelis, quomodò intelligemus, quod Angeli eorum semper vident faciem Patris?* Respondet Theodoretus. *Sicut intelligere solemus ea, quæ dicuntur de hominibus, qui Deum vidisse existimati sunt.* At homines, qui Deum dicuntur vidisse, non Dei substantiam prout est in se ipsa, sed in aliqua creata imagine Deum viderunt, iuxtà communem

Ad quartum. Lorca. Verba Theodoreti proponuntur.

PP. intelligentiam, Paulo solùm excepto: ergo ex mente Theodoreti, Angeli non Dei substantiam vident, sed solàm aliquam illius creatam imaginem.

Explicatur Theodoretus. Respondetur tamen, mentem Theodoreti non fuisse,
20 æquiparare in omnibus visionem Angelorum beatorum cum visione, quam de Deo habent Prophetæ, sed solùm quoad negationem comprehensionis, quæ in vtraquè inuenitur, non tamen tenet eius similitudo quoad æqualitatem perfectionis; ità vt æquè perfectè viderint Deum Prophetæ, sicut videtur ab Angelis beatis; aliàs sicuti ista beatificat, ità, & illa beatificaret, quod Theodoretus non potuit sentire. Et quod mens Theodoreti solùm modo fuerit comprehensiuam cognitionem negare, omissis alijs constat, ex eo quòd Deum ab Angelis videri non posse, confirmat ex illis verbis Ioannis 6. cap. *Patrem non vidit quisquam, nisi qui est ex Deo, is vidit Patrem*. Quæ verba communiter interpretari solent de comprehensiua notitia: ergo illam solam negat, & negare contendit Theodoretus intellectui creato. *Ioann. 6. cap.*

21 Cæteri PP. quos pro eodem errore Vazquez adducit explicandi sunt aliquo ex modis, quibus explicuimus loca Sacræ Scripturæ superiùs adducta. Solus Gregorius Nisenus specialem habet difficultatem *lib. de beatitudinibus, oratione 6.* vbi explicans illud Matthæi 5. cap. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; sibi opponit loca Sacræ Scripturæ, in quibus Deus inuisibilis nuncupatur: *Quomodo ergò Deus à mundis corde poterit videri, inque suprema fœlicitas ponitur?* Et illis respondens, multotiès fatetur, Deum ab intellectu creato, prout est in seipso videri non posse: vndè subinferr, beatitudinem, non in Dei visione constituendam esse, sed in hoc, quod est Deum habere in se ipso, & in illius visione, quæ habetur, non ex qualibet creata imagine, sed ex illa, quam quis participat ratione gratiæ. *Verba Niseni ponderantur. Matth. 5. cap.*

22 Si respondeatur, loqui Nisenum de beatitudine huius vitæ. In contrarium opponit Vazquez, quod loquitur de beatitudine, quæ sanctis promittitur in præmium laborum; at hæc est beatitudo vltimata: ergo de illa loquitur Nisenus. Secundò; quia ait, quod videre in vsu Scripturæ, idem significat, quod habere, quod multis ostendit; at si sentiret visionem Dei, prout verba sonant, possibilem esse in altera vita, non esset cur ad prædictam interpretationem recurreret: ergò idem quòd priùs. Respondetur tamen Nisenum, ibi loqui de homine Viatore, & de beatitudine huius vitæ, distinguens ibi duplicem cognitionem, alteram, quæ habetur ex effectibus naturalibus, & in hac non consistit beatitudo vitæ præsentis, quin potiùs in illa iniqui homines iustis solent præstare. Alteram, quam quis habet ex gratia, & puritate cordis, quam quis in seipso cognoscit, & in hac huius vitæ beatitudinem statuit, quod constat ex eo quod beatitudinem de qua loquitur, probat ex illis verbis: *Regnum Dei intra nos est*; at sic nequit significari beatitudo vitæ futuræ, sed ad summum præsentis, cum Christus Dominus cum Viatoribus loqueretur: ergò de ista loquebatur Nissenus. *Si respondeatur. Insurgit Vazquez primò. Secundò. Vera est interpretatio tradita.*

23 Ad primum, quod Vazquez opponit, respondeo, etiam istam cognitionem, quam quis habet de Deo, ex eo, quod se puro corde meditatur per gratiam, esse præmium iustorum, licèt non consummatum, & vltimatum. Si obijciantur in contrà, illa verba Niseni: *Promissio quidem tanta est, vt superet supremum terminum beatitudinis*; at præmium quod iustis in hac vita conceditur, illum non superat: ergo non de præmio huius vitæ, sed alterius debet interpretari. Respondeo, potiùs ex hoc oppositum concludi, comparans namquè præmium, de quo loquitur, cum termino beatitudinis, distinguit manifestè inter præmium: ergo duplex præmium agnoscit, alterum in præsenti, alterum in futuro: primum, in cognitione illa quam quis habet de Deo, ex eo quod se Dei amicum, & puro corde cognoscit, constituit. Secundum, non ità, quandò verò ait, superare terminum beatitudinis, loquitur per exagerationem quandam, non quia re vera excedat. Ad secundum ex dictis constat solutio. Et hæc de mente PP. dicta sufficiant, qui plura desiderat, legat Commentatores in præsenti, & Magistrum Lorca vbi *supra* eruditè satis loquentem. *Ad 1. Vazq. resp. Si obijciantur alia verba Niseni. Respond. Ad secundum.*

§. III.

Cætera argumenta diluuntur.

Tertiò contrà præfatam veritatem arguitur: visio quidditatiua Dei non potest non esse infinita; at infinitam visionem intellectus noster nullis viribus valet elicere: ergo nec Deum quidditatiuè potest cognoscere. Minor cum consequentia tenet. Et maior ostenditur; cognitio crescit iuxtà incrementum perfectionis obiecti, quò circà cognitio quidditatiua Angeli excedit quidditatiuam hominis cognitionem, & ista excedit illam, quæ de bruti natura potest haberi: ergo cognitio obiecti infiniti, necessariò debet esse infinita. Respondetur, distinguendo hoc vltimum consequens: si talis cognitio infinito, & adæquato modo obiectum infinitum attingat, concedo consequentiam; si modo inadæquato, & finito, nego consequentiam: & instò argumentum in cognitione Dei, quoad *an est*, quæ terminatur ad infinitum obiectum; nihilominùs tamen infinita non est, quia non infinito, sed finito modo erga illud versatur. Pariter ergò in quidditatiua Dei cognitione contingit, quæ finita manet, non obstante obiecti infinitate, qua finito modo ergà illud versatur. 24 *Tertium argumentum à ratione. Respond.*

Si opponatur primò: non solùm adæquata cognitio obiecti perfectioris excedit adæquatam minùs perfecti obiecti cognitionem, sed etiam quidditatiua illius cognitio, estò inadæquata sit, istius quidditatiuam excedit cognitionem, vt constat in cognitione quidditatiua Angeli perfectioris comparata cum cognitione Angeli minus perfecti: ergo cognitio obiecti infiniti quidditatiua, estò inadæquata cognitio sit, debet excedere excessu infinito quidditatiuam obiecti finiti cognitionem; at infinitus excessus, necessariò exposcit infinitatem in extremo excedente: ergo debet esse infinita. 25 *Si insurgas primò.*

Respondeo, distinguendo primum antecedens: excedit determinato excessu adæquante, excessum obiecti ad obiectum, nego antecedens: indeterminato, & non adæquante excessum obiecti ad obiectum, transeat antecedens, & nego consequentiam: quia vt illatio teneret, priori modo debebat excedere. Itàquè non exigitur, quòd si vnum obiectum excedit alterum vt quatuor, etiam quidditatiua eiusdem cognitio, vt quatuor, excedat alterius obiecti cognitionem, sed poterit gaudere minori, & indeterminato excessu. Vt autem ex obiecti infinitate, in cognitione eius quidditatiua rectè inferretur infinitus excessus, necessarium erat, quòd excessus vnius cognitionis ad aliam deberet esse tantus, quantus esset obiecti ad obiectum. 26 *Respond.*

Si opponatur secundò; non stat, omnes creaturas possibiles collectiuè sumptas, quidditatiuè cognosci, & non cognosci modo infinito: ergo pariter stare non poterit, quod Deus quidditatiuè cognoscatur, & non cognoscatur modo infinito. Antecedens ex interiùs dicendis constabit, & consequentia tenet primò; quia Deus infinitè superat perfectionem omnium creaturarum possibilium collectiuè; sed istæ ob sui perfectionem petunt in cognitione quidditatiua ipsarum infinitatem in modo tendendi: ergo à fortiori Deus eundem infinitatis modum in sui quidditatiua cognitione, debet exposcere. Secundò; cognitio Dei secundùm se, estò solùm quidditatiua sit, est perfectior cognitione omnium possibilium extrà verbum: ergo si cognitio omnium possibilium extrà verbum necessariò debet esse infinita, vt communiter à Thomistis docetur, à fortiori cognitio quidditatiua Dei infinitatis modum debet sortiri. 27 *Si opponas 2. Consequentia tenet primò. Secundò.*

Respondeo, permisso antecedenti, nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quòd eo ipso, quòd omnes creaturæ possibiles collectiuè sumptæ cognoscuntur, non possunt non comprehendi; cum namquè intrà possibilia omnis modus illarum contineatur, si omnia possibilia cognoscuntur, etiam debent cognosci omnes modi possibilium: ac proindè cognoscuntur, quantùm cognoscibilia sunt; & consequenter adæquatè, & comprehensiuè cognoscuntur: cognitio autem, quæ adæquatur cum obiecto infinito, participat ab illo infinitatem, vt superiùs dicebam; at verò Deus potest quidditatiuè attingi, quin adæquatè cognoscatur, quia ob sui eminentiam stat cognosci quoad omnia, quæ formaliter habet, quin quoad ea, quæ eminenter continet, cognoscatur. Quando autem cognitio inadæquatè attingit infinitum obiectum, in- 28 *Respond.*

infi-

Ad 1. consequentiæ probationem. finitatem non capit ex ipso. Per quod patet solutio: ad primam consequentiæ probationem, distinguendo minorem: ob sui perfectionem adæquatè attactam, concedo minorem: inadæquatè solùm, nego minorem, & nego consequentiam.

29 *Ad secundam.* Ad secundam probationem, omisso, aut concesso antecedenti, nego consequentiam: quia optimè stat, cognitionem finitam, infinitam excedere, quandò ergà diuersa obiecta versantur, quorum vnum alterum excedit, vt in præsenti contingit, sicuti cognitio quidditatiua Angeli perfectior est cognitione comprehendente formicam. Nec obest alterius infinitas in nostro casu, sicuti nec obstaret, si quantitas infinita daretur, quominùs esset minùs perfecta, finita substantia. Pariter in præsenti, quamuis cognitio quidditatiua Dei finita sit, perfectior tamen erit cognitione omnium possibilium extrà verbum, si daretur, quamuis ista infinita esset, propter infinitum excessum Dei ad totam possibilium collectionem: si autem comparatio fieret in ordine ad idem obiectum, tunc infinita cognitio illius, necessariò excederet cognitionem finitam eiusdem.

30 *Vltimo arguitur.* Deniquè principaliter arguitur; plùs distat diuina substantia à creato intellectu, quàm Angelus à visu corporeo; sed ob hanc distantiam, nequit visus corporeus eleuari ad attingendum Angelum: ergo à fortiori intellectus non poterit eleuari ad videndam diuinam substantiam, prout est in se ipsa. *Respondet Angelicus Doctor.* Respondet Angelicus Doctor *in 4. Sententiarum dist. 49. quæst. 2. art. 1. ad 7.* plùs quidem distare quoad entitatem, non autem quoad proportionem habitudinis potentiæ ad obiectum, & hæc secunda proportio est, quæ desideratur, vt intellectus diuinam substantiam possit attingere.

31 *Contra insurgit Herice.* Cæterùm contrà solutionem istam insurgit Herice; habitudo potentiæ ad obiectum est entitas quædam: ergo proportio, & distantia habitudinis, necessariò erit proportio, seù distantia entitatiua; & consequenter si Deus plùs distat ab intellectu nostro, quàm Angelus à sensu distantia entitatiua, plùs etiam distabit distantia habitudinis potentiæ ad obiectum. *Secundo insurgit Faselis.* Secundò insurgit alius eiusdem familiæ; improportio habitudinis potentiæ ad obiectum nascitur ex improportione entitatiua potentiæ cum illo: ergo non stat plùs quoad istam distare, & non etiam plus distare quoad illam. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur; non enim alia ratione poterit ostendi à priori, potentiam visiuam esse improportionatam cum Angelo in proportione habitudinis potentiæ ad obiectum, nisi quia est improportionata cùm illo entitatiuè: ergò improportio habitudinis nascitur ex entitatiua improportione.

32 *Solutioni D. Th. acquiescendum est.* Standum est tamen traditæ solutioni, quæ duplicem proportionem agnoscit, alteram entitatiuam, alteram habitudinis potentiæ ad obiectum. Prima consistit in conuenientia in entitate, & natura: secunda in hoc, quod vnum terminet habitudinem alterius, seù per modum potentiæ, seù per modum causæ, & sub obiecto illius contineatur, & pari modo duplicem distantiam, quarum prima in disconuenientia in natura consistit; secunda in extractione ab obiecto potentiæ, asseritque Angelicus Doctor, attenta priori proportione plùs distare Deum ab intellectu creato, quàm Angelus à corporea facultate videndi; cum prima distantia sit infinita, & secunda finita; secùs verò attenta secunda, quia Deus intra obiectum nostri intellectus continetur; Angelus vero non continetur intra obiectum potentiæ visiuæ. De quo latiùs *Dispu. sequenti*; quod autem ista duplex proportio sit distinguenda, manifestis exemplis monstratur.

33 *Confirmatur solutionis doctrina.* Primò in nostro casu; nemo enim potest negare, minùs conuenire Deum cum creatura, quàm Angelum cum potentia corporea quoad proprias naturas; & tamen Deus intra obiectum nostri intellectus continetur; secùs verò Angelus intrà obiectum visus, & consequenter minùs Deus ab intellectu distat, distantia obiectiua, quàm Angelus à facultate videndi: ergò ista duplex proportio debet distingui; Secundò; quia plus distat accidens à substantiali composito in ratione entis, quàm forma substantialis; & tamen in ratione potentiæ receptiuæ, & formæ receptibilis, non ità, cum accidens recipiatur in illo; secùs verò forma substantialis: ergo idem quod priùs. Omitto alia plura.

34 *Resp. ad 1. obiectionem.* Nec vrgent, quæ opponuntur in contrà. Ad primum namquè, quo leuiter mouetur Herice ad deserendam traditam distinctionem, respondeo, aliud esse distantiam, seù proportionem entitatis; aliud verò distantiam entitatiuam in quo hallucinatur Auctor prædictus; proportio quidem potentiæ ad obiectum est proportio entitatiua, non tamen in entitate, sed in habitudine, & idem de distantia est dicendum. *Ad secundam.* Ad secundum, nego antecedens. Ad cuius probationem, nego pariter antecedens; sed ideò distant distantia habitudinis, quia non continetur Angelus intra obiectum illius. Quod si huius rationem inquiras; non poterit reddi à priori; sistimus namque in essentijs rerum; à posteriori autem potest ostendi, ex eo quod potentia visiua suæ naturæ relicta, nec imperfectè adhùc Angelum attingit; bene verò intellectus noster Deum imperfectè cognoscit. Ex quo probabiliter solùm colligitur, Deum, vt quidditatiuè cognoscibilem contineri sub obiecto nostri intellectus; secùs verò Angelum, vt clare visibilem, sub obiecto potentiæ visiuæ, & instatur manifestè argumentum factum in cognitione imperfecta Dei, quam viribus proprijs potest noster intellectus elicere; secùs verò potentia visiua Angelum imperfectè videre; sed vt hoc explicetur magis, sit

DISPVTATIO SEPTIMA.

Vtrùm Deus clarè viſus ſub obiecto noſtri intellectus contineatur?

§. I.

Relatis ſententijs prima concluſio ſtatuitur.

Nu. I. *Senſus difficultatis aperitur.* DVplex obiectum noſtri intellectus ſolet ab Animaſticis diſtingui, aliud extenſiuum, aliud ſpecificatiuum; ſpecificatiuum eſt illud, quod ratione ſui ab intellectu attingitur; extenſiuum eſt illud, quod amplectitur omnia, quæ vel ratione ſui, vel ratione alterius poſſunt intellectu cognoſci. Rurſus ſpecificatiuum diuiditur in motiuum, quod ratione ſui, vel per propriam ſpeciem mouet potentiam, & illam determinat; & in terminatiuum, quod terminat actum cognitionis; & vtrùmq; in proportionatum, & in improportionatum diuiditur; primum tale vocatur, quia proprijs viribus poteſt ab intellectu noſtro cognoſci; ſecundum verò, ideò improportionatum vocatur, quia vt illud attingat, eſt neceſſaria eleuatio. Hoc ità præmiſſo, omnes Theologi in duobus conueniunt: primò in eo, quòd Deus, vt clarè viſus, intra obiectum extenſiuum noſtri intellectus continetur. Et ratio eſt manifeſta; quia vt ſic ab intellectu noſtro cognoſci, eſt de fide; & conſequenter vt clarè viſus, debet ſub extenſiuo obiecto contineri. Conueniunt ſecundò, in eo quod ſub obiecto proportionato non continetur; aliàs poſſet viribus proprijs Deum clarè videre. Diſcriminantur autem in eo, an videlicet ſub ſpecificatiuo obiecto intellectus creati contineatur?

2 *Prima ſententia.* Prima ſententia negat, Deum ſub obiecto ſpecificatiuo noſtri intellectus contineri, licèt contineatur ſub extenſiuo, vnde ſpecificatiuum obiectum noſtri intellectus in ente naturali creato conſtituit. Sic ſentiunt quidam, quos *Nazar.* ſupreſſo nomine refert Nazarius *in præſenti controuerſ.* 1. *Secunda.* Secunda diſtinguit inter motiuum, & terminatiuum obiectum, & aſſerit, Deum clarè viſum ſub terminatiuo contineri, non tamen ſub motiuo. Pro hac ſolent referri Suarez *Suarez.* *lib. 2. de attributis negatiuis capit. ſeptimo*, & Vazquez 1. *Vazq.* *p. diſput. 37. capit. 6.* Falsò tamen referuntur pro illa, Suarez namquè ſolùm ibi docet, Deum, vt clarè viſum, contineri ſub obiecto actuum naturalium noſtri intellectus, nec de motiuo vllam mentionem facit, ſicut nec Vazquez, qui ſolùm modo docuit, Deum contineri ſub adæquata ratione intellectus, nihil diſtinguens inter motiuum, & terminatiuum. *Tertia.* Tertia ſententia docet, contineri Deum ſub obiecto naturali intellectus creati. Ita P. *P. Arrub.* Arrubal 1. *p. diſput. 13. cap* 4. *Quarta.* Quarta, & vera ſententia diſtinguit inter proportionatum, & improportionatum, & affirmat, contineri ſub ſecundo, non verò ſub primo: iſtam *Bannez.* defendunt ſapientiſſimi Magiſtri Bañnez, & Zumel in præ- *Zumel.* ſenti. Nazarius. *contro.* 1. Albelda *diſput* 24. *ſect.* 1. *Nazar.* Collegium Salmanticenſ. *diſput.* 1. *dub.* 1. Pro cuius ex- *Albelda.* plicatione ſit. *Col. Sal.*

3 *Prima concluſ.* PRIMA CONCLVSIO. *Deus clarè viſus continetur ſub obiecto ſpecificatiuo noſtri intellectus, tàm motiuo, quàm terminatiuo, non tamen ſub naturali.* Prima pars concluſionis oſtenditur ſic primò; *Prima pars oſtenditur.* nulla potentia vitalis poteſt operari vitaliter, etiam de potentia abſoluta, vltrà ſuum ſpecificatiuum obiectum; at intellectus noſter ex Dei eleuatione poteſt videre, & de facto videt intuitiuè diuinam eſſentiam, vt conſtat ex dictis Diſputatione antecedenti; ergò continetur intrà ſpecificatiuum obiectum noſtri intellectus. Illatio eſt legitima. Minor eſt de fide. Et maior conſtat. *Minor conſtat 1.* Tùm primò; quia non alia ratione facultas videndi, non poteſt attingere Angelum, nec intellectus poteſt amare, aut voluntas intelligere, etiam inſpecta Dei abſoluta potentia; niſi quia Angelus eſt extrà obiectum ſpecificatiuum potentiæ viſiuæ, bonum extrà obiectum ſpecificatiuum intellectus, & verum extrà ſpecificatiuum voluntatis: ergo nulla vitalis potentia poteſt operando vitaliter terminos ſui ſpecificatiui obiecti tranſilire.

4 *Secundò.* Secundò: obiectum adæquatè ſpecificans, adæquat reſpectum eſſentialem potentiæ, per quem intrinſecè, & eſſentialiter conſtituitur: ergò idem erit extrà obiectum ſpecificatiuum exire, atquè exire extrà propriam eſſentiam; at hoc eſt omninò implicatorium. ergo & primum pariter implicabit. *Tertiò.* Tertiò, quidquid potentia vitalis actualiter reſpicit per actum vitalem, debet habitualiter eſſentialiter reſpicere: ergò vel primariò ſecundum propriam rationem; & conſequenter ſpecificabitur ab ipſo, vel ſecundùm aliquam rationem communem, à qua proindè ſpecificetur. Conſequentia tenet. Et antecedens in hunc modum oſtendo: actus vitalis ab intrinſeco debet procedere: ergò in intraneis potentiæ vitalis debet contineri; & conſequenter intrinſecùm reſpectum debet dicere ad actum per modum continentis ipſum; ſed reſpectus tendens ad actum, tranſit neceſſariò ad obiectum: ergo neceſſariò debet eſſentialiter reſpicere quoduis obiectum ad quod actualiter tendit per actum.

5 *Reſpondebis 1.* Reſpondebis primò; ſufficere, vt hæc omnia ſaluentur, quòd intrà obiectum extenſiuum contineatur, vt patet in ente rationis, quod à noſtro intellectu poteſt cognoſci; & tamen non continetur intrà obiectum ſpecificatiuum illius, quod eſt ens reale in communi metaphycorum ſententia, ſed ſolùm modo intrà extenſiuum. *Contra.* Sed contrà; obiectum, quod non participat rationem ſpecificatiuam noſtri intellectus, nec ſub illa continetur, non attingitur ab illo abſolutè, ſed ſolùm modo connotatiuè per habitudinem, & connotationem ad illud, à quo ſpecificationem deſumit, & per ſpeciem illius, vt in ente rationis conſpicitur, quod per ſpeciem entis realis cognoſcitur, & ad inſtar illius; at ſic eſt, quod Deus per viſionem beatificam, non connotatiuè videtur, nec per ordinem ad ens creatum, ſeù per connotationem ad illud, ſed abſolutè, & per propriam ſpeciem: ergò quia continetur non ſub extenſiuo, ſed ſub ſpecificatiuo noſtri intellectus obiecto.

6 *Reſpondebis 2.* Reſpondebis ſecundò, ad hoc, quod Deus clarè videatur, ſufficere, quod ens, quod in confuſo acceptum, ſpecificat noſtrum intellectum, reperiatur in Deo, licèt non ſub illa ratione, qua ſpecificat illum. Hanc ſolutionem inſinuat Suarez *loco allegato*, quod fuit cauſa, vt ſecunda ſententia ei adſcriberetur. Sed contrà; nam vel ens confusè acceptum ſpecificat intellectum creatum ſub aliqua ratione, cui repugnet, reperiri in Deo, vel non ità contingit ſi ſecundum dicatur: ergo iam continebitur Deus clarè viſus ſub obiecto ſpecificante intellectum creatum, formaliter captum, quatenus ſpecificat. Si aſſeratur primum, implicat, intellectum creatum eleuari ad illum videndum: ergo eſt inſufficiens tradita ſolutio,

Probo hanc minorem; potentia vitalis adæquatur in operando vitaliter cum suo specificatiuo quatenus tali: ergo cui specificatiuum illius formaliter acceptum repugnat, etiam repugnabit actum vitalem terminare talis potentiæ.

7 *Secundo prob. 1. pars conclusionis.* Secundo principaliter ostenditur prima pars conclusionis; obiectum specificatiuum nostri intellectus est ens in quantum ens; at Deus clarè visus continetur sub ente: ergo continetur sub obiecto specificatiuo. Minor cum consequentia tenet. Et maior probatur: tùm primò; quia intellectus noster attingere potest, & de facto attingit ens in quantum ens, sed non tanquàm inferius ad aliquam rationem communem, sub qua contineatur; cum sit vniuersalissimum omnium: ergo tanquàm superius continens omnia, quæ ab intellectu nostro possunt attingi; & consequenter tanquàm specificatiuum illius. Secundò; quia intellectus, eo ipso quòd immaterialis sit, est natus omnia fieri, cum materia sola sit, quæ limitat, & impedit receptionem aliarum formarum, vt probat D. Thomas 1. *p. q.* 14. *art.* 1. ergò ab illo specificabitur, quod omnia amplectitur, quæ potest cognoscere ratione sui, & per propriam speciem; at nulli alteri meliùs, quàm enti, hoc potest conuenire: ergo ens reale in tota sua amplitudine specificat intellectum nostrum.

8 *Respondebis.* Respondebis, admissa maiori principali, & minori, negando consequentiam: manifestè namque instatur in Deo, prout est comprehensionis obiectum, sic formando argumentum: Deus vt comprehensibilis continetur sub ente; at ens specificat intellectum nostrum: ergo continetur sub obiecto specificatiuo illius; & consequenter potest ab illo attingi: sicuti ergo non obstante, quod Deus, vt comprehensibilis, contineatur sub ente, à quo specificatur intellectus noster, non rectè infertur, contineri sub illo, vt specificatiuo, pariter in præsenti, consequentia non tenet.

Contra, & restauratur argumentum. Hac instantia conatur Herice, monstrare inefficacem esse nostram rationem. Cæterùm non consequitur, & vt illius efficaciam ostendam, & redarguentis fallacia innotescat, sic restauro factum argumentum. Obiectum à quo speciem desumit intellectus noster, non est ens quomodolibet, sed ens, vt finito modo attingibile; at sic est, quod Deus clarè, & quidditatiuè visus continetur sub ente, vt finito modo attingibili: secùs verò, vt comprehensibilis; cum prout sic petat infinitum cognitionis modum adæquantem modum cognoscibilitatis obiecti infiniti: ergo Deus vt clarè visibilis continetur sub specificatiuo nostri intellectus formaliter capto; secùs verò prout comprehensibilis.

9 *Minor suadetur.* Minorem in hunc modum ostendo; Deus vt quidditatiuè, & intuitiuè visibilis, non exposcit totum, quod petit, prout comprehensibilis sed summum quod ad sui comprehensionem desiderat, est, quod cognitio in modo tendendi sit infinita, & adæquans modum cognoscibilitatis sui: ergo ad sui quidditatiuam notitiam, id non exposcet, sed poterit quidditatiuè attingi, & attingi modo finito; & consequenter stabit sub ente, prout finito modo attingibili. Discursus tenet. Minor est nota, definitionem comprehensionis inspicienti, & maior constat in alijs obiectis; non enim formica ad sui quidditatiuam notitiam petit tantum, quantum ad sui comprehensionem desiderat; cum illam quidditatiuè possit homo cognoscere, secus comprehendere, & sic de alijs. Et insuper manifesta ratione suadetur; quidditatiua namque cognitio, supposito quod à comprehensiua distinguatur, vt omnes distinguunt, est imperfectior illa: ergo non exposcit totam perfectionem, quæ ad comprehensiuam desideratur.

10 *Si dicas.* Si fortè dicatur, specificatiuum nostri intellectus, non esse ens vt sic, prout finito modo attingibile, sed ens finitum attingibile modo finito, ex eo quod potentia non solùm habet modum finitum tendendi, sed etiam est quoad substantiam finita. *Contra.* In contrarium obstabit; quòd ens, prout abstrahens à finito, & infinito, prout finito modo attingibile specificare potest aliquam potentiam, sed vim intellectiuam; non increatam, & infinitam; cum huic repugnet modo finito suum obiectum attingere; ergo creatam, & finitam; & consequenter illam specificabit, quæ quamuis infinita non sit, excludat tamen materiam corpoream, qualis est intellectus creatus humanus, & Angelicus, qui ex eo quòd materialis non est, potest omnia intelligibiliter fieri, vt superiùs dicebamus.

11 *Secunda pars conclusionis probatur.* Secunda pars conclusionis ostenditur; ex eo Deus clarè visus sub obiecto terminatiuo intellectus nostri continetur, quia potest, prout in se ipso, illius cognitionem terminare; sed etiam potest ratione sui intellectum nostrum ad sui cognitionem mouere; ergo continebitur sub motiuo. *Minor probatur primò.* Probo minorem primò, ratione sui vnitur cum illo per modum speciei deseruientis ad sui cognitionem: at hoc, & nil aliud est mouere ratione sui. ergo potest, & de facto mouet ad sui cognitionem. *Secundo.* Secundo, idcircò Deus sub obiecto terminatiuo intellectus nostri continetur, quia potest conuenire cum alijs in modo terminandi spirituali, & finito; sed etiam conuenire potest cum alijs obiectis in modo finito mouendi: ergo continetur sub obiecto motiuo.

12 *Tertia pars probatur.* Tertia denique pars, quæ contrà P. Arrubal procedit, hac vnica ratione probatur; obiectum naturale nostri intellectus est illud, quod proprijs viribus potest attingere; at sic est, quod Deus clarè visus, nequit contineri sub obiecto connaturaliter ab illo attingibili, aliàs naturaliter posset illum videre, quod est hæreticum: ergo non continebitur sub obiecto naturali intellectus. *Si fortè dicatur.* Si fortè dicatur, maiorem esse falsam; quia obiectum naturale vocatur illud, quod specificat naturalem potentiam; cumque Deus, vt clarè visus sub obiecto specificante contineatur, consequens fit, quòd contineatur sub naturali. *Contra.* In contrarium obstat, quòd quàmuis sic explicata prælata sententia, nihil fidei præiudicans in illa asseratur, abutitur tamen terminis contrà communem vsum Theologorum, qui naturale obiectum pro eodem accipiunt, atque proportionatum: proportionatum autem intellectus obiectum est illud, quod proprijs viribus potest attingere; & consequenter idem significabit obiectum naturale, quare meritò displicuit modus loquendi Patris Arrubal alijs Theologis eiusdem familiæ, quamuis illius sententiam in bonum sensum interprætauerint.

13 *Si dicatur secundo.* Si dicatur secundò; ens confusè acceptum posse ab intellectu nostro naturaliter attingi, & quia Deus continetur sub illo, idcircò contineri dicitur, sub naturali obiecto, quàmuis prout in se naturaliter non possit videri. *Contra.* In contrarium obijcio, quod quàmuis Deus contineatur sub ente, quod in sui communitate naturaliter potest cognosci, non tamen continetur sub illo prout naturaliter cognoscibili in sensu formali, aliàs posset naturaliter ab intellectu nostro cognosci: ergo in sensu formali loquendo, qualiter virum Theologum decet, falsum est dicere, contineri sub naturali obiecto.

§. II.

Explicatur, sub qua ratione Deus intrà obiectum intellectus nostri continetur.

14 *Secunda conclusio.* Secunda conclusio. *Deus, vt clarè visus non continetur sub obiecto specificatiuo intellectus humani secundum vltimam differentiam illius, benè tamen sub obiecto specificante rationem communem intellectui humano, & Angelico.* Sic explico, & intelligo mentem Thomistarum, & antequam positam conclusionem confirmem, est animaduertendum, posse intellectum nostrum duplici consideratione meditari. Primò, secundum vltimam sui differentiam, secundum quam, vt videbimus, essentialiter ab Angelico discriminatur. Secundò considerari potest secundum rationem intellectus creati, prout sic Angelico, & humano communem. Rursus ista ratio communis vtrique, duplici consideratione partitur. Primò enim considerari potest secundum vim proximè actiuam cum actu eliciendo immediatè proportionatam. Secundò meditari potest secundum vim remotè, & obedientialiter actiuam respectu obiecti proprijs viribus improportionati; asserit ergò prior pars conclusionis, Deum clarè visum non contineri sub obiecto intellectus humani secundum vltimam differentiam illius, qua distinguitur ab Angelico; posterior verò affirmat, contineri sub obiecto eiusdem secundum rationem communem vtrique non secundum vim proximè actiuam, benè verò secundum obedientialem potentiam actiuam remotè, & mediatè, quæ vtrique est communis.

15 *Prima pars conclusionis prob. 1.* Moueor ad primam partem conclusionis primò; quia intellectus humanus essentialiter differt ab intellectu Angelico: ergo obiectum specificatiuum intellectus humani secundum vltimam differentiam illius essentialiter differt ab obiecto intellectus Angelici, secundum quod Angelicus est. Tenet consequentia ex communi axiomate asserente, potentias ab obiectis speciem desumere, ex quo cuidem-

denter sequitur, potentias essentialiter differentes ab obiectis simili essentiali differentia gaudentibus specificari debere. Tùm sic vlteriùs procedo; Deus, vt claré visus nequit contineri formaliter sub obiecto essentialiter diuerso ab obiecto intellectus Angelici: ergo nequit contineri formaliter sub obiecto intellectus humani, vt humani illius vltimam differentiam specificante. Consequentia est euidens. Minor autem in hunc modum monstratur: obiecta contrahentia rationes communes essentialiter differentes, & sub illis contenta, non possunt non essentiali distinctione secerni, ea namquè, quæ differunt genere, à fortiori differunt specie; sed Deus vt claré visibilis ab homine, non differt essentialiter à se ipso, prout claré visibili ab Angelo; cum clara visio beatifica vtriusquè sit eiusdem speciei: ergò Deus prout obiectum visionis beatificę hominis nequit contineri formaliter sub obiecto essentialiter diuerso ab obiecto specificante intellectum Angelicum; & consequenter minor assumpta est vera.

16 Dupliciter solet occurri huic argumento. Primò, negando primum antecedens; quoad scilicet intellectus Angelicus, & humanus differant specie essentiali ad minùs in ratione potentiæ, estò essentialiter, distinguantur in ratione proprietatis. Considerant istius solutionis Patroni prædictas potentias dupliciter, primò per comparationem ad obiectum, sub qua ratione, subinduunt conceptum potentiæ. Secundò, per respectum ad naturas, à quibus dimanant, sub qua comparatione rationem proprietatis sub induunt, & quia obiectum, vt inquiunt, est idem, quod inspicitur ab vtraquè potentia, idcircò asserunt, in ratione potentiarum non distingui essentialiter; quia verò naturæ, à quibus tales potentiæ dimanant, sunt distinctæ essentialiter, pariter, & ipsæ potentiæ in ratione proprietatum essentiali gaudent distinctione. Ita PP. Salmanticenses in præsenti. Secundò, alij extrà Scholam Diui Thomæ respondent, visionem beatificam hominis essentialiter à visione beatifica Angeli distingui; & consequenter Deus in ratione visibilis ab homine, differt essentialiter obiectiuè à se ipso, vt claré visibili ab Angelo.

Respondetur 1.

Secundò.

17 Neutra tamen ex his solutionibus argumento facto satisfacit, & aduersus primam in hunc modum insurgo; non stat prædictas potentias in ratione proprietatum distingui, & naturas à quibus dimanant, non distingui inter se distinctione essentiali in ratione naturarum; sed natura definitur per hoc, quòd sit principium motus: ergo naturæ intellectuales essentialiter distinctæ in ratione naturæ, debent respicere motus intellectuales essentiali distinctione gaudentes; at qui eo ipso, quòd motus intellectuales essentialiter distinguantur, non possunt non distingui essentialiter potentiæ proximæ, etiam in ratione potentiæ; cum vt sic speciem proximè desumant ex actibus: ergo de primo ad vltimum stare non poterit cum distinctione essentiali illarum potentiarum in ratione proprietatis, conuenientia specifica inter illas in ratione potentiæ.

Prima solutio impugnatur.

18 Si fortè dicatur, quòd naturæ prædictæ non distinguuntur essentialiter in ratione naturæ in sensu formali, prout natura est principium motus, sed solùm materialiter, & per ordinem ad existentiam. Obstat in contra primò; quòd iam non saluatur, intellectum Angelicum, & humanum differre essentialiter in ratione proprietatis, hæc namquè desumitur per ordinem ad naturam, à qua dimanat formaliter considratam in ratione naturæ; & consequenter si distinctio non sit in natura sub formali consideratione naturæ, non poterunt potentiæ illæ distingui in ratione proprietatis distinctione essentiali. Secundò; ratio naturæ, vel non distinguitur à ratione entitatis, vel in ratione entitatis fundatur: ergo si natura Angelica, & humana in ratione entitatis essentialiter distinguuntur, etiam in ratione, & linea naturæ essentialiter debent distingui in sensu formali.

Si fortè dicat.

Contra 1.

Secundò.

19 Tertiò, in linea sensitiua eo ipso, quòd detur differentia specifica in ratione entis inter aliqua, necessariò datur inter eadem distinctio specifica in linea, & conceptu naturæ sensitiuæ; quiò circa etsi aliquandò detur conuenientia in aliquibus proprietatibus consecutis ad genus, vt de potentijs exterioribus bruti, & hominis probabiliter à multis docetur; dantur tamen aliæ potentiæ consecutæ ad gradus differentiales, quæ essentialiter inter se distinguuntur, vt de interioribus sensibus vtriusquè solet doceri: ergo pariter in linea intellectuali est dicendum, quod distinctionem entitatiuam, necessariò concomitetur distinctio formalis in ratione intellectualis naturæ; & consequenter distinctæ potentiæ, quæ ad specificum gradum consequantur: ac proindè si intellectus, & voluntas Angeli non distinguuntur ab intellectu, & voluntate hominis, erunt necessariò assignandæ aliæ potentiæ consecutæ ad gradus specificos distinctæ essentialiter; at istæ potentiæ assignari non possunt: ergo in intellectu, & voluntate talis distinctio debet constitui: Explicatur hoc amplius, immaterialitas est ratio à priori intellectualitatis actiuæ per modum radicis, vt probat D. Th. *infra quæst. 14. art. 1.* at in Angelo, & homine est diuersa immaterialitas essentialiter: ergo & diuersa essentialiter radix actiua intellectualitatis proximæ, in qua formaliter ponitur ratio intellectualis naturæ.

Tertiò.

Explicatur amplius.

Secunda solutio faciliùs euertitur; visio namquè beatifica, tàm in Angelico, quàm in humano intellectu procedit ab eodem principio, nempè, à lumine gloriæ, quod vt *infra* ostendemus, est adæquata proxima ratio agendi; at actiones diuersæ speciei petunt principia proxima specie diuersa, cum ab illis speciem desumant, saltem in genere causæ efficientis: ergo visio beatifica hominis nequit ab Angelica differre essentialiter, sed specificè athomè cum illa conuenire debet. Et vrgetur hoc ampliùs, circà obiecta distincta essentialiter idem habitus specie nequit versari, sed circa obiectum visionis beatificæ hominis, & Angeli versatur habitus luminis gloriæ idem secundum speciem: ergo in obiecto vtriusquè essentiale discrimen nequit constitui. 20

Secunda solutio reijcitur.

Secundò moueor ad primam conclusionis partem; ex eo quòd obiectum distinguens intellectum humanum ab Angelico, non est ens quoad substantiam, sed prout terminat talem modum tendendi, per discursum videlicè, qui modus tendendi Angelo repugnat; sed Deus vt visibilis claré non continetur sub ente, vt attingibili per discursum ab intellectu humano: ergo non stat formaliter sub obiecto intellectus humani, ea ratione, qua illum ab Angelico intellectu distinguit. Illatio tenet. Maiorem suppono: & minor constat; Deus namque non videtur discursiuè ab homine per visionem claram, nec in illa discurrit: ergo vt claré visibilis non continetur sub ente, prout per discursum est attingibile in sensu reduplicatiuo, & formali. 21

Secundò prob. 1. pars conclusionis.

Tertiò, Deus vt claré visibilis non continetur sub obiecto intellectus humani, quatenùs est naturalis potentia; aliàs naturaliter posset videri ab homine, sed prout obedientialis; at in obedientiali potentia omnino conueniunt absq; vllo essentiali discrimine intellectus hominis, & Angeli: ergo non continetur sub obiecto specificante vltimam differentiam intellectus humani. Minor, in qua est difficultas, probatur sic primò, quia secundum obedientialem potentiam eodem modo tendit vterquè intellectus in suum obiectum: ergo in illa non differunt. Secundò; formæ, quibus vterquè intellectus actuatur secundùm obedientialem potentiam, sunt in vtroque eiusdem speciei, vt constat in lumine gloriæ, & in alijs; actus etiam ab vtroquè eliciti diuersitate essentiali non gaudent, vt in visione beatifica, & actu caritatis conspicitur: ergo obedientialis potentia eiusdem speciei athomæ est, absquè vlla diuersitate essentiali in vtroquè intellectu. 22

Tertiò.

Minor probatur primò.

Secundò.

Ex quibus per euidentem consequentiam infertur secunda pars nostræ conclusionis, Deus, vt claré visus continetur sub obiecto nostri intellectus; aliàs non posset ab illo videri, vt ostendi in prima conclusione; at non continetur sub obiecto illius secundum vltimam sui differentiam, vt constat ex dictis: ergo debet contineri sub obiecto intellectus humani secundum aliquam rationem communem humano, & Angelico, non secundum vim proximè actiuam intelligendi, quæ est genericè communis vtriquè: ergo secundum obedientialem potentiam, quæ est eiusdem speciei athomæ in vtroque intellectu. 23

Secunda pars conclusionis probatur.

§. III.

Argumenta contrà primam conclusionem diluuntur.

ARguitur primò contrà primam conclusionem; Deus, & creatura non possunt conuenire vniuocè in aliquo, vt multis locis ostendit Angelicus Doctor; sed obiectum intellectus humani, debet esse commune vniuocè omnibus contentis sub illo; cum potentia gaudeat vnitate specifica ab ipso desumpta: ergo nequit Deus sub obiecto intellectus humani vlla ratione contineri. Huic argumento non vno modo respondetur à Theologis, Moderniores quidam ex PP. Societatis respondent, negando specificationem potentiæ 24

Arg. 1.

Prima solutio alia.

quorum Modernio-rum Socie-tatis. Probant, primo.

tentiæ desumi debere ab aliqua ratione communi vllo modo omnibus, quæ à potentia possunt attingi, quod sibi persuadent dupliciter. Primò, à priori, vt aiunt, quia ordo transcendentalis potentiæ, petit terminum realem independentem à negotio intellectus fingentis; sed communitas cuiusuis rationis communis, fit per intellectum contingentem, nec à parte rei datur vniuersale vt docetur à Logicis: ergò specificatio potentiæ, nequit desumi ab aliqua ratione communi omnibus, quæ à potentia possunt attingi.

25 Et confirmant hoc ipsum: quia aliàs sequeretur, respectum potentiæ esse præcisiuum rationis communis à particularibus; consequens est falsum: quia hoc, quod est vnum præscindere ab alio, est proprijssimum actus intellectus: ergo idem quod priùs. Probant sequelam; specificaretur à ratione communi, & non à particularibus: ergo tenderet in rationem communem, quin per suum respectum particularia attingeret; & consequenter illam præscinderet. Secundò; quia repugnat potentiam sub transcendentali respectu respicere proprium obiectum in statu, in quo illud nequit attingere; sed potentia visiua, v.g. non potest attingere coloratum in communi, sed necessariò erga indiuiduũ coloris in particulari debet versari: ergo repugnat illi à colorato in communi speciem desumere.

Confirmatur. Secundo suadetur

26 Secundò respondent sapientissimi M. Bannez, & Zumel vbi suprà, negando minorem: quòd scilicet, specificatiuum potentiæ debet vniuocam vnitatem habere, sed analogam vnitatem sufficere. Quod sibi persuadent, ex eo quòd forma potest, id, quod non habet præstare alteri; albedo namque album facit, quin alba sit; at obiectum præstat potentiæ vnitatem in genere causæ formalis extrinsecæ: ergo potest illam dare potentiæ, quin vniuoca gaudeat vnitate. Tertiò respondet Mag. Albelda, quòd etsi Deo, & creaturis repugnet conuenientia vniuoca in ratione entis, non tamen repugnat, quod conueniant vniuocè in ratione obiecti, & cognoscibilis. Quartò alij respondent, distinguendo inter rationem *qua*, & rationem *sub qua* obiecti intellectus humani: asserunt ergo non requiri conuenientiam vniuocam in ratione *qua*; benè tamen in ratione *sub qua*, & in hac non repugnat conuenire vniuocè Deum, & creaturam, quia non est intrinseca, sed extrinseca quædam denominatio. Ita PP. Salmanticenses in præsenti.

Secunda solutio. Tertia. Quarta.

27 Cæterum nulla ex his solutionibus argumento satisfacit, non prima, ex eo quod negari non potest, aliqua posse attingi à potentia, v.g. visiua, & alia non posse, quod ipsum in alijs potentijs contingit; at huius discriminis nulla ratio esse potest, nisi quia illa conueniunt in aliquo, in quo non conueniunt alia, quæ à tali potentia attingi non possunt: ergo specificatio potentiæ ab illo, in quo conueniunt, debet desumi. Nec motiua in oppositum vrgent.

Prima solutio impugnatur.

Ad primum respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: communitas Logica formaliter sumpta, concedo minorem: sumpta pro fundamento remoto, nego minorem, & distinguo consequens eodem modo: itaq; quando à Thomistis asseritur, potentiam specificari debere ab aliqua ratione communi, non intelligitur, quod specificetur ab illa, prout est Logicè vniuersa is, quod definitur, quod sit *vnum in multis*, in quo decipiuntur auctores oppositi, sed quod specificatur à pluribus, prout à parte rei, non secundum quod differunt, sed vt similia sunt inter se; licet autem vnitas hominis, & coloris per intellectum fiat, similitudo autem inter duos homines, & colores à parte rei saluatur. Ad confirmationem respondeo; solùm inferri, esse præcisiuam negatiuè, quatenus specificatur ab eo, in quo assimilantur, & non ab illo, in quo distinguuntur; non autem infertur, esse præcisiuam positiuè per separationem rationis communis à rationibus particularibus.

Ad 1. eius motiuum respond. Ad confirmationem.

28 Si opponas; ex eo intellectus per suos actus positiuè præscindit vnum ab alio, quia repræsentat, & attingit vnum alio non attacto, seù repræsentato, v. g. hominem in communi, absque differentijs indiuidualibus; ergo si transcendentalis ordo potentiæ specificatur à ratione in qua conueniunt, & non ab illo, in quo discriminantur, positiuè præscindet. Respondeo, intellectum idcircò præscindere positiuè vnum ab alio, quia taliter per actum suum attingit, v.g. hominem in communi, quod ex vi illius actus, nec primo, nec secundo attingit singularia: ordo autem potentiæ v g. visiuæ, etsi primò attingat rationem colorati, in qua omnia colorata conueniunt, materialiter tamen, & secundò etiam tendit in colorata in particulari. Ad secundum ex dictis constat solutio; licèt namquè coloratum in communi abstractum nequeat attingere potentia visiua, potest tamen videre hoc, & illud coloratum ratione coloris, in quo omnia colorata conueniunt.

Si insurges. Respondetur. Ad 2. motiuum solutionis.

Secunda solutio, etsi veritati proximiùs accedat, non tamen veritatem attingit; licèt namquè obiecta alicuius potentiæ, secundum se possint maxima distinctione gaudere, in modo tamen terminandi, & immutandi potentiam, quam specificant, omnimodam conuenientiam debent habere; at sub hac, & non alia ratione specificant: ergo in ratione specificantis potentiam, non possunt analogica solùm conuenientia gaudere. Probo maiorem; eo ipso, quod solùm analogicè in ratione terminandi, & mouendi potentiam conueniant, debent diuersimodè terminare, & immutare: ergo eandem potentiam non specificabunt. Antecedens est certum, & consequentiam probo: quia non ex alio capite distinctio potentiarum desumitur, nisi ex diuerso modo terminandi, & immutandi. 29

Secunda solutio impugnatur.

Tertia solutio impugnatur, ex eo quod, si Deus, & creatura in ratione cognoscibilis conuenirent vniuocè, daretur in Deo compositio metaphysica ex cognoscibilitate in communi, & tali cognoscibilitate; at hoc repugnat, vt alibi à Thomistis docetur: ergo & doctrina traditæ solutionis. Secundò, quia non minùs transcendit cognoscibile *vt sic*, omnia cognoscibilia, quam ens omnes differentias entis; at ob hanc causam non stat conuenientia vniuoca creaturæ cum Deo in ratione entis: ergò nec stabit etiam in ratione, & linea cognoscibilis. Quarta exindè reijcitur; quod falsò nititur fundamento; ratio namq; *sub qua* obiecti intellectus, vel est entitas, vel cognoscibilitas, seu ratio veri; at vtrumq; est intrinsecum, & non extrinseca denominatio: ergo si vniuocè conueniunt Deus, & creatura in ratione *sub qua*, conuenient vniuocè in aliquo intrinseco. 30

Tertia solutio impugnatur primo. Secundo. Quarta solutio impugnatur.

Pro vera igitur solutione argumenti facti est animaduertendum, rationem veri, à qua intellectus speciem desumit, considerari posse dupliciter. Primò in ratione specificantis intellectum, & per comparationem ad illum. Secundò, potest meditari secundum propriam rationem veritatis, prout ad sibi inferiora comparatur, & hoc secundo modo est analoga. Primo autem modo habet omnimodam vnitatem, cuius ratio est; quia licèt in ratione veri includatur diuersitas, & explicetur vnitas: intellectus autem ad sui specificationem non respicit illam adæquatè, prout dicit vnitatem, & diuersitatem, sed solùm secundum vnitatem, quam explicat; aliàs vbi diuersitas illa implicata non inueniretur, nec specificatiuum intellectus posse reperiri; cumquè veritas non specificet intellectum, nisi sub ea ratione, sub qua à potentia inspicitur; consequens fit, quod tota illa diuersitas omninò materialiter se habeat ad specificationem. Quo posito ad argumentum factum respondetur quòd licet Deus, & creatura, nec in ratione entis, nec in ratione veri possint vniuocè conuenire; in ratione tamen specificatiui intellectus cum omnimoda vnitate adunantur. 31

Vera solutio argumenti.

Sed oppones primò; ratio veri specificat, prout est ratio veri; sed prout sic est analoga, & transcendens veritatem creatam, & increatam: ergo sub ratione specificantis, est analoga, & transcendens. Secundò, ratio veri sub conceptu specificantis, est vna vniuocè: ergo vel generica, vel specifica; at Deo, & creaturis, in nullo esse intrinseco, & reali, potest dari quid commune vniuocum specificè, vel genericè: ergo nec in ratione specificantis possunt absquè diuersitate conuenire. Ad primum respondeo, distinguendo maiorem: specificat ratio veri secundum conceptum explicitum, concedo maiorem: quomodòlibet sumpta, nego maiorem, & distinguo minorem: eodem modo, est transcendens cum sua expressione, nego minorem: absolutè sumpta, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaquè ratio veri, quando sibi inferiora transcendit implicatur in illis; cumquè ad specificationem concurrat secundum proprium conceptum secundum expressionem, quam dicit; consequens fit, quod in ratione specificantis potentiam, non sit transcendens, & quòd hoc sit verum, constat apertè, ex eo quòd de homine non verificatur, quòd specificet intellectum, nec de Deo, & sic de alijs, sed solùm quòd sub specificatiuo contineantur; si autem ratio specificantis transcenderet, formali prædicatione, deberet de omnibus sibi inferioribus prædicari. 32

Oppones primo. Secundo. Resp. ad primum.

Ad secundum respondeo, rationem veri, sub conceptu specificantis, nec vnitatem vniuocam, nec analogam sortiri; quia hæc est diuisio vnitatis illius, quod se habet per 33

Ad secundum.

mo-

modū prædicati superioris ad sibi inferiora, de quibus prædicatur; verum autem, quatenus specificans, non sic prædicatur, vt *dixi*; & idcircò, prout sic, nec vniuocam, nec analogicam habet vnitatem, sed est vnum numericè vnitate totius collectiuè amplectentis omnia, quæ intellectus potest attingere; vndè specificatur intellectus à tota collectione illorum, quæ attingere potest, non secundum sibi proprias rationes, sed secundum rationem entitatis, seu veritatis, pro eo quod explicant in proprijs conceptibus.

34 *Secundò arguitur.* Secundò principaliter arguitur: intellectus creatus est potentia adæquatè naturalis; sed si Deus vt clarè visibilis, sub illius obiecto contineatur, non poterit non esse, saltem partialiter, & inadæquatè supernaturalis: ergo non continetur. Maior videtur constans, ex eo quod adæquatè sequitur ad rationalem naturam: ergo est adæquatè naturalis potentia. *Minor probatur primò.* Minor autem probatur dupliciter: primò, ex eo est naturalis potentia, quia respicit pro inadæquato obiecto aliquid naturale: ergo pariter supernaturalis erit, si pro inadæquato obiecto Deum clarè visum respiciat. *Secundò.* Secundò; nihil naturale potest connexionem habere cum ente supernaturali; at si Deus clarè visus sub obiecto nostri intellectus contineatur, habebit connexionem cum illo, & insuper cum illius clara visione, & exposcet vtrumq; cum quæuis potentia cum suis actibus, & obiectis connexionem obtineat: ergo ex eo euadere debet supernaturalis, saltem inadæquatè.

35 *Respond.* Ad hoc argumentum respondetur, quod si de intellectu in ratione potentiæ formaliter loquamur, falsa est maior, quod scilicet, sit potentia adæquatè naturalis, sed est partem naturalis, & partem obedientialis potentia: potentia namq; naturalis dicitur in ratione potentiæ, in quantum proprijs viribus aliquod obiectum attingere potest; cumquè intellectus noster non sit naturaliter potens attingere suum adæquatum obiectum, non est dicendus potentia naturalis adæquatè, sed naturalis respectu obiecti, quod proprijs viribus valet attingere, respectu verò superexcedentis obiecti, non naturalem, sed obedientialem habet potentiam, quæ in sententia aliquorum est supernaturalis intrinsecè, in aliorum verò, & veriori intrinsecè est naturalis, & terminatiuè supernaturalis. Si autem de intellectu nostro in esse entitatiuo loquamur, concedo maiorem; quod scilicèt, sit entitas adæquatè naturalis, & nego minorem.

36 *Ad 1. minoris probationem.* Ad cuius primam probationem respondeo; non ideò solùm esse naturalem respectu naturalis obiecti, quia illud inadæquatè respicit, sed quia respicit cum proportione, vt illud attingat ex proprijs viribus; at verò Deum clarè visum non respicit cum tali proportione, sed mediatè, remotè, & improportionatè, & idcircò non participat supernaturalitatem intrinsecam, sed solùm extrinsecam, & terminatiuam.

Ad secundam. Ad secundam minoris probationem dicatur: ens naturale non posse connecti cum supernaturali, vt existenti, quod autem cum illo, vt possibili habeat connexionem, nullum est inconueniens: ex eo autem, quòd Deus clarè visus sub obiecto intellectus nostri contineatur, solum infertur, habere connexionem cum clara illius visione, vt possibili.

37 *Si opponas 1.* Si opponas primò; status possibilitatis repugnat Deo: ergo non stat connecti potentiam cum illo, vt possibili, sed si connectitur, debet esse cum illo, vt existente. *Secundò.* Secundò, quæuis potentia petit ad suum actum aliquandò reduci, & aliquando suum obiectum attingere: ergò si Deus sub obiecto intellectus nostri contineatur, connectetur cum illius clara visione, etiam vt aliquando extitura. *Tertiò.* Tertiò, eo ipso, quod intellectus noster cum clara Dei visione, vt possibili connectatur, illius actualis productio non erit suprà exigentiam omnium naturalium causarum; quod enim vt possibile exigitur, est, vt aliquando existat: ergo supernaturalis non erit.

38 *Resp. ad 1. replicam.* Ad primam, concesso antecedenti, distinguatur consequens: formaliter, & ex vi connexionis potentiæ ad obiectum, nego consequentiam: Materialiter ob repugnantiam Deo conuenientem, concedo consequentiam. Itaq; potentia ex vi sua solùm exposcit possibilitatem obiecti, vndè si illi repugnet possibilitas, & necessariò existentiam exposcat, hoc erit vltrà exigentiam ipsius potentiæ. *Ad secundam.* Ad secundam, distinguo antecedens: quando talis potentia est proportionata cum actu, concedo antecedens: quando improportionata, qualiter in præsenti contingit, nego antecedens, & nego consequentiam. *Ad tertiā.* Ad tertiam respondeatur, negando antecedens: tunc enim solùm productio vnius ab altero exigitur, quando in illius possibilitatem positiuè inclinat, & cum illa connectitur connexione proportionata: secùs verò quando solùm cum illo connectitur per non repugnantiam, & connexione improportionata: potentia autem intellectiua solùm improportionatè, & per non repugnantiam cum possibilitate visionis connectitur, vt *inferius* videbimus.

Tertiò ad idem arguitur; comprehendens aliquam potentiam, necessariò debet cognoscere illius specificatiuum obiectum, & contenta sub illo; sed Angelus naturaliter comprehendit intellectum humanum, & non cognoscit ex viribus naturæ euidenter, Deum clarè visum suo illius obiecto contineri; aliàs naturaliter euidenter cognosceret possibilitatem visionis beatificæ, quod tamen est falsum: ergo Deus vt clarè visibilis suo obiecto intellectus nostri non continetur. 39 *Tertiò arguitur.*

Respondetur, veram esse maiorem: si comprehensio sit adæquata: secùs verò si non adæquata sit: Angelus autem licèt comprehendat intellectum humanum, non tamen illum adæquatè comprehendit absolutè, sed solùm adæquata comprehensione naturali, idest, comprehendit intellectum humanum secundum potentiam naturalem, quam habet: non autem secundum potentiam obedientialem; quia licèt ista sit naturalis entitatiuè, est tamen terminatiuè supernaturalis, & idcircò sub comprehensione Angeli naturali non continetur, cumquè Deus non contineatur sub obiecto intellectus creati, prout est naturalis potentia, sed solùm prout obedientialis; consequens fit, quòd Angelus comprehendens illam non debeat cognoscere, Deum clarè visum sub ipsius obiecto contineri: ac proindè nec visionis possibilitatem. *Respondetur.*

§. Vltimus.

Cæteris argumentis contrà secundam conclusionem occurritur.

QVartò arguitur contrà secundam conclusionem; si Deus clarè visus non contineretur sub obiecto specificante vltimam differentiam intellectus humani, non posset ab illo clarè videri; at hoc est falsum: ergò & quod non contineatur sub illo, prout sic. Minor cum consequentia tenet. Et maior probatur; idcircò Angelus nequit videri ab oculo corporeo, quia non continetur sub obiecto vltimæ differentiæ illius: ergo si Deus clarè visus non continetur sub obiecto vltimæ differentiæ intellectus humani, non poterit ab illo clarè videri. Respondetur, negando sequelam. Ad illius probationem, nego causalem; sed idcircò nequit Angelus à visu corporeo videri, quia nulla ratione sub obiecto illius continetur: Deus autem clarè visus, etsi non contineatur sub obiecto nostri intellectus secundum vltimam differentiam illius, continetur sub eius obiecto secundum obedientialem potentiam mediatè actiuam, in qua conuenit cum intellectu Angeli, vt superiùs dicebam. 40 *Quartò arguitur.* *Respondetur.*

Si opponas primò; peti principium in hac solutione; huius namquè ratio disquiritur, cur Angelus non contineatur sub obiecto potentiæ obedientialis potentiæ visiuæ, Deus verò sub obiecto potentiæ obedientialis intellectus creati contineatur? Cuius discriminis nulla ratio poterit assignari, nisi quia Angelus non clauditur sub obiecto potentiæ visiuæ secundum vltimam differentiam sui, Deus verò sub obiecto vltimæ differentiæ intellectus creati continetur: ergo hoc negato, nulla restat discriminis ratio, & manifestè petitur principium. Secundò sonus non potest percipi à potentia visiua; & tamen continetur sub obiecto specificante rationem genericam potentiæ materialis, quæ est communis visui, & auditui: ergo si Deus clarè visus non continetur sub obiecto vltimæ differentiæ intellectus humani, etiam si sub obiecto rationis intellectus creati communis humano, & Angelico claudatur, non poterit ab humano intellectu clarè videri. Discursus tenet. Maior est certa, & probo minorem: obiectum specificans conceptum genericum potentiæ sensitiuæ est sensibile in communi acceptο, clauditur sonus: ergo continetur sub obiecto rationis genericæ vtriusque potentiæ. 41 *Opponitur primò.* *Secundò.*

Ad primam replicam respondetur, rationem à priori assignari non posse, quia fallimur in essentijs rerum; à posteriori tamen inde colligimus Deum clarè visum sub obiecto obedientialis potentiæ intellectus humani contineri, quia 42 *Resp. ad 1. replicā.*

imperfectè cognitus sub obiecto vltimæ differentiæ illius continetur; & quamuis ex hoc principio euidenter non inferatur, probabiliter tamen colligitur; at verò Angelus, nec etiam vt imperfectè cognitus continetur sub obiecto visus secundùm suam vltimam differentiam: ac proindè, vt perfectè attingibilis, sub obiecto potentiæ obedientialis illius nequit contineri.

Ad secundum. Ad secundam respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam, & ratio discriminis est; quòd sonus non continetur sub obiecto specificante rationem aliquam specificè communem visui, & auditui, sed solùm genericè; at verò Deus clarè visus continetur sub obiecto obedientialis potentiæ, quæ est vna specificè athomè in humano, & Angelico intellectu. Vt autem à potentia obiectum valeat attingi, non sufficit prima continentia, bene tamen secunda: quia ratio generica non tendit in obiectum, nisi vt contracta per rationem differentialem. Vndè si differentiæ repugnet tendentia in aliquod obiectum, non poterit à ratione generica attingi: in homine autem est duplex potentia ratione distincta, & obedientialis, nempè, & naturalis, quarum quælibet est vna specie athoma; vndè quamuis nequeat Deum videre ratione naturalis, potest tamen ratione obedientialis.

43 Vltimò contrà eandem conclusionem arguitur; potentia obedientialis intellectus humani nequit specificari à *Vltimum* Deo clarè viso, seù ab obiecto supernaturali: ergò si Deus non continetur sub obiecto specificante vltimam differentiam intellectus humani, nullatenus sub illius obiecto continetur. Consequentia tenet. Antecedens probatur duplicìter. Primò; si speciem desumeret ab obiecto supernaturali, esset supernaturalis intrinsecè; at hoc est falsum: ergo non specificatur ab illo. Secundo; quia altàs non solùm ratione, sed etiam realiter à naturali potentia intellectus distingueretur; consequens est falsum: ergo, & antecedens. Probatur sequela; potentiæ specificatæ ab obiectis, & actibus realiter distinctis, realiter distinguuntur; at sic darentur actus, & obiecta realiter distincta: ergo realiter differrent dictæ potentiæ. *argumentum. Antecedens probatur 1. Secundo.*

Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem aliqui concedunt sequelam, sed meliùs ab alijs negatur, nec illam probatio ibi facta conuincit, quia vt supernaturalis euaderet ex supernaturali obiecto, debebat proportionatè tendere, & respicere illud, non autem sic tendit, sed improportionatè, & idcircò supernaturalitatem intrinsecam non capit ex ipso. Et ex hoc ad secundam respondeo; tunc solùm potentias realiter distingui per actus, quandò proportionatè illos respiciunt: potentia autem obedientialis non respicit actum supernaturalem proportionatè; vndè sicuti ex hoc non participat supernaturalitatem ab illo; pariter etiam, nec realem accipit distinctionem. Et hæc de ista disputatione. 44 *Respondetur ad 1. prob. antecedētis. Ad secundam.*

DISPVTATIO OCTAVA.

Vtrùm sit in homine naturalis appetitus innatus ad visionem claram diuinæ essentiæ?

§. I.

Relatis sententijs vera eligitur, & probatur.

Nũ. 1. *Appetitus sententiis difficultatis.* Appetitus naturalis innatus nihil est aliud, quàm propensio, seù pondus naturæ, siuè accidentalis, siuè substantialis in propriam perfectionem, qui omnem actum elicitum præuenit, & sequitur ad naturalem formam, estquè omnibus rebus, siuè animatis, siuè inanimatis communis: lapis namquè, & omne graue ex propria natura in locum deorsum propendunt, leue in locum sursum, & sic de alijs; interquem, & elicitum appetitum septem differentias assignat Caietanus 1. *p. q.* 19. *art.* 1. & cum natura ad aliquam perfectionem possit comparari dupliciter, vel vt potentia solùm receptiua sicuti se habet humana natura respectu habitualis gratiæ, vel vt actiua, sicuti intellectus ad visionem, homo ad generationem comparatur, duplex est appetitus innatus, alter actiuus, consistens in propensione potentiæ actiuæ ad suam perfectionem, alter verò passiuus, consistens in pondere receptiuæ potentiæ ad perfectionem. Inquirimus ergò in præsenti, an homo ex propria natura in Dei claram visionem propendat, quod in idem venit, ac quærere, vtrùm Deus clarè visus sit finis naturalis hominis? si namque finis naturalis hominis sit, dabitur in homine appetitus naturalis in illum, vt clarè videndum, si verò non sit finis naturalis illius, talis appetitus relegandus erit.

2 In qua difficultate omnes Theologi in duobus conueniunt, & in alio discriminantur, conueniunt primò, in eo quòd in natura humana est capacitas ad claram Dei visionem, sicuti, & ad alia dona supernaturalia, quod probat D. Thomas 1. 2. *q* 113. *art.* 10. *in argum. Sed contra*, ex Augustino *lib. de prædestinatione Sanctorum cap.* 5. non procul à fine, afferente: *Posse habere fidem, sicùt posse habere charitatem, naturæ est hominis*, quæ capacitas obedientialis dicitur iuxta communiorem Theologorum sententiam. Conueniunt secundò in eo, quòd Deus clarè visus non est finis naturalis hominis quoad assecutionem, idest, non posse ab homine proprijs naturæ viribus assequi, sed ad id indigere Dei adiutorio, & eleuatione per gratiam, quod tanquàm de fide certum tradunt omnes Theologi cum Doctore Angelico *infra art.* 4. Discriminantur autem in eo, an videlicèt Deus clarè visus, estò, non sit finis naturalis hominis quoad assecutionem, sit tamen naturalis quoad inclinationem? & an capacitas illa, quam nos obedientialem potentiam vocamus, sit naturalis appetitus dicenda, vel naturalem appetitum fundet in ordine ad visionem claram diuinæ essentiæ, prout est in se ipsa? Et in quatuor partiuntur sententias. *In quo conueniūt & dissentiūt. Theologi. edicitur S. THO. S. Aug.*

Prima illarum absolutè affirmat, dari in homine naturalem appetitum innatum respectu visionis beatificæ. Ità Scotus *quæst.* 1. *prolog.* & 4. *sententiarum dist.* 49. *quæst.* 9. quem sequuntur omnes eius Discipuli: illam tenet Durandus *in eadem distinctione, quæst.* 8. Paulus Venetus *quæst.* 7. Soto *q.* 2. Et ex Modernis Valentia 1. 2. *q.* 5. *art.* 8. Alarcon *Tract. de visione Dei, Disp.* 1. *cap.* 3. 3 *Prima sententia Scoti. Durand. Venetus. Soto. Valent. Alarcon.*

Secunda distinguit, de intellectu humano secundùm suam rationem specificam, & secundum rationem communem intellectus, vt sic, prout abstrahit ab Angelico, humano, & diuino, sub priori consideratione, illi denegat appetitum naturalem innatum, sub posteriori verò talem appetitum concedit. Hanc vt probabilem defendit Martinez 1. 2. *q.* 3. *art.* 8. *dub.* 2. *conclus.* 7. secutus illum Nostri sæculi Sapientissimum virum Salmanticensis Vniuersitatis Primarium Fr. Petrum de Herrera Episc. Tarazonensem. *Secunda. Martin. M. Herrera.*

Ter-

4 *Tertia.* Tertia distinguit duplicem naturalem appetitum, alterum terminatiuè naturalem, alterum naturalem entitatiuè, & concedit in homine istum secundum, negat verò primum. Hanc tenet Granadus *Granad.* t. 2. *controu.* 1. *de vltimo fine hominis disp.* 5. *sect.* 1. Quarta, eaque communior sententia negat absolutè appetitum naturalem innatum respectu visionis beatificæ. Ità omnes Thomistæ præter Mag. Soto; ipsos in hac parte sequuntur ex PP. Societatis omnes, quos viderim, præter Alarcon, & Valentiam, quem non verè quidam ab opposita excipiunt sententia; eo quòd solùm ponit in homine capacitatem ad beatitudinem; nam licèt illius ratio solùm capacitatem istam conuincat, expressè tamen pondus, & propensionem naturalem in claram Dei visionem agnoscit, in quo, se Scotum sequi, fatetur, & Caietanum incongruentis locutionis redarguit: præter Granadum etiam, qui distinctione superius relata, mediam viam amplectens, vtramque oppositam sententiam conatur componere, cæteri tamen ex PP. Societatis istam amplectuntur sententiam. *Molina.* Molina *in præsenti*. *Vazquez.* Vazquez hic, & 1. 2. *disp.* 22. *cap.* 2. *Suarez.* Suarez *lib.* 2. *de attributis negatiuis cap.* 7. *Herice.* Herice, *Fasolis.* Fasolis, & alij. Pro cuius explicatione sit.

5 *Conclusio.* Nostra conclusio: *In homine non datur appetitus innatus in claram Dei visionem, nec secundum proprium gradum intellectualitatis humanæ, aut creatæ, nec secundum gradum Deo, Angelo, & homini communem.* Quoad vtramque partem est D. Thomæ *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 3. *& quæst.* 22. *de veritate art.* 7. Et quoad 1. p. *Prima pars conclusionis suadetur primò.* suadetur sic primò; inclinatio, & propensio naturæ, solùm potest terminari ad perfectionem proprijs viribus assequibilem; sed visio beatifica non est consequibilis viribus naturæ; cum sit supernaturalis quoad assequutionem, vt catholicè Scotus fatetur: ergo nequit terminare appetitum naturalem innatum rationalis naturæ. Illatio est legitima. Minor de fide certa. Maior autem, quæ negatur à Scoto, & ad quam totus difficultatis cardo deuoluitur, diuersimodè solet suaderi. *Maiorem probat Herice.* Herice vbi *supra* illam in hunc modum confirmat; appetitus naturalis innatus ab obedientiali debet differre; at nullum aliud discrimen inter illos potest constitui, nisi quod naturalis ad formam naturaliter assequibilem terminatur: obedientialis vero terminatur ad formam naturæ vires superexcedentem; igitur primus solùm ad formam proprijs viribus assequibilem potest terminari.

6 *Secundo alij probant maiorem.* Secundò, alij confirmant ex eo, quòd naturalis inclinatio procedit ab Auctore naturæ; at Auctor naturæ nequit ad terminum naturaliter impossibilem inclinare: ergo nec naturalis inclinatio potest dari respectu illius. Maior est certa. Et minor suadetur dupliciter. Primò; quia Auctor naturæ; cum operetur per intellectum, debet cognoscere terminum inclinationis, quam tribuit; at supernaturalem terminum nequit cognoscere, quatenùs operatur, prout Auctor naturæ: ergo nequit præbere inclinationem respectu illius. Secundò; quia si præberet inclinationem ad perfectionem quam non posset, vt Auctor naturæ causare, frustranea esset talis inclinatio: ergo nequit inclinare ad illam.

Verùm rationes istæ nullum robur obtinent apud Sco-
7 *Rationes hæ reijciuntur, & respondetur ad primam;* tum; non quidem prima, quia Scotus, & eius Discipuli non agnoscunt obedientialem appetitum, sicut nec obedientialem potentiam, sed solùm naturalem, violentam, & neutram, comparatione ad formam receptibilem, & supernaturalem, comparatione facta ad principium efficiens: à neutra autem potentia naturalem distinguunt, quia neutra terminatur ad formam, nec conuenientem, nec disconuenientem naturæ: naturalis autem ad formam naturæ conuenientem terminatur. *Ad secundam.* Nec etiam secunda, ad quam respondetur ex Scoto, negando minorem. Ad primam probationem, negatur similiter minor; cum namque Scotus asserat, formas supernaturales naturaliter posse cognosci ab homine, à fortiori docebit illas posse cognosci ab Auctore naturæ, & manifestè instatur in appetitu inefficaci elicito visionis beatificæ, quem naturaliter esse possibilem inferiùs constabit. Ad secundam respondent Scotistæ, sufficere vt inclinatio illa frustranea non sit, quòd per Dei gratiam perfectione dictam homo assequi possit.

8 *Maior assumpta probatur.* Quarè his omissis, maiorem assumptam in hunc modum ostendo; appetitus naturalis innatus, solùm terminatur ad formam debitam naturæ; sed forma supernaturaliter assequibilis non debetur naturæ; ergo nequit appetitum innatum terminare. Minor inde colligitur; quia Deus tunc dicitur supernaturaliter operari, quando operatur vltrà, & suprà debitum totius naturæ, quo circà creatio animæ rationalis supernaturalis non est; quia est debita sublunari materiæ. Maior autem ostenditur primò; suppo- *Maior ostenditur primò.*
nit priuationem formæ ad quam terminatur; sed priuatio, prout à pura negatione distinguitur, est carentia formæ debitæ in esse: ergò solùm ad formam naturæ debitam terminatur.

Secundò; etsi materia cælestis possit actuari, in multorum sententia, forma sublunari, non tamen illam appe- 9 *Secundò;*
tit naturali appetitu, non alia ratione nisi quia non est debita: ergo solum ad formam, seù perfectionem debitam potest terminari: Minor certa videtur, & maior probatur, quia aliàs cælum corruptibile esset; ideò namque hæc sublunaria sunt corruptibilia, quia illorum materia vna forma actuata, naturaliter appetit alias; consequens est falsum: ergò. Tertiò; naturalis appetitus innatus ad aliquam formam, est naturalis exigentia illius, sicut appetitus elicitus est quædam elicita exigentia desiderati obiecti: at nihil naturaliter exigit, nisi quod sibi est debitum naturaliter: ergò naturalis appetitus solùm ad perfectionem naturæ debitam potest terminari.

Secundò principaliter suadetur prima pars conclusio-
nis, & confirmantur ampliùs prædicta; si vt homo ad vi- 10 *Secundò probatur prima pars conclusionis.*
sionem Dei natura liter inclinaretur, sufficeret, esse perfectionem illius; sequeretur, humanam naturam inclinari ad vnionem hypostaticam; consequens est falsum: ergo & antecedens. Consequentis falsitatem admittit Rada *quæst.* 1. *prologi controu.* 1. Et cum illo cæteri Moderni Scotistæ; & potest ostendi, ex eo quòd, aliàs natura humana, & natura Angelica proprijs subsistentijs terminatæ diuinam appeterent innato appetitu; ac per consequens suppositum Angeli esset ab intrinseco, nedum annihilabile, quod aliquali admittunt, sed etiam corruptibile, sicut corpus sublunare corruptibile est, quia materia, ex qua constat, sub eius forma existens, appetit alias; at hoc à nullo admittitur: ergo.

Ad hoc argumentum respondet Rada *loco allegato*, ne- 11 *Respondet Rada.*
gando sequelam; quia licèt natura humana perficiatur, & sit perfectibilis per subsistentiam Diuinam, non tamen est perfectio illi consona; ad terminandam autem inclinationem naturalem requiritur, quòd sit perfectio consona naturæ, qualiter est visio beatifica respectu intellectus humani; vnde natura humana solum est in potentia neutra ad diuinam hypostasim. *Contra.* Cæterùm hæc solutio non est sufficiens; nam esse perfectionem consonam naturæ, vel est, ab illius principijs procedere, vel quòd cum tali perfectione benè se habeat; non primum, aliàs gratia, charitas, & alia dona habitualia non essent perfectiones consonæ naturæ, cuius oppositum docetur ab ipsis; cum ponat in homine inclinationem naturalem ad gratiam: ergo consonantia perfectionis ad naturam, quæ perficitur, in secundo consistet. Tunc vlterius procedo; sed natura humana benè se haberet cum subsistentia Dei: ergo est perfectio conso- *Si Dicatur.*
na illi. Si fortè dicatur; idcircò non esse perfectionem consonam naturæ, quia non potest per illam terminari, quin propria amittat.

In contrarium obstat, quod quamuis materia sublunaris non possit, vna forma actuari, quin aliam amittat, om- 12 *Contra.*
nes tamen sunt consonæ illi: ergo illud non obstat, quò minùs subsistentia diuina sit perfectio consona naturæ. Si *Si vlterius dicatur.*
vlteriùs dicatur, naturam humanam inclinari magis in subsistentiam propriam, quam in diuinam: vndè cum ista nequeat terminari, quin amittat propriam, idcircò non est consona illi subsistentia diuina. In contrarium obstat. Tùm primò; quia estò materia prima magis inclinet ad animam rationalem, quàm ad formam equi, & non possit *Contra 1.*
actuari per illam absque amissione illius, vtraque tamen est illi consona, & in vtramque materia inclinatur: ergò solutio est nulla. Secundò, quia ex principijs Scoti sequitur *Secundò.*
manifestè, ampliùs inclinari humanam naturam in subsistentiam diuinam, quam in sibi propriam: ac proindè non stabit prædicta solutio. Probo sequelam; ratio terminandi inclinationem est, esse perfectionem naturæ, vt tenet Scotus: ergo quò maior fuerit perfectio, eò maiorem terminabit inclinationem; at subsistentia Dei magis naturam perficit, quàm subsistentia propria: ergo propensiùs in illam, quàm in istam inclinabit natura.

Deindè secunda pars conclusionis suadetur primò; 13
quia,

quia, quòd conuenit positiuè gradui communi transcendenti, aut generico, nequit repugnare specifico; cum omnia essentialia generi descendant ad speciem; at inclinatio in claram Dei visionem repugnat gradui specifico intellectus humani: ergo non potest conuenire positiuè conceptui communi intellectus, vt sic. Respondet Magister Martinez, negando maiorem, & exemplum adducit in talpa, cui secundum vltimam differentiam repugnat videre; & tamen sub ratione communi animalis positiuè inclinat in visum.

...brandæ pars cin... desfensionis... creditur... primo. Respondet Martinez.

14 Sed contrà; ratio animalis non potest contrahi per differentiam aliquam, cui repugnet sentire; nec substantia per aliquid cui repugnet, esse per se; nonnisi quia prædicata ista positiuè, & essentialiter competunt generi: ergo maior est vera, vndè ad exemplum, quod pro se adducit Auctor prædictus, respondeo, vel rationem animalis non inclinare, nec positiuè exigere potentiam visiuam, sed permissiuè solùm in aliquo nempè inferiori, vel quod si positiuè inclinet ratio illa communis, non repugnare talpæ videre secundum suam essentialem differentiam, sed solùm ratione alicuius in dispositionis organi accidentalis. Nec contrà primum obstat, talpam dici priuatiuè cæcum; at priuatio est carentia formæ debitæ: ergo debetur illi; at non secundum rationem differentialem: ergo secundum rationem genericam. Respondeo, namquè, non esse rigorosam priuationem, sed latè acceptam, ad quam sufficit, deberi generi, non secundum se, sed solùm in aliquo inferiori sui.

Contra. Si insurgas. Respondetur.

15 Secundò suadetur eadem pars conclusionis; gradus communis est imperfectior gradu differentiali; at gradus differentialis intellectus humani ob sui imperfectionem nequit positiuè inclinare in claram Dei visionem: ergo multò minùs gradus communis intellectus, vt sic, inclinabit in illam. Tertiò ab inconuenienti probatur; sequitur namquè ex sententia opposita, intellectum humanum sub illa ratione communi intellectus vt sic, inclinare, nedum in claram, & intuitiuam visionem Dei, sed etiam in comprehensiuam eiusdem; consequens est absurdum, & à nemine admissum: ergo est talis opposita sententia. Probo sequelam, & ni fallor efficaciter satis; ex eo opposito Auctores affirmant, dari inclinationem in creato intellectu secundum illum gradum communem Deo, in claram Dei visionem, quia ad hoc sufficit in aliquo sibi inferiori, nempè, in intellectu diuino talem inclinationem experiri, per hoc, quod diuinus intellectus Dei essentiam videat clarè, & intuitiuè; sed etiam intellectus diuinus se ipsum, & Dei essentiam perfectissimè comprehendit: ergo dabitur in illa ratione communi intellectus vt sic, positiua inclinatio ad Dei comprehensionem, si illorum ratio quid ponderis habet; cumque hoc ab omnibus falsum iudicetur, illorum ratio, inefficax, & falsa est censenda.

Secunda probatur secunda pars conclusionis.

16 Ex quibus infertur falsitas sententiæ Granados admittentis appetitum entitatiuè naturalem in claram Dei visionem; cum namquè efficaciter maneat probatum, nullum appetitum innatum reperiri in homine in claram Dei visionem, manet consequenter explosus appetitus ille naturalis entitatiuè. Infertur secundò, deceptos fuisse Herice *Dispu. 37. cap. 2. conclus. 3.* Et Alarcon *Tract. 1. de visione Dei disp. 1. cap. 3.* admittentes obedientialem appetitum innatum respectu visionis claræ diuinæ essentiæ. Nam licèt detur obedientialis potentia innata, non tamen appetitus (vt probatum relinquo) cum exigentia sit, solùm ad formam debitam potest terminari; at forma, ad quam solùm datur potentia obedientialis in homine, non debetur illius naturæ; ergo nullus appetitus innatus potest dari respectu illius, nec naturalis, nec obedientialis.

Infertur falsitas sententiæ Granados. Herice, & Alarcon deceptos fuisse.

17 Colligitur tertiò; quod esto admittamus transcendentalem respectum in natura humana ad claram Dei visionem, non indè compellimur, ponere naturalem appetitum innatum ad illam, cuius oppositum indubitatum reputat Recens quidam Theologus Societatis: corollarium autem ex dictis in hunc modum ostenditur; de ratione appetitus innati est ad formam naturæ debitam terminari, sed potest transcendentali respectu intellectus respicere formam non debitam: ergo stat optimè cum transcendentali respectu naturæ in claram Dei visionem, negatio appetitus innati naturalis ad illam. Maior ex dictis nanetur probata. Minor autem ostenditur, voluntas creata transcendentali respectu respicit actum peccaminosum; & tamen non inclinat in illum, vt communiter docetur à Theologis 1. 2. qu. 77. & consequenter nec illi debetur: ergo cùm transcendentali respectu ad aliquid, stat hoc non deberi; & consequenter, nec positiuam inclinationem terminare.

Sententia cuiusdam recentio. reiicitur.

§. II.

Diluuntur contraria argumenta.

18 Contrà primam partem nostræ conclusionis multipliciter insurgunt Scoti Discipuli. Primò obijciunt, Patrem Augustinum *lib. 1. confessionum cap. 1.* illis verbis: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescamus ad te*, idest, ad te clare videndum. Et *lib. 3. de Trinitate cap. 8.* illis verbis: *Ad appetendam beatitudinem natura compellit, cui summè bonus, & immortalis creator hoc indidit*: Ergo ex mente Augustini datur in homine appetitus naturalis innatus in claram Dei visionem. Respondetur ad primum, Augustinum loqui de homine eleuato per gratiam, qui prout sic eleuatus, in visionem beatificam appetitu innato propendit, non innato hominis naturæ, benè tamen innato naturæ gratiæ, & homini vt illa eleuato. Ad secundum dicatur, vel loqui Augustinum de appetitu inefficaci elicito, quem posse dari intra ordinem naturæ, *Disput. sequenti* constabit; vel loqui de appetitu innato, non in beatitudinem, sed in appetitum inefficacem beatitudinis; vel deniquè loqui de appetitu naturali innato, non in supernaturalem, sed in naturalem beatitudinem.

Obijcies primo contra primam partem nostræ conclusionis. Respondetur ad primum Augustini. Ad secundum.

19 Obijciunt secundò Doctorem Angelicum multis suæ doctrinæ locis, præcipue in hac *quæst. art. 1.* vbi Angelicus Doctor ex eo probat beatitudinem supernaturalem esse possibilem, quia homo visis Dei effectibus naturaliter desiderat causam videre. Si respondeatur, loqui Diuum Thomam de appetitu inefficaci elicito, non verò de innato, seu elicito efficaci: in contrarium obijciunt, sic primò, appetitus inefficax absque vllo inconuenienti potest frustrari, cum possit esse de re impossibili apprehensa, vt possibili; at Diuus Thomas loquitur de illo appetitu, cuius frustrationem pro inconuenienti reputat, cum inferat ex illo possibilitatem visionis beatificæ, ne reddatur frustraneus: ergo sermonem facit de appetitu innato, vel de efficaci elicito, cumquè hoc secundum à nullo Thomista admittatur, asserendum est primum.

Obijcies secundo. Si respondeatur. Contra insurgunt primo.

20 Secundò, quia loquitur de appetitu communi omni homini; at ille est innatus, & non elicitus: ergo idem quod priùs. Tertiò; quia eo ipso quòd admittatur appetitus naturalis elicitus, esto inefficax sit, debet etiam concedi appetitus innatus: ergo idem sequitur. Antecedens probatur; in homine datur appetitus naturalis innatus in omnem actum sibi possibilem ex viribus naturæ: ergo si iste appetitus elicitus visionis beatificæ est possibilis ex viribus naturæ, naturaliter homo inclinabit in illum; at eo ipso quòd detur naturalis inclinatio in actum, debet necessario terminari ad obiectum illius: ergo conc. di debet in homine appetitus innatus in claram Dei visionem, quæ est obiectum prædicti appetitus. Deindè opponunt eundem Doctorem Angelicum 1. 2. *quæst.* 113. *art.* 10. vbi ex eo probat, iustificationem impij non esse opus miraculosum, quia gratia non est supra naturalem potentiam hominis: ergo in homine datur naturalis potentia ad gratiam, & visionem beatificam; & consequenter naturalis appetitus ad illa.

Secundo. Tertio. Quarto.

21 His motus Rada loco vbi supra conatur adducere pro sententia nobis contraria Diuum Thomam. Et Herice fatetur, multum illi fauere; immeritò tamen cum iam constet, Doctorem Angelicum pro nostra stare sententia, quam, præter superiùs adducta, expressissimè tradidit *quæst.* 10 *de verit. art. 2. in corpore*, vbi ait: *Est in homine appetitum naturalem innatum in beatitudinem naturalem, non verò in supernaturalem, quæ in clara Dei visione consistit*; vndè explicationem traditam amplectantur omnes Thomistæ, licet in explicando appetitum prædictum elicitum non vno modo sentiatur ab omnibus; illis tamen omissis.

Doctor Angelicus pro nostra sententia stat.

22 Ad primam obiectionem respondeo, quòd licet appetitus inefficax metaphysicè possit frustrari, moraliter tamen non potest quandò in tot sapientibus reperitur, quos in iudicio dictum appetitum regulante, vniformiter falli, est moraliter impossibile, quamuis non metaphysicè; vndè ratio D. Thomæ demonstratio non est, sed quædam congruentia. Ad secundam nego antecedens; sed solùm loquitur de appetitu, qui in homine actis cognoscente inuenitur, vt litteram intuenti constabit; iste autem non innatus, sed elici-

Respondetur ad 1. Ad secundam.

elicitus est. *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur, conuinci quidem, dari in homine appetitum innatum in claram Dei visionem, quatenus est obiectum dicti appetitus eliciti: non autem in illam secundum se. Ad id quod additur ex D. Tho. 1.2. dicatur, loqui D. Thom. de potentia hominis non nudè sumpta, sed vt per proprios actus ad recipiendam gratiam disposita.

23 *Tertio arguitur.* Tertiò arguunt ratione; quæuis potentia, secundario saltem, inclinat in omnia particularia obiecta, quæ sub eius specificatiuo continentur; sed Deus clare visus continetur sub ente, à quo speciem desumit intellectus humanus: ergo secundario saltem inclinabit in illum. Illatio tenet. Minorem supponunt, & maior ostenditur; in quacumquè potentia datur naturalis inclinatio in obiectum à quo speciem desumit: ergo secundario saltem in obiecta sub illo contenta debet inclinare. Patet consequentia; nam quia potentia transcendentali respectu respicit rationem obiecti communem, secundario saltem terminatur ad omnia sub illo contenta: ergo pariter inclinatio primò terminata ad rationem communem, debet secundario ad inferiora obiecta terminari.

24 *Respond.* Ad hoc argumentum iuxtà ea, quæ tradidimus disputatione præcedenti facile respondetur, distinguendo maiorem: naturalis potentia, concedo maiorem: obedientialis nego maiorem: & minori sub eadem distinctione concessa, nego consequentiam. Quia Deus vt clarè visibilis non continetur sub obiecto specificante intellectum nostrum secundum naturalem potentiam, quam habet, sed secundum obedientialem, quæ quia ex proprio conceptu tendit in obiectum sibi superius, & improportionatum, idcircò non inclinat in illud.

25 *Obijcies.* Obijcies; idcircò naturalis potentia in suum actum, & obiectum inclinat, quia sunt perfectiones illius, & ab illis speciem desumit; at hæc etiam in obedientiali potentia contingit: ergo in actum, & obiectum suum debet inclinare. *Respond.* Respondeo, negando absolutè causalem, sed ideò, quia sunt perfectiones sui ordinis, & proportionatæ: licèt autem obedientialis potentia intellectus maximè perficiatur per visionem beatificam, quia tamen non proportionatur cum illa, idcircò non inclinat in claram Dei visionem.

26 *Instabis.* Instabis; quòd improportionata perfectio sit, & superioris ordinis, non tollit, quin obedientialis potentia dicat ad illam transcendentalem respectum: ergo nec tollet, quin in illam inclinet. Antecedens admisimus disputatione præcedenti, & exindè conuincitur, quod ab illa specificatur: specificatum autem ab specificatiuo dependet; & *Consequent. consequentia probatur 1.* consequenter transcendentali respectu respicit illud. Consequentia autem probatur primò; quia inclinatio nihil aliud est, quam propensio potentiæ in suam perfectionem; at eo ipso, quod transcendentali respectu tendat potentia obedientialis in actum, propendit in illum: ergo in ipsum inclinat. *Secundò.* Secundò, quia si non obstante, quod visio beatifica improportionata sit, quoad assecutionem, est proportionata, vt terminet respectum, cur etiam, dicta improportione non obice, esse non poterit proportionata, quoad inclinationem, in quo Scoti sententia consistit? *Tertiò.* Tertiò; quia eo ipso quod dicat ad illam transcendentalem respectum exigit illam; cum quæuis res exigat ad sui consistentiam illud, à quo pendet, & sine quo esse non potest; at exigentia debitum supponit, vt dicebamus *supra*: ergo eo ipso talis forma erit debita, & consequenter terminare poterit naturalem inclinationem.

27 *Respond. ad 1. prob.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad cuius primam probationem, concessa maiori, nego minorem: propendere namquè suprà hoc, quod est respicere, addit exigentiam termini respecti, quocircà, etsi voluntas hominis respiciat transcendentali respectu peccatum, non tamen inclinat in illud, vt paulò ante dicebam, nec in illud propendit, quia illud non exigit, eo quod non est illius perfectio; sicuti ergo quia peccatum perfectio non est voluntatis, non exigit illud, nec in illud inclinat, nec est naturæ voluntatis debitum; ità in præsenti, non quia visio perfectio non sit intellectus, sed quia est super excedens, & improportionata, etsi intellectus illam respiciat, illam tamen non exigit, nec in illam propendit. *Ad secundam.* Ad secundam respondeo, rationem disparitatis esse; quia transcendentalis respectus est ordo dependentiæ, bene autem potest aliquid inferius ab aliquo superiori pendere; & idcircò potest illud respicere: inclinatio autem debitum supponit; eo autem ipso, quod forma aliqua superioris ordinis sit, non est debita; & consequenter nequit inclinationem terminare.

28 *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur, ad summum conuinci, obedientialem potentiam exigere visionis possibilitatem, non autem illius existentiam; ad hoc autem quod possit dici inclinari in visionem, eius existentiam debebat exposcere. Cuius ratio est, quia appetitus innatus dicitur appetitus per similitudinem ad elicitum, elicitus autem appetitus non ad possibilitatem, sed ad existentiam terminatur; & idcircò in rigore loquendo, non saluatur inclinatio respectu rei in statu possibilitatis, nisi in ordine ad existentiam; latiori autem vocabulo potest admitti, obedientialem potentiam in visionis possibilitatem inclinare, nec in hoc aliquod inconueniens reperio; nec obstat eius superioritas, hæc namquè solùm est in ordine ad productionem, & existentiam, quæ nequit esse debita naturæ; id enim superna turale dicitur, cuius productio est supra exigentiam totius naturæ.

29 *Quarto arguitur.* Quartò contrà eandem conclusionis partem arguitur; Deus clare visus est finis naturalis hominis: ergo naturaliter inclinat in illum, vt clare videndum. Consequentia tenet; Et antecedens in hunc modum probatur; ille est finis naturalis hominis, quo assecuto, illius naturalis inclinatio quietatur; at Deo clare viso, naturalis hominis inclinatio quietatur: ergo est finis naturalis illius. *Respondetur.* Respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: si assecutio fiat per vires naturæ, concedo maiorem: si ex viribus gratiæ, nego maiorem: & eodem modo distinguendo minorem, nego consequentiam: quia etsi naturalis hominis inclinatio, Deo clare viso, quietetur, assecutio tamen visionis non habetur ex naturæ viribus, sed ex viribus gratiæ.

30 *Si obijcias 1. Respondetur.* Si obijciatur primò, inclinatio naturalis non nisi per sui termini assecutionem potest satiari: ergo si naturalis hominis inclinatio per claram Dei visionem satiatur, erit terminus naturalis inclinationis. Respondeo, negando antecedens, sed potest disiunctiue satiari, vel per suum terminum, vel per alium eminenter illum continentem; sicuti appetitus naturalis humanæ naturæ ad propriam subsistentiam, per subsistentiam Verbi satiatur, esto in Verbi subsistentiam naturaliter non inclinet, vt admittunt Scotistæ; & quia visio beatifica eminenter continet perfectionem naturalis beatitudinis terminantis naturæ inclinationem, hinc fit, quod per illam satiari possit. Nec exindè colligitur, inclinari saltem in visionem beatificam, vt continentem eminentialiter beatitudinem naturalem, quia licèt per vtramquè satietur, non tamen omne satians, naturaliter appetit; sed solum illud, quo per naturæ vires potest satiari.

31 *Si obijcietur 2.* Si opponatur secundò; assecuto adæquato termino naturalis inclinationis satiatur, & quietatur naturalis inclinatio: sed assecuta beatitudine naturali, cuius assecutio potest fieri per vires naturæ, nondum quietatur naturalis hominis inclinatio: ergo illa non est terminus adæquatus illius; at præter beatitudinem naturalem nihil aliud restat, nisi visio supernaturalis beatifica: ergo continetur intra terminum naturalis inclinationis; & consequenter naturalem inclinationem terminabit. *Respondetur.* Respondetur, quod sicut appetitus naturalis materiæ primæ rerum sublunarium, nunquam quietatur, ex eo quod qualibet forma actuata, remanet actuabilis per alias, & nunquam potest omnes simul recipere, nec aliquam, in qua reliquæ eminenter contineantur. Ita similiter naturalis appetitus intellectus humani nunquam potest satiari per aliquam ex cognitionibus, quas naturaliter potest habere, quia quamuis actuetur illis, remanet intellectus actuabilis per alias, & quia nunquam potest omnes illas simul recipere, nec aliquam, in qua cæteræ eminenter contineantur, visione beatifica excepta; consequens fit, quod nunquam satietur per aliquam cognitionem naturalem, etiam si sit Dei Auctoris naturæ.

32 *In forma.* Vnde vera est maior primi syllogismi, scilicet, appetitum naturalem quietari per assecutionem termini adæquati, concedo etiam minorem, & primam consequentiam: nego autem minorem subsumptam; quia præter visionem beatificam, & cognitionem naturalem Dei conditoris naturæ remanet aliud, nempè, aliæ cognitiones aliorum obiectorum naturalium, quæ in cognitione Dei Auctoris naturæ non continentur eminentialiter.

33 *Sententia Herice reijcitur.* Vnde falsum reputo solutionem Herice asserentis, per cognitionem Dei Auctoris naturæ satiandum fore appetitum naturalem hominis substantialiter, licet non accidentaliter,

taliter, quod idem in beatifica visione contingere docet. Fallitur tamen, & ex dictis falsitatis conuincitur; cognitio namque Dei Auctoris naturæ non continet eminenter cognitiones aliorum obiectorum naturalium, nec ex vi illius naturaliter cogniti alia obiecta naturalia cognoscuntur. At verò ex vi cognitionis claræ diuinæ essentiæ, cognoscuntur à beato illa, quæ naturaliter petebat cognoscere: ergo licet hæc substantialiter satiet, non tamen illa. Cum hoc tamen stabit, quod cognitio Dei Auctoris naturæ sit suprema fœlicitas hominis in puris naturalibus conditi, quia esto plenè non satiet; est tamen perfectissima cognitio, quam naturaliter potest habere, & inquam præcipuè inclinat intellectualis natura.

34 *Vltimo arguitur.* Denique contra secundam conclusionis partem arguitur; in actu odij Dei, v.c. secundum rationem genericam datur inclinatio in moralem bonitatem; & tamen secundum vltimam sui differentiam non inclinat in illam, cum ei repugnet: ergo pariter in humano intellectu contingere poterit respectu visionis beatificæ. Illatio cum minori tenet. Et maior probatur ex communi Thomistarum doctrina 1. 2. *q.71. art.6.* admittentium priuationem bonitatis moralis in actu odij, quia secundum rationem genericam, talis bonitas illi debetur; at debitum inclinationem fundat, vel supponit; ergo in ratione generica debet constitui talis inclinatio. *Respondetur.* Multis omissis breuiter respondetur: debitum bonitatis moralis in ratione generica, non esse physicum, sed morale tantum, proueniens ex lege; ad quod necessarium non est, quod ratio generica positiuè inclinet, & petat bonitatem moralem, sed sufficit ei non repugnare, de quo non licet pleniorem discussionem adiungere.

Ex dictis in discursu huius Disputationis, colligitur primo; non dari in homine naturalem inclinationem ad 35 *Infertur 1. ex dictis in discursu disputationis.*
Deum videndum, prout est Auctor naturæ; nam visio illius, etiam prout sic, est supernaturalis, non enim potest clarè videri, vt est Auctor naturæ, quin clarè, vt supernaturalis Auctor videatur: non ergo potest dari in homine naturalis inclinatio ad videndum Deum, prout est Auctor naturæ. Infertur secundo, nec inclinationem naturalem remotam esse in intellectu admittendam, vt falsò aliqui putant, quorum sententiæ falsitas ex dictis conuincitur; nam inclinatio, supra potentiam addit exigentiam, & debitum; at visio beatifica nullo modo debetur: ergo nec remotam inclinationem valet terminare. *Infertur secundo.*

Colligitur tertio, nec ad beatitudinem à naturali, & supernaturali abstrahentem, naturaliter inclinari intellectum; cuius manifesta ratio ex dictis habetur; naturalis 35 *Tertio.*
namque inclinatio solum ad proportionatam perfectionem terminatur; at beatitudo in illa amplitudine non est proportionata perfectio, sed abstrahens a proportionata, & improportionati naturæ: ergo vt sic accepta, inclinationem innatam naturæ terminare non potest, sed ad summum appetitum inefficacem elicitum, de quo in Disputatione sequenti. Et hæc de illa Disputatione.

DISPVTATIO NONA.

An homo naturali appetitu inefficaci elicito appetere possit visionem beatificam?

§. I.

Relatis sententijs vera eligitur, & probatur.

1 *Explicatur quid sit appetitus elicitus.* APPETITVS elicitus est, qui sequitur formam apprehensam, actus voluntatis, v.c. consequens apprehensionem intellectus. Dicitur naturalis, prout ad præsens attinet, quatenus potest elici ex viribus naturæ; inefficax autem vocatur, vel quia conditionatus, qui explicatur per hanc vocem *vellem*, vel quia licet sit absolutus, non tamen efficaciam ad rei executionem sortitur, vt appetitus, quo quis intendit obiectum re vera impossibile, apprehensum tamen, vt possibile, qui licet sine vlla conditione possit ferri in obiecta, non tamen efficaciter fertur quia non potest media ad obiecti assecutionem applicare.

2 *Visio beatifica potest appeti appetitu inefficaci conditionato ex motiuo naturali.* Hoc ita præmisso pro disputationis intelligentia, vt ad id, in quo Moderniores Theologi digladiantur, deueniam, id, in quo omnes conueniunt, præmitto. Conueniunt ergo ferè omnes disputantes, in eo quod dari potest in homine dictus appetitus inefficax visionis beatificæ, si ex motiuo naturali procedat. Et quidem loquendo de appetitu conditionato manifesta ratione suadetur; res namque impossibilis, & vt talis apprehensa, potest appeti sub conditione, quod possibilis esset, vt experientia constat: ergo à fortiori res supernaturalis, impossibilis per naturæ vigorem, talem appetitum terminare valebit.

3 *Potest etiam appetitu inefficaci absoluto. Et probatur primo. Secundo.* Quod autem etiam possit appeti appetitu absoluto ex se inefficaci probatur; primo, quia potest vt possibilis naturaliter, licet falsò apprehendi: ergo terminare valebit absolutum desiderium naturale. Secundo; quia quod impossibilis sit naturaliter, solum opponitur efficaciæ appetitus, non verò tendentiæ absolutæ sine vlla conditione, quod etiam supernaturalis sit visio, non obstat, dummodo ex naturali motiuo attingatur; vt enim ex obiecto supernaturalitas transeat in actum, debet attingi ex supernaturali motiuo: ergo etsi visio sit supernaturalis, poterit appeti appetitu naturali absoluto inefficaci. Totum ergo dissidium consistit in eo, an scilicet, visio beatifica possit appeti appetitu inefficaci elicito terminato ad ipsam ex motiuo supernaturali ita vt visionis supernaturalitas, non solum appetatur vt *quod*, sed etiam sit motiuum, & ratio talem appetitum terminandi.

Quidam Recentiores Theologi id in dubium vocarunt, affirmantes, posse visionem supernaturalem ex supernaturali motiuo appeti appetitu inefficaci elicito ex 4 *Prima sententia.*
viribus naturæ. Ita P. Herice 1. *p. disp.* 38. Ripalda *lib.* 1. *de ente supernaturali disp.* 14. *sect.* 5. & *lib.* 3. *disp.* 45. per plures sectiones, allegans pro sua sententia, Scotum, Gabrielem, Conradum, Paludanum, Molinam, Granados, & alios, quam plures. Oppositam defendunt sententiam omnes Thomistæ, Caietanus 1. 2. *q.* 63. *art.* 3. Medina 1. 2. *q.* 6. *art.* 2. Bañez 2. 2. *q.* 1. *art.* 2. Curiel 1. 2. *quæstione* 109. *articulo primo dubio* 3. §. *quarto*, Zumel *ibidem disp.* 1. & 2. quos sequuntur præcipui Auctores Societatis, Pro cuius explicatione sit. *Heric. Ripald.* Secunda. *Caiet. Medin. Bañ. Curiel. Zumel.*

Nostra Conclusio. *Appetitus inefficax naturalis elicitus, non potest ferri in visionem beatificam ex motiuo supernaturali.* Probatur primo ex Diuo Thoma *prima secunda quæstione* 109. *articulo tertio ad primum*, vbi ex eo distinguit 5 *Conclusio. Prob. 1.*
charitatem supernaturalem, à dilectione naturali, quod ista fertur in Deum, prout est principium, & finis naturalis boni: charitas autem secundum quod est obiectum beatitudinis: ergo sentit Angelicus Doctor, naturalem dilectionem non posse ferri in Deum, prout est obiectum beatificum, & supernaturale, supernaturalitate se habente, vt motiuo; aliàs iam auferretur distinctiuum ex parte obiecti naturalis dilectionis à supernaturali: ergo nec appetitus naturalis terminari poterit ad visionem beatificam ex supernaturali motiuo. Secundo probatur; actus specificantur ab obiectis: ergo ille, qui tendit in supernaturale obiectum, vt stat sub motiuo supernaturali, naturalis esse non potest. *Secundo.*

Respondet Herice loco vbi supra, verum esse consequens, si proportionatè tendat in illud; secus autem si 6 *Respondet. Heric.*
modo improportionato in illud tendat, seu feratur. Quæ solutio potest confirmari ex doctrina tradita *Disp.* 7. quod scilicet, potentia obedientialis supernaturalis non est, quia licet respiciat formas supernaturales, respicit tamen illas modo improportionato. *Confirmatur solutio.*

Sed contra primo; nam ideò potentia obedientialis 7 *Contra 1.*

respicit improportionatè formas supernaturales, quia in illas non inclinat, nec ex proprijs viribus illas potest causare, sed ex Dei eleuatione: at appetitus, esto inefficax sit, tamen ex proprijs attingit obiectum, & inclinat in illud: ergo non est simile de potentia obedientiali, ac de appetitu elicito.

Secundo. Contra secundo: nam improportio talis appetitus, vel consistit in hoc, quod naturalis ordinis sit ex principio naturali procedens, vel in hoc, quod inefficaciter tendat: non primum; quia est petitio principij, cum in hoc controuersia consistat, quomodo supernaturale motiuum attingat formaliter, & supernaturalitatem non capiat ex ipso. Nec etiam secundum, nam multi supernaturales actus, possunt etiam inefficaciter supernaturale motiuum attingere, vt in appetitu supernaturali conditionato constat: ergo in nullo consistit, quod possit impedire illius supernaturalitatem, si semel à supernaturali obiecto formaliter capto speciem desumat.

8 *Tertio prob. conclusio.* Tertio principaliter ostenditur nostra conclusio; distinctio naturalis à supernaturali appetitu sumitur ex motiuo formali: ergo nequeunt in illo conuenire. Tenet consequentia; quia id, in quo conueniunt, nequit esse ratio distinguendi. Tùm sic; sed appetitus supernaturalis attingit visionem beatificam ex supernaturali motiuo: ergo naturalis non valet in eandem tendere ex motiuo supernaturali.

Respōdet Ripalda. Respondet Ripalda *disput.45. citata sect. 4. num.20.* distinguendo antecedens: sumitur ex motiuo adæquatè, negat antecedens: quia etiam ad illam distinctionem concurrit principium, & modus tendendi diuersus; inadæquatè, concedit antecedens, & negat consequentiam, sed solum infertur, quod stante diuerso motiuo, diuersificetur actus in specie; non autem, quod si motiuum sit idem, actus etiam vnitatem debeat sortiri; possunt namque stante eodem motiuo, diuersitatem sumere ex diuerso principio, & ex diuerso modo tendendi; vnde quia actus naturales ex principio naturali procedit, & modo naturali in obiectum inclinat: actus verò supernaturalis ex supernaturali principio procedit, & modo supernaturali erga obiectum versatur; consequens fit, quod essentialiter distinguantur sub eodem motiuo.

9 *Contra 1.* Cæterum contra solutionem istam multipliciter insurgo. Primo, quia iuxta illam actus non adæquatè, sed inadæquatè solum desumunt distinctionem à principio; cum etiam obiectum concurrat, & modus tendendi; & tamen à supernaturali principio nequit actus naturalis procedere, nec in principio cum supernaturali actu conuenire; ergo pariter quamuis motiuum inadæquatè solum præbeat distinctionem, non tamen poterunt naturalis, & supernaturalis actus in eodem motiuo conuenire.

Secundo. Secundo; quia etiam principia distinctionem accipiunt ex motiuis diuersis: ergo eo ipso, quod actus ex diuersis principijs procedant, debent attingere diuersa motiua.

Tertio. Tertio; quamuis actus in ratione actionis speciem à principio desumant, in ratione tamen passionis adæquatè specificantur ex obiecto motiuo, vt multis à Thomistis probatur 1.2. *quæst.1.art.3.* at actus naturales, & supernaturales nedum differunt in ratione actionis, sed etiam in ratione passionis: ergo necessario debent habere diuersa motiua.

10 *Quarto ad hominem.* Quarto ad hominem impugnatur tradita solutio; ipse namque *sect. 8.* apertè fatetur, non posse actum naturalem, & supernaturalem, idem obiectum respicere, sub eadem ratione *sub qua* intrinseca obiecto, & idcirco in illo distinguit diuersas attingibilitates, in quibus rationem *sub qua* obiecti constituit; & tamen ratio *sub qua* obiectiua inadæquatè solum ad specificationem concurrit in eius sententia: ergo etiam si motiuum inadæquatè solum ad specificationem concurrat, non poterunt in eodem motiuo conuenire.

Vltimo. Denique in hunc modum euertitur, diuersitas in modo tendendi in hoc ab isto Auctore statuitur, quod actus naturalis non connectitur cum supernaturali obiecto, exigendo illius veram possibilitatem; at verò supernaturalis illam exposcit; at hoc discrimen nequit subsistere; ergo nec solutio, quam tradit. *Minor probatur primo.* Probo minorem primo; nam ideò naturalis actus non petit veram possibilitatem supernaturalis obiecti, in eius sententia, quia potest moueri ex supernaturalitate solum apparente; at etiam actus supernaturalis, ex supernaturali motiuo solum apparenti potest moueri, vt ipse fatetur *disp. 46. sectione sexta num.11.* ergo non petet veram illius possibilitatem.

11 *Respōdet Auctor.* Respondet, disparitatem esse, quod actus supernaturalis, qui attingit motiuum supernaturale solum apparens, sequitur cognitionem reflexam, qua illud obiectum, vt apparens proponitur; licet autem possibilitas vera non sit, verum tamen est semper, quod apparet possibile; actus autem naturalis talem reflexionē non sequitur.

Cōtra 1. Sed contra primo, quando quis diligit Deum amore amicitiæ propter perfectionem iustitiæ strictæ, quam prudenter existimat, Deo conuenire (vtor illius exemplo) quæ tamen potest esse, quod non sit in Deo, cum probabiliter negetur à multis Theologis, Deo non conuenire, non diligit Deum propter apparientiam talis attributi, sed propter iustitiam, quam prudenter existimat verè Deo competere: ergo falsum est dicere, actum illum sequi iudicium reflexum de apparentia possibilitatis obiecti. Secundo, quia semel concesso actum naturalem posse ex supernaturali motiuo moueri, quæ repugnantia poterit assignari, vt iudicio reflexo de possibilitate obiecti reguletur? ergo in tali casu nullum stabit discrimen. *Secundo.*

Secundo illa minor probatur: actus naturalis dicit transcendentalem ordinem ad suum obiectum: ergo si obiectum eius est supernaturale, & motiuum similiter dicit transcendentalem ordinem ad illud; at actus supernaturalis non alia ratione sui obiecti possibilitatem exposcere potest, nisi ratione ordinis transcendentalis, quem dicit ad ipsum: ergo actus naturalis necessario desiderat possibilitatem supernaturalis motiui; & consequenter non subsistit discrimen, quod inter vtrumque constituit. 12 *Minor vltima impugnationis probatur 2.* Respondet Auctor prædictus *disp. citata numero 13.* Primo, negando primum antecedens. Secundo, distinguit, concedens actum naturalem dicere ordinem transcendentalem intentionalem, non verò entitatiuum, seu realem; iste autem secundus non petit obiecti possibilitatem; & instat in nostra sententia; in qua naturalis actus potest ad supernaturale obiectum, saltem de materiali terminari; & tamen illius possibilitatem non petit: ergo ordo transcendentalis, quem dicit actus ille ad obiectum formale, illius possibilitatem non desiderabit. *Respondet dupliciter iste Auctor.*

Verum prima solutio totam metaphysicam euertit, in qua negari nequit, actum ab obiecto formali specificari: ergo necessario ab illo dependet; dependere autem, est ordinem transcendentalem ad suum obiectum importare: ergo necessario dicit respectum transcendentalem ad illud. Contra secundam facit, quod etiam ordo actus supernaturalis ad suum obiectum est intentionalis: ergo vel non petit obiecti possibilitatem, vel etiam ordo actus naturalis illam desiderabit. Nec instantia adducta contra Nos facit; argumentum namque nostrum procedit ad hominem, paritate desumpta ex actu supernaturali, qui in illius sententia possibilitatem obiecti requirit, cuius alia ratio assignari non potest, nisi quia transcendentalem ordinem dicit ad illud: in nostra autem sententia, nullus illorum obiecti veram possibilitatem desiderat, quia apprehensionem sequitur, vnde possunt sequi formam apprehensam re vera impossibilem. 13 *Prima solutio reijcitur.* *Secunda.*

Quarto suadetur nostra conclusio, non minus, imo magis, pendet voluntatis actus à motiuo formali, quam à cognitione regulante; sed naturalis actus nequit regulari supernaturali iudicio, vt ipse multoties fatetur: ergo ex motiuo supernaturali nequit procedere. Maior constat; iudicium namque solum concurrit, vt conditio applicans obiectum; ergo minus ab illa, quam ab obiecto, à quo specificatur, dependet. 14 *Quarto prob. conclusio.*

Quinto probatur, supernaturalis actus voluntatis nequit respicere naturalem motiuum formaliter: ergo nec naturalis ex motiuo supernaturali procedere. Consequentia ipsis aduersarijs est nota. Antecedens autem in hunc modum ostendo; actus supernaturalis voluntatis nequit sequi naturale iudicium de conuenientia obiecti: ergo nec potest attingere supernaturale motiuum. Consequentia manet in præcedenti argumento probata. Antecedens ipse Auctor concedit, & manifestè constat; quia aliàs supernaturalis fides necessaria ad iustificationem non esset; & consequenter nec eius initium, cuius oppositum à pluribus Concilijs expresè diffinitur. Sequela probatur, posset actus charitatis sequi naturale iudicium de conuenientia supernaturalis obiecti: ergo destrueretur fidei necessitas. 15 *Quinto.*

Denique nostram conclusionem ostendo: sequitur namque ex sententia opposita, Deum posse clarè videri intuitiuè, & naturali cognitione; consequens est absurdum, & contra fidem: ergo deserenda eius doctrina. Probo sequelam; non obstat, quod Deus, prout in se, sit obiectum supernaturale; siquidem supernaturalitas obiecti non obest, quo minus Deus ex supernaturali motiuo, amore super omnia diligatur, vt præfati Auctores 16 *Vltimo prob. conclusio.*

ctores fatentur : ergo nihil obstabit. Respondent primo, repugnare videri Deum communi intuitiuè per actum naturalem, *Respondent 1.* non ex ratione communi supernaturalitatis, sed ex modo, quo intuitiua notitia comparatur ad proprium obiectum, scilicet, per transcendentalem ordinem, & realem connexionem cum illius existentia, quæ realis connexio entitati naturali repugnat.

17 *Contra.* Sed contra; etiam amor Dei super omnia ex supernaturali motiuo transcendentaliter refertur ad ipsum; & tamen non petit, nec illius existentiam, nec possibilitatem: ergo pariter, non obstabit ordo transcendentalis notitiæ intuitiuæ in Deum, vt existentem, quo minus illius existentiam non petat. *Confirmatur.* Confirmatur; si amor ille esset supernaturalis, Dei possibilitatem exposceret ratione ordinis transcendentalis ad illum; & tamen, quia naturalis est, etsi ordinem dicat, sui obiecti possibilitatem non petit: ergo pariter de intuitiua notitia est dicendum, quod supernaturalis petit obiecti supernaturalis existentiam, quia est proportionata, naturalis verò non petat ratione improportionis, estò vtraque transcendentalem ordinem dicat.

18 *Respondent 2.* Secundo respondent; visionem Dei intuitiuam, quia beatificat hominem, habere connexionem cum gratia iustificante, vnde ex hoc capite repugnat ei, quod sit naturalis. Verum hæc solutio est minus sufficiens, quam prima, *Contra.* quia etiam actus charitatis tendens proportionatè in Deum ex supernaturali motiuo, cum gratia iustificante connectitur, quo non obstante, admittit contraria sententia dilectionem aliam merè naturalem non connexam cum gratia, quia improportionatè tendit in Deum ex supernaturali motiuo: ergo pariter, etsi visio beatifica supernaturalis, sit cum gratia connexa, naturalis tamen connexa non erit, nec per consequens beatificabit, sicut nec naturalis amor ad gratiam disponit, quamuis disponat ille, qui est supernaturalis.

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

19 *Arg. 1.* COntra istam conclusionem objiciunt Auctores oppositi primo; supernaturalis beatitudo potest nobis proponi vt conuenientissima, & bona per apprehensionem merè naturalem, qua vt possibilis probabiliter cognoscatur; at tunc excitabitur naturalis affectus: ergo naturali appetitu potest appeti, vt supernaturalis, & ex supernaturali motiuo. Consequentia tenet. Maior supponitur: & minor probatur; in illo casu excitabitur aliquis affectus; at non excitabitur supernaturalis; cum cognitio regulans sit naturalis, à qua, saltim per se loquendo, regulari non potest appetitus supernaturalis: ergo excitabitur naturalis.

20 *Respondetur.* Respondeo, quod si proponatur supernaturalis beatitudo cum exclusione omnis naturalis motiui, vt argumentum supponere videtur, nullus excitabitur affectus in voluntate, non supernaturalis; quia iudicium regulans est naturale, non naturalis; quia motiuum propositum, est supernaturale, vnde sicut ex defectu supernaturalis cognitionis, non sequitur supernaturalis affectus, ita ex defectu naturalis motiui, appetitus naturalis non sequitur. *Si dicas.* Si dicas, non minus mouet bonitas supernaturalis, quam motiuum naturale, imo magis; at si naturale motiuum proponeretur, excitaret in voluntate naturalem affectum: ergo etiam illo excluso, & supernaturali *Respond.* bonitate proposita, excitabitur talis affectus. Respondeo, magis mouere ad actum supernaturalem sibi debitum, si debito iudicio, supernaturali videlicet, proponatur, non autem ad naturalem, ad quem nullatenus potest mouere.

21 *Arg. 2.* Objiciunt secundo; Deus adhuc, vt Auctor naturæ, infinitè superat supernaturalem bonitatem visionis; & tamen vt talis, potest amorem super omnia naturalem terminare: ergo à fortio i supernaturalis bonitas vnionis naturalem affectum terminare valebit, & ad illum for- *Respondetur.* maliter mouere absque aliquo naturali motiuo. Respondeo, concessa maiori, & minori, negando consequentiam: quia licet Deus, vt Auctor naturæ, magis excedat naturalem amorem, quam visio beatifica desiderium naturale excessu entitatiuo, non tamen excedit magis in ordine; quia Deus, vt Auctor naturæ est eiusdem ordinis cum amore naturali: visio autem beatifica superioris ordinis est respectu naturalis desiderij; Nos autem non arguimus ex entitatiuo excessu, sed ex ordinis superioritate; & insto argumentum in contraria sententia, quæ non admittit proportionatum appetitum naturalem visionis beatificæ; & tamen tenetur admittere amorem naturalem proportionatè tendentem in Deum, vt est Auctor naturæ.

22 *Tertio arguitur.* Tertio objiciunt; sola diuersitas in modo tendendi cum omnimoda conuenientia in obiecto formali, sufficit ad distinguendos actus distinctione essentiali: ergo quamuis naturalis, & supernaturalis actus idem motiuum formale respiciant, poterunt essentiali distinctione gaudere ob diuersum modum tendendi; & consequenter nulla erit repugnantia in hoc, quod naturalis actus supernaturale motiuum respiciat, & è conuerso. Consequentia tenet. Et antecedens probatur exemplis; in primis enim, motus circularis, & rectus essentialiter distinguuntur, solum ob diuersum modum tendendi; cum ad eundem terminum multoties comparentur. Item visio exterior, & interior sensatio eandem inspiciunt albedinem, & solo modo tendendi diuerso essentialiter distinguuntur. Denique, cognitio Angelica Gabrielis essentialiter differt à locutione Angelica Raphaelis, etsi vtraque attingat idem obiectum: ergo solus diuersus modus tendendi cum conuenientia omnimoda in obiecto, sufficit speciem variare actus.

23 *Respond.* Respondeo, negando antecedens, nec illud exempla conuincunt, & ab vltimis incipiendo, in obiecto cognitionis Gabrielis, & Raphaelis est diuersa obiectiua immaterialitas, maior, vel minor iuxta excessum cognitionis in cognitionem, & idem dico de albedine comparata ad exteriorem, & interiorem sensum, quatenus iste respicit illam, prout in idolo interiori repræsentatam, ille verò eandem, prout est à parte rei; in motu autem circulari, & recto, etiam est diuersa ratio terminatiua in termino, quæ à nobis aliter explicari non potest, nisi per diuersas attingibilitates.

24 *Dices. Respondetur.* Dices: ergo pariter in supernaturali motiuo distingui poterunt attingibilitates diuersæ, secundum quas terminet naturalem, & supernaturalem affectum. Nego consequentiam; quia actus naturalis specificari non potest ab attingibilitate aliqua in supernaturali motiuo reperta; quia cum esse debeat intrinseca illi; debet esse supernaturalis: ac proinde ab illa specificari non poterit appetitus naturalis; cum namque in attingibilitate per actum naturalem, in obliquo ipse actus importetur, & in recto aliquid supernaturale, & specificatio non possit ab obliquo desumi; alias specificaretur à se ipso, necessario deberet specificari ab eo, quod importatur in recto: ab hoc autem non potest, quia est supernaturale.

25 *Quarto arguitur. Antecedens ostenditur 1.* Quarto arguitur; actus supernaturalis potest habere pro obiecto, & motiuo formali aliquid naturale: ergo & naturalis actus supernaturale motiuum. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem conantur ostendere, primo; in scientia infusa animæ Christi, quæ ad veritates naturales terminatur, quin illas cognoscat in aliquo medio supernaturali prius cognito: ergo terminatur ad illas ex naturali motiuo. *Secundo.* Secundo, bonitas Dei, vt est Auctor naturæ potest supernaturali cognitione apprehendi, & vt sic voluntati proponi; at tunc non sequetur naturalis actus in voluntate; cum iudicium sit supernaturale: ergo resultabit amor supernaturalis erga obiectum, & motiuum naturale. *Tertio.* Tertio; vnio hypostatica specificatur ab humanitate, quam respicit, vt extremum vnitum; supernaturale accidens à naturali subiecto receptiuo sui: ergo pariter poterit actus supernaturalis habere naturale motiuum. Patet consequentia: quia sicut iste à motiuo speciem desumit; ita vnio ab extremis vnitis, & supernaturale accidens à subiecto.

26 *Resp. ad 1. probationem.* Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens. Ad primam probationem dicatur: scientiam infusam adæquatè à supernaturali obiecto specificari, vnde quando veritates naturales attingit, est in ordine ad illud; & consequenter in omni suo actu à supernaturali obiecto specificatur, tanquam ab obiecto *quo*, etsi naturalis veritas ingrediatur ad talem specificationem vt *quod*; sicut, quia intellectus habet pro obiecto specificatiuo sui ens reale, actus, quo ens rationis cognoscit, illud attingit in ordine ad ens reale: ac proinde specificatur ab illo, & mille alijs exemplis posset illustrari. Nec *Si exemplum aliter formetur primo.* refert si exemplum in hunc modum retorqueas, primo, actus, quo ens rationis cognoscitur ad similitudinem entis realis, solum in obliquo ad ens reale terminatur, & in recto ens rationis attingit: ergo non specificatur, vt ab obiecto *quo*, ab ente reali, sed ab ente rationis; & consequenter idem continget in scientia infusa animæ Christi, vt non à supernaturali, sed à naturali obiecto speciem desumat. *Secundo.* Secundo, etsi ens reale sit obiectum specificans nostrum intellectum, potest ali-

quis actus ab ente rationis ſpecificari, nempè, actus ſcientificus Logicæ, v.c. ergo pariter quamuis ſcientia infuſa ab ente ſupernaturali ſpeciem deſumat, aliquis eius

27 actus à naturali obiecto ſpecificari valebit.

Reſpondetur ad 1. Non inquam refert; ad primum namque reſpondetur, quod etſi ens reale ſolum in obliquo attingatur vt *quod* ab actu prædicto, vt *quo* tamen attingitur in recto, quatenus eſt obiectum mouens, & determinans per ſpeciem ſui ad talem cognitionem. *Ad ſecundum.* Ad ſecundum, admiſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia in ente rationis ſaluatur ſcibilitas abſolutè, & ſimpliciter talis: ac proinde terminare poteſt ratione ſui ſcientificum actum; at verò in naturali obiecto, non ſaluatur ſcibilitas per ſcientiam infuſam ratione ſui, ſed dependenter ab obiecto ſupernaturali, propter rationes ſuperius adductas.

18 *Ad ſecundam probationem principalis antecedentis.* Ad ſecundam primi antecedentis probationem reſpondeo, tunc, nec ſupernaturalem, nec naturalem actum in voluntate poſſe reſultare, non ſupernaturalem, quia vt caſus ſupponit, nullum ſupernaturale motiuum obiectiuè relucet, non naturalem, quia cognitio regulans eſt ſupernaturalis, vt ſupra in ſimili caſu dicebam. *Ad tertiam.* Ad tertiam reſpondeo, vnionem hypoſtaticam ſpecificari à ſubſiſtentia Verbi; eo quod quamuis humanitatem reſpiciat, non tamen vltimatè, ſed in ordine ad ſubſiſtentiam Verbi, vt ad terminum vltimo inſpectum; vnde ſicut relatio non à ſubiecto, ſed à correlatiuo ſpecificatur, quia, etſi ſubiectum reſpiciat, non ſiſtit in illo, ſed tranſit vltimatè ad terminum ita pariter in vnione contingit; ratio omnium eſt quia ſpecies non à quolibet terminante, ſed ab vltimo terminante deſumitur, quocirca nec motus à termino *à quo*, ſed à termino *ad quem*, nec actio a principio, ſed à termino, nec habitus a ſubiecto, ſed ab obiecto ſpecificantur, quia vltimatè ſiſtunt in illis, etſi alia reſpiciant non vltimatè.

29 *Ad exemplum ſecundum reſpondetur.* Per quod etiam poteſt reſponderi ad ſecundum exemplum; nam ſupernaturale accidens, vel eſt actus, vel habitus, vel auxilium, vel gratia habitualis. Tria priora ab obiectis, & non à ſubiectis ſpecificantur ob rationem traditam: gratia autem habitualis, nec ab obiecto, nec ab actu ſpeciem deſumit, ſpecificantur tamen a natura diuina, cuius eſt expreſſa, & formalis participatio *Si opponas.* vnde ordo gratiæ in ſubiecto non ſiſtit, ſed tranſit ad naturam diuinam, cuius particeps ſubiectum conſtituit. Si opponas ſcætera entia participata à Deo, non ſpecificantur *Reſpondetur.* ab illo: ergo nec gratia, eſtò participatio ſit naturæ diuinæ, ab illa ſpecificabitur. Conceſſo antecedenti nego conſequentiam, quia in alijs entibus non importatur expreſsè conceptus participationis ſecundum vltimas differentias illorum, ſed ſolum eſt quædam ratio tranſcendens; at verò in gratia explicitè importatur conceptus participationis formalis ſecundum vltimam eius differentiam.

Inſtabis: charitas ſupernaturalis eſt formalis participatio diuinæ voluntatis; & tamen non ſpecificatur ab 30 *Inſtabis.* illa, ſed ab actu, & obiecto: ergo nec gratia à diuina natura, cuius eſt participatio expreſſa, ſpeciem deſumet. Conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia charitas eſt participatio ordinata, ad operandum, vnde *Reſpondetur.* ab operatione vltimatè ſpecificatur: gratia autem, cum ad operandum non ordinetur proximè, non poteſt ab operatione ſpecificari. Replicabis adhuc; gratia etiam ordinatur ad propriam exiſtentiam, quæ cum in exi- *Replicabis adhuc.* ſtentia accidentalis ſit, ſpeciem à ſubiecto deſumit: ergo vltimatè ſpeciem a ſubiecto recipit Reſpondeo, verum eſse, gratiam ad exiſtentiam propriam ordinari, vnde proximè ſpecificatur ab illa: exiſtentia autem *Reſpondetur.* eius non ſpecificatur à ſubiecto, quia, etſi accidentalis ſit, quia tamen ſubiectum eleuat ad participationem diuinæ naturæ, tanquam ad ſubiectum ſuperius, non à ſubiecto, ſed à Dei natura, cuius eſt participatio ſpecificatur.

Denique arguitur; potentia obedientialis à ſupernaturali forma ſpecificatur; & tamen eſt entitatiuè na- 31 *Vltimo arguitur.* turalis: ergo pariter actus reſpicere poterit ſupernaturale motiuum, & eſſe entitatiuè naturalis. Reſpondetur conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam; & *Reſpondetur.* ratio diſparitatis eſt, quod potentia obedientialis habet modum reſpiciendi improportionatè, repugnantem entitati intrinſecæ ſupernaturali, nempè, reſpicere formas ſupernaturales abſque exigentia illarum, & abſque inclinatione ad illas, qui modus tendendi repugnat entitati intrinſecæ ſupernaturali; nam eo ipſo, quod entitas alicuius potentiæ ſupernaturalis ſit, exigit formas ſupernaturales, & ad illas inclinat; at verò improportio, quæ à contrarijs in actu inefficaci aſſignatur, nempè, vel quia inefficaciter tendit, vel quia cum ſupernaturali obiecto connexionem non habet, actui entitatiuè ſupernaturali non repugnat, vt ſuperius oſtendi, & id circò ſufficiens non eſt, vt ſupernaturalis non ſit. Recole ſecundam rationem, qua noſtram concluſionem oſtendimus. Alia multa congerunt argumenta ab Auctoritate petita, quæ quia nullius ponderis ſunt, vt illa ponderanti conſtabit, libenter omitto.

DISPVTATIO X.

An detur in homine appetitus naturalis elicitus efficax viſionis beatificæ ex motiuo naturali?

§. I.

Vera ſententia probatur,

Nu. 1. *Proponitur ſententia contraria, Ripalda,* AFFIRMATIVAM ſententiam tenet Herice loco ſupra allegato. eamque latè proſequitur Martinez de Ripalda *lib. 1. de ente ſupernaturali diſp. 14. ſect. 13.* referens pro ea Patrem Salas, Granadum, Vazquium, quibus adiungit Bañez, & Suarez, eo quod inefficaciam affectus erga ſupernaturalia, reducunt in defectum virtutis executiuæ, ex quo ſolum arguitur, non poſſe appeti affectu efficaci intrinſecè, & extrinſecè: non autem quod non poſſint appeti appetitu ab intrinſeco, & quantum eſt de ſe efficaci. Ceterum eadem ratione poſſet, omnes Thomiſtas pro ſua recenſere ſententia; cum omnes ex illo capite; argumentum deſumat vt denegent appetitum efficacem ex viribus naturæ elicitum erga ſupernaturalia, vt apud illos poteſt videri.

2 *Concluſio Bañez. Medina,* Noſtra concluſio eſt negatiua: ita omnes Thomiſtæ, Bañez *1 p. q. 12. art. 1. concluſione 2.* Medina *1. 2. q. 3. art. 8.* Zumel *1. p. q 12. art. 1. concluſion. 1.* Ripa *ibidem dub. 1.* Albelda *1. p. diſp. 24. ſect. 2.* Nazarius *1. p. q. 12. art. 1. controuerſ. 2. concluſion. 4.* Illam etiam ex PP. Societatis tuentur Suarez *1. 2. diſp. 16. ſect. vltima,* Faſolis *1. par. q. 12. art. 1. dub. 1.* & communiter omnes Recentiores. *Zumel. Ripa. Albelda. Nazar. Suarez. Faſolis.* Quæ ſuadetur ſic primo: appetitus efficax vt ab inefficaci diſtinguitur, connectitur per ſe cum obiecti poſſibilitate; ſed nihil naturale poteſt cum ſupernaturali obiecto neceſſario connecti, illiuſque poſſibilitatem expoſcere: ergo nec efficaciter illud appetere. Illatio eſt legitima: minor à contrarijs admiſſa. *Suadetur primo.*

Maiorem autem multipliciter oſtendo. Primo ad hominem contra Ripaldam: ipſe namque *ſect. citata num. 18.* fatetur ex inefficaci appetitu viſionis beatificæ non rectè illius poſſibilitatem probari, benè tamen ex efficaci; eo quod inefficax poteſt erga impoſſibilia verſari: ergo appetitus efficax neceſſario petit in eius ſententia poſſibilitatem obiecti, quod appetit; alias erga impoſſibile verſari poſset; & conſequenter ex appetitu efficaci viſionis beatificæ non rectè inferretur eius poſſibilitas quod eſt contra ipſum. 3 *Maior probatur primo.*

Secundo: appetitus efficax, erga impoſſibile nequit verſari: ergo neceſsario petit ſui obiecti poſſibilitatem. 4 *Secundo.* Conſequentia tenet. Et antecedens probo; appetitus efficax finis eſt ille, qui poteſt applicare media efficacia ad finis conſecutionem; ſed appetitus finis impoſſibilis nequit

nequit efficaciam habere ad applicanda media efficacia : ergo nequit esse efficax respectu illius. Probo minorem ; talium mediorum applicatio repugnat ; cum finis non possit executioni mandari ; ergo etiam repugnat efficacia ad illorum applicationem. Tertio ; actualis motio efficax ad finis assecutionem, necessariò connectitur cum actuali assecutione finis : ergo vis sufficiens in actu primo ad mouendum efficaciter ad assecutionem finis, necessariò connectitur cum possibilitate assecutionis finis : sicut enim se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam. Tum sic : sed appetitus efficax dat vires sufficientes ad applicanda media efficacia, quibus finis executioni mandetur : ergo necessariò petit finis assequibilitatem, & possibilitatem.

Tertio.

5 Respondebis : appetitum efficacem esse duplicem, alium efficacem ab intrinseco solum, alium efficacem ab intrinseco, & extrinseco simul : appetitus efficax ab intrinseco solum, est ille, qui quantum est de se, potest potentiam ad mediorum executionem applicare, si adsint vires in natura ad illa ponenda, & necessariò connectitur cum omnibus ad finis assecutionem conducentibus ex tali suppositione. Appetitus efficax ab intrinseco, & extrinseco simul, est ille, qui in sua potestate continet media, cum quibus opus absolutè perficiat ; iste secundus, repugnat, quod sit naturalis, quia naturalis entitas nequit in sua potestate supernaturalia media continere : primus autem neutiquam repugnat, quod ex viribus naturæ eliciatur, quia non connectitur cum sui obiecti possibilitate absolutè, sed solum sub conditione, quod Deus præbeat vires supernaturales naturæ, medijs quibus finem assequi possit.

Respondebis.

6 Sed contra multipliciter insurgo, & in primis contra distintionem talium appetituum. Afferit namque, solum esse ab extrinseco, & per aliquid extrinsecum illis, quod esse falsum in hunc modum ostendo. Dicti appetitus, vt præfatus Auctor fatetur, differunt penes hoc, quod vnus habet in sua potestate media ad supernaturalem finem conducentia, alius verò illa in sua potestate non continet ; sed continentia mediorum supernaturalium, necessariò petit supernaturalitatem in continente : ergo necessariò debet ab alio appetitu talia media non continente, distingui ab intrinseco. Patet consequentia ; quia talis continentia est intrinseca : ergo discrimen intrinsecum ponit in continente à non continente.

Contra 1.

7 Secundò impugnatur ; quod vires supponantur in natura, vel non supponantur, non variat illum appetitum intrinsecè : ergo si postquam vires supernaturales dantur in natura, intrinsecè connectitur cum obiecti supernaturalis possibilitate, etiam ante illas, necessariam connexionem habebat cum supernaturali obiecto. Tertio ; connexio cum obiecto supernaturali sufficiens ad constituendum aliquid in ratione supernaturalis, non potest enti naturali competere ; sed connexio cum fine supernaturali, ex suppositione solum, quod adsint vires, constituit aliquid in ratione supernaturalis : ergo talis connexio conuenire non potest actui naturali. Maior cum consequentia tenet. Et minor probatur ; voluntas efficax restituendi ablatum ex motiuo charitatis, est ab intrinseco supernaturalis ; & tamen connexionem non habet, cum restitutione ex motiuo supernaturali facienda, nec illam exposcit, nisi sub conditione, quod ad sit facultas ad illam : ergo connexio cum supernaturalibus sub prædicta conditione, sufficiens est ad constituendum aliquid in ratione supernaturalis intrinsecè.

Secundo.

Tertio.

8 Quarto : appetitus efficax, ab intrinseco, & quantum est de se, debet ab intrinseco continere motionem efficacem, saltim in actu primo ; sed applicatio efficax naturæ ad supernaturalem finem, vel supernaturalia media apponenda, nequit adhuc in actu primo, in appetitu naturali contineri : ergo nequit appetitus naturalis efficax dari respectu supernaturalis obiecti. Maior cum consequentia tenet. Et minor probatur ; motio seu applicatio efficax actualis ad media supernaturalia est connexa essentialiter cum existentia illorum ; sed connexio essentialis cum existentia entis supernaturalis, enti naturali repugnat, vt fatentur Auctores oppositi : ergo applicatio efficax naturæ ad finem, seu media supernaturalia, est supernaturalis, & consequenter, non continetur in appetitu naturali, adhuc in actu primo.

Quarto.

9 Secundo principaliter suadetur conclusio ; qui non potest efficaciter appetere media, non potest efficaciter appetere finem ; sicut qui media habere non potest, nec finem pariter potest habere ; sed homo non potest ex viribus proprijs appetere appetitu efficaci ab intrinseco primam gratiam, quæ est medium ad gloriam : ergo nec istam poterit appetere appetitu efficaci. Probo minorem, appetitus ab intrinseco efficax est ille, qui potest ad rei assecutionem mouere, ex suppositione, quod adsint vires in subiecto appetente ; sed ad primam gratiam consequendam repugnat dari vires in homine : ergo & repugnabit illam ex proprijs viribus appetere appetitu efficaci ab intrinseco.

Secundo suadetur conclusio.

GODOY in 1. p. Tom. 1.

Tertio ; appetitus efficax finis supernaturalis, est idem, quod efficax intentio illius ; sed efficax intentio supernaturalis finis, naturalis esse non potest : ergo nec appetitus efficax. Consequentia est legitima. Maior certa. Et minor probatur ; ab intentione efficaci finis, efficienter causatur electio mediorum conducentium ad illum ; sed electio ad finem supernaturalem conducens, in naturali actu contineri non potest, nec ab illo efficienter causari : ergo talis intentio repugnat, quod naturalis sit. Minor est certa ; quia talis electio est supernaturalis ; & maior probatur sic : namque se habet electio medij intentionem finis, sicut assensus conclusionis ad assensum præmissarum ; sed assensus conclusionis supernaturalis efficienter ab assensibus præmissarum causatur : quo circa si ille sit supernaturalis, & præmissarum assensus, debent esse supernaturales : ergo pariter electio ab intentione efficienter causabitur. 10

Tertio.

Oppones ; assensus Theologicus est supernaturalis ; & tamen ex vna præmissa lumine naturali nota procedit : ergo pariter supernaturalis electio ex naturali intentione procedere potest. Respondeo, quod quando naturalis præmissa ad assensum Theologicum concurrit, non concurrit ex proprijs viribus, sed vt eleuata per aliam præmissam supernaturalem : in nostro autem casu non ita, sed ex proprijs viribus concurrit intentio ad electionem, nec enim datur aliquid illam eleuans ad talem concursum præstandum. 11

Oppones.

Respondetur.

Confirmatur hoc amplius ; iudicium naturale supernaturalis obiecti non potest obiectiuè ad supernaturalem actum mouere : ergo nec naturalis intentio mouere poterit subiectiuè ad supernaturalem electionem. Consequentia tenet à paritate rationis. Et antecedens constat, quia aliàs fides supernaturalis necessaria non esset ad actum charitatis eliciendum, nec ad iustificationem, quod est prorsus falsum, vtpotè contra concilia & PP. Ecclesiæ. 12

Confirmatur amplius.

Denique suadetur conclusio ex duplici inconuenienti, quod ex opposita sententia sequitur, primo infertur ex illa, posse hominem viribus proprijs efficere aliquid ad vitam æternam efficaciter conducens ; consequens est absurdum, & contra omnes PP. Ecclesiæ, & contra Paulum dicentem : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis* : ergo & sententia contraria. Probatur sequela : appetitus efficax beatitudinis supernaturalis, ad illam conduceret ; siquidem efficaciter moueret voluntatem ad actus supernaturales meritoriè ad illam concurrentes : ergo si istum potest homo ex viribus naturæ efficere, poterit naturaliter aliquid ad vitam æternam cum effectu conducens causare. 13

Probatur conclusio ab inconuenienti.

Respondebis, loca Scripturæ, Conciliorum, & PP. non excludere ab operibus naturalibus conducentiam physicam ad supernaturalem finem, sed solum conducentiam moralem per modum meriti, aut impetrationis ; affectus autem efficax beatitudinis supernaturalis, physicè tantum ad finem supernaturalem conducit. Sed contra primo ; quia in omnium catholicorum sententia à Concilijs, & PP. negatur operibus naturæ, conducentia dispositiua ad finem supernaturalem ; & tamen multi, & Doctissimi probabiliter tenent, actus disponentes ad gratiam, non meritoriè, nec impetratoriè ad illam concurrere, sed solum dispositiuè physicè : ergo etiam denegatur naturæ operibus, à Concilijs, & PP. physica conducentia ad supernaturalem finem. 14

Respondebis.

Contra 1.

Secundo, illustrationes intellectus, & piæ affectiones voluntatis, quibus homo ad opera salutaria excitatur, iuxta Concilia, & PP. excedunt vigorem naturæ, nec ab illa proprijs viribus possunt causari ; & tamen nec impetratoriè, nec meritoriè ad supernaturalem fine concurrunt ; cum non sint actus liberi, sed necessarij, vt docetur in tractatu de gratia, sed illustrationes obiectiuè concurrunt, ostendendo obiectum, & illud proponendo voluntati, affectiones, illam ad opera supernaturalia alliciendo : ergo Concilia, & PP. non solum denegant naturæ operibus moralem conducentiam ad supernaturalem finem, sed etiam physicam, & alliciuam ; at appetitus efficax allicit, & mouet efficaciter voluntatem ad supernaturales, & saluta- 15

Secundo.

salutares actus : ergo nequit iuxta Scripturam, & Concilia defendi, quod ex naturæ viribus possit haberi.

16 *Dices. Contra.* Dices: illustrationes intellectus, & pias affectiones voluntatis complere sufficientiam naturæ, & idcirco excedere vires illius. Sed contra; eatenus pia voluntatis affectio complet sufficientiam naturæ, quatenus illam mouet ad actum liberum supernaturalem, qui meritoriè ad vitam æternam conducit; sed appetitus efficax finis supernaturalis efficaciter etiam mouet ad supernaturales actus eliciendos: ergo nequit in actu naturali talis efficacia inueniri.

17 *Vltima probatur conclusio ab alio inconuenienti.* Sequitur secundo ex contraria sententia, ad supernaturalem fidem necessariam non esse piam affectionem voluntatis excedentem vires naturæ; consequens est falsum: ergo & antecedens. Probo sequelam; efficax appetitus, quem admittit contraria sententia sufficeret ad imperandum actum supernaturalem fidei, siquidem alios actus supernaturales potest imperare: ergo necessaria non esset pia affectio voluntatis quoad substantiam supernaturalis. *Dices.* Dices, piam affectionem supernaturalem esse necessariam, quia licet appetitus efficax naturalis possit actum supernaturalem fidei absolute imperare, connaturaliter tamen non potest, quia actus fidei, connaturaliter petit per supernaturalem actum imperari. *Contra.* Sed contra; tam pia affectio supernaturalis, quam affectus efficax naturalis habent vires intrinsecas ad actum supernaturalem fidei imperandum: ergo actus fidei indifferenter potest ab vtroque imperari, nec est cur connaturaliter magis vnum, quam alium exposcat.

18 *Si oppones.* Oppones; actus charitatis potest per actum fidei, & per actum scientiæ infusæ regulari; & tamen cum hoc saluatur necessitas fidei ad actum charitatis regulandum: ergo pariter, quamuis actus fidei possit per quemvis prædictorum actuum imperari, cum hoc tamen saluari poterit necessitas piæ affectionis supernaturalis. *Respondetur.* Respondetur, concessa maiori, & minori negando consequentiam, Quia non omnibus datur habitus scientiæ infusæ, omnibus tamen datur auxilium sufficiens ad credendum; & id circo, quamuis charitatis actus, & alij ad iustificationem concurrentes regulari possent, quantum est ex se, per actum scientiæ infusæ, quia tamen non omnibus regulariter datur; consequens fit, quod fides ad iustificationem; & actum charitatis in via sit necessaria. Sicuti non obstante, quod per lumen gloriæ actus charitatis possit regulari, imo & connaturalius reguletur; quia tamen viatoribus numquam conceditur saluatur ad illam fidei necessitas; cæterum omnes possunt per proprias vires affectum efficacem elicere, si semel conceditur, quod sit naturalis, vnde si semel post actum fidei imperare, non est cur pia affectio supernaturalis sit necessaria.

§. II.

Occurritur argumentis in contra.

19 *Arguitur primo ex August.* Contra nostram conclusionem arguitur primo ex Aug. *lib. 4. contra Iulianum cap. 3.* asserente: *Non omnes homines instinctu naturali beati esse vellemus, nisi esse possemus; sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum*: vbi apertè loquitur de appetitu supernaturalis beatitudinis: quod autem loquatur de appetitu naturali, constat ex eo quod loquitur de appetitu omnium hominum; & quod de efficaci loquatur, ex inde colligitur, quod inefficax non requirit possibilitatem obiecti, quod appetit; at Augustinus ait, illum appetitum non fore in hominibus, nisi visio beatifica esset illis possibilis: ergo loquitur de efficaci. *Ex D. T.* Et ex Diuo Thoma in præsenti probante possibilitatem visionis beatificæ, ex eo quod omnes homines appetunt illam; at ex inefficaci appetitu nullum argumentum efficeret, cum versari possit erga impossibile: ergo loquitur de appetitu naturali efficaci.

20 *Respondetur.* Respondeo ex dictis *supra disp. 8.* quod etsi appetitus inefficax in vno, vel altero inuentus erga impossibile possit versari, ille verò, qui in omnibus datur, moraliter saltim circa impossibile nequit versari, eo quod moraliter saltim, non est possibile, tot homines falli; vnde ex inefficaci appetitu omnium hominum, probabiliter saltim colligitur possibilitas visionis beatificæ; & insto argumentum in sententia contraria afferente, appetitum efficacem, quem ponit, non necessario cum possibilitate visionis connecti: ergo nec ex illo potest visionis possibilitas ostendi efficaciter, sed solum probabiliter; illo autem modo etiam potest ex inefficaci appetitu probari.

Secundo arguitur; potest homo licet falso apprehendere visionem beatificam, vt possibilem viribus naturæ: ergo in tali casu efficaci appetitu illam desiderabit. Patet consequentia; quia appetitus elicitus apprehensionem sequitur: ergo eodem modo sequitur, quando apparet possibile, estò falsa sit apprehensio, ac quando re vera est possibile; at si re vera esset possibilis viribus naturæ posset ex illis efficaciter appeti: ergo etiam appetetur efficaci appetitu, quando vt possibilis apprehenditur per naturæ vigorem, estò re vera impossibilis sit. 21 *Arguitur secundo.*

Respondetur. Respondeo, concesso antecedenti, distinguendo consequens: appetitu efficaci efficacia apparenti, & ad media apparenter efficacia, concedo consequentiam: efficacia vera, nego consequentiam; quia cum, vt monstraui, efficacia appetitus, obiecti possibilitatem exposcat, quando est possibile possibilitate solum apparenti, solum tali efficacia gaudebit appetitus, & licet eodem modo tunc moueatur voluntas quantum ad apparientiam, non tamen eodem modo quantum ad veram efficaciam mouetur.

Tertio arguitur; potest homo per naturalem actum efficaciter se mouere ad actus supernaturales, & illos imperare: ergo poterit etiam naturali appetitu efficaciter desiderare supernaturalem finem. Consequentia est aperta. Antecedens autem probatur sic primo: consecratio, & absolutio à peccatis, sunt actus supernaturales; sed potest Sacerdos per naturalem actum se ad illas exequendas applicare, & multoties id facit; cum ex prauo motiuo multoties ad illas exercendas moueatur: ergo verum est antecedens. Secundo; dilectio efficax Dei Auctoris naturæ super omnia, quæ ab homine elapso potest haberi, est entitatiuè naturalis, vt 1. 2. q. 109. à multis Thomistis docetur; & tamen claudit propositum efficax adimplendi omnia præcepta etiam supernaturalia, quæ non nisi per supernaturales actus possunt adimpleri; & consequenter illorum supernaturalem adimpletionem potest imperare; ergo idem quod prius. Tertio; ad imperium efficax non pertinent Vires exequentes; cum vis imperatiua, & executiua sint distinctæ: ergo poterit imperare actum, ad cuius executionem vires non habeat: & consequenter actus naturalis imperare efficaciter poterit actus entitatiuè supernaturales. 22 *Arguitur tertio.* *Antecedens probatur 1.* *Secundo.* *Tertio.*

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens Ad primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: quoad id, quod est naturale in consecratione, & absolutione concedo minorem: quoad supernaturale, quod in illis inuenitur, nego minorem, & nego consequentiam. Itaquè in consecratione, & absolutione, & est naturalis prolatio verborum, & est actio causans gratiam, & Sacramentum conficiens, quæ actio a verbis eleuatis supernaturali eleuatione à Deo, instrumentaliter dimanat: ad primum potest, homo per actum naturalem se mouere efficaciter; ad secundum non ita. Ad secundam antecedentis probationem; concessa maiori, nego minorem, sed in illo actu solum inuoluitur propositum efficax ad implendi omnia præcepta naturalia. 23 *Respondetur ad 1. probationem antecedentis.* *Ad secundam.*

Si opponas in illo actu clauditur propositum efficax non transgrediendi supernaturalia præcepta; sed non transgredi supernaturale præceptum positiuum, est idem, quod adimplere ipsum per supernaturalem actum, instante præcepto: ergo includitur in illo efficax propositum adimplendi supernaturalia præcepta per actus supernaturales. Consequentia tenet. Minor est certa. Et maior probatur; includitur in illo proposirum efficax non admittendi aliquid auertens à Deo, vt est Auctor, & finis naturæ; sed transgresio supernaturalis præcepti auertit hominem à Deo, vt est Auctor, & finis naturalis: ergo in illo inuoluitur propositum efficax non transgrediendi supernaturalia præcepta. 24 *Si opponas.*

Respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: auertens directè, concedo maiorem: indirectè solum, nego maiorem: trangresio autem supernaturalium præceptorum solum, indirectè auertit à Deo, vt Auctore naturæ, quatenus ponit finem vltimum in creatura, cum quo nequit componi conuersio in ipsum, prout est Auctor naturæ, non autem directè, quia non est transgresio præceptorum Dei, quatenus est Auctor naturæ, & id circo in actu prædicto non clauditur propositum efficax non transgrediendi supernaturalia præcepta, de quo fusius loco allegato in materia de Gratia. 25 *Respondetur.*

Instabis; dilectio prædicta est in compossibilis ab intrinseco cum peccato auertente à Deo, prout est Auctor 26 *Instabis.*

ctor supernaturalis: ergo vim intrinsecam habet ad aduertendum omne, quod ad tale peccatum concurrit, & imperandum ea, quæ ad illius expulsionem conducunt; at sic conducentia, sunt supernaturalia: ergo illa poterit efficaciter imperare. Respondeo, distinguendo *Respondetur.* antecedens: incompossibilitate passiua, concedo antecedens; actiua, & expulsiua, nego antecedens, & nego consequentiam. Incompossibilitas passiua est, quod talis actus à peccato prædicto expellatur, si in subiecto ponatur, & hac gaudet prædicta naturalis dilectio. Incompossibilitas actiua consistit in vi expulsiua peccati à subiecto. & illa non habet prædictus actus; aliàs posset ad iustificationem vltimo disponere, quod est hæreticum. Vt autem consequentia teneret, illa secunda incompossibilitate deberet gaudere.

27 *Ad 3 probationem minoris. Dices.* Ad tertiam probationem minoris dicatur, quod etsi ad imperium efficax non pertineant vires executiuæ, pertinet tamen ad ipsum connexio cum illis, & istam non potest habere actus naturalis cum viribus supernaturalibus. Dices; sufficit connexio cum illis vt possibilibus; at ista non repugnat entitati merè naturali, si quidem superius in obedientiali potentia admisimus, connexionem cum visione beatifica, vt possibili; & tamen obedientialis potentia est entitatiuè naturalis: ergo imperio efficaci naturali, non repugnat connexio cum viribus supernaturalibus. Respondeo, imperium ef- *Respondetur.* ficax taliter cum obiecto, & viribus supernaturalibus connecti, quod in mera possibilitate non sistit, sed vlterius petit, quod aliquando existant, & hoc modo cum aliquo supernaturali connecti, repugnat enti merè naturali, vt diximus supra: obedientialis autem potentia solum cum illis, vt possibilibus habet connexionem, non exigendo illorum existentiam.

28 *Vltimo arguitur.* Quarto arguitur; naturalis effectus potest efficaciter ad actum supernaturalem mouere: ergo etiam est possibilis affectus naturalis ad illum efficaciter mouens. Antecedens videtur certum; affectus namque inefficax mouet inefficaciter, sicut efficax efficaciter; at datur naturalis appetitus inefficax ad formas supernaturales: ergo naturalis actu potest ad illas efficaciter mouere. Consequentia verò probatur; non solum repugnat moueri efficaciter ad aliquid omnino impossibile, sed etiam repugnat ad illud inefficaciter naturam moueri; sed ad id quod est possibile ex viribus gratiæ, potest natura inefficaciter moueri, supposito, quod adsint in illa vires supernaturales: ergo eadem suppositione data, poterit ad illud moueri efficaciter per actum entitatiuè naturalem.

Et confirmatur amplius, impugnando rationem vltimam ab inconuenienti desumptam, vt opus aliquod ad iustificationem conducat, & sit iustificationis initium, non est necessarium, quod efficaciter ad illam conducat, sed sufficit, quod conducat id efficaciter; sed hoc non obstante, à nobis admittitur appetitus inefficax supernaturalis beatitudinis, & gratiæ habitualis, qui consequenter inefficaciter mouet ad illam, quin præstet iustificationem initium: ergo poterit etiam admitti efficax appetitus naturalis, efficaciter ad actus ad iustificationem disponentes conducens, quin concedatur esse iustificationis initium. Maior probatur; illustrationes supernaturales intellectus, & piæ affectiones voluntatis sunt initium iustificationis; & tamen solum inefficaciter mouent moraliter alliciendo voluntatem ad illam: ergo inefficaciter ad iustificationem mouere, sufficit, vt aliquid sit, & dicatur initium nostræ iustificationis. 29 *Confirmatur.*

30 *Respondetur ad argumentum.* Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens Ad probationem, nego etiam antecedens. Appetitus namque inefficax, non ideò talis dicitur, quia inefficaciter moueat, & alliciat voluntatem ad sui obiecti assecutionem, sed ob negationem efficaciæ, vt mandet executioni media re vera ad illum finem conducentia. Quod autem nullo modo alliciat, constat ex eo, quod appetitus inefficax, vel est simplex complacentia, & illa nullatenus executionem respicit, sed complacet in bonitate obiecti secundum se; vel est conditionatum existentiæ desiderium, vt si dicamus, vellem volare, si esset possibile, & nec iste aliqualiter ad volendum mouet, seu allicit, vel quamuis absolutus sit, est tamen de obiecto re vera impossibili, falsò tamen iudicato possibile, & talis affectus solum mouet ad apponenda media, quæ apparent conducentia ad finem, quamuis re vera ad illum non conducant, ad quod præstandum efficaciam sortitur, vel est de obiecto proposito, vt possibili per vires gratiæ subiecto non debitas, & nec talis appetitus vllo modo allicit, quia expressè proponitur dictum obiectum, vt in assequibile per vires subiecti, & idcirco illas ad rei assecutionem, nullatenus allicit. Per quod ad confirmationem constat solutio, & ad alia multa argumenta, quæ congerunt citati Neoterici: ac proinde ab illorum prolixa repetitione libenter abstineo. Et hæc de ista Disputatione. *Ad confirmationem constat ex his solutio.*

DISPVTATIO XI.

An possit dari de potentia absoluta species impressa Deum repræsentans quidditatiuè, & prout est in se ipso?

§. I.

Præambula ad quæstionem, & sententiarum diuersitas proponuntur.

1 *Sententia Ægidij proponitur.* IN QVA Disputatione vnum supponimus, & alterum in examen vocamus; supponimus quidem talem speciem de facto non dari, in qua suppositione conueniunt omnes Theologi, excepto Ægidio *tom. 2. de beatitudine lib. 5. q. 3. art. 3. & q. 4. art. 1. & 4.* qui nedum affirmat talem speciem de facto dari, verum etiam non posse sine illa Deum clarè videri, ex eo quod diuinæ essentiæ repugnat exercere munus speciei respectu intellectus creati, vbi per paucos ex Antiquis Theologis refert pro sua sententia, qui vel illam probabilem esse asseruerunt, vel vt improbabilem non reiecerunt: excepto etiam Vazquio *in præsenti disp. 47. cap. 7.* asserente, lumen gloriæ, quod de facto eleuat intellectum *Reijcitur hæc opinio primo.* creatum ad Deum clarè videndum, speciei impressæ rationem sortiri. Nostram tamen suppositionem amplectuntur Theologi communiter, & manifesta ratione suadetur; in præsentia namque principalis, superfluit substitutum; sed species impressa est substituta obiecti, vices eius gerens in ordine ad intellectionem: ergo non est ponenda in præsentia Dei, cuius vices gerere deberet; at Deus in visione beatifica est præsens intimè intellectui beati: ergo non est ponenda species ad talem visionem deseruiens.

2 *Si dicas.* Si dicas: esse quidem diuinam essentiam præsentem intellectui beati præsentia entitatiua, & locali in distantia; non autem præsentia obiectiua, & intentionali, nisi interueniat species creata, qua illi vniatur, & obiectiuè præsens efficiatur. In contrarium insurgo; Deus *Contra.* namque in se ipso est summæ intelligibilis; aliàs intimè vnitus intellectui beati, lumen gloriæ in illo causans: ergo est præsens, nedum præsentia reali, verum etiam præsentia intentionali. Antecedens est certum. & consequentiam probo; ideò essentia Angeli est præsens obiectiuè proprio intellectui, quia est immaterialis, proximè intelligibilis ab ipso, & illum radicans: ergo si Deus ex vna parte est summè immaterialis, & intelligibilis ratione sui, & ex alia radicat, seu effectiuè causat lumen beatificum, quo intellectus creatus redditur

ditur potens proximè ad visionem eliciendam, erit intimè præsens intellectui beati, nedum præsentia physica, sed etiam obiectiua.

3 *Dices.* Dices: hæc omnia inveniri in intellectu viatoris, quem Deus causat; & consequenter est illi præsens per immensitatem; & tamen non est illi præsens obiectiuè, sed tantum physicè: ergo ratio facta nihil concludit, nisi solum physicam præsentiam respectu intellectus beati. Sed contra; nam ideò intellectui viatoris non est Deus

Contra. obiectiuè præsens, quia non est proportionatus ad eliciendam visionem, proportione exacta ex parte potentiæ, vnio autem speciei, & obiecti proportionem istam supponit; quo circa, etsi species impressa ponatur in lapide, illi intentionaliter non vnitur; quia in lapide non est potentia ad elicientiam actus, ad quem datur species; at intellectus medio lumine gloriæ habet proportionem requisitam ex parte potentiæ: ergo vnio Dei cum intellectu illustrato lumine gloriæ, erit vnio obiectiua intentionalis.

4 *Confirmatur.* Confirmatur hoc amplius; etiamsi ponatur in intellectu viatoris species impressa creata, quam agnoscit Ægidius, non vnietur cum illo intentionaliter, sed solum physicè; & tamen posita in beati intellectu illustrato lumine gloriæ, ei vnitur intentionaliter in sententia illius: ergo pariter, quamuis præsentia Dei ad intellectum viatoris sit non obiectiua, sed solum physica, ad intellectum tamen beati erit obiectiua, & intentionalis. Consequentia tenet. Minor constat, & probo maiorem; idcirco species sensibilis posita in lapide, solum physicè vniretur illi, & non intentionaliter; quia in lapide non supponitur proportio ad videndum requisita ex parte potentiæ, sed intellectu viatoris non supponitur lumen gloriæ, quod proportionem facit requisitam ex parte potentiæ ad eliciendam visionem beatificam: ergo etsi poneretur dicta species creata in viatoris intellectu, non obiectiuè intentionaliter, sed physicè solum illi vniretur.

5 *Secundo reijcitur opinio Ægidij.* Secundo suadetur nostra suppositio; vnio diuinæ essentiæ cum intellectu creato per modum speciei est possibilis; & aliàs, quod visio ab illa per se ipsam vnita procedat, est connaturalius, quam quod media specie creata vices eius gerente eliciatur: ergo talis species non est admittenda de facto. Consequentia est legitima: quia semper credendum est, Deum aliquid exequi modo magis connaturali rerum naturis, nisi oppositum fuerit reuelatum. Minor etiam exinde colligitur: quod visio eatenus ab specie impressa petit procedere, quatenus supplet defectum præsentialitatis, & vnionis obiecti: ergo vbi obiectum est præsens, & vnitum ratione sui, connaturalius ab illo procedet. Maior autem probatur; vnio speciei impressæ formaliter cum potentia intellectiua, non perit ex proprio conceptu informationem, sed solummodo obiectiuam determinationem per modum termini; vt patet in substantia Angelica, quæ vnitur cum proprio intellectu absque vlla informatione; sed non repugnat essentiæ diuinæ intrinsecè vniri cum creato intellectu per modum termini absque informatione, cum fide constet, vniri cum natura humana per modum subsistentiæ illam terminantis: ergo vnio per modum speciei, nullam imperfectionem dicit; & consequenter nullam repugnantiam. Et ex his probationibus facile corruunt, quæ in contrarium opponit Ægidius, & quæ ab alijs possunt opponi, constat etiam ex illis, falsò asseruisse Gabrielem Vazquez loco vbi supra, quod admissa non repugnantia speciei impressæ, potius dicendum esse, eam de facto dari, quam quod diuina essentia ratione sui per se ipsam immediatè vniatur. Cuius

6 dictum, vt falsum reijciunt omnes Theologi statim referendi pro prima sententia, præter Ægidium.

Prima sententia Aureol. Gonzal. Herrer. Suar. Molin. Vazq. Hoc ita præmisso, quod in examen vertimus est, an inspecta Dei absoluta potentia, sit possibilis prædicta species. Affirmant ex Antiquis Aureolus apud Capreolum *in 4. dist. 49. propositione* 10. Et Scotus relatus à Mag. Gonçalez *in præsenti disp. 25. sectione* 3. Herrera *in 1. Scoti disp.* 10. *q. 4. art.* 1. sequuntur Suarez *lib. 2. de attributis negatiuis cap.* 13. Molina *in præsenti disp.* 1. Vazquez *disp. 38. cap.* 2. & alij

Secunda. Capreol. Ferrar. Caiet. Sot. Arrub. Granad. Moderniores ex PP. Societatis. Negatiuam sententiam defendunt omnes Discipuli Diui Thomæ. Capreolus *in 4. distinct. 49. q. 5. art.* 1. Ferrara 1. *Contra Gentes cap.* 53. Caietanus *in præsenti art.* Soto *in 4. dist. 49. q. 2. art.* 3. Mag. Bañez, Nazarius, Gonçalez, Nauarrete, Zanardus, Rippa, Collegium Salmanticense, Ioannes à Sancto Thoma circa istum articulum. Quos ex Patribus Societatis, sequuntur Arrubal *disp. 16. cap. 4.* Granados *tract. 4. de Visione disp. 5. sect. 3.*

Nostra Conclusio. Et hæc sententia sit Nostra conclusio, quam esse de mente expressa D. Thomæ apertè contra Vazquium, conuincunt Gonçalez, Collegium Salmanticense. Et Mag. Sancto Thoma *in Commentario huius articuli*. Et ex aduersarijs Suarez vbi *supra*, & Herice *disp. 40. cap.* 1.

§. II.

Prima ratio Diui Thomæ proponitur.

CONCLVSIONEM positam sic ostendit primo Angelicus Doctor. *Per similitudines rerum inferioris ordinis nullo modo superiora possunt cognosci, sicut per speciem corporis, non potest cognosci essentia rei incorporeæ; multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri.* Consequentiam non probat Angelicus Doctor, quia nota videtur, ex eo quod quævis species creata est inferioris ordinis ad Deum. Antecedens autem ex Diuo Dionysio desumpsit 1. *cap. de diuinis nominibus.* 7 *Probatur primo ex D. Tho.*

Respondent Auctores contrarij, verum esse antecedens, si species; quæ vocatur similitudo obiecti, sit inferioris ordinis in repræsentando; falsum autem si solum in esse entis inferioris ordinis sit, non autem repugnat, speciem creatam esse eiusdem ordinis in repræsentando cum Deo, licet in esse entis eiusdem ordinis esse non possit; & rationem assignant, quia speciem esse eiusdem ordinis in repræsentando, in nullo alio consistit, quam in hoc, quod dicat immediatum ordinem ad Deum, tamquam ad obiectum immediatè repræsentatum; benè autem potest species creata, Deum immediatè repræsentare, quin intermediet obiectum creatum, tanquam immediatè repræsentatum, quam solutionem ex Dionysio deducunt; non enim asseruit non posse superiora per species inferiores cognosci, sed per species rerum inferioris ordinis, idest, per species, quæ immediatè, obiecta inferioris ordinis repræsentant, superiora cognosci non possunt. Quam ex Aureolo apud Capreolum desumpserunt Auctores contrarij. *Respondent contrarij.*

Verum contra solutionem istam in hunc modum obijcio primo; ideò quævis species creata est inferioris ordinis ad Deum in essendo, quia habet esse finitum, & potentiale, esse autem Dei est increatum, & actus purus; at etiam esse repræsentatiuum speciei est creatum, finitum, & potentiale, Dei autem intelligibilitas est infinita, & absque vlla potentialitate: ergo æquè repugnat speciei creatæ esse eiusdem ordinis cum Deo in esse repræsentatiuo, ac in esse entitatiuo. 8 *Contra 1.*

Secundo, quia species corporea est non solum in essendo, sed etiam in sua repræsentatione materialis, quoad vtrumque est inferioris ordinis ad obiectum spirituale; quo circa nequit ipsum immediatè repræsentare; sed quævis species creata, & creabilis, est potentialis, nedum in esse entis, verum etiam in esse repræsentatiuo: ergo quoad vtrumque erit inferioris ordinis ad Deum, nec illum valebit immediatè repræsentare. *Secundo.*

Vrgetur hoc, & explicatur amplius; quia species corporea in ratione repræsentatiuæ, est materialis, non potest immediatè, nisi obiectum materiale repræsentare: ergo pariter quævis species creata, quia quoad esse repræsentatiuum est potentialis, idest, non actus purus, non poterit immediatè, nisi obiectum potentiale repræsentare; & consequenter, cum Deus in omni consideratione sit actus purissimus, omnimodam repugnantiam inuoluit, immediatè per creatam speciem repræsentari. Patet consequentia; quia non minus distat actus purus à potentiali forma, quam spirituale à materiali: ergo si hoc nequit immediatè à materiali specie repræsentari, pariter actus purus nequibit immediatè per speciem aliquam repræsentari, quæ potentialis sit, quoad rationem repræsentatiuæ. Tertio principaliter euerto traditam solutionem, ex D. Tho. 3. *Contra Gentes cap.* 49. *ratione* 2. species immediata alicuius obiecti debet cum illo habere similitudinem, & conuenientiam specificam, saltim in esse repræsentatiuo; sed hæc vniuoca, & specifica conuenientia repugnat omni enti creato: ergo & immediata quidditaria repræsentio Dei: ac proinde repugnabit, etiam esse eiusdem ordinis cum Deo in esse repræsentatiuo. 9 *Vrgetur amplius.* *Tertio reijcitur.*

Respondebis primo, negando maiorem; sed solum requiritur, quod dicat immediatam habitudinem ad Deum, vt ad obiectum repræsentatum. Sed contra primo; omnis repræsentatio, vel est effectus ad causam, vel causæ ad effectum, vel ratione similitudinis; at repræsentatio naturalis speciei, non est primo, nec secundo modo, 10 *Respondebis 1. Contra 1.*

modo vt constat in speciebus Angelorum quæ nec ab illis causantur, nec sunt causæ illorum: ergo debent esse ratione similitudinis; at similitudo analoga sufficiens non est; alias quivis diuinus effectus Dei essentiam immediate repræsentaret, & quidditatiuè; nec similitudo in gradu generico; aliàs solum genus repræsentabit; ergo debet esse ratione similitudinis in gradu specifico: similitudo autem in gradu specifico specifica, & vniuoca est.

11 *Dices.* Dices: quod licet species non repræsentet naturaliter suum obiectum, vt effectus illius in genere causæ efficientis, vt in exemplo apposito de speciebus Angelicis constat, repræsentat tamen vt effectus illius in ratione mensurati, & mensuræ; sic namque omnis species à suo immediato obiecto dependet. *Contra.* Sed contra, idcirco dependentia effectus a causa efficienti, sufficiens non est ad repræsentationem quidditatiuam causæ, quia solum infert conuenientiam analogam effectus cum illa, at etiam dependentia mensurati à mensura, solum exposcit conuenientiam analogam inter vtrumque ergo insufficiens erit ad repræsentationem quidditatiuam.

12 *Secundo impugnatur solutio 3. obiectionis.* Secundo contra solutionem tertiæ obiectionis in hunc modum procedo; species ad hoc dantur, vt obiectum, quod est extra animam, intra illam ponatur in esse intelligibili, vt vna cum illa ad intellectionem concurrat fecundando intellectum ad partum intellectualem Verbi: ergo debet naturam obiecti continere, saltem in alio modo essendi, nempè, intelligibili, & consequenter natura obiecti in specie debet esse, licet non secundum modum essendi connaturalem, saltim sub modo essendi intentionali, & intelligibili: ac proinde in esse intelligibili, & repræsentatiuo debent assimilari, quo circa D.Tho. *infra q.14.art.1.* p.r hoc distinxit intelligentia à non intelligentibus, quod illa possunt fieri omnia, & formas aliarum rerum intelligibiliter recipere. Et *q.55. art.2.* ea ratione docuit, naturam, v c. Gabrielis non posse deseruire per modum speciei ad omnium rerum intellectionem, quia cū sit limitata, nequit intentionaliter, omnia aliorum generum continere, seu illis assimilari. Et Philosophus *3. de anima textu 37.* ob eandem rationem asseruit, animam quodammodo fieri omnia, idest, intentionaliter; non verò physicè, quæ omnia sustineri non possunt, nisi species, & obiectum in esse repræsentatiuo conuenientiam obtineant, vt eleganter docuit Angelicus Doctor 3. *Contra Gentes cap.49. ration.* & optimè explicuit Ferrariensis. *ibidem.*

13 *Si dicas.* Si dicas: continentiam speciei non esse continentiam intrinsecam, sed extrinsecam solum, & terminatiuam, consistentem in eo, quod repræsentet omnia, quæ in obiecto physicè continentur, & sic solum exposcere conuenientiam extrinsecam, & terminatiuam cum illo, idest, quod sua repræsentatio terminetur ad omnia, quę obiectum continet in esse naturali, per quod omnia in obiectione adducta saluantur.

Contra. In contrarium obijcio; continentiam istam terminatiuam conuenire lumini gloriæ: terminatur namque ad Deum, quatenus est obiectum beatificum, a quo etiam mensuratur, & specificatur; & tamen non constituit obiectum intra intellectum sufficienti modo, vt concursu obiectiuo ad beatificam visionem concurrat, nec intellectus creatus illo mediante fit intelligibiliter Deus; aliàs munus speciei de facto exerceret, quod esse falsum, fatentur omnes Theologi, Vazquio, & Moderniori quoddam eius asecla exceptis, & inferius ostendam: ergo vt munia prædicta exerceat species respectu intellectus beati in ordine ad visionem beatificam, continentia illa extrinseca, & terminatiua, sufficiens non est, sed intrinseca in esse intelligibili desideratur.

14 *Resp. 2. 3. obiectioni.* Respondebis secundo tertiæ obiectioni, admissa maiori, negando minorem. Nam etsi repugnet enti creato vniuocè conuenire cum Deo in genere entis, non tamen repugnat illi assimilari; & cum Deo vniuocè, & specificè conuenire in esse diminuto intelligibili, & intentionali. *Contra 1.* Sed contra primo; tam in esse entis, quam in esse intelligibili, & intentionali, Deus est infinitus, & creatura finita: ac proinde inter illa, sub quavis ratione, est distantia & excessus infinitus: ergo sub nulla possunt vniuocè, & specificè Deus, & creatura conuenire. *Secundo.* Secundo, ex eo in esse entis vniuocè conuenire non possunt, quia in tali esse creatura dependet à Deo, tanquam à causa superexcedente, & infinita; at sub quauis, etsi diminuta, & intentionali ratione eodem modo dependet ab illo: ergo in nulla potest vniuocam conuenientiam habere. *Tertio.* Tertio: quia esto admitti posset vniuoca conuenientia creaturæ cum Deo in aliqua ratione generica, in ratione tamen specifica nequit admitti; alias esset eiusdem speciei cum Deo in aliquo esse intrinseco, & reali; & consequenter esset infinita, increata, & à nullo dependens, quod cum conceptu creaturæ omnimodam repugnantiam involuit: ergo solutio tradita est omninò insufficiens.

§. III.

Obiectionibus contra rationem istam fit satis.

OBIICIES sic primo; species repræsentans quidditatiuè substantiam, est inferioris ordinis respectu illius, nec potest esse eiusdem quidditatis cum illa, nec specificè athomè cum ea conuenire: ergo de ratione speciei repræsentantis quidditatiuè obiectum aliquod, non est quod sit eiusdem ordinis, & quidditatis cum tali obiecto, nec quod cum eo conuenientiam vniuocam specificam habeat. Consequentia est legitima. Antecedens autem probatur; quia talis species multoties est accidens; accidenti autem, & substantiæ nihil commune vniuocum potest constitui. 15 *Obijcies primo.*

Huic argumento, quod ex Aureolo apud Capreolum loco supra allegato desumpserunt Auctores contrarij: respondet Caietanus, duplex esse considerando in specie, aliud entitatiuum, aliud intentionale, & repræsentatiuum, hoc secundum formaliter, & per se comparatur ad speciem. Primum autem per accidens: accidit enim speciei, inquit Caietanus, sub communi ratione speciei, quod substantia, vel accidens sit, & per se solum petit, esse eiusdem quidditatis cum obiecto in esse intentionali, & repræsentatiuo: ex qua doctrina ad argumentum factum respondeo, distinguendo antecedens: illudque concedendo de specie substantiæ considerata in esse entitatiuo: secus vero de illa in esse intelligibili, & intentionali, vt sic namque est eiusdem quidditatis cum substantia, & eiusdem ordinis cum illa, imo est ipsa substantia, non secundum modum essendi naturalem, sed in alio modo essendi, nempè, intentionali. 16 *Respondet Caietanus.*

Hanc Caietani subtilem doctrinam, vel non possunt, vel vt magis credo, nollunt percipere Auctores oppositi, & aduersus illam multis insurgunt. Primo P.Vazquez opponit; omnis species intelligibilis, aut est intellectionis principium, repræsentans obiectum per modum habitus, aut est intellectio, ipsum repræsentans per modum actus: ergo per se, & ex natura sua debet esse accidens inhærens potentiæ. Antecedens supponit, & consequentiam probat; quia actio necessario debet potentiæ, cuius est actualitas, inhærere; principium etiam potentiam adiuvans ad intellectionem, illam debet informare: ergo vtrumque per se, & ex natura sua accidens debet esse. 17 *Insurgit Vazquez, primo.*

Verum hæc obiectio parum roboris habet, & in primis falsum assumit, pro ea parte qua asserit, rationem speciei actui intelligendi conuenire, vt ex inferius dicendis constabit. Vnde quamuis actio creata necessario inhærentiam exposcat, non rectè infertur, per se conuenire speciei rationem accidentis, & inhærentiæ; quod autem species sit intellectionis principium simul cum intellectu ad illam concurrens, fatemur libenter; negamus tamen, esse necessariam inhærentiam ex ratione principij adiuvantis potentiam ad intellectionem; quia non concurrit, vt comprincipium confortans potentiam, dansque illi vires, sed vt illam determinans, & ex parte obiecti se tenens; de ratione autem principij determinantis ex parte obiecti, non eleuantis ex parte potentiæ, non est inhærere; cum iste concursus à maiori Theologorum parte concedatur de facto diuinæ essentiæ in ordine ad visionem beatificam, cui tamen omnis inhærentia, & informatio repugnat; quæ solutio amplius illustrabitur intra. 18 *Respond.*

Opponit secundo; de ratione speciei non est, quod sit eiusdem ordinis cum obiecto, seu idem cum illo in esse entitatiuo, sed solum in esse repræsentatiuo; at nulla est repugnantia in hoc, quod aliqua species creata, repræsentatiuè sit Deus, & in esse entitatiuo creatura: ergo ruit tota Nostra doctrina. Minor probatur primo; esse Deum repræsentatiuè, nihil aliud est, quam quod sua repræsentatione ad id, quod est Deus, aliquid terminetur; at in hoc nil creaturæ repugnans importatur: ergo nulla est repugnantia in hoc, quod aliqua species creata repræsentatiuè sit Deus, & entitatiuè creatura. Secundo; stat esse entitatiuè accidens, & repræsentatiuè substantiam: ergo stare pariter poterit, esse Deum repræsentatiuè, & creaturam entitatiuè. 19 *Secundo insurgit Vazquez.* *Minor probatur primo.* *Secundo.*

Confirmatur primo; non minus repugnans videtur, esse in alio, & esse per se, quam esse à se, & esse dependenter ab alio; sed potest aliquid esse per se repræsentatiuè, & esse in alio entitatiuè, vt in specie accidentali substantiam 20 *Vrgetur primo.*

tiam

tiam repræsentante videtur, quæ entitatiuè est in alio, vtpotè accidens, & repræsentatiuè est per se, cum substantiam quidditatiuè repræsentet, ergo etiam poterit id, quod est ab alio in esse entitatiuo, esse à se quoad esse repræsentatiuum. Confirmatur, & vrgetur secundo: ex eo quod aliquid sit substantia repræsentatiuè, non rectè infertur, esse substantiam entitatiuè: ergo pariter, ex eo quod aliquid sit repræsentatiuè Deus, non licebit, colligere esse Deum entitatiuè, & cōsequenter in aliqua entitate creata inueniri poterit repręsētatio quidditatiua Dei. *Secundo.*

21 Obiectionem istam leui calamo, & parum neruoso attingit Vazquez *disp. superius relata cap. 4. num. 29.* libuit tamen ita efficaciter illam proponere: tùm ne aduertarios imitari videamur, qui rationes Diui Thomæ, vel non penetrantes, vel potius fugientes, illarum efficaciam ocultant. Tùm etiam, vt ex illius solutione perspicuum amplius rationis factæ robur innotescat. Ad illam respondeo, concessa maiori absolutè, negando minorem. Ad cuius primam probationem, concessa maiori, nego minorem, cuius repugnantia ex iam dictis colligitur: quia scilicet, cum non possit esse repræsentatio per modum effectus, debet esse ratione similitudinis, seu identitatis cum diuina natura. Ita scilicet, vt intrinsecè intra speciem ipsa Dei natura in modo essendi intelligibili, & intentionali contineatur, quod vt ostendi, omninò cum conceptu creaturæ repugnat. *Respond.* *Ad 1. probationem minoris.*

22 Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem disparitatis est duplex: prima ex dicendis in ratione sequenti desumitur, quia nempè, vt species repræsentet quidditatiuè obiectum, debet in eodem immaterialitatis gradu cum illo constitui; non autem repugnat, quod forma entitatiuè accidentalis, sit æquè immaterialis, ac substantia, quin potius, multoties accidens in immaterialitate substantiam excedit, vt constat in specie coloris; at verò entitati creatæ, omninò repugnat, in eodem immaterialitatis gradu cum diuina essentia constitui, & idcirco id, quod in sua entitate accidens est, potest esse repræsentatiuè substantia; entitas autem creata nullatenus potest esse Deus representatiuè. *Ad secūdam.* *Prima ratio discriminis.*

Secunda discriminis ratio consistit in eo, quod licet substantia vniuocè cum accidenti conuenire non possit intra lineam entis, in alio tamen genere, nempè, intelligibili conuenire vniuocè possunt: Deus autem, & creatura, nec in genere entis, nec in alio genere possunt conuenire vniuocè. *Secunda ratio discriminis.*

23 Primo; quia magis distat Deus à creatura, quam substantia ab accidenti: ac proinde non mirum, quod ratione maioris distantiæ, Deo in quouis genere repugnet conuenire vniuocè cum creatura, substantiæ verò non ita repugnet conuenientia vniuoca, saltim in distincto genere à genere entis. Secundo, quia accidens solum dependet à substantia per ordinem ad esse, quia videlicet, est entis ens, idest, inhærens substantiæ; inhærentia autem solum competit accidenti per ordinem ad existentiam physicam; non autem sub conceptu repræsentatiui, formaliter loquendo: creatura autem dependet à Deo sub quouis conceptu, & ratione; sub conceptu entis à diuina entitate, sub conceptu intelligibilis ab intelligibilitate diuina, saltim tanquam ab exemplari; & idcirco repugnat creaturæ sub quouis conceptu vniuocè conuenire cum Deo: secus verò accidenti respectu substantiæ, quin potius, multoties videmus accidentia in sua intelligibilitate substantiam excedere. *Assumptum probatur 1.* *Secundo.*

24 Ac denique tertio, quia substantia, & accidens conuenire possunt vniuocè in gradu immaterialitatis, qui fundat rationem repræsentatiui, creaturæ autem repugnat in gradu immaterialitatis diuinæ constitui, vt ex dicendis §. sequenti constabit. Per quod ad vtramque confirmationem constat solutio: fatemur namque æquè repugnare esse per se, & in alio entitatiuè, sicut esse à se, & ab alio: non autem ita repugnat esse per se repræsentatiuè, & esse in alio entitatiuè, sicut esse à se in esse repræsentatiuo, & esse ab alio in esse entitatiuo ob rationes traditas. *Tertio.*

25 Tertio contra eandem doctrinam opponit; species repræsentans substantiam, etiam in esse repræsentatiuo, est accidens: ergo falsa est Caietani distinctio. Antecedens non probat, potest tamen probari, esse repræsentatiuum in specie, vel est inadæquata differentia illius, vel passio consequens ad eius essentiam, quodcumque dicatur, repugnat, quod substantiale sit: ergo necessario debet esse accidens. Respondeo, esse repræsentatiuum speciei formaliter ad diuersam lineam spectare à linea entis, nempe, ad genus intelligibile, vnde formaliter accidens non est, sed ex parte naturæ; quam repræsentatiuè continet, est substantia, quoad modum est esse intentionale, & intelligibile, & de materiali, & subiectiuè est accidens. *Tertio opponit Vazq.* *Respond.*

Secundo principaliter obijcies; species cuiusuis obiecti, etiam considerata in esse repræsentatiuo, & intelligibili mensuratur ab obiecto: ergo nequit conuenire vniuocè, seu esse eiusdem naturæ cum illo. Patet consequentia; quia inter res eiusdem naturæ nequit interuenire causalitas mensuratì, & mensuræ, vt constat inter duo indiuidua eiusdem naturæ, vt inter duos huomines, quorum vnus ab alio mensurari non potest. Respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad cuius probationem, distinguo antecedens; inter res eiusdem naturæ, quoad substantiam, & modum, concedo antecedens, quoad substantiam tantum, negando antecedens, & nego consequentiam; species autem intelligibilis, v. c. hominis, etsi sit homo in esse intentionali, non tamen est homo in esse naturali, vnde potest mensurari, & tanquam à mensura dependere ab homine, prout subest modo essendi naturali. 26 *Secundo principalis ex obijcitur contra rationem D. Thom.* *Respondetur.*

Dices: ergo ad saluandam dependentiam mensurati à mensura sufficit disconuenientia in modo essendi, quamuis sit conuenientia omnimoda ex parte naturæ, & consequenter poterit species creata intra se continere naturam diuinam sub modo essendi intentionali, & intelligibili. Prima consequentia euidenter colligitur, ex solutione tradita. Secunda autem in hunc modum probatur; exinde namque colligebamus supra, non posse entitatem creatam vniuocè conuenire cum Deo, nec esse eiusdem naturæ cum illo ad huc in esse repræsentatiuo, quia sub ista ratione ab illo dependet, saltim vt exemplari, & mensura: ergo si ad saluandam dependentiam mensurati à mensura in specie repræsentante hominem, sufficit discriminari ab illo quoad modum essendi, etsi cum eadem quoad naturam conueniat; pariter etiam, vt species quæcunque creata à diuina natura, vt ab exemplari, & mensura dependeat sufficit, quod etsi cum illo vniuocè conueniat ex parte naturæ, in modo tamen ab illo diffideat, hoc est, quod non sit Deus secundum modum essendi Deo naturalem, sed solum sub modo essendi intentionali. 27 *Dices.*

Respondeo, concessa prima consequentia, negando secundam, quæ subinfertur. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam, cuius ratio est, quia natura diuina secundum suam essentiam est infinita sub omni ratione, tam in esse entis, quam in esse intelligibili: ac proinde eo ipso, quod in specie natura diuina quoad sua essentialia prædicata contineatur, repugnat ei modus limitatus, ratione cuius ab alio mensuretur; vnde non stat, speciem repræsentantem Deum quidditatiuè, esse eiusdem quidditatis cum Deo in esse intelligibili ex parte naturæ, & mensurari ab illo ratione modi; natura autem hominis, quia infinita non est in esse intelligibili, potest in specie, quoad essentialia sibi contineri, & nihilominus speciem illius ratione modo intentionalis, quo continet illam, ab ea mensurari, quatenus subest alio modo essendi nempè naturali: 28 *Respondetur.*

Dices; etsi essentia hominis non sit infinita in linea intelligibili, est tamen essentialiter ab omni ordine transcendentali absoluta secundum prædicata sibi essentialia; & tamen potest in specie contineri, quæ ratione modi illam continendi transcendentalem ordinem dicat, & ab alio specificetur: ergo pariter, etsi Dei natura infinita sit quoad essentiam, poterit in specie contineri, quæ ratione modi finita sit. Respondeo, distinguendo antecedens: est absoluta prout subest modo essendi naturali, concedo antecedens: est absoluta per exclusionem respectus sub omni modo essendi, nego antecedens, & nego consequentiam; itaque essentia hominis nullum essentialem respectum includit, potest tamen duplici modo determinari, & naturali, & intentionali, sub priori excludit transcendentem respectum, sub posteriori verò respectum admittit; essentia autem diuina ita infinita est in omni linea, & ordine, vt ei repugnet contineri in aliquo quoad sibi essentialia, in quo limitate, & non modo infinito contineatur. 29 *Dices.* *Respondetur.*

Tertio obijcies; species hominis non est intrinsecè homo, sed solum extrinsecè, & terminatiuè: ergo non conuenit cum illo vniuocè in ratione hominis. Consequentia est bona. Ratio namque vniuocè communis intrinsecè inuenitur in suis inferioribus, sicut animal in homine, & equo, ad differentiam rationis analogæ analogia attributionis, quæ intrinsecè solum reperitur in vno, in alijs autem per extrinsecam denominationem: 30 *Tertio obijcies.*

ergo

ergo si species repræsentans quidditatiuè hominem, non est intrinsecè homo, sed solum extrinsecè, non conueniet vniuocè in ratione hominis cum homine obiectiuè repræsentato; & consequenter talis conuenientia vniuoca non erit de ratione speciei. Antecedens autem probatur sic primo; hæc propositio est falsa; *species quidditatiua hominis, est homo;* sicuti ista; *homo est species quidditatiua sui;* at si ratio hominis intrinsecè reperiretur in specie, dicta propositio esset vera, sicuti & hæc, *homo est animal;* ergo species hominis non est intrinsecè homo.

Antecedens probatur 1.

31 *Secundo.* Secundo idem antecedens probatur; species hominis est quædam imago intentionalis hominis; sed homo non participatur intrinsecè ab imagine sui artificiali, quo circa hæc propositio est falsa, *homo pictus est homo*, & ratio hominis solum analogicè de vero, & picto dicitur analogia attributionis, seu metaphoricæ proportionalis: ergo nec in specie, quæ est imago intentionalis hominis intrinsecè participata inuenitur ratio, & essentia hominis, sed solum terminatiuè, & extrinsecè. *Tertio,* Tertio; species hominis nec est intrinsecè homo per informationem, nec per identitatem; ergo nullo modo, est intrinsecè homo. Consequentia tenet, & antecedens pro prima parte est certum; homo namque non est forma informans, sed suppositum per se subsistens: ergo nequit speciei per informationem conuenire intrinsecè. Pro secunda parte probatur; homo est identificatus cum modo essendi naturali: ergo nequit identificari cum specie, & modo illius intentionali. Patet consequentia; quia modus intentionalis speciei, & naturalis hominis realiter distinguuntur inter se: ergo nequeunt in tertio, nempè, in natura hominis identificati inueniri; quæ namque in creatis cum aliquo tertio identificantur, necessario identificantur inter se, nisi velimus ponere in creaturis ineffabile Trinitatis misterium.

32 *Respondetur ad 1. probationem antecedentis.* Ad hanc obiectionem respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam, quia per hoc nomen *homo*, significatur essentia hominis secundum modum naturalem essendi, & quia isto modo non inuenitur in specie, sed sub modo essendi intentionali, id circo non prædicatur absolutè de specie, quod sit homo, etsi in re, in ea ratio, & essentia hominis inueniatur; si autem ratio, & essentia hominis significetur aliquo nomine, prout abstracta a modo naturali, & intentionali, de specie prædicabitur essentiali prædicatione.

33 *Ad secundam.* Ad secundam, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Et ratio discriminis est; quia imago artificialis non imitatur essentialia hominis, sed solum figuram illius, & id circo homo, non dicitur de illa vniuocè, & intrinsecè, sed extrinsecè solum, & analogicè; at verò intentionalis imago imitatur hominem secundum prædicata essentialia; & consequenter illa participat, imo potius argumentum facit pro nobis; imago namque artificialis hominis vniuocè cum illo conuenit in figura, & imago illius naturalis vniuocè conuenit cum illo in substantia, vt patet in filio, qui est imago naturalis Patris: ergo imago intentionalis, qualis est species, vniuocè cum illo in essentia conueniet, cum sit illius imago quoad essentiam. *Ad tertium.* Ad tertiam dicatur, speciem hominis esse intrinsecè hominem, nec per informationem, nec per identitatem, sed per similitudinem in esse intelligibili, & intentionali cum homine, vt *in tract. de scien. tia Dei* latè explicabimus, examinantes, qualiter cognoscentia fiant alia à se, & aliarum rerum formas contineant.

34 *Vltimo obijcies.* Denique obijcies; etsi Deo, & creaturis repugnet conuenientia vniuoca in genere entis, non repugnat vniuocè in genere intelligibilis conuenire: ergo species, quæ in esse entis creata sit, quidditatiuè poterit Deum repræsentare, & esse Deus repræsentatiuè. *Antecedens probatur 1.* Consequentia tenet. Et antecedens probatur primo; etsi ens reale, & rationis conuenire non possint vniuocè in ratione entis, conueniunt vniuocè in genere scibili, vt in Procemialibus Logicæ à Thomistis docetur; ergo pariter in nostro casu. *Secundo.* Secundo, Deus, & creatura continente sub obiecto nostri intellectus; at obiectum nostri intellectus est commune vniuocè in genere intelligibili suis inferioribus: ergo idem, quod prius. *Respondetur ad 1. probationem antecedentis,* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, omisso antecedenti, nego consequentiam ob rationes traditas inter soluendum argumentum Vazquij; quia videlicet, ens rationis, & reale conueniunt vniuocè in fundamento scibilitatis, nempè, in connexione essentiæ cum suis proprietatibus, ad quam ratio scibilitatis consequitur; at verò Deus, & creatura non conueniunt vniuocè in conceptu immaterialitatis, supra quam fundatur ratio intelligibilis. Quæ contra solutionem istam possunt opponi loco allegato à Thomistis soluuntur. *Ad secundum.* Ad secundam antecedentis probationem constat ex dictis disp. 2. ad primum argumentum contra primam conclusionem.

§. IV.

Secunda ratio D. Thomæ proponitur.

PROBAT secundo D. Thom. positam conclusionem hoc modo: *Essentia Dei est ipsum esse eius, quod nulli formæ creatæ competere potest; non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo repræsentans videnti Dei essentiam;* quæ ratio dupliciter potest formari, & vtroque modo satis efficaciter intentum conuincit. 35 *Secundo probatur conclusio ex D.Th.* Primo sic formatur; species impressa est virtus obiecti, qua potentiam mouet, & determinat, & ad sui cognitionem concurrit; sed implicat formam creatam prædictæ virtutis rationem: ergo implicat etiam sortiri rationem speciei repræsentantis quidditatiuè diuinam essentiam. *Formatur hæc ratio primo.* Consequentia est legitima, Maior supponitur, & minorem ostendo ratione D. Thom. essentia Dei suum esse, & consequenter sua vltima actualitas, tam in esse entis, quam in esse operatiuo, intellectiuo, & intelligibili; sed quia est sua vltima actualitas in linea operatiua, & intellectiua, petit sibi identificare virtutem proximè operatiuam, nempè, omnipotentiam, quæ sit suum esse, & virtutem proximè intellectiuam: ergo pariter petet sibi identificare virtutem proximè motiuam, & determinatiuam potentiæ ad sui intellectionem, quæ etiam sit suum esse; at nulla forma creata potest identificari cum Deo, nec suum esse sibi identificare; ergo nulla forma creata potest esse virtus, qua Deus intellectum ad sui intellectionem determinet, & ad illam proximè concurrat.

36 *Infertur primo.* Ex qua ratione sic eformata colligo primo: discrimen apertum, quod inter lumen gloriæ, & speciem interuenit, vt illud concedatur, ista verò negetur; nam lumen gloriæ non est virtus, qua diuina essentia ad intellectionem concurrat; sed virtus se tenens ex parte potentiæ, vndè non petit cum diuina essentia identificari, nec cum illa in actualitate adæquari: species autem cum sit virtus obiecti, & omnis virtus, potentia proxima petat adæquari cum illo; consequens fit, quod entitati creatæ omnino repugnet ratio speciei. *Secundo;* Secundo colligo, quod estò admittamus speciem, qua inferior Angelus superiorem cognoscit, cum superiori in actualitate, & immaterialitate non ideo id ipsum affirmare teneamur de specie diuinam essentiam quidditatiuè repræsentante, nam etsi admittamus, non repugnare essentijs creatis per virtutes sibi in actualitate inferiores aliquid operari, benè tamen repugnat essentiæ diuinæ, quia videlicet, petit sibi identificare virtutem suam proximam in omni genere; & consequenter petit, quod sua virtus proxima sit suum esse; at verò creaturæ, cum non exposcant suas virtutes proximas sibi identificare, nec etiam petunt per virtutes proximas sibi in perfectione adæquatas operari, vel quomodolibet ad aliud concurrere.

37 *Explicatur amplius efficacia huius rationis.* Quæ omnia ex ratione nostra apertè colliguntur, cuius efficaciam amplius explico, & confirmo in hunc modum; non minus est infinita, & actus purus diuina essentia in ratione motiuæ per modum obiecti ad sui intellectionem, quam in ratione operatiuæ; at quia sub hac secunda ratione est actus purus, & infinita, petit virtutem proximam sibi identificatam, & quæ sit suum esse; quo circa contradictionem dicit per formam creatam in ratione proximæ operatiuæ constitui; ergo quia est infinita in ratione motiuæ per modum obiecti, & vt sic actus purus, petet etiam virtutem proximam motiuam sibi identificatam & quæ sit actus purus, & consequenter omnino repugnabit per creatam formam in ratione obiecti proximè motiui constitui.

38 *Si respondeatur 1.* Si fortè respondeatur primo; munus speciei non esse obiectum in ratione motiui proximè constituere, vt virtutem illius, sed solum quod intellectum ad obie-

cti

cti intellectionem determinet; & consequenter, sicut lumen, quia potentiam eleuat, cum illa, & non cum obiecto adæquatè proportionatur: ita species, quia intellectum determinat, non cum obiecto adæquatè proportionabitur, sed cum potentia: ac proinde ab illo limitabitur. In contrarium obijcio primo; munus essentiale speciei saluatur in ordine ad visionem beatificam in aliquo distincto à lumine gloriæ, vt modò contra Varquium suppono; at nihil distinctum à lumine, intellectum determinat; cum per ipsum lumen intellectus beati ad actum visionis quoad omnem rationem determinetur: ergo essentiale munus speciei non est, quod potentiam aliàs indifferentem determinet, sed quod obiectum intra illam constituat, & tanquam eius virtus ad intellectionem concurrat. Secundo; intellectio ex communi metaphysicorum axiomate, petit ab obiecto, & potentia procedere: ergo obiectum ad illam concurrit media virtute proxima; at nihil aliud datur, quod sit virtus proxima obiecti, nisi species impressa: ergo obtinet rationem virtutis.

Contra 1.

Secundo.

36 Si dicatur secundo; esse quidem virtutem, non tamen intrinsecam, sed extrinsecam solum, vt constat in specie, qua inferior Angelus superiorem cognoscit, quæ non est virtus intrinseca Angelo cognito, nempè superiori, & id circo non repugnare in aliquo creato rationem prædictæ virtutis inueniri. In contrarium in hunc modum oppono; etsi enti limitato, & finito in ratione agendi, non repugnet per virtutem proximam realiter distinctam ad operationem concurrere; infinito tamen agenti id repugnat: ergo pariter, etsi obiectio finito in ratione motiui, non repugnet per virtutem extrinsecam ipsi, ad sui intellectionem mouere, id tamen repugnabit obiectio in ratione motiui infinito: ergo repugnat illi ad sui intellectionem per speciem sibi extrinsecam, nec sibi identificatam concurrere.

Si respondeatur secundo.

Contra.

40 Dices; antecedens assumptum non esse vniuersaliter verum: Deus namque, etsi infinitus sit in ratione agentis, concurrit tamen ad causandam gratiam in anima, media virtute realiter ab ipso distincta, & Sacramentis inhærente: poterit ergo ad sui intellectionem concurrere media specie infusa potentiæ, & ab ipso realiter distincta, sibique extrinseca. Sed contra obijcio, & solutionis falaciam ostendo; virtus Sacramentis infusa, & eleuans illa, non est Dei virtus, qua proximè operatiuus constituatur, sed qua Sacramenta, aliàs improportionata; proportionantur, & eleuantur ad gratiam causandam: ergo numquam antecedens instantiam accipit, nec assignatur creata virtus, qua Deus potens proximè ad operationem constituatur; at species non est virtus eleuans potentiam, sed virtus, qua obiectum redditur potens proximè ad mouendum ad sui intellectionem: ergo omnino repugnat aliquid creatum subinducere munus prædictæ virtutis; & consequenter ratio assignata in suo robore perseuerat.

Dices.

Contra,

41 Huic rationi illo modo explicatæ respondent Scotistæ, diuinam essentiam esse de se, & ratione sui proximè intelligibilem, tam motiuè, quam terminatiuè ab intellectu diuino, quia necessario mouet ad sui intellectionem à se, & illam necessario terminat; respectu verò intellectus creati esse de se, & ratione sui proximè intelligibilem terminatiuè, quia per nihil à se distinctum potest constitui in ratione termini intellectionis intuitiuæ sui; motiuè autem non est de se, & ratione sui proximè intelligibilis ab intellectu creato, sed ratione voluntatis liberæ Dei statuentis per se ipsam ad sui intellectionem mouere; cum enim mouere ad sui intellectionem, sit ad illam effectiuè concurrere: omnis autem efficientia ad extra, Deo libera sit; & consequenter Deo ratione voluntatis conueniat: fit consequens, vt motiuum *quo* sit voluntas, etsi terminatiuum sit essentia. Et ex hoc vlterius fit, vt possit per se ipsam concurrere, & non concurrere, & supposito, quod liberè suspendat concursum ab ipsa præstandum, possit formam creatam producere obiectiuè efficientem intellectionem creatam intuitiuam sui, in qua ratio speciei impressæ saluetur hæc in substantia Scotistæ, contra quæ.

Respondent Scotistæ.

42 Obijcio sic primo; essentia diuina non ratione voluntatis, sed ratione sui est motiua proximè ad sui intellectionem: ergo ruit solutio, & doctrina. Probo antecedens primo; essentia diuina sub eadem ratione mouet ad sui intellectionem à se, & ad sui intellectionem ab alio; sicut sub eadem ratione vtraque terminat, & vtramque specificat, etsi non eodem modo; sed ad sui intellectionem à se, mouet per se ipsam, & non ratione voluntatis: ergo ad sui intellectionem ab intellectu creato, mouet etiam ratione sui, & non ratione voluntatis. Secundo; essentia Angeli mouet ratione sui ad intellectionem propriam, & non ratione alicuius potentiæ; sed non minus proportionata est diuina essentia per modum obiecti cum intellectione sui, siuè à se, siuè ab alio, quam essentia Angeli cum intellectione sui à se ipsa: ergo diuina essentia mouet ratione sui ad intellectionem propriam, siuè à se, siuè ab alio. Tertio; nam si moueret ratione voluntatis, maximè quia Deo non est necessarium mouere ad sui intellectionem ab intellectu creato; sed hæc ratio est nulla; nam terminare alienam naturam, illamque suppositare non est Deo necessarium; & tamen non constituitur terminatiuus per voluntatem, sed per propriam subsistentiam: ergo non mouet ratione voluntatis, sed ratione sui.

Hæc solutio reijcitur 1.

Antecedens probatur 1.

Secundo.

Tertio.

Secundo tradita doctrina reijcitur; si namque diuina essentia constituitur motiua ad intellectionem sui ab intellectu creato per voluntatem, non constituitur per illam, vt actu liberè volentem, sed per voluntatem, vt in actu primo volitiuam; at voluntas diuina, vt in actu primo volitiua, conuenit diuinæ essentiæ à se: ergo esse motiuam ad intellectionem sui ab intellectu creato, conuenit diuinæ essentiæ per se ipsam, & à se. Consequentia probatione non indiget. Minor est certissima: nam voluntas, vt proximè volitiua, est attributum essentiæ: ergo conuenit illi per essentiam, & à se. Maior autem probatur; ideo probat Scotus, diuinam essentiam habere à voluntate rationem motiuæ, quia liberè mouet; sed quod moueat liberè, non probat habere rationem motiuæ à voluntate, vt actu liberè volente, sed ad summum, quod id habeat à voluntate, vt in actu primo volitiua: ergo vera est maior. Probatur minor diuina essentia per omnipotentiam liberè creaturas producit, & tamen non constituitur proximè operatiua, productiua per voluntatem, vt volentem liberè, sed per voluntatem, vt volitiuam: ergo etiam si liberè moueat, non constituetur in ratione motiuæ per voluntatem vt volentem liberè, sed per illam, vt volitiuam. Minor probatur; per id constituitur Deus proximè productiuus ad extra, per quod constituitur omnipotens; sed non est omnipotens à voluntate, vt liberè volente, sed à voluntate, vt volitiua: ergo diuina essentia non constituitur proximè operatiua, & productiua per voluntatem vt volentem libere, sed vt volitiuam. Minor est certa; nam Deum esse omnipotentem, non conuenit Deo libere, sed necessario: ergo non constituitur in ratione omnipotentis per voluntatem, vt actu volentem libere. Maior autem probatur; nam esse radicaliter operatiuam ad extra, conuenit diuinæ essentiæ à se, & ratione sui, vt præuenit omne attributum: ergo ab attributo omnipotentiæ habet esse operatiuam, non radicaliter, aut remotè, sed proximè; & consequenter per id ipsum constituitur proximè operatiua ad extra, per quod constituitur omnipotens. 43

Secundo reijcitur.

Tertio reijcitur; ex hoc quod diuina essentia liberè moueat, tantum probatur, quod possit de potentia absoluta, suspendere motionem intellectus illustrati lumine gloriæ ad intellectionem sui; non autem, quod possit producere formam creatam, per quam ipsa essentia constituatur intelligibilis motiuè ab intellectu creato, sed forma creata, quæ obtineat rationem speciei quidditatiuè repræsentantis Deum, debet ipsum constituere intelligibilem motiuè ab intellectu creato: ergo ex libertate in mouendo non probatur possibilitas speciei creatæ repræsentantis Deum quidditatiuè. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur, quod Deus non necessario, sed libere terminet naturam creatam, probat posse terminationem suspendere; non autem quod possit formam creatam efficere, à qua constituatur in ratione terminatiui: ergo pariter, quod Deus libere moueat intellectum creatum ad sui intellectionem, probat, posse non mouere; non autem quod possit formam creatam efficere, per quam constituatur proximè in actu primo motiuus. 44

Tertio reijcitur.

Respondebis fortè negando consequentiam. Disparitas autem est; nam terminare, vel suppositare naturam creatam, conuenit Deo in genere causæ, vel quasi causæ formalis, ideoque à nulla forma creata id potest habere; mouere autem ad sui intellectionem, conuenit Deo in genere causæ efficientis, vnde id potest, & per se ipsum, & per formam creatam præstare. Sed contra primo, etsi actu mouere ad sui intellectionem, conueniat Deo in genere causæ efficientis, esse tamen motiuum ad sui intellectionem, illi conuenit in genere causæ formalis: ergo id non potest habere ab aliqua forma 45

Respondebis fortè.

Contra 1.

forma creata: at species quidditatiua Dei, etsi respectu visionis effectiuum præstet concursum, respectu tamen huius, quod est Deum esse proximè intelligibilem, & proximè motiuum, debet comparari in genere causæ formalis: ergo implicat talis forma. Secundo; etsi Deum per omnipotentiam producere ad extra, illi comperat in genere causæ efficientis, quia tamen de se ratione omnipotentiæ est compleré potens producere, per nullam formam creatam potest in ratione proximè potentis producere constitui: ergo quamuis mouere ad sui intellectionem, Deo conueniat in genere causæ efficientis, quia tamen de se, & ratione sui est compleré potens mouere per nullam formam creatam potest proximè motiuus constitui.

Secundo.

46 Si forte respondeas, Deum esse potentem creaturas efficere, esse effectum, vel quasi effectum formalem intrinsecum, ideoque à nulla forma à Deo indistincta præstabilem, aliàs talis formare reciperetur in Deo, quod implicat; Deum autem esse motiuum ad sui intellectionem, non esse aliquid intrinsecum, sed extrinsecum, vnde potest illi à forma à se distincta conuenire. In contrarium arguitur, vt enim fatentur Scotistæ, potest intellectus creatus reddi potens ad videndum Deum per assistentiam extrinsecam, vel extrinsecum tantum concursum; & tamen intellectum esse potentem videre, est esse potentem efficere: ergo hoc quod est, esse potentem efficere, non est vniuersaliter de nominatio intrinseca, saltim adæquate; & consequenter si in Deo adæquate intrinseca est; ideo erit, quia de se est completissimè potens: potens autem de se compleré non potest per aliquid extrinsecum in ratione potentis constitui. Tum sic sed etiam in ratione motiui est compleré potens de se: ergo non potest per aliquid à se distinctum etiam extrinsecè constitui in ratione motiui.

Si verò respondeas. *Contra.*

47 Dices, Deum posse mouere ad intellectionem sui creatam dupliciter. Vno modo per se ipsum; alio modo per formam extrinsecam causatam à se: rationem motiui priori modo habet completissimè à se, ideoque à nulla forma creata, aut creabili potest habere; rationem autem motiui secundo modo non habet à se ideoque potest id habere per formam à se distinctam, & sibi extrinsecam. Sed contra; nam de hoc est controuersia, quia namque ab omnipotentia habet rationem productiui ad extra per se ipsum completissimè non potest alio modo constitui potens efficere: ergo si à se habet rationem motiui per se ipsum ad intellectionem creatam sui, non potest alio modo constitui potens mouere per formam à se distinctam. Probatur antecedens, non enim ideo non potest constitui potens ab extrinseca forma, quia habet rationem effectiui ad extra completè, per exclusionem formæ extrinsecæ dantis potentiam; hoc enim est idem per idem, petitio principij, & nugatio: ergo ideo non potest per extrinsecam formam constitui potens efficere ad extra, quia ab omnipotentia est completissimè potens per se ipsum efficere.

Dices. *Contra.*

48 Si forte dicatur, speciem non constituere obiectum in ratione motiui ad intellectionem sui, sed ipsam vice obiecti in intellectionem influere. In contrarium obstat primo; vt enim ipsi fatebantur, species constituit obiectum intelligibile proximè, non terminatiuè, sed motiuè: ergo constituit obiectum in ratione motiui. Secundo; nam dependentia intellectionis non consistit in specie, sed mediante specie ab obiecto dependet, aliàs commune axioma deficeret, quo asseritur, notitiam ab obiecto, & potentia procedere: ergo species constituit obiectum in ratione effectiui intellectionis. Tertio: nam virtus potentiæ constituit illam potentem efficere intellectionem: ergo virtus obiecti constituit effectiuum obiectum; sed species est virtus obiecti: ergo illud constituit in ratione motiui.

Si dicat. *Contra 1.* *Tertio.*

49 Secundo aliter, & magis communiter ratio Diui Thomæ ad hanc formam reducitur; species, & obiectum debent in eodem gradu immaterialitatis constitui; sed est implicatorium omnino, formam creatam eodem gradu immaterialitatis cum diuina essentia gaudere: ergo implicabit etiam, rationem speciei diuinam essentiam quidditatiuè repræsentantis sortiri. Discursus est euidens. Minor in se nota, & à Doctore Angelico monstrata euidenter, Dei namque essentia in eo immaterialitatis gradu est constituta, vt non solum excludat materiam physicam, sed etiam metaphysicam, id est omnem potentialitatem; cum sit suum esse, & sua vltima actualitas in quovis genere; formæ autem creatæ, & creabili, exclusio omnis potentialitatis repugnat, sicuti, & repugnat illi quod sit esse suum.

Secundo formatur ratio D. Thom.

Vnde ad probationem maioris, quam vniformiter negant Auctores oppositi, totus difficultatis cardo devoluitur: illam autem ostendo sic primo, species sensibilis, & in sua entitate materialis, nulla potentia valet obiectum spirituale quidditatiuè repræsentare, non alia ratione, nisi quia obiectum excludit physicam materialitatem, quam includit species prædicta; & consequenter in eodem gradu immaterialitatis non continentur: ergo inter speciem repræsentantem quidditatiuè obiectum aliquod, & ipsum obiectum, necessario requiritur conuenientia in gradu immaterialitatis.

Maior probatur primo.

Dices, non ea ratione id non posse contingere, sed quia inter speciem sensibilem, & obiectum spirituale nequit interuenire proportio habitudinis inter speciem, & obiectum ex acta; inter speciem autem creatam spiritualem entitatiuè, & obiectum, quod sit actus purus, interuenire potest proportio habitudinis repræsentantis ad repræsentatum, vt de intellectiua potentia dicebamus *supra disp. 6. & 7.* Sed contra; nulla alia ratione inter speciem sensibilem, & obiectum spirituale nequit interuenire proportio habitudinis repræsentantis ad repræsentatum, nisi quia dicta species est in sua entitate materialis; obiectum autem spirituale, atque adeò non gaudent eodem gradu immaterialitatis: ergo, vt aliqua species proportionata sit proportione habitudinis ad repræsentandum quidditatiuè obiectum, debet in eodem immaterialitatis gradu cum ipso conuenire. 50

Dices. *Contra.*

Secundo eandem maiorem ostendo; potentia connaturaliter tendens in aliquod obiectum, & ab ipso specificata debet conuenire cum illo in eodem gradu immaterialitatis, quo circa, vt à maiori, & nobiliori Theologorum parte docetur, repugnat, etiam de potentia absoluta, dari intellectum connaturaliter ratione sui tendentem in Deum, vt clare visibilem, qui creatus sit, & non actus purus: ergo species quidditatiua obiecti debet etiam in eodem immaterialitatis gradu cum ipso constitui. Confirmatur hoc amplius; implicat intellectus, qui connaturaliter possit cognoscere quidditatiuè Deum, & non sit actus purus in communiori Theologorum sententia, etiam ex illis, qui nobis in hac parte aduersantur: ergo implicabit pariter species quidditatiue repræsentans Deum, quæ non sit actus purus: Tertio; maiorem nostræ rationis in hunc modum ostendo; virtus proxima ad intelligendum debet in eodem immaterialitatis gradu constitui cum natura, cuius est virtus: ergo pariter virtus proxima ad mouendum, debet constitui in eodem gradu immaterialitatis cum obiecto, cuius est virtus proxima; sed species est vis proxima obiecti motiui ad mouendam potentiam ad sui intellectionem: ergo eodem immaterialitatis gradu cum ipso debet gaudere. 51

Secundo probatur maior. *Confirmatur.* *Tertio probatur.*

§. V.

Obiectionibus contra rationem istam fit satis.

Obijcies primo contra maiorem nostri discursus; lumen gloriæ per hoc solum, quod cum Deo in ordine supernaturali conueniat, absque conuenientia cum illo in gradu immaterialitatis, est principium eleuans potentiam, & connaturaliter tendens in visionem beatificam: ergo pariter, vt species, Dei essentiam quidditatiuè repræsentet: & ad visionem obiectiuè concurrat, sufficit conuenientia cum Deo in ordine supernaturali, absque eo, quod cum illo in gradu immaterialitatis conueniat. Respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam, ob duplicem rationem discriminis. Prima; quia species debet esse eiusdem quidditatis cum obiecto: lumen autem non ita; sed solum virtualem, & analogam similitudinem habet cum illo. Secunda, quia lumen non est virtus, qua obiectum ad intellectionem concurrat, sed est virtus eleuans potentiam, & idcirco non petit cum illo, quoad immaterialitatis gradum conuenire, sed solum in ordine supernaturalitatis; benè verò species, quia virtus obiecti est, & eiusdem naturæ cum illo in esse intelligibili. 52

Obijcies primo. *Respond.*

Obijcies secundo; species, qua Angelus inferior quidditatiuè cognoscit superiorem, imo & comprehensiuè in sententia aliquorum, non est eiusdem immaterialitatis cum Angelo superiori: ergo de ratione speciei non est conuenientia cum obiecto in perfectione immaterialitatis. Illatio tenet. Antecedens autem probatur; species prædicta non excedit immaterialitatem Angeli inferioris, aliàs connaturaliter in illo non reciperetur; at immateria- 53

Obijcies Secundo.

terialitas Angeli inferioris exceditur ab immaterialitate superioris: ergo etiam immaterialitas speciei.

Respond. Respondeo, distinguendo antecedens: non est eiusdem immaterialitatis quoad gradum, nego antecedens: non est eiusdem immaterialitatis specificæ, concedo antecedens, & nego consequentiam, vel distinguo consequens eodem modo: nec Nos asseruimus, de ratione speciei esse, quod adæquet obiectum quoad specificam immaterialitatis rationem, sed solum quod in eodem gradu immaterialitatis constituatur; species autem illa, etsi non sit eiusdem speciei immaterialitatis cum substantia Angeli superioris, constituitur tamen in eodem gradu immaterialitatis cum illa; gradus namq; immaterialitatis talis substantiæ consistit in omnimoda exclusione materiæ physicæ cum inclusione potentialitatis ad existendum, qui gradus per diuersas species immaterialitatis diuiditur iuxta diuersas naturas Angelicas, & quo vna alteram in perfectionem specifica excedit, eo eandem superat in specie immaterialitatis: cum ergo species, quæ existit in Angelo inferiori ad cognoscendum superiorem, excludat à suo conceptu physicam materialitatem cum inclusione potentialitatis ad existendum; consequens fit, quod cum substantia Angeli superioris in gradu immaterialitatis conueniat, etsi ab illa in specifica ratione immaterialitatis dissideat.

54 *Opones primo.* Sed oppones primo; nullam posse assignari rationem, cur conuenientia in gradu exigatur, & non conuenientia specifica. *Secundo.* Secundo, species illa, non solum repræsentat gradum immaterialitatis, in qua conuenit cum prædicta substantia, sed etiam vltimam differentiam, in qua ab illa exceditur: ergo sicut non obstante excessu specifico, repræsentat quidditatiuè illum, ita non obstabit excessus in gradu, vt illum valeat repræsentare. *Tertio.* Tertio, quod idem poterit de specie quidditatiua essentiæ diuinæ affirmari, quod scilicet, excedatur ab illa excessu specifico, non verò in gradu; & consequenter non inferretur, debere esse immaterialitatis infinitæ; hoc namque connenit diuinæ naturæ, non ex aliqua ratione sibi, & alijs communi, sed ratione sua differentiali.

55 *Respondetur ad primum.* Ad primum respondeo; rationem cur species debeat in gradu immaterialitatis cum obiecto conuenire, non vero exigatur vniuersaliter specifica conuenientia, esse illam, quam iam assignauimus, quia scilicet, est virtus obiecti, virtus autem proxima exposcit necessario conuenientiam in gradu immaterialitatis cum illo, cuius est virtus proxima, vt constat in vi intellectiua, quæ necessario petit esse in eodem gradu immaterialitatis cum natura intellectuali; eo autem ipso, quod virtus est, & habet veluti rationem potentiæ descendit à perfectione naturæ, cui subseruit, vt potentia, & virtus; ac proinde quando realiter à natura distinguitur, non requiritur, quod naturam specificè adæquet, vt in intellectu conspicitur, qui non adæquat specificè immaterialitatem intellectualis naturæ. Dixi, quando realiter à natura distinguitur; si namque talis distinctio non intercedat, tunc realiter erunt eiusdem immaterialitatis quamuis considerata virtus proxima, prout virtualiter à natura, seu obiecto distincta, virtualiter excedatur ab illa, prout de diuinis attributis docetur, comparatis cum diuina natura.

56 *Ad secundum.* Ad secundum, concesso antecedenti, nego consequentiam. Nam licet pro ea parte, qua species repræsentat obiectum, & continet eandem naturam in esse repræsentatiuo, quam habet obiectum in esse naturali, exigatur, quod in gradu immaterialitatis conueniant; quia modus perfectior naturæ est modus naturalis, & realis, potest contingere, quod illa natura, prout subest modo naturali, perfectiorem immaterialitatem specificè habeat, & petat, quam eadem natura, prout determinatur per modum essendi intentionalem. *Si dicas.* Si dicas: species, qua inferior Angelus superiorem cognoscit, est eiusdem quidditatis specificæ in esse repræsentatiuo cum illo: ergo est eiusdem specificæ immaterialitatis. *Respond.* Respondeo, concesso antecedenti, distinguo consequens: in esse repræsentatiuo, concedo consequentiam: in esse entitatiuo, nego consequentiam. Itaque dico, quod prædicta species est eiusdem naturæ; & consequenter eiusdem immaterialitatis cum obiecto in esse repræsentatiuo, idest, quod in esse repræsentatiuo continet tantam immaterialitatem, ac obiectum habet in esse naturali; quia tamen illam continere in esse repræsentatiuo, non est ita perfectè illam habere, ac in esse naturali, potest illa continentia repræsentatiua identificata inveniri cum entitate minus perfecta specificè, quoad rationem immaterialitatis, ac est obiectum repræsentatum.

57 *Si iterum dicas.* Si dicas: ergo eadem ratione poterit dicta continentia identificata inueniri cum aliqua entitate, quæ sit inferior, etiam quoad gradum immaterialitatis. Nego consequentiam: quia nisi conueniant in gradu, non potest vnum fieri connaturaliter aliud, vt ex dictis colligitur. *Respōd. Ad 3. respōdetur.* Ad tertiam obiectionem, nego antecedens, & ratio discriminis est, quod gradus immaterialitatis diuinæ consistit in ratione actus puri excludentis omnem potentialitatem; ratio autem actus puri non est multiplicabilis specificè; vnde eo ipso, quod aliquid in tali gradu constituatur, non potest ab alio specie differre: gradus autem immaterialitatis Angelicæ consistit in exclusione physicæ materiæ cum admixtione potentialitatis, qui potest specificè multiplicari, & vnus alio perfectior specificè esse, penes maiorem, vel minorem actualitatem, vt constat in natura Angelica Gabrielis, & natura Angelica Raphaelis, quarum vtraq; omnimodè excludit physicā materiā, & tamen vna alia perfectior est specificè, adhuc in ratione immaterialitatis ratione maioris, & minoris actualitatis.

58 *Obycies tertio.* Tertio cōtra primam maioris probationem objicies; ex eo quod potentia sensitiua, quæ ad infimum pertinet gradum immaterialitatis, non possit eleuari ad attingendum vitaliter spiritum, non rectè colligitur, intellectum creatū eleuari non posse ad videndum Deum: ergo pariter ex eo quod species sensibilis non possit repræsentare Angelum, non licebit colligere speciem creatam, & potentialem, non posse Deum quidditatiuè repræsentare. *Respōd.* Respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam, cuius ratio est: quia vt aliqua potentia eleuetur ad videndum Deum, non requiritur conuenientia cum illo in modo essendi: quia eo ipso, quod per eleuationem attingit, non attingit connaturaliter: ac proinde non petit cum illo in modo essendi conuenire, sed solum requiritur coaptatio essentialis, idest, quod Deus intra obiectum specificatiuum potentiæ contineatur: species autem quidditatiuè repræsentans obiectum aliquod, non repræsentat illud ratione potentiæ obedientialis, & per eleuationem, sed ratione propriæ naturæ, & essentiæ; vnde illud respicit tanquam obiectum connaturale: ac proinde in modo essendi debet cum illo conuenire, & in eodem immaterialitatis gradu. Tenet ergo consequentia de vna specie ad alteram; non autem de vna ad aliam potentiam, vt potentem attingere per eleuationem; benè autem infertur, ex eo quod sensitiua potentia nequeat connaturaliter videre Angelum, non posse intellectiuam potentiam creatam connaturaliter videre Deum.

59 *Quarto.* Quarto contra secundam probationem maioris objicies: si daretur intellectus supernaturalis creatus, posset videre Deum connaturaliter; & tamen non esset actus purus; & consequenter cum Deo in gradu immaterialitatis non conueniret: ergo de ratione potentiæ connaturaliter potentis obiectum aliquod intelligere, dicta conuenientia non est; & consequenter, nec erit de ratione speciei quidditatiuè repræsentantis. *Instabis hoc.* Et instabis, si dabilis esset intellectus supernaturalis, posset fieri intelligibiliter Deus; sed est possibilis supernaturalis species, vt constat in speciebus deseruientibus scientiæ infusæ animæ Christi: ergo poterit esse Deus repræsentatiuè. *Respondetur.* Respondetur, distinguendo antecedens: posset tantum, nego antecedens: posset, & non posset, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque talis intellectus posset ea parte, qua supernaturalis esset, & non posset ea parte, qua creatus esset; & consequenter eodem gradu immaterialitatis non gauderet; & quia est implicatorium posse, & non posse, ideò talis intellectus in communi sententia implicatorius est. *Ad instantiam.* Ad confirmationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam, & disparitatis ratio consistit in eo quod intellectus, quia est vniuersalis potentia, specificatur ab ente in tota sua latitudine, prout Deum comprehendit sub se: ac proinde eo ipso, quod supernaturalis esset omnia inferiora entis, etiam supernaturalia, posset connaturaliter attingere; at verò species non habet ita amplam repræsentationem, sed ad vnum, vel alterum potest limitari, vnde poterit esse supernaturalis, ex eo quod connaturaliter aliquod obiectum supernaturale creatum repræsentet, quin ex hoc necessario debeat extendi ad Dei connaturalem, & quidditatiuam repræsentationem.

60 *Vltimo obijcies.* Denique contra vltimam probationem maioris, objicies; species non est virtus obiecti, qua potens reddatur, vt ad intellectionem concurrat: ergo ex falso principio deducitur, debere cum illo in gradu immaterialitatis conuenire. Probatur antecedens; concursus obiecti ad intellectionem, in sententia valdè communi, est in genere causæ efficientis; sed obiectum nequit per speciem potens proximè ad concursum effectiuum constitui: ergo

ergo

ergo non est virtus illius. Minor probatur: species creata est extrinseca obiecto; at virtus constituens aliquid proximè potens ad efficiendum, debet esse intrinseca, ex quo principio *infra Disput.* 18. inferemus, non posse intellectum per extrinsecam subordinationem ad Deum, absque lumine intrinsecè informante ad visionem causandam, potens proximè constitui: ergo nequit esse virtus obiecti, qua potens proximè reddatur ad effectiuè causandam intellectionem sui, & consequenter non est virtus illius.

61 *Respond.* Respondetur, negando antecedens. Ad illius probationem; omissa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: si in se ipso formaliter potens constituatur, concedo minorem: si solum virtualiter, & non prout in *se* ipso, nego minorem, & nego consequentiam. Itaque dico, quod quando effectus procedit ab aliquo, prout in se ipso concurrente formaliter, tunc ad talem concursum debet per aliquid sibi intrinsecum constitui, & quia visio beatifica petit procedere ab intellectu nostro, prout in se ipso formaliter influente; consequens fit, quod non possit absque lumine intrinsecè informante prædictum influxum præstare, quando verò effectus non petit ab aliquo immediatè, prout in se ipso formaliter procedere, sed solum ab illo prout in sui virtute participatur, necessarium non est, quod virtus sit intrinseca illi, vt patet in generatione viuentis: viuens namque à viuente procedit, non ab illo immediatè, prout in se ipso, sed prout in semine virtualiter continetur; vnde viuens à viuente procedit media seminali virtute, etsi virtus seminis non sit intrinseca principio actiuo operanti vitaliter; sic in præsenti, actus intelligendi non petit necessario procedere ab obiecto prout in se ipso, & ratione sui influente formaliter, sed ab illo prout in se virtualiter, & ab illo prout in sui virtute continetur, nempè, in specie formaliter, & idcirco, etsi species illi extrinseca sit, potest nihilominus esse virtus obiecti.

§. VI.

Tertia ratio Diui Thomæ proponitur.

62 *Tertio probatur conclusio.* CONFIRMAT sic tertio Angelicus Doctor nostram sententiam; *Diuina essentia est quid intircumscriptum, continens in se supereminenter quidquid ab intellectu create significari, vel intelligi potest; sed quæcumque forma creata, & creabilis, est finita, & limitata ad aliquam peculiarem rationem, vel sapientiæ, vel virtutis, &c. Ergo per nullam formam creatam, Dei essentia repræsentari potest quidditatiuè.*

Respondent contrarij. Angelicam istam Diui Thomæ rationem eludere conantur Auctores contrarij, asserendo, minorem esse veram, loquendo de forma creata, & creabili in esse entis, vt sic namque quævis forma creata finita est, & ad certum genus determinata; cum hoc tamen stare, quod repræsentatiuè sit infinita.

63 *Contra insurgit Caietanus.* Cæterum euasionem istam multo ante Caietanus in hunc modum præcludit: quævis forma creata, & creabilis, nedum est finita in genere entis, sed etiam est finita in quocumque genere, tam entitatiuo, quam repræsentatiuo, & intelligibili; at vt in esse repræsentatiuo esset Deus, deberet saltim in hoc genere infinitate intrinseca gaudere, vt ex supra dictis satis habetur: ergo implicationem inuoluit, quod creata sit, & Deum in circumscriptum, & illimitatum quidditatiuè repræsentet. *Maior probatur primo.* Maiorem probat Caietanus ex eo quod sub quovis genere est quid creatum: ergo limitata, & finita. *Secundo.* Et insuper illam in hunc modum ostendo; genus repræsentatiuum commensuratur cum immaterialitate, ad quam sequitur; sed immaterialitas cuiuscumque formæ creatæ est finita, & limitata: ergo etiam ratio repræsentatiui super illam fundata, limitata erit.

64 *Si respondeatur ex doctrina Suarez. Contra.* Si respondeatur cum Patre Suarez loco vbi supra, esse limitatam intrinsecè, adhuc in genere repræsentatiuo, extrinsecè tamen illimitatam, idest, ad obiectum infinitum extrinsecè terminatam. In contrarium objicio; vt opponebam *supra* vrgendo primam Diui Thomæ rationem; obiectum repræsentatum debere intrinsecè in specie contineri in esse repræsentatiuo, & in hoc speciem, & obiectum esse eiusdem quidditatis: ergo cum obiecti repræsentati quidditas infinita fuerit, vt in præsenti contingit, species debet esse infinita intrinsecè considerata in esse repræsentatiuo; & consequenter extrinseca infinitas sufficiens non est.

Vnica obiectio diluenda superest contra istam rationem, quæ in hunc modum formatur, non minus identificantur inter se genus moris, & genus entis physici, quam genus repræsentatiui, & genus entis; sed stat optimè, aliquid esse finitum, & limitatum in genere physico, & intrinsecè infinitum in genere moris, vt de gratia Christi Domini à Thomistis docetur 3. *p.q.*7. *art.*2. & de offensa contra Deum commissa, & Christi Domini satisfactione, & merito eadem 3.*p.q.*1.& *q.*19. esse, scilicet, in genere moris intrinsecè infinita, limitata verò in genere physico: ergo pariter, non obstante identitate generis repræsentatiui cum genere entis, stare poterit cum limitatione intrinseca in genere entis, intrinseca infinitas in genere repræsentatiuo. 65 *Objicies contra istam rationem.* Et confirmatur amplius; *Confirmatur.* modus, quo peccatum in ratione offensæ infinitum intrinsecè constituitur, est quid creatum in sententia valdè probabili, quæ dictam infinitatem à persona offensa in genere causæ formalis prouenire, impossibile iudicat; & tamen talis modus non est intrinsecè infinitus in genere moris, & offensæ: ergo ex eo quod ratio repræsentatiui, & quævis alia in specie creata reperta, creata sit, non benè colligit Caietanus, infinitam intrinsecè esse non posse in illo genere.

Ad hanc obiectionem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod genus entis, & genus repræsentatiui, non solum inter se identificantur, sed etiam commensurantur: ita vt ratio repræsentatiui ex eijsdem principijs sumatur, ex quibus genus entis, & idcirco repugnat infinitas intrinseca in genere repræsentatiui cum limitatione in genere entis; at verò genus moris, etsi admittamus, identificari cum genere physico, non tamen desumitur ex intraneis principijs generis physici, sed ex alijs longè diuersis, vt constat in exemplis adductis: gratia namq; humanitatis Christi Domini infinitatem recipit ex coniunctione ad Verbum, ex qua redditur infinitè æstimabilis; cum tamen physicam entitatem ex alijs principijs venetur; actus etiam satisfactorius Christi infinitatem moralem recipit immediatè à persona Verbi infinita; entitatem autem Physicam ex physicis principijs finitis supernaturalibus, nempè, virtutibus. Ac deniq; offensa physicam entitatem ex obiecto, & principio delumit, infinitatem verò ex persona infinita offensa: de quo vberius *locis citatis*, hic, discrimen insinuasse sufficiat. 66 *Respondetur.*

Si contra illud opponas; multoties illa, quæ analogantur in genere entis, vniuocari in genere repræsentatiuo, & intelligibili, vt in accidenti, & substantia contingit: ergo genus repræsentatiui, & genus entis non commensurantur, nec ex eijsdem desumuntur principijs. Respondeo, distinguendo consequens: si consideretur genus entis per ordinem ad existentiam, concedo consequentiam: si in ratione immaterialitatis consideretur, nego consequentiam. Itaque asserimus, genus intelligibile commensurari cum immaterialitate entis, supra quam fundatur, non verò cum existentia entis, & quia omninò repugnat, formam creatam lineam infinitæ immaterialitatis, & actualitatis pertingere, idcirco repugnat, infinitatem, intrinsecam in linea repræsentatiui, & intelligibilis obtinere. 67 *Oppenes.* *Respond.*

§. VII.

Alia ratione communis sententia suadetur.

SPECIES ab intrinseco ordinatur ad supplendum defectum obiecti, vel proportionis, vel vnionis cum potentia; at repugnat Deo defectus proportionis cum intellectu illustrato lumine gloriæ, & defectus vnionis cum illo: ergo repugnat species per se ad defectum aliquem ex his supplendum ordinata. Consequentia est euidens, vbi enim repugnat defectus supplendus repugnat etiam forma suppletiua; sicut vbi implicat effectus formalis repugnat forma, & vbi repugnat possibilitas effectus faciendi, repugnat potentia factiua illius: ergo si species est forma per se ordinata ad supplendum defectum vnionis, aut proportionis obiecti, & Deo, vt ob- 68 *Quarto prob. conclusio.*

iecto, omnis talis defectus repugnat, implicat species suppletiua illius. Minor etiam est certa; nam Deo repugnat ex parte sua defectus proportionis, vt per se est manifestum, repugnat etiam defectus vnionis requisitæ, vt ad sui visionem concurrat; supponimus enim cum communi Theologorum sententia, Deum de facto ad sui visionem per modum obiecti concurrere, & non videri media specie creata: ergo habet vnionem requisitam, vt concurrat ad sui visionem, siuè hæc consistat in indistantia locali, siuè in illapsu Dei in animam per conseruationem in esse, siuè in informatione in esse intelligibili; at vnio ista Deo deficere non potest: ergo implicat Deo deficere proportionem, & vnionem sufficientem, vt per modum obiecti ad sui visionem concurrat.

69 Maior etiam ostenditur primo; nam iuxta commune axioma, species est vicaria obiecti vices eius gerens in ordine ad intellectionem: ergo est forma per se ordinata ad supplendum defectum aliquem ex parte obiecti. Secundo; nam species est virtus obiecti; at quia potentia est virtus naturæ essentialiter ordinatur ad supplendum aliquem defectum illius, quo circa, si natura esset se ipsa, non solum radicaliter, verum etiam proximè potens operari, repugnaret potentia per se ordinata ad exhibendum illi huiusmodi effectum: ergo species, cum sit virtus obiecti, per se ordinatur ad supplendum aliquem defectum illius.

Maior ostenditur primo.

Secundo.

Tertio; nam intellectio, per se petit ab obiecto procedere, vel quia est imago illius, vel quia terminum producit, qui est illius imago, vel quia per vnionem cum obiecto facit intellectum in actu similem illi: ergo petit non procedere ab alio se tenente ex parte obiecti, nisi illius vices gerat, & loco illius substituatur; & consequenter ex per se ordinatur ad supplendum aliquem defectum obiecti. Quæ omnia confirmari possunt exemplo filiationis adoptiuæ; quia namque per se ordinatur ad substituendum defectum filiationis naturalis, cui repugnat iste defectus, repugnat etiam adoptiua filiatio: ergo si species per se ordinatur ad supplendum defectum obiecti, vel proportionis, vel vnionis sufficientis cum potentia, vt concurrat ad visionem sui, & Deo vterque iste defectus repugnat, implicabit etiam species impressa quidditatiua Dei.

Tertio.

Confirmatur.

70 Sed contra arguitur primo; natura Angelica est se ipsa proportionata cum proprio intellectu, & illi vnita; & tamen non repugnat species impressa naturæ Angelicæ ab illo distincta in proprio intellectu recepta: ergo etsi diuina essentia sit se ipsa proportionata cum intellectu beati, poterit nihilominus dari species quidditatiua Dei. Patet minor; tùm, nam potest de potentia absoluta intellectus Angeli separari à propria substantia: ergo tunc erit actuabilis per speciem repræsentatiuam illius: Tùm etiam; nam potest de potentia absoluta species, quæ est in intellectu Gabrielis, repræsentans substantiam Raphaelis, in istius intellectu constitui.

Arg. 1. contra hanc rationem.

71 Respondeo, concedendo minorem; intellectam de specie determinante intellectum Gabrielis ad intelligendam propriam substantiam, si separatus ab illa est capax intelligendi, secus autem, si sic separatus intelligendi capax non est: cæterum in prima suppositione admissa, non conuincit contra Nos; nam substantiæ Angelicæ est possibilis de potentia absoluta defectus vnionis ad proprium intellectum: ac proinde non mirum, quod non repugnet forma ordinata ad talem defectum supplendum, & illam vniendam cum intellectu proprio; diuinæ autem essentia, non solum non habet defectum vnionis, sed nec potest illum habere. Intellectam vero de specie determinante intellectum alterius Angeli, transeat, quod possit de potentia absoluta in intellectu proprio constitui; cæterum ista, nec ordinabitur ex natura sua ad vniendam substantiam cum intellectu proprio, sed cum intellectu alterius, nec poterit cum intellectu proprio concurrere ad intellectionem propriæ substantiæ: erit ergo possibilis, non quia sit vnitiua substantiæ Angelicæ cum proprio, sed cum intellectu alieno, quem effectum præstare potest.

Respond.

72 Sed contra; est possibilis species impressa quidditatiua substantiæ Angelicæ concurrens cum intellectu à se radicato ad sui intellectionem: ergo solutio est nulla. Probatur antecedens; etsi substantia, v. c. Gabrielis sit proprio intellectui vnita, & hæc vnio illi deficere nequeat, potest tamen illi deficere concursus actualis ad sui intellectionem, Deo liberè, vt potest, suspendente concursum; at munus adæquatum obiecti, non est vnire, & proportionare, sed etiam de facto ad intellectionem concurrere: ergo est possibilis species impressa per se ordinata ad istum defectum supplendum.

Insurges.

Respondeo, speciem etsi in genere causæ efficientis ad intellectionem concurrat; non tamen posse hoc munus præstare, nisi præstet prius suum effectum formalem, qui est, dare obiecto potentiam proximam ad concurrendum, illud proportionando, vel vniendo cum potentia, & quia repugnat species dans substantiæ Angelicæ de facto suo intellectui vnitæ istum effectum formalem, hinc fit, quod repugnet species concurrens cum Angelo ad intellectionem suæ substantiæ sibi de facto vnitæ; sicut quia potentia dat in genere causæ formalis, proximum posse, repugnaret concurrere in genere causæ efficientis ad actum cum substantia, cui repugnaret, ab illa recipere effectum istum formalem, nempè, esse proximè potentem, quia ratione sui proximam potentiam haberet.

Respondetur.

Sed contra primo; nam substantia proprio intellectui vnita se ipsa, adhuc posset alio modo vniri: ergo posset species ei præstare illum alium modum vnionis, etsi non illum, quem habet se ipsa. Probatur antecedens; quod est vnibile duplici modo, etiam si ratione sui habeat vnum modum vnionis, potest alium ab alio recipere; sed non est ratio, cur substantia Angeli non sit duplici modo vnibilis: ergo etiam si substantia proprio intellectui se ipsa vnita esset, alio modo adhuc posset vniri. Secundo; etsi munus alicuius speciei sit vnire, & proportionare, & alicui obiecto repugnet improportio, si ei non repugnet defectus vnionis, est possibilis species vnitiua, non proportionatiua: ergo licet munus alicuius speciei sit vnire, & concurrere efficienter ad intellectionem, & alicui obiecto repugnet defectus vnionis, si tamen non repugnet illi defectus actualis concursus, erit dabilis species per se ordinata ad istum defectum supplendum. 73

Instabis adhuc 1.

Secundo.

Respondeo ad primum, negando antecedens. Ad illius probationem, distinguo maiorem: si ille alius modus sit propter defectum prioris, qui de facto datur, nec potest deficere, nego maiorem: si non sit propter primum defectum supplendum, omitto maiorem, & nego minorem. Nam modus vnionis, qui ab specie præstatur, est propter supplendum defectum vnionis obiecti. Ad secundum, concesso antecedenti, nego consequentiam. Et ratio discriminis est: nam deficiente vnione, non est obiectum potens proximè mouere: ac proinde datur locus speciei istum defectum supplentis, & dantis proximum posse: Cæterum deficiente solum actuali concursu, non datur locus supplemento actus primi, quod species præstare petit in genere causæ formalis. Quod illustrari potest exemplo potentiæ realiter à natura distinctæ, quæ non potest dari ad suplendum solum defectum actualis concursus; nisi desit simul proximum posse. 74

Respondetur ad primum.

Secundo arguitur; etsi humanitas Christi sit sancta sanctitate increata, datur locus sanctificationi per gratiam habitualem; & quamuis obiectum sit vnitum media specie supernaturali; datur locus vnioni media specie naturali; & quamuis Deus instrumentis non egeat, potest vti instrumentis: ergo pariter quamuis Deus sit se ipso vnitus intellectui beati, datur locus speciei participanti intelligibilitatem diuinam. Respondeo, negando consequentiam. Nam sanctificatio per gratiam non est ordinata ad substituendum defectum sanctitatis per essentiam, & obiectum vnitum media specie impressa supernaturali, non est secundum omnem sui intelligibilitatem vnitum, sed solum secundum supernaturalem, & sic datur locus, vt vniatur secundum intelligibilitatem tantum naturalem; & instrumenta Dei non ordinantur ad supplendum aliquem defectum virtutis diuinæ: species autem per se ordinantur ad supplendum defectum obiecti per modum actus primi in genere causæ formalis, & quia hic Deo repugnat, hinc fit, quod etiam repugnet species. 75 76

Secundo arguitur.

Respond.

Sed oppones primo; nullam esse rationem, cur licet species, quæ dantur de facto, ordinentur ad supplendum defectum obiecti, repugnet de potentia absoluta species ad hoc munus non ordinata: ergo est dabilis talis species. Secundo; etsi instrumenta in causis naturalibus ordinentur ad supplendum defectum illarum, dantur respectu Dei physica instrumenta, quin ad aliquem Dei defectum supplendum ordinentur: ergo pariter quamuis species, quæ de facto dantur respectu obiectorum creatorum, ad illorum defectus per modum actus primi supplendum ordinentur, dabilis erit de potentia absoluta species respectu Dei, quæ nullum eius suppleat defectum. 77

Oppones primo.

Secundo.

Respondeo ad primam rationem, esse ipsissimam speciei essentiam: quia Verbum productum, & notitia actualis

Respondetur ad 1.

lis per se petunt ab obiecto procedere; & consequenter non nisi ab illo, vel ab aliquo eius vices gerente. *Ad secundam.* Ad secundam, distinguo antecedens: instrumenta obedientialia, concedo antecedens: naturalia, vel ab intrinseco talia, nego antecedens, & consequentiam. Itaque instrumentum, quod est ab intrinseco tale, & ex propria natura, ordinatur ad supplendum defectum causæ, cuius est instrumentum, & ideò repugnat instrumentum huiusmodi respectu Dei. Instrumentum autem purè obedientiale, non ordinatur ad supplendum causæ defectum, sed potius arguit supremam virtutem in causa, & ideò tale instrumentum non repugnat respectu Dei. Species autem non erit, nisi ex propria natura, & ab intrinseco ad intellectionem obiecti concurrat, & ideò implicat, nisi ex parte obiecti defectus supplendus ponatur. Imo ex hoc, argumentum in fauorem nostrum desumitur; si namque repugnat Deo instrumentum naturale, etiam Dei species repugnat.

78 *Opones primo.* Sed opones primo; estò ablutio Baptismalis secundum se sumpta, non sit instrumentum connaturale gratiæ, sed tantum obedientiale, prout tamen intrinsecè eleuata per virtutem supernaturalem, est connaturale instrumentum illius; cum quatenus prout sic eleuata petat concursum supernaturalem Dei; sicut intellectus, vt eleuatus connaturaliter elicit visionem beatificam, tametsi secundum se obedientialiter comparetur ad illam; at in via Diui Thomæ Sacramenta constituuntur in ratione instrumentorum physicè gratiam causantium per virtutem sibi intrinsecam: ergo sunt prout sic, constituta instrumenta Dei connaturalia. *Secundo.* Secundo, concursus instrumentalis consistit in applicando ad effectum virtutem causæ principalis, seu in illam deferendo: ergo instrumenta, siuè naturalia sint, siuè obedientialia Dei, deferunt virtutem diuinam, & applicant illam effectui, & tamen virtus diuina ratione sui est intimè cuilibet suo effectui applicata, & coniuncta: ergo causa ratione sui applicata, applicatur ratione alterius distinctè; & consequenter obiectum ratione sui vnitum, poterit vniri intellectui ratione speciei creatæ.

79 *Resp. ad primum.* Respondeo ad primam instantiam, negando antecedens: ablutio enim adhuc intrinsecè eleuata non est instrumentum Dei connaturale, quia non eleuatur per virtutem permanentem, sed fluidam, & facile transeuntem, & consistentem in actuali subordinatione ad Deum, vt causam principalem, & solum illud dicitur instrumentum connaturale, quod habet ratione sui virtutem permanenter communicatam, ratione cuius ei debita sit coniunctio, & subordinatio ad suam causam principalem in ordine ad influxum actualem quo circa communiter à Thomistis cum Angelico Præceptore negatur possibilitas virtutis permanentis ad patranda miracula; quia aliàs daretur instrumentum connaturale miraculorum effectiuum, ex quo iam miracula non essent miracula; cum tamen ob hoc non negetur virtus supernaturalis per modum transeuntis ad miracula efficienda. Et ex his constat ad paritatem intellectus illustrati lumine gloriæ: eleuatur namque ratione formæ permanentis ab intrinseco exposcentis concursum, & assistentiam Dei, etsi aliquando eleuatur, seu eleuari potest per auxilium facile transiens, est in defectum permanentis formæ, & ideò visio Dei est illi connaturalis, etsi non ratione suæ entitatis, benè tamen ratione eleuationis.

80 *Ad secundam.* Ad secundam dicatur, virtutem Dei esse duplicem, alteram efficientem, & alteram effectam, instrumentis communicatam. Prima, ratione ne sui est intimè cum omni Dei effectu coniuncta, & hæc non applicatur per instrumenta diuina; virtus verò effecta ratione sui cum effectibus coniuncta non est, & hæc per instrumenta effectibus applicatur, & ad illos defertur, & Deus voluit, quod effectus proprij, non solum à virtute intrinseca sibi, sed etiam à virtute effecta penderent. Vel potest ad primam replicam responderi, instrumenta Dei esse connaturalia secundum quid, & eleuatione supposita; non autem simpliciter, quia ad hoc requirebatur, quod instrumentum *quod* operans, ratione suæ entitatis, concursum ad effectum exposceret, & esset ordinatum ad suam causam adiuuandam.

81 *Tertio oppones contra istā rationem.* Tertio arguitur; etsi Verbum ratione sui ordinetur ad constituendum intellectum intelligentem formaliter, si in intellectione consistat, vel completiuè si in termino intellectionis, est dabile Verbum ad nihil horum ordinatum, quia ex fecunditate non ex necessitate productum, nempè, Verbum diuinum: ergo quamuis species ex natura sua ordinetur ad vniendum obiectum cum potentia, & illius defectum supplendum, erit tamen dabilis species ad obiecti defectum supplendum non ordinata, quia non ex necessitate, sed tantum ex fecunditate diuina producta.

Respondetur. Respondeo, distinguendo antecedens: Verbum increatum, concedo antecedens: creatum, nego antecedens, & consequentiam: quia species omnis producta, est species creata; & consequenter ad aliud ordinata, quod nihil aliud est, nisi defectus obiecti supplendus: Verbum autem increatum ob nihil à se distinctum intenditur, sed solum ratione sui, & idcirco potest ex fecunditate, non ex necessitate produci: imo ex hoc exemplo argumentum in fauorem nostrum conficitur; implicat enim Verbum creatum per se non ordinatum, vel ad constituendum intellectum intelligentem, vel ad illum vniendum cum obiecto intellecto: ergo & implicat species creata non ordinata per se ad vniendum obiectum cum potentia. Vel aliter; intellectus ratione sui completè intelligens, & vnitus obiecto, non potest per Verbum creatum intelligere, aut vniri: ergo obiectum de se, & ratione sui cum intellectu vnitum, non potest per speciem creatam vniri.

82 *Quarto arguitur.* Denique arguitur; potest Deus quatenus per omnipotentiam cum diuina essentia, vt obiecto concurrit, concursum effectiuum suspendere: ergo etiam poterit sine essentia, vt obiecto concurrente, ad beatificam visionem concurrere: ergo vlterius poterit medio aliquo instrumento influere in talem visionem, sicut medijs instrumentis influit in gratiam; at tale instrumentum ad beatificam visionem concurrens, erit species impressa: ergo est dabilis; & consequenter fuit doctrina rationis.

83 *Respōd. primo.* Respondeo primo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam licet Deus possit supplere concursum causarum purè efficientium, non autem potest supplere concursum causarum efficientium, & simul specificantium; qua ratione in probabiliori sententia non potest supplere principij vitalis concursum, nec sine illo beatificam visionem elicere, obiectum autem concurrit effectiuè, & specificatiuè. Tum; quia obiectum determinat principium, vt forma: specificatio autem actionis vitalis fit à principio quatenus determinato, quo circa vt Diuus Thomas docet 1. 2. q. 1. ar. 3. actio voluntatis, etiam vt actio specificatur à fine, quia nempè, se tenet ex parte principij, vt determinans illud. Tum etiam; quia cum intellectio sit quidam intellectualis partus, petit assimilari principio effectiuo, quod nihil aliud est, quam obiectum.

Secundo. Secundo respondeo, concesso antecedenti, & prima consequentia, & omissa secunda, negando minorem. Tum; quia species non instrumentaliter, sed principaliter ad intellectionem concurrit. Tum etiam; nam estò instrumentum sit, est instrumentum ab intrinseco, & connaturale; instrumentum autem in illo casu assumptum à Deo obedientiale esset. Tum denique; nam species debet loco obiecti concurrere, tale autem instrumentum non gereret vices obiecti.

§. Vltimus.

Diluuntur argumenta contraria.

84 *Præcipua argumenta manēt soluta ex dictis.* EX dictis in discursu disputationis solutum manet primum, & præcipuum contrariorum asylum, quod ex solutione, & impugnatione rationum Diui Thomæ desumunt. Manet etiam dilutum secundum ex paritate luminis, & visionis, quæ de facto dantur, desumptum. Tertio, quod ex verbi paritate, de facto in illorum sententia à beatis formati, deducunt, fiet satis *disputatione sequenti*.

85 *Quarto arguitur.* Quarto sic arguunt; quoties in aliquo ordine est possibilis actio, est etiam possibile in eodem ordine actionis principium; sed in ordine supernaturali creato est possibilis actio tendens in Deum sicuti est, nempè, visio beatifica: ergo etiam est possibilis species impressa supernaturalis creata, quæ sit principium talis actionis: ac proinde, quæ repræsentet quidditatiuè Deum. Verum hoc argumento, si conuincerent aliquid, probarent etiam de facto dari speciem creatam repræsentantem Deum quidditatiuè, siquidem non solum de possibili, sed etiam de facto datur visio beatifica Deum attingens quidditatiuè.

86 *Respondet.* Respondetur ergo, distinguendo maiorem: principium se tenens ex parte potentiæ, concedo maiorem: principium se tenens ex parte obiecti, subdistinguatur maior: si in illo specialis repugnantia inueniatur, quæ

in actione non reperitur, nego maiorem: si talis repugnantia non adsit, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Quia in specie, quæ est principium visionis se tenens ex parte Dei visi, inueniuntur omnes rationes repugnantiæ assignatæ, quarum nulla militat in visione beatifica: species namque vt *supra* arguebamus, debet esse eiusdem quidditatis cum obiecto, quod creaturæ repugnat conuenire respectu Dei; necnon etiam est virtus illius: ac proinde petens cum illo in gradu immaterialitatis conuenire, quorum neutrum est de ratione visionis, qua beati vident diuinam essentiam.

87 *Si dicas.* Si dicas: ad effectum finitum non exigitur virtus infinita; sed visio beatifica ad quam species impressa, vt virtus concurrit, est quid finitum: ergo ad illam in specie non desideratur infinitas; & consequenter dicta species non repugnabit. *Respõdetur 1.* Respondeo, distinguendo maiorem dupliciter: primo, ex meritis effectus, omitto maiorem; ex meritis obiecti, cuius est virtus, vel ex alijs capitibus, nego maiorem: & concessa minori distinguatur consequens eodem modo. *Secundo,* Vel secundo, distinguo maiorem: non requiritur per se primo, omitto maiorem: per se secundo, nego maiorem: & concessa minori, distinguatur pariter consequens. Itaque dico, quod etsi visio beatifica per se primo solum exposcat speciem impressam obiecti infiniti, quia tamen omnino repugnat, talem speciem dari, quin sit in se ipsa intrinsecè infinita, petit saltim per se secundo dictam infinitatem, sicuti solet dici de offensa contra Deum commissa, in sententia asserente, non esse infinitam intrinsecè, sed solum extrinsecè, quod scilicet, solum desiderat satisfactionem simili infinitate, extrinseca nempè, gaudentem; quia tamen repugnat dari satisfactionem, quæ infinitatem habeat, nisi à persona infinita procedat, & eo ipso, quod procedat à persona infinita, non potest non gaudere infinitate intrinseca, ideo per se secundo infinitatem intrinsecam in satisfactione desiderat.

88 *Vltimo arguitur.* Denique obijciunt; ad repræsentandum infinitum obiectum, finito modo, non requiritur infinitas in specie repræsentanre; sed species quidditatiua Dei finito modo Deum repræsentaret: ergo potest dari species quidditatiua finita. Maior est certa, & minor ostenditur primo; *Minor ostenditur primo.* species, quæ Deum infinito modo repræsentaret, esset comprehensiua illius: ergo species, quæ solum esset quidditatiua, finito modo illum repræsentaret. *Secundo.* Secundo; talis species repræsentaret Deum intellectui finito: ergo non infinito, sed finito modo illum repræsentaret. Patet consequentia; quia finito intellectui nequit repræsentatio infinita modo infinito competere. *Confirmatur.* Et vrgetur hoc amplius; non minus est infinitus Deus in ratione intelligibilis, quam in ratione repræsentabilis; sed quamuis repugnet infinitæ illius intelligibilitati, modo infinito intelligi per intellectionem finitam, non tamen repugnat, quod finito modo per intellectionem finitam intelligatur: ergo pariter etiam, etsi illius infinitæ repræsentabilitati repugnet per formam finitam infinito modo repræsentari, non tamen repugnabit, quod finito modo per formam finitam repræsentetur.

89 *Respondetur ad 1.* Ad hoc argumentum respondetur, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego suppositum consequentis, quia repugnat dari speciem impressam repræsentantem Deum quidditatiuè, quæ non repræsentet Deum infinito modo, & comprehensiuè ob rationes *supra* assignatas. Prima; quia eo ipso, quod repræsentet quidditatiuè Deum, debet esse eiusdem quidditatis cum illo, non extrinsecè, sed intrinsicè; repugnat autem quidditati diuinæ intrinsicè coniungi, seù identificari cum aliquo modo finito. Secunda; quia debet esse virtus, qua Deus moueat intellectum creatum; eo autem ipso debet esse eiusdem immaterialitatis cum Deo, & cum illo identificari; & consequenter repugnabit ei finito modo Deum repræsentare.

Ad secundam, concesso antecedenti, distinguo consequens: non repræsentaret infinito modo ex parte sua, nego consequentiam: ex parte intellectus, cui fieret repræsentatio, concedo consequentiam: sicuti essentia diuina, quæ de facto vnitur intellectui beati per modum speciei, ex se infinito modo se ipsam repræsentat, finito tamen modo ex parte intellectus, cui fit repræsentatio. 90 *Ad secundam.* Ad confirmationem; concessa maiori, & minori, nego consequentiam. *Ad confirmationem.* Et ratio discriminis ex dictis colligitur; quia visio beatifica non debet in aliquo modo intrinseco essendi obiectum intellectum præcontinere, nec esse eiusdem quidditatis cum illo, & id circo non repugnat ei modus finitus tendendi in obiectum, species verò repræsentans Deum quidditatiuè debet esse intrinsecè eiusdem quidditatis cum Deo; quidquidditati autem diuinæ sub quauis ratione modus limitatus repugnat. Et insuper; quia species debet esse virtus obiecti; secus autem visio, vt sæpissimè diximus.

Ex dictis infero contra Molinam *in præsenti disp. 1. in fine* secundæ conclusionis, non posse beatos diuinam essentiam videre, quin ipsa ratione sui cum illis vniatur per modum speciei, quod suadeo manifesta ratione; implicat namque aliquod obiectum intelligi, quin intellectui vniatur, vel per speciem sui, vel per se ipsum gerens munus speciei; sed diuina essentia nequit vniri intellectui beati per speciem creatam, vt probatum relinquimus: ergo necessario debet per se ipsam vniri, vt possit à Beatis videri. 91 *Infertur ex dictis.* Maior præterquam quod est Diui Thomæ expressa *in præsenti art. in principio corporis, & infra quæst. 56. art. 1. & de verit. quæst. 8. art. 6.* suadetur ratione; *S. Tho.* non minus pendet intellectio ab obiecto, vt vnito intellectui per speciem, quam volitio a fine, vt vnito voluntati per apprehensionem; sed implicat, voluntatem aliquid velle, nisi illi per apprehensionem vniatur: ergo implicabit etiam, intellectum aliquid intelligere, nisi vniatur illi per speciem distinctam, vel per se ipsum gerens munus speciei.

92 *Fundamẽtum Molinæ fit satis.* Nec fundamentum, quo leuiter fuit ductus Molina de sumptum ex eo quod speciei concursus respectu visionis est effectiuus, & consequenter potest suppleri à Deo, quidquam roboris habet; speciei namque concursus est simul specificatiuus intellectionis ex parte principij, vnde sicuti ob istam rationem nequit suppleri à Deo concursus principij vitalis, quamuis sit effectiuus, ita nec concursus speciei, & quando asserirur, Deum posse per se ipsum præstare, quidquid præstat media causa efficienti, debet intelligi, quando est causa efficiens præcisè, non verò quando simul præstat formalem, seù specificatiuum concursum, quod ad genus causæ formalis reducitur. Et hæc de ista disputatione.

DISPVTATIO XII.

An Beati in visione Beatifica verbum producant?

§. I.

Relatis sententijs vera eligitur, & probatur.

Nu. 1. *Prima sentẽtia. Arrubal. Granad.* IN hac disputatione tres reperio sententias. Prima est affirmatiua, quam tenent omnes Auctores *disp. præcedenti pro prima sententia relati*, & ex negantibus speciei possibilitatem: illam tenet Arrubal. *Disp. 17. cap. 2.* Granadus, *tract. 5. de visione Dei disp. 1. sect. 2.* Ex Thomistis, Magister Soto *in 4. dist 49. quæst. 2. art. 3.* Ferrara *1. contra Gentes cap. 53.* Zanardus *vbi supra*; *Soto. Ferrara Zanard.* illamque magis menti Diui Thomæ conformem reputauit Capreolus *in 4. dist. 49. quæst. 5.* *Capreolus.* Secunda concedit, posse beatos Verbum inadæquatum alicuius attributi formare: secus verò adæquatum; hanc tenet Magister Zumel *1. quæst. 27. art. 1. disp. 1.* *Secunda. Zumel.* pro illa referens Caietanum *ibidem*, & Capreolum *in 1. dist. 27. quæst. 2. solut. ad 8.* *Caietan. Capreol.* Tertia,

Tertia. *Caietan.* Tertia, & verior sententia negat, Verbum à Beatis de facto, aut de possibili produci. Ita communiter Recentiores Thomistæ *disp. præcedenti relati*, quam tenet Caietanus expresse *in præsenti*. Pro cuius explicatione sit.

2 *Conclusio.* *Mens D. Thomæ.* Nostra Conclusio: Repugnat de absoluta potentia Verbum, seu species expressa repræsentans quidditatiuè diuinam essentiam. Hæc conclusio est absque dubio mens Diui Thomæ expressa *in præsenti art. & locis vbi supra relatis*, vbi omnem similitudinem Dei se tenentem ex parte obiecti reputat impossibilem, & quod intelligatur, non solum de similitudine impressa se tenente ex parte principij, sed etiam de expressa, manifestè colligitur ex ipsius rationibus, quæ vtriusque, vel nullius impossibilitatem apertè conuincunt.

3 *Conclusio probatur primo.* Probatur igitur primo Nostra conclusio; ex eo est impossibilis species impressa creata, quia cum se teneat ex parte obiecti, vt motiui, debet cum illo in gradu immaterialitatis conuenire, & esse eiusdem ordinis cum illo, quod cuiuis formæ creatæ repugnat, sed etiam verbum, seu species expressa se tenet ex parte obiecti prout terminantis intellectionem; ergo debet cum illo in gradu immaterialitatis conuenire; & consequenter repugnabit formæ creatæ rationem Verbi respectu diuinæ essentiæ sortiri. *Secundo.* Secundo probatur; ex eo repugnat species impressa Deum quidditatiuè repræsentans, quia debet esse eiusdem quidditatis cum illo; at non minus est de ratione Verbi, quod sit eiusdem quidditatis cum obiecto, & illi assimilari, seu cum eo specificè conuenire, quam sit de ratione speciei: ergo omnino repugnat Verbum, Dei essentiam quidditatiuè repræsentans. Maior ex dictis *disp. præcedenti* colligitur. Minor est Diui Thomæ 1. *contra Gentes cap. 53. §. vlterius autem*, illis verbis: *Licet vtrumque, scilicet, species, & Verbum, sit rei intellectæ similitudo*. Et probatur; nam sicut per speciem impressam intellectus fit in actu primo res intellecta, ita per expressam fit res intellecta in actu secundo: ergo non minus est de ratione Verbi esse eiusdem quidditatis cum obiecto, quam sit de ratione speciei.

4 *Respondet Zanard.* Respondet Zanardus ex Ferrara *vbi supra*, speciem expressam esse similitudinem productam per intellectionem: ac proinde illi commensurari, & ex illa limitari; & finiri, impressa autem est similitudo producens se tenens ex parte obiecti, cum illo commensurata, & à nullo limitata. *Contra 1.* Sed contra primo; quidditas diuina nequit coniungi, seu identificata inueniri cum aliquo limitato, ex quouis capite limitatio proueniat: ergo si est de ratione Verbi quidditatiuè repræsentantis Deum, esse eiusdem naturæ, & quidditatis cum illo in alio modo essendi, nempe, repræsentatiuo, repugnabit illi limitari, & finiri ex aliquo principio. Consequentia est nota. Et antecedens probatur primo ex iam dictis *disp. præcedenti*, *Antecedens probatur 1.* quia scilicet cuicumque limitato, & finito repugnat vniuoca conuenientia cum Deo in aliquo esse: ergo a fortiori repugnabit illi conuenientia specifica, & identitas cum Diuina natura in aliquo esse.

5 *Secundo.* Secundo, quia aliàs posset species impressa esse intrinsecè eiusdem quidditatis cum Deo, & limitari ex modo finito tendendi in ipsum; consequens admittere nequeunt Thomistæ: ergo nec speciem expressam. Probo sequelam; non minus limitatur forma specificata ab obiecto ex modo finito tendendi in ipsum, quam forma producta à principio, vt in lumine gloriæ, & visione beatifica constat: ergo si potest quidditas diuina reperiri in Verbo limitato modo ratione principij, poterit etiam contineri in specie cum limitatione ex modo finito tendendi in obiectum; & consequenter poterit dari species impressa finita quidditatiua Dei, quę cōprehensiua non sit.

6 *Secundo reijcitur Zanard.* Secundo impugno traditam solutionem, quia si diuina essentia vnita intellectui beati posset speciem sui expressam simul cum intellectu producere, cur etiam per se ipsam non posset speciem impressam sui ipsius in illo causare, quæ limitaretur ex eo quod producta esset, & causata a Deo in intellectu limitato, & finito? Si forte cum quibusdam dicatur, speciem petere ab obiecto naturali concursu causari; vnde eo ipso, quod a Deo *Si fortè respondeas.* manaret, flueret naturaliter; & consequenter infinita euaderet. Obstat in contra; hoc absque vllo fundamento *Contra.* affirmari; cur namque sicut diuina essentia vnitur intellectui beati per modum speciei liberè, & non naturaliter, non poterit etiam speciem sui liberè, & non naturaliter causare; si namque concursum in genere causæ formalis per modum speciei liberè præstat, cur non poterit liberè concurrere ad producendam speciem repræsentatiuam sui; si semel in alio genere non repugnat?

7 *Tertio probatur conclusio.* Tertio principaliter probatur conclusio; Verbum ad hoc ponitur, vt obiectum reddat præsens potentiæ in actu secundo, & ratione illius intellectionem terminet; sed implicat formam creatam respectu diuinæ essentiæ hoc munus præstare; ergo implicat Verbum, seu species expressa quidditatiua illius. Illatio tenet Maior supponitur, & minorem ostendo; id, quod est tale per essentiam implicat reddi tale per aliud; quo circa diuina essentia nequit intelligibilis per speciem creatam constitui, quia per se ipsam est intelligibilis, & vnio per aliud vniri repugnat, & relatio per aliud referri; sed diuina essentia est per se ipsam intimè præsens intellectui beati, & ratione sui intellectionis terminus, ratione suæ infinitæ actualitatis, ergo implicat per Verbum creatum præsens constitui intellectui creato, & ratione illius visionem beatificam terminare. Minor probatur; diuina essentia non minus est infinita in ratione obiecti terminatiui, quam in ratione obiecti motiui; sed ob hanc secundam infinitatem est sufficiens ratione sui ad mouendum absque specie impressa creata, & repugnat illi per speciem creatam in ratione proximè motiuæ constitui: ergo ab Infinitatem in ratione obiecti terminatiui, erit ratione sui præsens potentiæ per modum termini; & consequenter repugnabit illi per formam creatam effici præsens, & ratione illius intellectionem terminare.

8 *Respondet primo Arrubal.* Huic argumento respondet primo Arrubal *loco vbi supra*; de ratione intrinseca essentiæ diuinæ non esse, quod sit actu intellecta, & actu terminans intellectionem creatam, sed solum intellectionem diuinam; vnde potest per Verbum creatum præsens fieri creato intellectui, & ratione illius intellectionem creatam terminare. *Contra.* Sed contra, quia diuina essentia est infinita in ratione obiecti motiui, est ratione sui potens mouere; ne dum intellectum diuinum, sed etiam creatum, & proximè ab vtroque intelligibilis absque specie creata, in sententia istius Auctoris; at etiam est infinita in ratione obiecti terminatiui, ergo non solum erit sufficiens ratione sui ad terminandum intellectum diuinum in actu secundo; sed etiam ad actu terminandum intellectum creatum, & illius intellectionem.

9 *Si respondeas.* Si respondeatur cum prædicto Auctore rationem intelligibilis proximè ab intellectu creato, esse intrinsecam perfectionem essentiæ diuinæ: ac proinde debere illi competere ratione sui: ac proinde repugnare per speciem creatam proximè intelligibilem reddi. Quod autem sit actu intellecta à creato intellectu, esse extrinsecam denominationem ab intellectione desumptam; vnde nec illi competit ratione sui, nec repugnat à forma creata talem denominationem subiere. In contrarium oppono primo. *Contra 1.* Licet esse intelligibile proximè ab intellectu creato denominatione sumpta à potentia intellectiua, sit extrinseca denominatio in Deo, esse tamen proximè intelligibilem, prout dicit posse ratione sui intellectum creatum mouere, non est extrinseca denominatio, sed intrinseca perfectio in illo; ergo pariter, licet esse actu intellectum, denominatione sumpta ab actuali intellectione, sit quid extrinsecum, esse tamen actu intellectum, prout dicit, quantum est de se actu terminare talem intellectionem erit intrinseca perfectio in illo: ac proinde competens ratione sui, & repugnans prouenire ab alio.

10 *Secundo.* Secundo; vis proximè terminatiua intellectionis creatæ est intrinseca perfectio in Deo, vt admittit Auctor prædictus: ergo actu quantum est de se intellectionem creatam terminare, debet etiam esse intrinseca perfectio cum illo identificata. Probo consequentiam; quia omnis diuina perfectio sibi identificat suam vltimam actualitatem, sed actu quantum est de se intellectionem creatam terminare, est vltima actualitas vis proximæ terminatiuæ: ergo debet cum illa identificata inueniri.

11 *Tertio.* Tertio; nam quia substantia diuina est infinita in ratione terminandi naturam, non solum est intrinsecum illi actu terminare naturam diuinam, sed etiam, quantum de se, actu terminare naturam creatam, licet de facto aliquando non terminet ob defectum naturæ creatæ: ergo pariter, quia essentia diuina est infinita in linea intelligibili terminatiua intellectionis, non solum erit intrinsecum illi actu terminare intellectionem diuinam, sed etiam, quantum est de se, actu terminare intellectionem creatam, etsi de facto aliquando non terminet, ob defectum illius; ac proinde sicut repugnat substantiæ diuinę terminare naturam creatam ratione alicuius creati, ita repugnabit diuinæ essentiæ constitui terminans intellectionem creatam ratione alicuius realiter ab illa distincti.

12 *Secundo respondet Machin.* Secundo respondet Machin nobis in hac parte contrarius *disput. 15. sectione 2.* Verbum non se tenere ex parte obiecti, vt vltima actualitas, nec eius vices gerere, aut defectum supplere; sed ad hoc solum dari, vt potentiam intelligentem in actu secundo constituat; cumque non repugnet, sed necessario detur in beatis forma constituens illos intelligentes in actu secundo, nempè, visio beatifica; consequens fit, quod detur necessario Verbum; species autem impressa datur ob defectum præsentialitatis obiecti, qui defectus repugnat Deo. *Contra 1.* Cæterum hæc solutio. Verbum cum intellectione confundit contra omnes Thomistas, & in primis infero aduersus illam in sententia asserente, Verbum ab intellectione, adhuc prout est contemplatio, distingui non esse admittendum in visione beatifica. Patet sequela, quia in illa sententia Verbum non datur, vt intellectum intelligentem reddat, ergo se tenet ex parte obiecti, & vices eius gerit.

13 *Secundo.* Secundo illam in hunc modum impugno; genus intelligibile actiuum, & passiuum inter se distinguuntur: ergo vltimæ illorum actualitates debent distingui. Tenet consequentia ex inductione in alijs generibus, quæ eo ipso, quod distinguantur, gaudent vltimis actualitatibus inter se distinctis. Tunc vlterius procedo; sed intellectio est vltima actualitas generis intelligibilis actiui: ergo aliquid distinctum ab illa erit vltima actualitas generis intelligibilis passiui; & consequenter Verbum ab intellectione distinguetur.

14 *Si forte dicas.* Si fortè dicatur; intellectionem actiuè acceptam, esse vltimam actualitatem generis intelligibilis actiui, & eandem passiuè acceptam, esse vltimam actualitatem lineæ intelligibilis passiuæ. *Contra.* In contrarium obijcio; genus intelligibile passiuum, prout in actu primo non consistit in extrinseca denominatione à potentia intellectiua, nec actiue, nec passiuè accepta, sed in aliquo ratione cuius potest obiectum terminare intellectionem: ergo vltima actualitas illius non consistet in extrinseca denominatione ab intellectione, siuè actiuè, siuè passiuè accipiatur, sed consistet in eo, ratione cuius terminet de facto intellectionem.

15 *Infertur primo.* Ex quibus primo infero, non posse dari in visione beatifica Verbum inadæquatum alicuius scilicet attributi. Tum; quia vt ex *infra* dicendis *art. 7. & 8.* constabit, non potest vnum attributum sine alio videri: ergo nec vnum sine alio, & essentia, potest per Verbum intuitivum repræsentari. Tum etiam; quia non minus repugnat formæ creatæ esse eiusdem naturæ cum aliquo attributo diuino in esse repræsentatiuo, quam cum diuina essentia, cum eadem gaudeat infinitate cum illa. Tum tertio; quodlibet attributum diuinum infinita gaudet actualitate; ac proinde repugnat cuius formæ creatæ in eodem immaterialitatis gradu cum illo constitui. Tum denique; attributum quodlibet Dei est ratione sui in vltima actualitate intelligibili: ac proinde quantum est de se terminantes in actu secundo, nedum diuinam, verum etiam creatam intellectionem: ergo non minus repugnat. Verbum creatum alicuius attributi, quam diuinæ essentiæ.

16 *Infertur secundo.* Colligo secundo, non posse beatum ex vi visionis beatificæ Verbum creaturarum formare; cuius ratio est, quia eodem ordine aliqua repræsentantur in Verbo, quo ab intellectione attinguntur; sed visio beatifica nequit primo terminari ad creaturas, sed primario ad diuinam essentiam, & secundario ad illas: ergo Verbum ex vi eiusdem formatus, nequit ad creaturas primario terminari, sed primario ad essentiam diuinam, & ad creaturas solum secundario; at probatum relinquimus, repugnare Verbum immediatè repræsentans diuinam essentiam: ergo repugnat ex vi beatificæ visionis Verbum creaturarum formari.

17 *Mens Caietani explicatur.* Nec Caietanus oppositum docuit, quidquid alij dicant, quando enim concedit beatos verbum partiale, non autem adæquatum formare, non loquitur de verbo mentali, sed de vocali, quo inter se exterius colloqui possunt beati: quod autem hæc sit mens Caietani constat ex causali, quam tradit, illis verbis: *Plus enim vident; quam dicere possint quocumque creato Verbo.* Si enim loqueretur de verbo mentali, falsum assumeret; verbum enim mentale adæquat in sui repræsentatione intellectionem, cuius est terminus: loquitur ergo Caietanus de verbo vocali; ac si dicat, non posse vocalibus verbis, id quod mente concipiunt, adæquatè explicare, iuxta illud Pauli: *Vidi arcana Dei, quæ non licet homini loqui;* & expressius constat, ex eo quod in præsenti articulo, omnis verbi possibilitatem denegat respectu diuinæ essentiæ; non autem est credibile, diuinum illud Caietani ingenium, tam cito sui oblitum, ita apertè sibi contradicere; restat modò ad contrariorum motiua satisfacere.

§. II.

Argumentis ab auctoritate occurritur.

OBIICIVNT primo; Parentem Augustinum *lib. 9. de Trinitate cap. 11.* illis verbis: *Quemadmodum cum per sensus corporis discimus corpora, fit eorum aliqua similitudo: ita cum Deum noscimus, illa notitia verbum est, & fit aliqua Dei similitudo, tamen inferior creatura, quippè animus, creator autem Deus.* Idem habet *lib. 14. cap. 17.* explicans illud Ioannis: *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Et *lib. 15. cap. 16.* ergo ex mente Augustini ipsa visio beatifica est verbum; & consequenter verbum à beatis formatur. 18 *Obijcies primo. S. Aug. Ioann.*

Respondeo, Augustinum in his locis notitiam verbum appellare, & similitudinem, non essentialiter, sed determinatiuè verbum, & principiatiuè similitudinem; quia scilicet terminatur ad essentiam diuinam, quæ gerit munus verbi, & ab eadem diuina essentia, vt vnita ex parte principij per modum speciei impressæ, quatenus fit intelligibiliter Deus, procedit, quæ interpretatio ex illius verbis colligi videtur; æquiparat namque quoad hoc visionem beatificam sensitiuæ notitiæ, quæ in communi Thomistarum & vera sententia, Verbum non est, nec Verbum producit, sed solum similitudo dicitur, quia ab specie impressa procedit, quæ est obiecti similitudo. 19 *Respond.*

Si opponas; essentia diuina nequit habere rationem verbi respectu visionis beatificæ: ergo si terminatur ad Verbum, debet esse ad Verbum per illam productum. Consequentia tenet. Et antecedens probatur; quia de ratione Verbi est, quod sit expressum, & productum, vt docet Diuus Thomas *q. 4. de Verit. art. 2.* quo circa *ibidem*, docet, Verbum in diuinis non dici essentialiter, sed solum personaliter; at diuina essentia non exprimitur ab intellectu beati: ergo nequit habere rationem verbi respectu illius. 20 *Si opponas.*

Respondetur ex Diuo Thoma *ibidem*, asserente, Verbum accipi dupliciter posse, & propriè, & communiter; si propriè accipiatur, petit, & quod repræsentatio sit, & quod ab alio procedat, & in hac acceptione diuina essentia nequit habere rationem verbi, nec respectu cognitionis diuinæ, nec respectu cognitionis beatorum; si verò accipiatur communiter, solum exposcit, quod sit repræsentatio actualissima obiecti, & vt sic essentia diuina habet rationem verbi, & respectu diuini intellectus in cognitione essentiali, & respectu visionis beatificæ, nec strictiorem verbi acceptionem requirit visio beatifica, quam exposcat intellectio diuina essentialis. 21 *Respondetur ex D. Thom.*

Obijciunt secundo, Doctorem Angelicum *1. p. q. 27. art. 1.* asserentem: *Omne intelligens, eo ipso quod intelligit, format Verbum.* Id ipsum habet *1. Contra Gentes cap. 53 & 4. Contra Gentes cap. 11 & q. 4. de Verit. art. 2.* post medium corporis, *& expressius ad 5.* illis verbis: *Omne intelligere in nobis propriè loquendo, est dicere.* Ergo ex mente Diui Thomæ beati in visione beatifica Verbum producunt. Respondeo, Divum Thomam non loqui de omni supposito intelligente per distributionem completam ex parte intellectionum, sed per distributionem accomodatam; ita vt sensus sit omne suppositum intellectuale in aliqua intellectione format Verbum: & postea subsumit; sed Deus est suppositum intellectuale: ergo in aliqua intellectione Verbum format, quæ interpretatio constat, ex eo quod non intendit probare Deum in omni intellectione verbum producere; aliàs illud produceret Spiritus Sanctus, sed solum, quod illud formet in aliqua, nempè, in notionali cognitione Patris: ergo vniuersalis assumpta non de omni supposito intellectuali in omni intellectione debet intelligi, sed solum in aliqua, nempè, in illa, quæ ad obiectum creatum terminatur. Et eodem modo interpretanda veniunt verba vltimo adducta *ex q. 4. de Veritate*, scilicet, intelligere nostrum est dicere; loquitur enim de intelligere nostro circa obiectum creatum. 22 *Obijcies Secundo. S. Thom. Respond.*

Verum contra solutionem istam opponunt sic primo; quia ex illa sequitur, illationem Diui Thomæ sic debere formari; omne suppositum intellectuale creatum in cognitione obiecti creati Verbum format: ergo supposi- 23 *Opponens primo.*

tum

tum intellectuale increatum aliqua sui cognitione Verbum producit; at illa consequentia est ridicula: ergo & nostra interpretatio. Respondeo, concedendo sequelam, & negando minorem. Nam licet non sit illatio demonstratiua, est tamen probabilis, ex eo enim quod intelligentia creata in aliqua intellectione producant Verbum, licet non euidenter; congruenter tamen, & probabiliter, infert Diuus Thomas aliquam intellectionem suppositi intellectualis increati Verbum producere.

24 *Opponet Secundo.* Opponunt secundo; nam *in loco ex 4. Contra Gentes adducto*, ideo probat Diuus Thomas, Angelum in cognitione sui Verbum formare; quia non est idem in illo intelligere, & esse; sed etiam in beatis, non est idem visio beatifica, & esse: ergo formant Verbum in visione beatifica. *Respond.* Respondeo, concessa maiori, & minori, negando consequentiam. Ratio cur tenet consequentia Diui Thomae in Angelo, non autem in beatis, ea est, quia Angelus in illa cognitione habet se ipsum pro obiecto; vnde ex eo quod esse Angeli non sit idem, quod suum intelligere, per euidentem consequentiam infertur, obiectum illius cognitionis, nempe essentiam Angeli, non identificare sibi suam cognitionem; & consequenter non esse actum purum: eo autem ipso, quod obiectum cognitionis, actus purus non sit, bene infertur, sibi non identificare vltimam actualitatem lineae intelligibilis passiuae, quod est Verbum: ac proinde, vt intelligatur, siue à se, siue ab alio, Verbum ab illo distinctum formari debere. Beatus autem videns Deum, non se ipsum, sed Deum habet pro obiecto; vnde ex eo quod visio beatifica non identificetur cum esse beati, solum sequitur, non posse beatum se ipsum absque Verbo cognoscere: Deus autem, qui est obiectum visionis beatificae; cum actus purus sit absque vlla potentialitate, Verbo non indiget, nec per Verbum creatum cognosci potest.

§ III.

Caetera argumenta diluuntur.

25 *Tertio arguitur. Antecedens probatur 1.* TERTIO arguunt ratione, quod diuina essentia per se ipsam sit praesens intellectui beati, non obstat, quominus per creatum Verbum intelligatur: ergo beati de facto Verbum producunt. Consequentia tenet, & antecedens probatur primo: quia Angelus est praesens per se ipsum proprio intellectui; & tamen iuxta D. Thom. 4. *Contra Gentes cap. 11.* Angelus in cognitione sui format Verbum: ergo dicta praesentia non obstat. *Secundo.* Secundo; quia licet ratione sui sit praesens in actu primo, non tamen est praesens ratione sui in actu secundo; alias semper esset in actu secundo praesens: ergo potest per Verbum creatum praesens fieri in actu secundo. *Tertio.* Tertio; diuina essentia est ratione sui praesens intellectui paterno; cum sit in actu vltimo intelligibilis ab illo; & tamen in illius notionali notitia Verbum format: ergo quod sit ratione sui praesens intellectui beati, non tollit quominus beatus in illius cognitione Verbum producat.

26 *Resp. ad 1. probationem.* Respondetur, negando antecedens. Ad primam illius probationem dicatur; quod licet Angelus sit praesens sibi ipsi praesentia physica, & intentionali in actu primo, non tamen est praesens proprio intellectui intentionaliter in actu secundo intentionaliter, indiget Verbo: Deus autem ratione sui est praesens intentionaliter, & in esse intelligibili in actu secundo.

27 *Si dicas.* Si dicas; ideò Deus est praesens in actu secundo in esse intelligibili ratione sui, quia est immaterialis; sed etiam Angelus immaterialis est: ergo est praesens ratione sui in actu secundo proprio intellectui. *Respondetur.* Respondeo distinguendo maiorem; quia est immaterialis per exclusionem materiae tantum nego maiorem; per exclusionem potentialitatis per modum actus puri concedo maiorem, & minorem distinguo: est immaterialis Angelus per exclusionem materiae physicae, concedo minorem: per exclusionem potentialitatis, nego minorem, & nego consequentiam. Exclusio namque materiae solum infert, quod sit praesens intelligibiliter per modum actus primi, non verò per modum actus secundi, quia ad hoc requirebatur, quod esset actus purus excludens omnem potentialitatem, qualiter est Deus.

28 *Ad secundam.* Ad secundam probationem, distinguo antecedens: non est praesens in actu secundo, quantum est ex se, nego antecedens: defectu connotati, transeat antecedens, & nego consequentiam. Sicut personalitas diuina quantum est de se, semper terminauit humanitatem; hoc est, nihil ei ex parte sui deficiebat, vt terminaret; licet de facto non semper terminauerit ob defectum connotati, nempe, humanitatis, quae terminanda erat. Pro quo aduertite, & diligenter notate, quod quando praedicatum est connotatiuum, potest quoad sui denominationem deficere ex defectu illius, quod importatur in recto, vel ex defectu illius, quod importatur in obliquo, vt 1. *p. q. 19.* de actu libero Dei solet doceri, & de relatione ad plures filios terminata docetur in Logica *cap. de ad aliquid*: quia ergo Deum esse praesentem intellectui intentionaliter in actu secundo, connotat actualem cognitionem in intellectu, potest de facto praesens non esse defectu cognitionis importatae in obliquo, licet nihil ei deficiat ex parte sui.

Ad tertiam probationem communi solutione respondetur, distinguendo minorem, quae talis est; Pater format Verbum in cognitione notionali essentiae: hanc minorem distinguo: format Verbum ex necessitate, nego minorem: ex fecunditate suae naturae, concedo minorem, & nego consequentiam. Nam Pater format Verbum, non quia sit necessarium, vt essentia diuina intelligatur, sed quia natura diuina, & diuina cognitio fecunda est ad intra ad Verbi productionem. 29 *Ad tertiam.*

Verum contra solutionem istam obijciunt: ergo licet beati Verbum ex necessitate non forment, hoc est, ob indigentiam naturae, vt intelligatur, poterunt tamen Verbum ob fecunditatem formare. Patet consequentia; quia nulla est repugnantia in hoc, quod visio beatifica, sicut à diuina notitia rationem cognitionis participat: ita etiam ab illa capiat fecunditatem Verbi productiuam. Respondeo, negando consequentiam; quia talis fecunditatis productiuae Verbi creati participatio repugnat; quia diuinae essentiae repugnat cognosci per Verbum creatum, non autem repugnat illi ratione Verbi increati cognosci; cuius ratio est duplex. Tum; quia diuinae essentiae non repugnat conuenientia in natura cum Verbo increato, bene tamen cum creato, vt *superius* arguebam. Tum etiam, stando in tertia ratione; quia Verbum increatum non gaudet distincta immaterialitate, & actualitate à diuina natura, nec diuersa intelligibilitate; sed est intelligibile ab intellectu diuino ratione naturae, quam participat ex vi processionis: Verbum autem creatum distincta gaudet actualitate, & immaterialitate, & ei, quod est tale per essentiam, solum repugnat fieri tale per aliud distinctum à se, non autem per aliud à se ipso indistinctum. 30 *Opponet.* *Respond.*

Obijciunt sic quarto; Verbum est idem formalissimè, quod intellectio; sed in beatis necessario datur intellectio ab ipsis producta: ergo & Verbum. Consequentia tenet. Minor est certa. Et maiorem multis medijs conantur ostendere. Primo ex Anselmo in monologio c. 31. illis verbis: *Nulla ratione negari potest, cum mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione, imo ipsam cogitationem sui esse imaginem, &c.* Ergo ex mente Anselmi, cognitio, & cogitatio obiecti, est imago, & Verbum obiecti. Secundo, illam probat Suarez *loco vbi supra cap. 11.* nulla est necessitas distinguendi Verbum ab intellectione, nec possunt assignari effectus formales distincti, quos tribuant: ergo non distinguuntur. 31 *Arg. 4.* *Maior prob. 1.* *Secundo.*

Tertio; intellectio formaliter est similitudo obiecti expressa ab intellectu: ergo est Verbum formaliter. Consequentia est nota, & antecedens probat Vazquez. Tum ex Anselmo *loco allegato* expressè asserente, de ratione notitiae esse similitudinem. Cum etiam; quia intellectio repraesentat obiectum potentiae: ergo est similitudo intentionalis illius. Antecedens probatur: intelligere nihil aliud est, quam quod obiectum fiat praesens potentiae; sed per intellectionem redditur intellectus intelligens: ergo. Tertio; quia intellectio, quae sine verbo fieret esset partus intellectualis; hoc namque est de communi conceptu intellectionis, sed in partu intellectuali effectus est similis intentionaliter obiecto: ergo intellectio ratione sui est similitudo illius. 32 *Tertio.* *Antecedens probatur 1.* *Secundo.* *Tertio.*

Denique maior principalis probatur: Verbum ratione sui constituit formaliter intellectum intelligentem in actu secundo: ergo est intellectio formaliter. Consequentia tenet. Antecedens probatur. Tum; quia intelligere nihil est aliud, quam intellectum fieri rem intellectam in actu secundo; sed ratione verbi fit intellectus res intellecta in actu secundo: ergo redditur intelligens per illud formaliter. Tum etiam quia idem praestat 33

Ver-

Verbum in actu secundo, quod species impressa in actu primo; sed per speciem impressam fit intellectus potens proximè intelligere: ergo per verbum redditur intelligens in actu secundo.

34 *Respondetur.* Ad hoc argumentum respondetur, negando maiorem cum D.Tho. 1.p.q.34.art.1 & q.8. *de potentia art.* 1. quem omnes Thomistæ sequuntur, distinguentes, nedum formaliter, verum etiam realiter entitatiuè verbum ab intellectione, adhuc vt contemplatio est, contra Scotum, & eius Discipulos, & plures ex Societatis PP. de quo videantur PP. Salmanticenses, & M. Ioannes à Sancto Thoma. *Ad 1. probationem maioris.* Ad primam illius probationem constat ex *supra* dictis, ideò ab Anselmo cogitationem vocari imaginem, & similitudinem, non quia ratione sui similitudo fit, sed ratione principij à quo procedit, & termini ad quem terminatur illum producendo, quando percipit obiectum creatum, quod non est actus purus, vel se illi vniendo, quando obiectum est infinitum omnem potentialitatem excludens.

35 *Duplex obiectio Vazquij soluitur.* Nec hoc est friuolum, vt ridiculè Vazquez contra Caietanum opponit, sed valdè vsitatum, nomen causæ effectui & nomen effectus causæ accomodare, vnde Æternum Verbum Sapientia Patris à Theologis vocatur, non quia sit formalis sapientia qua Pater est sapiens formaliter, sed quia ab illa procedit, & mille alijs exemplis posset monstrari. Nec minus ridiculum est, quod opponit secundo; visionem scilicet beatificam non procedere à principio simili, nec ad terminum similem terminari, in via Thomistarum; negantium speciem impressam, & expressam creatam: ergo nequit verificari de illa, quod similitudo sit ex parte principij, & termini. Respondetur; namque sufficere ad hoc, quod procedat à diuina essentia, vt gerente munus speciei ex parte principij; & ad illam, vt munus Verbi gerentem ex parte termini terminetur, ratione cuius intellectus fit in actu primo, & secūdo res intellecta in esse intelligibili.

36 *Ad secundam.* Ad secundam; nego antecedens, sed necessaria est verbi ab intellectione distinctio. Tùm, quia sunt vltimæ actualitates diuersorum generum, vt *superius* arguebam. Tùm etiam, quia verbum est obiectum, in quo intellectus res contemplatur: obiectum autem debet necessario ab actu à se specificato distingui: specificatio namque eiusdem ad se ipsum esse non potest; cum sit realis causalitas, & idem se ipsum nequeat causare. Tùm denique; quia in diuinis videmus verbum Æternum ab intellectione notionali distingui: ergo creatum, etiam distingui debet necessario ab intellectione. Habent etiam effectus distinctos; intellectio namque reddit intellectum intelligentem in actu secundo per modum operationis intentionalis, sicut calefactio reddit calorem calefacientem; verbum autem istum effectum nequit præstare, sed alium nempè obiectum intra intellectum constituere per modum termini producti per intellectionem, vt dictio est, & tanquam medium, in quo ipsa vt contemplatio meditatur obiectum.

37 *Ad 3. Respond. & ad 1. & 2. antecedentis probationem.* Ad tertiam respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem ex Anselmo desumptam constat ex dictis. Ad secundam, distinguo antecedens: repræsentat obiectum potentiæ, tanquam medium *quo*, transeat antecedens: tanquam medium *in quo* intellectus contemplatur obiectum, nego antecedens, & nego consequentiam. Quia vt sit medium *quo* intellectus tendat in obiectum, & illud percipiat, non est necessaria similitudo cum illo, sed solum quod sit attingentia illius per modum actionis, verbum autem, quia est medium, in quo contemplatur obiectum intellectus, debet esse simile obiecto, & illius naturam intelligibiliter continere, seu esse eiusdem naturæ cum illo.

38 *Ad tertiam.* Ad tertiam istius antecedentis probationem, qua vtitur Granadus *loco vbi supra*, respondetur, negando antecedens: quod scilicet, intellectio ratione sui sit partus intellectualis, sed est actio, qua producitur Verbum, quod est intellectualiter filius obiecti: ac proinde intellectio considerata per modum dictionis est intellectualis generatio, verbum terminus genitus, intellectio autem, vt contemplatio, nec est generatio, nec generationis terminus, sed est id, quo intellectus percipit obiectum repræsentatum in Verbo. Ex quo fit, quod visio beatifica, per quam Verbum non producitur, vt iam probaui, nec sit generatio, nec partus intellectualis.

39 *Si dicas.* Si dicas; quiuis effectus debet esse similis suo principio: sed visio beatifica est effectus intellectus beati, vt fecundati per essentiam diuinam, vt gerentem munus speciei: ergo debet esse similis illi; & consequenter partus intellectualis illius. *Respond.* Respondetur, veram esse maiorem si intelligatur de similitudine, vel specifica, vel generica, vel analoga: falsam autem, si petat vniuocam, & specificam semper; multi enim effectus analogam solam similitudinem cum suo principio sortiuntur, & ista solum gaudet beatifica visio respectu essentiæ fecundantis intellectum beati: vt autem esset intellectualis partus obiecti, specificam conuenientiam debebat habere cum illo.

Ad quartam principalis maioris probationem respondetur, negando antecedens. Ad eius primam probationem, nego antecedens: sed intelligere est intellectualiter operando, tendere in obiectum, quod est intra intellectum ratione verbi, per quod intellectus fit res intellecta in esse intelligibili; vnde intellectum esse rem intellectam, est quid præsuppositum ad intelligere, vt contemplatio est, licet posterius intellectione, vt dictio est. Ad secundam, omissa maiori, distinguo minorem: per speciem impressam fit intellectus potens proximè intelligere, tanquam per potentiam, seu virtutem intellectiuam dantem posse, nego minorem; tanquam per complementum determinatiuum, & vnitiuum obiecti cum illa, concedo minorem, & distinguo consequens: ergo redditur intelligens per verbum tanquam per formam dantem intelligere, nego consequentiam: tanquam per terminum completiuum intellectionis, concedo consequentiam. Itaque æquiparantur quoad hoc, quod sicut species non dat posse intellectui per modum virtutis, sed virtutem illius complet, & determinat: ita verbum non constituit intellectum intelligentem per modum operationis formaliter, sed complet, & terminat actionem, per quam intellectus redditur formaliter intelligens; imo ex hoc argumentum in oppositos Auctores retorqueo in hunc modum; species impressa non est forma, per quam intellectus potens intelligere constituatur: ergo nec verbum erit forma, per quam formaliter constituatur intelligens in actu secundo. 40 *Ad 4. maioris probationem & ad eius 1. probationem.* 41 *Ad secundam.*

Denique obijciunt; verbum mentale est terminus per intellectionem productus; sed in visione beatifica necessario datur terminus per illam productus: ergo & Verbum. Minor multipliciter solet probari. Primo; amor beatificus producit terminum, qui vocatur impulsus; etsi erga summum bonum clarè visum vertetur: ergo visio beatifica necessario producet terminum, etsi vertetur erga summum verum. Secundo; beati per visionem beatificam trahunt Deum ad intellectum; hic enim est modus proprius operandi intellectus, prout à voluntate distinguitur, quæ non trahit res, sed fertur per inclinationem ad illas; at non potest trahere visio beatifica Deum ad intellectum formaliter, & ratione sui; cum similitudo non sit, vt constat ex dictis: ergo effectiuè trahit; & consequenter efficit terminum, in quo Deus repræsentatiuè contineatur. 42 *Vltimo arguitur. Minor probatur primo. Secundo.*

Tertio; visio beatifica est vera actio; & in multorum Thomistarum sententia, est actio de prædicamento actionis; sed implicat dari, imo nec intelligi actio sine termino à se distincto, per illam producto: ergo necessario terminum producit. Minor probatur; implicat dari fieri sine aliquo facto per ipsum, produci sine producto, & via sine termino; sed actio de prædicamento actionis est verum produci, fieri, & obtiner rationem viæ: ergo nec dari, nec intelligi potest sine aliquo facto, & producto, & sine aliquo termino. 43 *Tertio.*

Si respondeatur, ipsam esse fieri, & produci sui ipsius, & viam ad se ipsam: in contrarium opponunt: terminus factus, & productus, à suo fieri, & productione dependet; sed idem à se ipso dependere non potest: ergo nequit esse productio, & fieri sui ipsius. Et vrgetur hoc amplius; nam vna ex rationibus, quibus Thomistæ probant distinctionem Verbi ab intellectione est, quia per illam producitur: ergo quia sentiunt, idem per se ipsum produci non posse, nedum vt per principium productiuum, verum etiam nec vt per actionem, & viam; alias illorum ratio futilis esset. 44 *Si respondeatur contra insurgunt. Confirmatur.*

45 *Solutio M. Gonçalez.* Ad hoc argumentum Mag. Gonçalez *disp.*15. *sect.*4. negat maiorem omnem, scilicet terminum per intellectionem productum, Verbum esse, sed solum illum, qui procedit, vt imago obiecti; terminus autem, qui per visionem beatificam producitur, non est imago, sed modus quiddam visionis, quo intentionaliter intellectus beati vnitur cum obiecto beatifico. Displicet tamen ista solutio, & alijs omissis, quibus illam inefficaciter quiddam ex contrarijs impugnant, sic in illam obijcio; modus ille vnionis superfluit in visione beatifica: ergo non est ponendus. Probo antecedens primo; quia ipsa visio ratio- *Contra.*

tione sui sufficienter vnit intentionaliter intellectum cum obiecto: ergo superfluit modus vnionis. Secundo; quia intellectio Verbum producens; non indiget modo vnionis distincto à se ipsa, quo cum illo vniatur, nec vllus vnquam illum agnouit: ergo nec vt visio beatifica vniatur cum diuina essentia, quæ habet rationem Verbi respectu illius, indigebit aliquo modo vnionis ab illa distincto.

46 *Resp. ad 1. probationem.* Vnde ad argumentum, concessa maiori, nego minorem. Ad primam probationem illius dato antecedenti, nego consequentiam, ob duplicem rationem discriminis. Prima; quia impulsus, qui est volitionis terminus, non ideò ponitur, vt obiectum voluntatis proportionet cum illa, seu vt vltima actualitas obiecti amati, sed vt voluntatem completè, & perfectè in obiectum inclinet, & idcirco quantumcumque perfectum sit obiectum amatum, quale est summum bonum, prædictus impulsus producitur; Verbum autem est vltima actualitas obiecti intelligibilis illud proportionatum reddens cum intellectiua potentia, vnde quando obiectum se ipso proportionatum est, & in vltima actualitate intelligibili, repugnat talis verbi productio.

Prima differentia inter Verbum et impulsum.

47 *Secunda.* Secunda; quia impulsus non petit esse eiusdem naturæ cum obiecto dilecto, ex eo quod voluntas ex proprio conceptu assimilatiua non est; & idcirco non repugnat impulsus productus erga summum bonum: verbum autem id postulat, vt satis ostendi. *Ad 2. probationem.* Ad secundam probationem respondetur, negando maiorem, nec est de ratione intellectus, quod in omni intellectione ad se trahat obiectum, sed solum quod illum intra se contempletur; vnde quando obiectum non est intra intellectum ratione sui, illud ad se trahit per Verbum productum; quando verò obiectum ratione sui est intra intellectum, qualiter est essentia diuina ratione sui, necessarium non est, quod intellectus illud trahat ad se.

48 *Ad tertiam quiddam respondent.* Ad tertiam probationem quiddam ex Thomistis respondent, visionem beatificam non esse actionem de prædicamento actionis, sed de prædicamento qualitatis, de cuius essentiali conceptu non est terminum productum habere distinctum à se, sed ipsa ratione sui est productio, & terminus productus, quia ob sui perfectionem eminenter continet perfectionem actionis, & formaliter rationem qualitatis; nec ex hoc infertur, vt vult Suarez, in illa saluari rationem Verbi; quia Verbum non est qualitas quomodolibet, sed qualitas repræsentatiua per modum similis; videantur Salmanticenses *disp. 2. dub. 9. §. 4.* & M. Ioannes à S. Thoma *disp. 13. art. 6. in solut. ad 3.*

Verum quia alij cum Caietano *infra q. 27. art. 1. ad 1. dub.* admittunt, ipsam habere veram, & propriam rationem actionis de prædicamento actionis, ideò admissa pro nunc maiori, nego minorem; sed solum id est de conceptu actionis transeuntis, quæ non est propter se, sed propter suum terminum, vt calefactio propter calorem à se productum, actio verò immanens, licet aliquando terminum producat, quando scilicet indiget illo, non tamen est de conceptu essentiali illius, terminum productum à se ipsa distinctum habere; quia cum non sit propter terminum, sed potius terminus ordinetur ad ipsam, sicut patet in Verbo, quod est propter intellectionem, & vt illi deseruiat, solum producit terminum, quando indiget illo, & quia visio beatifica Verbo non indiget, vt constat ex dictis, ideò illud non producit. Ad minoris probationem benè ibi respondetur. Ad impugnationem distinguo maiorem: terminus productus, qui non est ipsa actio, concedo maiorem: terminus productus, qui est actio, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. 49 *Aliter respondetur.*

Et insto euidenter in contraria sententia: Nam licet actio terminum habeat distinctum à se, ipsa etiam ratione sui producitur, vt calefactio non solum est productio termini, sed etiam sui ipsius: ergo in omni sententia debet admitti aliquid ratione sui produci, & esse productionem sui; & consequenter non semper productum dependere à sui productione; sed solum productum, quod actio non est. Ad confirmationem respondeo, rationem illam nudè sumptam efficacem non esse, sed esse adiuvandam per hoc, quod Verbum fit per intellectionem per modum termini illam specificantis, quod autem sic procedit, ab actione sui productiua, distinguitur. 50 *Instatur argumentum.* *Ad confirmationem.*

DISPVTATIO XIII.

An sit possibilis substantia creatata, cui sit connaturalis visio beatifica?

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio.

Nu. 1. *Disputationis sensus aperitur.* VISIONEM beatificam nulli ex substantijs, quas Deus de facto producit, posse esse connaturalem, tanquam certum de fide traditur ab omnibus Theologis *in hac quæst. art. 5.* & ex decursu disputationis manifestè constabit: vndè quod in examen vertimus est: an possit Deus sua vtens absoluta potentia, substantiam aliquam intellectualem adeò perfectam creare, vt illi visio Dei intuitiua sit connaturaliter debita?

2 *Prima sententia.* In quo duæ versatur sententiæ. Prima affirmans est, pro qua referri solet Maior *in 4. dist. 49. quæst. 4. in fine*, vbi ait; non esse omninò certum, quod talis substantia à Deo creari non possit. Cui adhæsit Molina *1. part. quæst. 12. art. 5. disp. 2.* vbi etsi assertiuè affirmare non audeat, hæret tamen dubius, & argumenta, quæ illius possibilitatem suadent, alijs diluenda, & rem ipsam diffiniendam relinquit. Exemplum Molinæ sequuntur ex domesticis Theologis Hærice *tract. de Visione disp. 48.* per quinque capita dubitabundus hærens, vt ait, rationes considerans, etsi auctoritatis pondere pressus, parti neganti vt probabiliori subscribens; argumenta in oppositum in postremo capite diluit. Alarcon *tract. 1. disp. 2. cap. 7.* etsi *in cap. 8.* Antiquis Theologis intellectum captiuans, vt asserit, parti neganti succumbat. Beccanus *1. part. cap. 9. quæst. 5.* in eandem apertius inclinat, etsi oppositam asserat tutiorem. *Et in fine cap.* meliori iudicio litem definiendam relinquat. Ac tandem Ripalda *lib. 1. de ente supernaturali disp. 23. sect. 4.* rem iam diffiniuit, affirmans, non solum non conuinci rationibus, sed etiam esse positiuè probabilem, siuè auctoritas, siuè ratio attendatur.

Maior. Molin. Hærice. Alarcon. Beccan. Ripald.

3 *Secunda. S. Tho.* Secunda est negatiua, quam tenet D. Thom. *1. part. quæst. 12. art. 4. & 5. 3. Contra Gentes cap. 25.* illum sequuntur ex Discipulis Nazarius *ibi controuersia 2.* Albelda *disp. 26.* PP. Salmanticenses *dub. 2.* M. S Thoma *disp. 14. art. 5.* Aluarez *disp. 69. de auxilijs*, Zumel *1. 2. quæst. 112. art. 1. disp. 4.* Curiel *dub. 2.* Martinez *quæst. 5. art. 5. dub. 2.* Cabrera *3. p. q. 2. art. 2. disp. 2.* Ex PP. Societatis, Valentia *tract. 2. in præsenti quæst. punct. 3.* Suarez *lib. 2. de attributis negatiuis cap. 9.* Vazquez *disp. 44. cap. 1.* Arrubal *disp. 21. cap. 2. & sequentibus*. Fasolus *à dubitatione 1.* Salas *1. 2. quæst. 3. disp. 3. sect. 2.* Et ferè omnes Theologi, tam intra, quam extra Scholam Diui Thomæ, præter *suprà* relatos.

Nazar. Albeld. Salmant. M. S. T. Aluar. Zumel. Curiel. Martin. Cabrera. Valent. Suar. Vazquez. Arrubal. Fasolius Salas.

Quam duabus asserentibus explico, & animadverto prius, duobus modis meditari posse substantiæ prædictæ 4

Explicatur quomodo meditari possit possibilitas talis substantiæ.

dictæ esse connaturalem visionem beatam; Vno modo per hoc, quod lumen gloriæ ab illius intellectu distinctum, sit ei connaturaliter debitum. Alio modo non ita; sed taliter, quod intellectus eius adeò eleuatæ perfectionis existat, vt se ipso in Dei visionem connaturaliter valeat prorumpere. Quo sic præmisso, sit.

5 *Prima conclusio Prob. 1.*

PRIMA CONCLVSIO. *Non est possibilis substantia creata, cuius intellectus sit connaturaliter debitum lumen gloriæ ab illo distinctum.* Probatur sic primo: nam vel talis intellectus naturalis esset, vel supernaturalis; neutrum potest dici: ergo nec oppositum conclusioni defendi. Minor pro prima parte, a nullo potest negari; enti namque naturali nihil supernaturale potest connaturaliter competere. Pro secunda, in qua est difficultas, probatur; lumen gloriæ ab intellectu distinctum essentialiter habet dare primum posse respectu visionis beatificæ, vel per modum adæquatæ virtutis in Nostra sententia, vel per modum virtutis partialis in sententia aliorum; at intellectui supernaturali non posset primum posse præstare in ordine ad visionem beatificam: ergo nec illi esse posset connaturale.

6 *Explicatur hoc primo.*

Explicatur hoc primo; quia intellectus habet pro effectu formali dare primum posse ad intelligendum, nequit esse connaturale subiecto de se, & ratione sui proximè potenti intelligere; at intellectus supernaturalis, si possibilis esset, ratione sui esset proximè potens videre clare diuinam essentiam, vt ex dicendis constabit: ergo lumen gloriæ ab illo distinctum habens pro effectu formali dare primum posse proximum ad visionem beatam, nequit tali intellectui esse connaturale.

7 *Secundo.*

Explicatur, & vrgetur secundo: subiectum incapax effectus formalis alicuius formæ, nequit illam in se connaturaliter recipere; at intellectus supernaturalis, si possibilis foret, esset incapax effectus formalis luminis gloriæ: ergo nequit ipsi connaturaliter lumen gloriæ competere. Probatur minor: subiectum ex se calidum, incapax est recipiendi calorem ab alio, & subiectum lucidum ex se, nequit ab alio habere, & recipere rationem lucidi, & sic in alijs; at intellectus ille de se esset potens proximè videre Deum: ergo non posset ab illo recipere proximum posse respectu visionis beatificæ, quod est effectus formalis luminis gloriæ.

8 *Respondebis 1.*

Respondebis primo; non esse de essentia luminis gloriæ, quod de facto datur, dare primum posse respectu omnis subiecti, sed solum respectu naturæ ordinis inferioris; de se autem abstrahere ab hoc, quod est dare primum posse proximum vel potentiam proximè potentem iuuare, & facilitare respectu visionis. Primum habet respectu naturæ inferioris. Secundum præstaret intellectui ordinis superioris. Vel secundum respondebis argumen- *Secundo.* tum nostrum conuincere de lumine gloriæ beatifico, quod de facto datur; non autem de alio, per diuinam potentiam possibili, distincto ab intellectu supernaturali creabili, hoc namque posset non habere pro effectu, dare primum posse proximum respectu visionis beatificæ, sed alium effectum formalem; & consequenter esse posset connaturale prædicto intellectui.

9 *Prima solutio reijcitur.*

Sed neutra solutio satisfacit, & contra primam facit. Tum; quia iuxta communem Theologorum sententiam, habitus supernaturales, hoc habent proprium potentiarum, quod dant primum posse proximum in ordine ad actus: ergo respectu cuiuscumque potentiæ, hoc debent sortiri, sicut intellectus, voluntas, & aliæ potentiæ naturales comparatæ cum quouis subiecto habent tribuere posse proximum in ordine ad actus; quo circa subiectum quodlibet incapax recipiendi prædictos effectus, nequit in se potentias illas connaturaliter saltim recipere. Tum etiam: nam intellectus ordinis supernaturalis, nedum esset potens, verum etiam facilis in ordine ad visionem beatam: ergo neutrum istorum posset à lumine gloriæ recipere; & consequenter esset incapax recipiendi illud connaturaliter. Consequentia est bona; potentia namque de se facilis in ordine ad actum est incapax habituum dantium facilitatem, quo circa intellectus Angelicus, potentia visiua, & aliæ, quæ de se facilè, & promptè possunt in proprios actus prorumpere, sunt incapaces habituum naturalium. Antecedens probatur; intellectus Angelicus est potens, & promptus absque vlla difficultate in omnem actum naturalem sibi proportionatum: ergo pariter intellectus supernaturalis, si possibilis esset, posset absque difficultate in omnes actus sibi proportionatos, qualis est visio beatifica. Ex quo etiam corruit secunda solutio; nam lumen illud gloriæ diuersæ rationis, si fortè est possibile, vel daret posse proximum, vel facilitatem ad actum visionis; neutrum horum conferre posset supernaturali intellectui: ergo non est illi connaturale.

Secunda ex eodem capite reijcitur.

10 *Dices.*

Dices: lumen illud gloriæ habiturum pro effectu formali, intellectum, qui ex propria natura posset beatifica visione destitui, ita complere, vt necessario illum traheret ad eius elicientiam. Sed contra primo: ergo ad minus prædictum lumen non esset connaturale dimanatiuè intellectui supernaturali. Patet hæc consequentia, quia à principio indifferenti nequit determinatum aliquid dimanare. Secundo; quia tale lumen non esset per modum actus primi, sed per modum applicationis ad actum secundum, qualiter à Thomistis adstruitur efficax auxilium, non vt det posse, sed vt potentiam applicet ad actum secundum; hoc autem indigere intellectum supernaturalem creatum, si possibilis esset, non dubitamus.

Contra 1. *Secundo.*

11 *Secundo probatur conclusio.*

Secundo principaliter suadetur conclusio; de ratione entis supernaturalis, quod est tale absolutè, & simpliciter est, quod superexcedat exigentiam, & connexionem omnis naturæ creatæ, & creabilis; at lumen gloriæ ab intellectu distinctum, est supernaturale absolutè, & simpliciter: ergo debet omnis naturæ creatæ, & creabilis exigentiam, & connexionem excedere; & consequenter esse nequit connaturale intellectui alicuius substantiæ creatæ, & creabilis. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostenditur; nam si sufficeret excedere exigentiam alicuius, & non requireretur subterfugere connexionem omnis naturæ creabilis, sequeretur, species debitas Angelo superiori esse supernaturales absolutè, & simpliciter; cum sint supra exigentiam Angeli inferioris; consequens est falsum: ergo quia de ratione entis supernaturalis est excedere exigentiam, & connexionem omnis naturæ creabilis.

12 *Dices.*

Dices; substantiam, cuius intellectui esset debitum lumen supernaturale, non esse naturam in sensu Theologorum, qui nomine naturæ intelligunt substantiam ordinis naturalis solum connexam cum motibus naturalibus; ac proinde etiam si lumen gloriæ esset connaturale prædictæ substantiæ, non ideò amitteret conceptum entis supernaturalis absolutè, & simpliciter. Sed contra; non minus est de conceptu entis supernaturalis, superare exigentiam omnis naturæ, quam sit de ratione miraculi euenire supra concursum omnium causarum; at de ratione miraculi est esse supra concursum omnium causarum cuiuscumque ordinis creati: ergo ens supernaturale, quod est tale simpliciter, petit esse supra exigentiam omnis naturæ cuiusuis sit ordinis.

Contra.

13 *Si respondeas.*

Dices, esse disparem rationem; nam miraculum est, quod sit supra virtutem omnis causæ creatæ, etiam supernaturalis, & id circo nulli causæ potest esse connaturale patrare miracula; ens autem supernaturale solum exposcit superare exigentiam substantiæ creatæ ordinis naturalis. Sed contra; nam hæc solutio est manifesta petitio principij: nam id est, quod inquirimus, cur miraculum petat esse supra concursum omnis causæ creatæ cuiuscumque ordinis sit, & non petat ens supernaturale omnis naturæ exigentiam superare? Si namque semel sufficit ad rationem entis supernaturalis, quod est tale simpliciter, esse supra exigentiam naturæ non supernaturalis, cur etiam non sufficiet ad rationem miraculi esse supra concursum omnis causæ creatæ non patratiuæ miraculorum ex propria virtute, estò eueniat ex vi concursus causæ creatæ, quæ ex propria virtute sit patratiua miraculorum?

Contra.

§. II.

Ratio Diui Thomæ expenditur, & alia ratione eadem conclusio probatur.

14 *Ratione D. Tho. probatur conclusio.*

DENIQVE suadetur conclusio ratione D. Thomæ 1. p. *quæst. 12. art. 5. in solutione ad 3.* ad hanc formam redacta; dispositio vltima ad aliquam formam, nequit esse connaturalis, nisi habenti formam; at lumen gloriæ est vltima dispositio ad vnionem diuinæ essentiæ cum intellectu creato in ratione formæ intelligibilis: ergo nequit esse connaturale, nisi habenti in se diuinam naturam, & consequenter nulli intellectui creato, aut creabili potest connaturaliter conuenire. Maiorem probat D. Thomas exemplo caloris, vt octo, qui non potest connaturaliter conuenire, nisi soli igni; eo quod ad illius formam vltimatè disponit.

15 *Respondet Valentia.*

Respondet Valentia, cui ratio ista visa est inefficax, maiorem solum esse veram de dispositione vltima ad formam physicam

physicam physicè informantem subiectum, vt exemplum. Diui Thomæ conuincit, non verò de illa, quæ ad formam solum intentionaliter vnitam deseruit, & diuina essentia solum intentionaliter vnitur intellectui creato. Sed contra primo; *Contra 1.* quia substantia Angelica, v.c. Gabrielis, nedum in esse physico, verum nec etiam in esse intelligibili potest esse connaturaliter vnita alteri præter ipsum, dispositio vltima ad eius vnionem, soli Gabrieli potest esse connaturalis: ergo maior etiam est vera de dispositione ad formam intentionalem, etiam in esse rei vnitam subiecto. *Secundo.* Secundo; nam ratio quare dispositio ad formam in esse rei nequit esse connaturalis, nisi habenti formam, est, quia secum illam necessario adducit: at etiam dispositio vltima ad formam in esse intelligibili, seu intentionali actuantem, illam secum necessario adducit: ergo inter vtriusque dispositionem nullum extat discrimen quoad connaturalem modum conueniendi.

16 *Respondebis.* Respondebis, formam in esse rei vnitam constituere subiectum tale simpliciter, v.c. forma ignis in esse rei vnita constituit ignem, & ideo cui connaturalis fuerit vltima dispositio ad illam, etiam essentia ignis debet esse connaturalis: forma autem in esse intentionali non constituit subiectum, cui vnitur, tale simpliciter, sed solum cum addito, scilicet, in esse intentionali, atque adeo dispositio vltima ad formam in esse intentionali, potest alteri quam habenti formam esse connaturalis.

17 *Contra.* Sed contra; nam ad minus exigitur, quod forma in esse intentionali sit connaturalis, cui dispositio ad illam connaturalis fuerit; at diuina essentia adhuc in esse intelligibili nequit esse connaturalis alicui intellectui creato: ergo nec lumen gloriæ ad illam vltimatè disponens. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo; *Minor ostenditur primo.* forma Angelica Gabrielis v.c. nulli à Gabriele distincto, potest esse connaturalis, nedum in esse rei, verum nec in esse intentionali, & intelligibili: ergo pariter diuina essentia nulli alteri præterquam Deo, esse potest connaturalis in vtroque esse.

18 *Secundo.* Secundo; etiam si Deus vniri possit physicè cum creatura ratione potentiæ obedientialis, non tamen potest cum creatura physicè vniri connaturaliter: ergo etiam si possit, vt forma intelligibilis, vniri cum creato intellectu ratione obedientialis potentiæ non tamen poterit in tali esse, vniri cum illa ratione connaturalis potentiæ. Antecedens est certum, & consequentia patet; quia impossibilitas primi nascitur ex distantia infinita inter Deum, & creaturam in esse physico: at non minus distat in esse intelligibili: ergo etiam in hoc esse, censenda est impossibilis, sicut naturalis vnio.

19 *Secundo. alij respõdẽt ad ratione D. Thom.* Secundo alij argumento principali respondent, quod licet prædicto intellectui non posset esse connaturalis vnio diuinæ essentiæ per modum formæ intelligibilis, esset tamen illi connaturalis species creata quidditatiuè repræsentans Deum, & hoc sufficere, vt lumen gloriæ connaturaliter illi competeret. Sed contra primo; quia prædicta species est omnino impossibilis, vt demonstrat D. Thom. *in hac quæst. art. 2.* *Contra 1.* Deinde; quia lumen gloriæ, quod de facto datur, est vltima dispositio ad vnionem diuinæ essentiæ ratione sui cum intellectu creato: ergo vel esse nequit connaturale intellectui illi conficto possibili, vel vnio diuinæ essentiæ ratione sui debet esse ei connaturalis. *Secundo.*

20 *Tertio.* Tertio; nam Auctores illi, qui præfactam speciem admittunt possibilem; negant tamen, quod de facto detur eo quod connaturalius sit cognitio obiecti mediante ipso obiecto, quando ratione sui potest cum intellectu vniri, quam mediante specie illud repræsentante; at hæc ratio pari efficacia militat respectu intellectus supernaturalis, quem confingunt possibilem; ac respectu intellectus illustrati lumine gloriæ: ergo sicut cum isto non species impressa quidditatiua Dei, sed ipsa diuina essentia per se ipsam vnitur vt forma intelligibilis, pariter cum intellectu illo, si esset possibilis, essentia diuina ratione sui deberet vniri, & non species quidditatiua illius.

21 *Tertia solutio. Et aduersariorum effugium.* Per quod præcluditur aduersantium effugium, qui asserunt, visionem à prædicto intellectu eliciendam, fore diuersæ speciei ab illa, quæ de facto datur, atque adeo non mirum quod exigeret pro principio sui speciem impressam creatam; etsi visio beatifica, quæ de facto datur, non speciem impressam, sed diuinam essentiam ratione sui vnitam desideret. Sed hoc ex iam dictis euertitur, quod namque visio nostra beatifica expostcat diuinam essentiam pro principio sui, non oritur ex eo quod sit *Contra 1.* huius, vel illius speciei: sed ratione iam data, quia scilicet connaturalius paritur cognitio mediante ipso obiecto, quando ratione sui potest vniri, quam mediante specie ipsum repræsentante; quæ ratio, vt clarè constat, æquè militat in vtraque visione, esto confingatur differre inter se specificè.

22 *Secundo.* Deinde reijcitur; nam dato, quod visio nostra ab illa, quam confingunt, specificè distinguatur, cur ista, & non illa vnionem diuinæ essentiæ ratione sui petit ex parte principij, & non potius è contra? Certè nullam rationem poterunt assignare. *Tertio.* Denique; nam si visio illa specie ab illa differret, esset perfectior illa, vtpotè à perfectiori intellectu procedens: ergo exigeret nobilius determinans ex parte obiecti; at diuina essentia vnita ratione sui, est nobilius principium, quam species impressa creata: ergo petet ab illa procedere ratione sui vnita, & non ab specie impressa creata.

23 *Tertia solutio.* Tertio alij argumento principali respondent, vnionem diuinæ essentiæ cum intellectu, non esse per modum formæ, sed per modum comprincipij; nullum autem inconueniens videtur, quod aliqua intellectualis creatura possibilis petat connaturaliter diuinam essentiam tanquam comprincipium ad actum: ac proinde lumen gloriæ ad talem vnionem disponens, connaturale poterit esse intellectui talis substantiæ. *Contra.* Sed contra; quia non est comprincipium vtcumque, sed determinans intellectum, & illum constituens Dei formem in esse intelligibili: ergo vnitur tamquam forma, etsi non in esse physico, in esse intelligibili infinito; & consequenter reddit tota efficacia nostri argumenti. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur. Tum ex communi Metaphysicorum doctrina, qui ad hoc desiderant species impressas obiectorum ex parte intellectus ad partum intellectionis, vt medijs illis intellectus fiat res intellecta in esse intelligibili: ergo diuina essentia gerens munus speciei in ordine ad visionem sui, hoc debet præstare, quod scilicet intellectus per illam fiat Deus in esse intelligibili. Tùm etiam; nam si diuina essentia hoc munus non præstet, non est assignabilis ratio, cur exigatur vnio intrinseca sui cum intellectu ad visionis elicientiam; at omnes fatentur vnionem intrinsecam esse necessariam: ergo quia diuina essentia præstat intellectui fieri Deum in esse intelligibili. Probo maiorem; voluntas namque quia per boni apprehensionem non fit res amata, potest à bono extrinsecè sibi vnito ad volitionem moueri: ergo si intellectus non debeat fieri res intellecta in esse intelligibili ratione essentiæ diuinæ, nulla erit ratio, cur inter illum, & diuinam essentiam vnio intrinseca exigatur.

24 *Vltimo probatur conclusio.* Denique suadetur conclusio; si ob aliquam rationem non repugnaret substantia creata, cuius intellectui connaturale esset lumen gloriæ, maximè quia lumen est aliquid creatum; & consequenter connexio cum illo, atque exigentia illius infinitatem non arguunt; at hæc ratio est nulla: ergo repugnat talis intellectus. Maior adducit vnicum contrariorum fundamentum. Minorem probo primo: quia non repugnat aliquid creatum subterfugiens exigentiam omnis creaturæ possibilis, & connexionem cum illa: ergo ex hoc quod lumen beatificum sit entitas creata, & finita, non rectè probatur, non repugnantia prædictæ substantiæ. *Minor probatur primo.* Consequentia tenet. Et antecedens constans videtur. Tum; quia talis repugnantia ostendi non potest. Tum etiam; quia eleuatio supra exigentiam omnis substantiæ, nedum creatæ, verum creabilis, non est incompatibilis cum conceptu creaturæ.

Secundo. Secundo illa minor suadetur; nam de facto dantur multæ entitates creatæ, vt patet in auxilio dato ad patranda miracula, quod creatum est, & tamen nulli substantiæ creabili esse potest connaturale. Patet etiam in modo vnionis hypostaticæ, quod est quid creatum; & tamen repugnat omnino cum aliqua substantia creabili esse connexum connaturaliter: ergo idem quod prius.

25 *Dices.* Dices, modum vnionis esse immediatè connexum cum subsistentia Verbi quæ nulli creaturæ esse potest connaturalis:, ac proinde nec modus vnionis potest alicui creaturæ connaturaliter conuenire. *Contra 1.* Sed contra primo: ergo iam habemus entitatem aliquam creatam, cui ratione termini cum quo ipsa connectitur, repugnat esse connaturalem omni substantia creabili; & consequenter ex hoc, quod lumen sit entitas creata, non rectè probatur, posse esse connaturalem alicui substantiæ. *Secundo.* Secundo; sicut modus vnionis immediatè connectitur cum subsistentia Verbi, vt determinante, ita lumen connectitur cum diuina essentia, vt forma in esse intelligibili informante, & determinante: ergo sicut vnioni ob connexionem prædictam repugnat connaturalitas cum substantia creata, ita lumini re-

pugnabit ob similem connexionem,

26 *Dices*, Dices; subsistentiam Verbi non posse connaturalem esse alicui creaturæ, ex eo quod omnis substantia creata possibilis habet secum adducere subsistentiam creatam sibi connaturalem, & consequenter omnis alia subsistentia connaturalis esse non potest; cumque modus vnionis cum subsistentia Verbi connexionem habeat repugnat illi connaturalem esse alicui substantiæ creabili; non autem repugnat, quod diuina essentia per modum speciei sit connaturaliter debita alicui intellectui creabili; cum de facto sit debita intellectui eleuato lumine gloriæ: ac proinde non repugnat; quod lumen connaturale sit alicui creaturæ.

27 *Contra 1.* Sed contra primo; nam inquiro à contrarijs, cur repugnat substantia creabilis, quæ non petat subsistentiam creatam, sed diuinam sibi finito modo vnitam; cum per hoc, quod illam modo finito sibi vniendam desideret sufficienter ab increata discriminetur? Certè nulla ratio poterit assignari; nisi infinitas talis substantiæ, atque infinita distantia, quæ inter illam, & omnem substantiam creabilem intercedit; at hæc infinitas, distantiaque infinita ab omni creatura, etiam conuenit diuinæ essentiæ, vt vnibili per modum speciei & formæ intelligibilis: ergo repugnat illi prædicta connexio.

28 *Secundo*, Secundo; nam humanitas Verbi, adhuc vt affecta modo vnionis, quid finitum est, cui prout sic affectæ connaturalis est subsistentia diuina; & tamen exinde non licet argumentari, posse prædictam vnionem, seu Verbi subsistentiam alicui substantiæ ratione sui esse connaturalem: ergo ex eo quod intellectui creato, vt affecto lumine gloriæ finito, connaturaliter debeatur diuina essentia, vt forma intelligibilis, non licet colligere, prædictum lumen gloriæ, & diuinam essentiam, vt intelligibilem formam, posse connaturalem esse alicui intellectui, aut substantiæ creabili ratione sui.

§. III.

Argumentis in contrarium occurritur.

29 *Obijcies primo*, ET ex his soluta remanent duo præcipua argumenta, quibus vtuntur contrarij. Primo sic obijciunt; connexio substantiæ, seu intellectus cum lumine gloriæ non præfert infinitatem; ergo potest competere substantiæ, & intellectui creatis. Probant antecedens; nec dicit infinitatem ratione termini, quod est lumen gloriæ; cum finitum, & limitatum sit, nec ratione modi cum possit talis connexio competere accidenti creato, nempè, gratiæ giustificanti: ergo ex nullo capite infinitatem importat. *Secundo*, Secundo sic arguunt; homini habenti gratiam iustificantem, connaturaliter conuenit lumen gloriæ; cum ad gratiam consummatam naturaliter consequatur, vt fatentur plures Theologi; at totum concretum ex gratia, & subiecto resultans, est quid finitum: ergo etiam poterit esse connaturale intellectui alicuius substantiæ creabilis ratione sui.

30 *Respondetur ad primum*, Respondetur ex dictis ad primum, negando antecedens. Ad eius probationem, distinguo antecedens: ratione termini vltimi, nego antecedens; termini non vltimi, concedo antecedens, & nego consequentiam: instoque argumentum in modo vnionis hypostaticæ, vt proximè arguebam; itaque connexio cum lumine gloriæ non sistit in illo, sed transit ad diuinam essentiam vniendam in ratione formæ intelligibilis: ac proinde terminus vltimus dictæ connexionis quid infinitum est, & ratione illius repugnat cum conceptu creaturæ connexio cum lumine gloriæ, & respectus exigentiæ ad illud

31 *Ad secundum*, Ad secundum, distinguo maiorem; connaturalitate absoluta, nego maiorem: connaturalitate ex suppositione formæ eleuantis, concedenda est maior; & concessa minori, nego consequentiam. Quæ solutio amplius ex dicendis constabit. Modò insto argumentum, vt *supra* in subsistentia Verbi, quæ est connaturalis humanati, vt affectæ modo intrinseco vnionis ad Verbum finito, & limitato; & tamen nulli substantiæ creatæ esse potest connaturalis connaturalitate absoluta.

32 *Obycies tertio.* Tertio sic obijcio; omni accidenti correspondere debet aliquod subiectum sibi connaturale; at subiectum connaturale luminis gloriæ non est assignabile, nisi aliquis intellectus creatus possibilis; cum intellectus diuinus subiectum esse non possit; ergo possibilis est talis intellectus creatus. Probatur maior; ordo namque ad subiectum est connaturalis cuiuis accidenti: ergo ex parte subiecti debet ei correspondere naturalis connexio, & capacitas; connaturalitas namque dicitur respectiuè; & consequenter nequit accidens connaturalem ordinem dicere, nisi ad subiectum sibi connaturale.

Quod amplius vrgetur; accidens violentum subiecto, non potest dicere connaturalem ordinem ad illud, vt patet in calore, qui est aquæ violentus, & idcirco ad aquam non importat connaturalem ordinem, sed solum ad ignem, cui connaturaliter conuenit; ergo pariter accidens præternaturale, aut supernaturale subiecto, importare nequit ad illud ordinem connaturalem; & consequenter si omni accidenti est connaturalis ordo ad subiectum, omni accidenti correspondere debet subiectum, cui sit, aut esse possit connaturale. 33 *Confirmatur.*

Ad hoc argumentum respondent quidam ex Recentioribus: primo, negando, quod ordo ad subiectum sit connaturalis omni accidenti, licet talis ordo sit illi essentialis; nam sicut intellectus ad obiecta sibi improportionata importat ordinem sibi essentialem, non tamen connaturalem, ita accidens supernaturale dicit ordinem ad subiectum essentialem sibi, non tamen connaturalem. 34 *Respondent Recentiores primo.* Secundo respondent, quod esto verum sit, quod accidenti supernaturali sit connaturalis ordo ad subiectum; sufficit, quod illi respondeat pro connaturali subiecto concretum resultans ex substantia, & forma eleuante supernaturali, v.c. visioni correspondet intellectus actuatus lumine gloriæ, & lumini assignari poterit pro subiecto anima exornata habituali gratia. *Secundo*,

Sed neutra solutio satisfacit, & contra primam facit; nam tunc ordo est connaturalis alicui, quando non solum respicit terminum, sed etiam exposcit existentiam illius, & cum illo connectitur; at accidens supernaturale, non solum respicit proprium subiectum, sed etiam petit existentiam illius, & cum illo connectitur: ergo talis ordo non solum est essentialis accidenti supernaturali, sed etiam est ei connaturalis. Explicatur hoc amplius; nam ideo ordo intellectus ad formas sibi improportionatas, non est ordo connaturalis, sed obedientialis; quia cum illis connexionem non habet, nec illas exposcit; at formæ supernaturales non solum respiciunt proprium subiectum, sed etiam connectuntur cum illo: ergo ordo prædictus est illis connaturalis. 35 *Prima solutio reijcitur.* *Confirmatur 1.*

Confirmatur secundo; nam connaturalitas ordinis solum addit supra hoc, quod est esse essentialem, quod terminus inspectus sit proportionatus; at licet formæ supernaturales non sint proportionatæ proprijs subiectis, subiecta tamen illis proportionantur: ergo licet ex parte subiecti illis non correspondeat connaturalis ordo, ipsæ tamen dicunt connaturalem ordinem ad subiectum. Secunda facilius reijcitur; nam licet visioni; & alijs accidentibus secundis in supernaturali ordine, possit correspondere pro connaturali subiecto conflatum ex entitate naturali, & supernaturali, formæ tamen supernaturali, aliam non supponenti, non potest tale concretum pro subiecto assignari; ergo cum argumentum factum eandem vim habeat respectu talis formæ, insufficienter soluitur præfata solutione. 36 *Secundo*, *Secunda reijcitur*,

Quare his omissis, ad illud respondeo, negando maiorem Ad eius probationem, concesso antecedenti, negando consequentiam; aliud namque est, quod ordo accidentis ad subiectum, sit ordo connaturalitatis, aliud verò, quod prædictus ordo sit accidenti connaturalis; ad primum requiritur, quod accidens sit connaturale subiecto; ad secundum verò, non ita, sed quod subiectum sit connaturale accidenti, & stat benè, quod subiectum sit connaturale accidenti, vtpotè ab illo exactum, & quod accidens non sit connaturale subiecto, cum ab illo exigatur. 37 *Respondetur*,

Ad confirmationem, omisso antecedenti, nego consequentiam. Et ratio discriminis est; nam accidens violentum subiecto, non petit existentiam subiecti, nec recipi in illo, quia cum subiectum conetur ad destructionem talis accidentis, quam accidens naturaliter refugit, non potest exposcere existentiam illius, nec cum illo connecti; at verò accidens supernaturale petit existentiam proprij subiecti, cum non conetur ad eius destructionem, 38 *Ad confirmationem*.

Vel secundo responderi potest, negando antecedens, nam hic numero calor in aqua receptus, cum aqua connectitur, & in illa recipi exposcit: ac proinde ordo ad aquam est illi connaturalis, etsi calor sit aquæ violentus. Et quidem argumentum hoc instantiam manifestam habet. Tùm in auxilio dato ad patranda miracula. Tum etiam in vnione hypostatica, cui connaturalis est ordo ad naturam, quam vnit supposito Verbi; & tamen natura non dicit ad illam ordinem naturalem, 39 *Secunda Respondetur*.

§. IV.

§. IV.

Visionem beatam nulli natura credibili posse esse connaturalem, probatur.

40 *Secunda conclusio.* SECVNDA CONCLVSIO. *Implicat substantia creata, cuius intellectus ratione sui sit connaturalis visio beatifica*, Ita omnes Auctores secundæ sententiæ. Et suadetur primo ex Augustino *lib.11. de ciuitate Dei cap. 2.* illis verbis. *Quamuis non omnis beata esse possit creatura, nec enim hoc munus adipiscuntur fera, saxa, ligna, &c. Ea tamen quæ potest, non ex seipsa potest, quid ex nihilo creata est, sed ex illo à quo creata est*; at implicat substantia creata, quæ ex nihilo creata non sit: ergo implicat substantia creata, quæ beata sit ex se ipsa: & consequenter repugnat omnino substantia creata, cuius intellectui ratione sui sit connaturalis visio beatifica. *Probatur primo ex August.*

Tripliciter occurrunt contrarij huic tamen aperto Augustini testimonio. Primo asserendo, ipsum loquutum fuisse de creaturis actu existentibus, nec enim de possibilibus fecit mentionem. Secundo dicunt, idcirco Augustinum creaturam ex se non esse beatam, dixisse, quia quamuis ex proprijs viribus esse possit aliqua beata, hoc tamen non haberet à se, sed ab alio, nempe, à Deo, à quo sicuti & esse, ita etiam beatitudinem acciperet, & inhoc discriminari a Deo, qui ex se, & a se beatus existit; cum nihil accipiat ab alio.

41 *Respondent primo contrarij. Secundo.*

42 *Tertio.* Tertio respondent, Augustinum negasse, creaturam ex se ipsa esse posse beatam, tanquam per obiectum propriæ beatitudinis, non tamen negasse, posse esse beatam per se, tanquam per principium beatitudinis formalis; quam interpretationem tentant colligere ex verbis anterioribus, & posterioribus Augustini; nam paulò ante verba citata, sic asserit: *Non est creatura rationalis, vel intellectualis, bonum, quo beata sit nisi Deus*. Vbi expressè loquitur de bono beante obiectiuè, & statim subiunxit verba pro Nostra conclusione relata; & consequenter in eodem sensu sunt accipienda.

43 *Confirmatur hæc solutio.* Quod amplius confirmant ex verbis immediatè subiunctis: *Hoc enim adepto, beata est, quo amisso, misera est*. In quibus apertè loquitur de bono beante obiectiuè, non effectiuè: ergo etiam verbis intermedijs, quæ fauere videntur veræ sententiæ, loquitur Augustinus de bono beante obiectiuè, non effectiuè, quo sensu verissimum est, nullam creaturam, ex se ipsa posse beatam, quia solus Deus est nostra beatitudo obiectiua.

44 *Prima solutio reijcitur.* Nulla tamen ex his solutionibus argumento facto satisfacit; & contra primam facit, quod daro, Augustinum mentionem non fecisse de creaturis possibilibus; ratio tamen, qua probat, creaturas actu existentes non posse ex proprijs viribus esse beatas, quia nempè, ex nihilo creatæ sunt, militat pari efficacia in omni creatura possibili; cum omnis creatura, siue existens, siue possibilis, ex nihilo creetur à Deo: ergo vel ratio, qua id probat, censenda est inefficax, vel neganda est possibilibus, quod Augustinus negat creaturis existentibus.

45 *Confirmatur 1.* Quod amplius confirmo; etenim, quia rationes, quibus Doctor Angelicus probat, creaturam ex se ipsa non posse esse beatam, pari efficacia militant de possibilibus, ac de existentibus, etiamsi de possibilibus expressam mentionem non faciat, fatentur contrarij illum pro nostra, & contra ipsorum sententiam existere: ergo cum ratio Parentis Augustini æqua efficacia militet in omni creatura possibili, necesse est, vt fateantur nostræ fauere, & illorum sententiæ aduersari.

46 *Secundo.* Confirmatur, & vigetur secundo; etsi Concilia, quando diffiniunt, hominem non posse ex suis viribus, aliquid cum fructu ad vitam æternam conducens efficere, non faciant de Angelis expressam mentionem; quia tamen ratio, qua, ad id definiendum, ducuntur, æque militat in Angelis, atque in hominibus, id ipsum de Angelis censetur diffinitum: ergo pariter, quia ratio Parentis Augustini æqua efficacia militat in craturis possibilibus, atque in existentibus actu, quod de existentibus asserit, de possibilibus etiam est intelligendum, etsi de illis non fecerit expressam mentionem.

47 *Secunda reijcitur primo.* Deinde contra secundam facit primo; particula *ex se*, diuersum quid denotat, ac particula *à se*, si pressè vtraque accipiatur, quod patet ex ipsis contrarijs, qui vt ad suum sensum trahant Augustinum, particulam illam, *ex se* vertunt in aliam, nempè in *à se* at hæc secunda importat negationem principij: ergo prima hoc non dicit, sed solum principium in ordine secundi agentis ad aliquid sufficiens; & consequenter Augustinus negans creaturas se, ex se ipsis posse esse beata, non intendit negare, quod sint prima principia suæ beatitudinis, quod tanquam de fide certum supponit, sed quod sint principia de se sufficientia per modum causæ, & agentis secundi.

Deinde; nam idem est, hominem ex se ipso non posse esse beatum, ac id esse non posse per proprias vires; at hoc secundum ineptè explicatur per hoc, quod proprias vires accipiat ab alio, & non habeat à se; aliàs quando Concilia, & Patres diffiniunt, hominem proprijs viribus nihil ad iustificationem conducens efficere posse, sufficienter posset explicari per hoc, quod vires proprias accepisset à Deo, nec haberet ex se, quod est plus quam falsum: ergo pariter Augustinus negans creaturas ex se ipsis posse esse beatas, ineptè explicatur, asserendo, idcirco ex se ipsis esse non posse beatas, quia illud posse non habent à se, sed a Deo, qui est causa prima essendi, & operandi. 48 *Secundo.*

Et ex his reijcitur tertia solutio. Tùm; quia loquendo in rigore sermonis diuersum quid denotat, creaturam posse se ipsa beari, ac posse ex ipsa esse beatam; sed primum dicit, creaturam se beatificare posse obiectiuè; ergo secundum hoc non importat, sed habere ex se sufficiens principium effectiuum suæ formalis beatitudinis; & consequenter Augustinus asserens, creaturam ex seipsa non posse esse beatam, negat illi principium effectiuum sufficiens propriæ beatitudinis ex proprijs viribus. 49 *Tertia reijcitur primo.*

Secundo; nam vt proximè esse asserebam, idem importat in communi Theologorum sensu, creaturam ex se ipsa posse esse beatam, ac posse ex proprijs viribus suam beatitudinem adipisci; at hoc secundum non denotat, posse se ipsam obiectiuè beatificare, sed habere ex se principium sufficiens effectiuum suæ beatitudinis: ergo idem significat, ex se ipsa creaturam esse posse beatam. *Secundo.*

Nec fauent huic interpretationi verba antecedentia, & subsequentia Augustini; nam ex eo, quod nullum aliud bonum potest creaturam beatificare obiectiuè, nisi solum bonitas diuina, rectè infert Augustinus, creaturam proprijs viribus non posse esse beatam, quia ad tanti boni assecutionem, qua beatificatur formaliter, non potest proprijs viribus peruenire. Ac si ita argumentaretur; solum bonum diuinum potest obiectiuè creaturam beatificare; atqui ad illius boni assecutionem creatura de se non habet sufficiens principium: ergo creatura ex se non potest esse beata, in quo discursu necessarium non est, quod in consequenti negetur creaturæ vis beatificatiua obiectiuè, sed optimè infertur, illi ex proprijs non conuenire vis beatificatiua efficienter, & hæc est germana interpretatio sententiæ Augustini, vt fatentur ferè omnes contrarij, vno excepto Recentiori, cui placuit illius verba violenter ad improprium sensum sua ex cogitatione extorquere. 50 *Explicantur verba Augustini.*

Secundo principaliter suadetur conclusio ratione Diui Thomæ ex prællegatis desumpta ad hanc formam redacta; intelligens, & obiectum connaturaliter, & quidditatiue intellectum, debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis; at implicat substantia intellectualis creata existens in gradu immaterialitatis diuinæ: ergo omninò repugnat substantia creata, cuius intellectui ratione sui sit connaturalis visio beatifica. Illatio est legitima; nam visio beatifica attingit Deum intuitiuè; & quidditatiuè. Minor omnibus est nota; immaterialitas namque diuina est per deputationem, ne dum à materia physica, quæ est pars compositi materialis, sed etiam materiæ metaphysicæ, quæ in potentialitate consistit: repugnat autem creaturæ exclusio omnis potentialitatis, sicuti repugnat, dari creaturam omni carentem compositione. 51 *Secundo, prob. conclusio ex D.Tho.*

Tota ergo difficultas ad maiorem deuoluitur, quam præter Auctores pro contraria sententia relatos, negant Scotus *in 1. distinctione tertia, quæstione tertia, §. In ista quæstione. Et in quarto distinctione 49. quæst. 11.* & Durandus *ibidem quæst.2. num. 19.* impugnantes rationem Diui Thomæ, etsi in conclusione cum illo conueniant. Illam probat Diuus Thomas: cognitio namque fit per hoc, quod cognitum est in cognoscente, vnumquodque autem in alio recipitur ad modum recipientis; & consequenter obiectum quidditatiue, & connaturaliter cognitum excedere nequit modum naturæ cognoscentis. 52 *Maior prob. 1. Scot. Durand.*

Probationem istam sic explico, cognitio quidditatiua *Explicatur hæc probatio,*

obiecti debet fieri per propriam speciem, quæ vt docet Diuus Thomas *prima parte quæstione 12. articulo secundo*, debet conuenire cum illo in eodem gradu immaterialitatis; at species, & natura intelligens, connaturaliter receptiua illius, debent in modo essendi quoad gradum immaterialitatis conuenire: ergo de primo ad vltimum intelligens, & obiectum connaturaliter, & quidditatiuè intellectum, debent in eodem gradu immaterialitatis existere.

53 *Secundo.* Secundo probat eandem maiorem, supponendo tres esse gradus immaterialitatis rerum, aliæ habent esse in hac materia indiuiduali, aliæ à materia independent, & habent esse per se subsistentes; habent tamen esse, ab essentia, & natura distinctum, cuiusmodi sunt Angelicæ naturæ: supra hos omnes gradus existit diuina natura à materia independens, & omnem compositionem excludens, habens esse indistinctum à propria natura; quo posito ita probat maiorem; res primi gradus nequeunt connaturaliter intelligere ea, quæ pertinent ad secundum: ergo nec res existentes in secundo gradu, possunt connaturaliter intelligere Deum existentem in tertio.

54 *Confirmatur.* Explicatur hoc amplius; natura composita ex materia, & forma, nequit quidditatiuè, & naturaliter intelligere Angelum excludentem materiam: ergo nec natura intellectualis excludens materiam physicam admittens tamen materiam metaphysicam, quæ est potentialitas, potest connaturaliter, & quidditatiuè intelligere naturam diuinam, quæ omnem potentialitatem excludit.

Tertio. probatur maior Tertio, eandem maiorem ostendo; ex solo defectu conuenientiæ in gradu immaterialitatis diuinæ redditur Angelus existens de facto impotens ad cognoscendum Deum quidditatiuè, & connaturaliter: ergo dicta conuenientia necessario exigitur inter intelligens, & obiectum connaturaliter, & quidditatiuè intellectum.

55 *Respondebis.* Respondebis, negando hoc vltimum antecedens; sed ideò Angeli existentes de facto nequeunt connaturaliter videre Deum, sicuti est, quia non sunt in eodem ordine cum illo, nempè, supernaturali. Sed *Contra.* contra; stat optimè cum conuenientia in ordine ob defectum conuenientia in gradu immaterialitatis cum aliquo impotentia ad cognoscendum illud connaturaliter, & quidditatiuè: ergo solutio est nulla. Consequentia tenet. Antecedens autem ostendo sic pri- *Antecedens probatur 1.* mo: anima rationalis coniuncta materiæ, non potest connaturaliter quidditatiuè intelligere Angelum; & tamen est eiusdem ordinis cum illo: ergo ob defectum conuenientiæ in gradu cum conuenientia in ordine redditur impotens ad talem cognitionem.

Secundo. Secundo: nam dato, quod esset possibilis forma supernaturalis vnita materiæ corporeæ, cuius possibilitatem non tenuent adversarij concedere, talis forma, ad minus pro statu coniunctionis, esset impotens ad cognoscendum Deum connaturaliter, & quidditatiue, non nisi ob defectum conuenientiæ in gradu immaterialitatis, siquidem esset eiusdem ordinis, nempè supernaturalis, cum illo: ergo verum est antecedens.

56 *Dices.* Dices; impotentiam animæ rationalis ad cognoscendum Angelum connaturaliter, quidditatiuè, non oriri ex defectu conuenientiæ in gradu immaterialitatis, sed ex eo quod in tali statu non potest intelligere, nisi per species emendicatas à corpore, & abstractas à phantasmatibus sensibilibus, & quia istæ species non possunt repræsentare quidditatiuè Angelos, hinc prouenit, quod anima in statu prædicto, nequeat connaturaliter cognoscere Angelum quidditatiuè.

57 *Contra.* Sed contra; quod anima in statu coniunctionis non possit intelligere, nisi per species rerum materialium abstractas à phantasmatibus, prouenit ex eo, quod in modo essendi à materia dependet: ergo species quidditatiua obiectum intellectum, & principium intelligens quidditatiuè, & connaturaliter, conuenire debent in modo essendi quoad gradum immaterialitatis; & consequenter vera est maior Nostri discursus. Patet hæc consequentia; nam si ista conuenientia non desideratur, non poterit ratio assignari, cur anima in modo essendi dependens à materia non possit connaturaliter actuari per species rerum immaterialium à materia omninò independentes; si namq; species quidditatiua obiecti excedere potest immaterialitatem principij intellectiui, poterit species independens omninò à materia actuare connaturaliter animam rationalem in modo essendi dependentem ab illa.

Denique principaliter suadetur conclusio: videre Deum, sicuti est, est proprium naturæ diuinæ: ergo nequit esse connaturale intellectui alicuius substantiæ creatæ, aut creabilis ratione sui. Consequentia tenet; nam quod est proprium superioris naturæ, etsi possit inferiori ex eleuatione, & subordinatione adipsam competere, non potest illi connaturaliter conuenire; sicuti, quia producere ignem, est proprium ignis, etsi alijs ab igne possit ex subordinatione ad ipsum conuenire, connaturaliter nulli præter ignem competere valet. 58 *Vltimo probatur conclusio.*

Antecedens probatur à D. Thom. 3. *Contra Gentes cap. 52.* operari secundum propriam formam, est proprium cuiuslibet operantis; vt patet in igne, & alijs agentibus; etenim operari secundum formam ignis est proprium ignis; operari secundum animam rationalem, est proprium hominis, & sic de alijs agentibus; at videns Deum, sicuti est, operatur per ipsam diuinam essentiam vnitam per modum formæ intelligibilis: ergo videre Deum, sicuti est, est proprium naturæ diuinæ.

Dices; videre Deum, sicuti est, modo infinito, & comprehensiuo, esse proprium naturæ diuinæ, & hoc nulli alteri potest conuenire; videre autem Deum modo limitato, & finito, potest intellectuali naturæ creabili esse connaturale. 59 *Dices.*

Sed contra primo; videre Deum, sicuti est, abstrahendo à modo finito, aut infinito, est operari per diuinam essentiam, tanquam per formam in esse intelligibili; ergo etiam præciso modo infinitatis, est proprium naturæ diuinæ proprietate connaturalitatis, etsi non sit proprium proprietate essentiali. Patet consequentia ex principio à Diuo Thoma assumpto, scilicet; quod operari secundum propriam formam, est proprium cuiuslibet operantis. *Contra. 1.*

Contra secundo; aliqua sunt prædicata ita propria Dei, vt licet possint creaturæ communicari ex eleuatione, nulli tamen creatæ, aut creabili possunt esse connaturalia, non solum cum modo infinitatis; sed etiam tali modo præciso, vt patet in cognitione cogitationum Dei, prædictione futurorum, & miraculorum patratione, quæ non solum cum modo infinitatis, qualiter repugnant creaturæ, sed etiam illo præciso, nequeunt vlli creaturæ productæ, aut producibili esse connaturalia, etsi possint creaturæ competere ex eleuatione, & sub ordinatione ad naturam diuinam: ergo inter hæc est annumeranda visio beatifica. 60 *Secundo.*

Denique impugno solutionem prædictam; nam visio Dei, prout est in se ipso, est formalis participatio intellectionis diuinæ, prout diuina, & propria Dei est, non minus quam gratia est participatio diuinæ naturæ, de quo 1.2. q. 110. at non participat modum infinitatis, sed solum attingentiam claram Dei, prout est in se: ergo sic ipsum videre, etiam præciso modo infinitatis, est proprium diuinæ naturæ. 61 *Tertio.*

Minor cum consequentia tenet. Maior autem præterquam quod a meliori parte Theologorum docetur, in hunc modum probatur; nam visio beatifica est communicatio amicabilis, supra quam fundatur amicitia diuina; at qui ad amicitiam requiritur, non quæuis communicatio in bonis amici, sed communicatio specialis in his, quæ sunt bona amico propria, vt docent Theologi communiter 2.2. q.23. art.1. ergo visio beatifica est participatio diuinæ intellectionis, secundum quod diuina, & propria Dei est.

Si dicas: id, quod est proprium alicui, nulli alteri potest conuenire, vt rationalitas, quia est propria hominis, nulli præter hominem potest competere; at videre Deum sicuti est, conuenit rationali naturæ per gratiam: ergo sic videre Deum, præciso modo infinitatis, non est proprium diuinæ naturæ. Respondeo, distinguendo maiorem: quod est proprium proprietate essentiali, concedo maiorem: quod est proprium quoad connaturalitatem, subdistinguo illam: non potest alteri ex eleuatione competere, nego maiorem: vt prædicatum connaturale, concedo maiorem: & concessa minori, distinguendum est consequens: non est proprium Dei primo modo, concedo consequentiam: secundo modo, nego consequentiam. 62 *Si dicas.* *Respondeo.*

Instabis; quia ratiocinari est operari secundum formam hominis, taliter est proprium illius, quod nec connaturaliter, nec ex eleuatione potest conuenire alteri præter hominem; at videre Deum, est operari per diuinam essentiam: ergo si ratio Diui Thomæ quid valet, 63 *Instabis.*

valet, conuincit, taliter esse proprium diuinæ naturæ, vt nulli præter Deum possit competere, nedum connaturaliter, verum etiam ex eleuatione. *Respondetur.* Respondeo, distinguendo maiorem: præcisè ex illo capite, nego maiorem: ex illo, & quia forma hominis ob sui limitationem solum est participabilis vniuocè, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Quia perfectiones Dei ob sui infinitatem, possunt participari analogicè à creaturis, & sic ex tali participatione eleuari ad operandum modo diuino. De quo latè agitur 1.2. q.110.

§. Vltimus.

Contraria argumenta diluuntur.

64 *Arg. 1.* CONTRA istam conclusionem multipliciter arguunt contrarij. Primo sic arguunt contra secundam rationem, quæ est Diui Thomæ locis *supra* allegatis: inter intelligens, & obiectum connaturaliter, & quidditatiuè intellectum, non est necessaria conuenientia in modo immaterialitatis: ergo ex defectu talis conuenientiæ inter substantiam creatam, & Deum, non arguitur, implicans creatura intellectualis, cuius intellectui ratione sui sit connaturalis visio beatifica.

Antecedens probatur 1. Probatur antecedens primo; nam Angelus inferior connaturaliter potest quidditatiuè, imo & comprehensiuè cognoscere Angelum superiorem; & tamen est inferioris immaterialitatis ad ipsum: ergo excessus in immaterialitate non obstat inter intelligens, & obiectum quidditatiuè intellectum. *Secundo.* Secundo; intellectui vt illustrato lumine gloriæ est connaturalis visio beatifica; & tamen adhuc, vt sic illustratus non pertingit gradum immaterialitatis diuinæ: ergo illa conuenientia necessaria non est.

65 *Tertio.* Tertio; anima separata potest connaturaliter, quidditatiuè cognoscere Angelum; & tamen est in gradu inferiori immaterialitatis ad ipsum; cum sit composita, saltim vt *quo*, quæ compositio Angelicæ naturæ repugnat: *Quarto.* ergo idem quod prius. Quarto; si admittatur possibilis Angelus, cuius natura cum subsistentia sit identificata, erit in superiori gradu immaterialitatis ad Angelos nunc existentes ex subsistentia; & natura compositos: & tamen ab illis posset attingi connaturaliter, & quidditatiuè: ergo fuit talis conuenientia à Diuo Thoma exacta.

66 *Quinto.* Quinto; plures namque fatentur, possibilem substantiam materialem percipientem obiecta spiritualia, & spiritualem, sola materia potentem percipere; sed in vtroque casu æqualitas in immaterialitate non daretur inter cognoscens, & cognitum: ergo non requiritur. *Vltimo.* Denique probant; nam etiam inter obiectum abstractiuè cognitum, & principium cognoscens necessaria est proportio; & tamen æqualitas in gradu immaterialitatis necessaria non est: ergo pari ratione, quamuis inter intelligens, & obiectum quidditatiuè intellectum proportio exigatur, æqualitas tamen in gradu immaterialitatis necessaria non erit.

67 *Respond. ad 1 probationem.* Ad hoc argumentum respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: est inferioris immaterialitatis specificè, concedo minorem: genericè, & quoad gradum, nego minorem, & nego consequentiam. Itaque omnes Angeli conueniunt in gradu immaterialitatis, quia omnes sunt expertes compositionis ex materia, & forma, etsi intra illum gradum vnus Angelus sit alio perfectior; & primum sufficit, vt vnus alium quidditatiuè valeat cognoscere. Et quidem si hæc probatio conuinceret, sequeretur, posse creaturam comprehendere Deum, etiam si cum illo non conueniret in gradu immaterialitatis. Patet; nam potest fieri idem argumentum; Angelus inferior comprehensiuè attingit superiorem; & tamen non est æquè immaterialis cum illo: ergo idem poterit creaturæ competere in ordine ad Deum, etsi ab illo distet in gradu immaterialitatis. Maior est probabilis. Minor supponitur. Consequentia est bona; & tamen consequens à nemine admittitur: sicuti ergo excessus immaterialitatis quoad gradum obstat comprehensioni, & tamen illi non obstat excessus specificus, idipsum Nos dicimus de quidditatiua cognitione. De quo plura *Disputatione vndecima*, vbi de specie impressa disseruimus.

68 *Ad secundam.* Ad secundam probationem, distinguo maiorem: est connaturalis connaturalitate absoluta, nego maiorem: connaturalitate ex suppositione formæ eleuantis concedo maiorem: & concessa minori, distinguo consequens: si intelligens sit connaturaliter priori modo, nego consequentiam. Secundo modo, concedo consequentiam. Et ratio discriminis est manifesta; nam obiectum connaturaliter ex eleuatione intellectum, non commensuratur cum principio eleuato, sed cum superiori eleuante: ac proinde necessarium non est, quod principium eleuatum cum illo in gradu immaterialitatis conueniat; secus contingit, quando principium est intellectiuum connaturaliter connaturalitate absoluta: Tunc namque debet cum illo commensurari; & consequenter inter illa prædicta conuenientia inueniri. Sicut subsistentia non commensuratur cum natura, cui est connaturalis ex suppositione formæ eleuantis; benè tamen cum illa, cui ratione sui absolutè est connaturaliter debita; quocirca subsistentia Verbi est connaturalis naturæ humanæ ex suppositione vnionis eleuantis illam ad esse Verbi: absolutè tamen nulli creaturæ potest esse connaturalis.

Ad tertiam, nego maiorem: quia vt docet Mag. Bañez 1. p. q. 89. *art.* 1. *dub.* 2. modus cognoscendi animæ separatæ per species infusas non est connaturalis animæ, sed præternaturalis: ac proinde cognoscere quidditatiuè Angelos, non est illi connaturale. 69 *Ad tertiam.*

Dices, saltim animæ, prout separatæ, est connaturale intelligere Angelos per species illorum proprias animæ infusas à Deo: ergo illi prout sic connaturaliter competit cognoscere Angelos quidditatiuè, & tamen prout sic est inferioris immaterialitatis quoad gradum; cum sit composita vt *quo*, idest, potens, vt forma componere, quæ compositio Angelicæ naturæ repugnat: ergo tenet argumentum. *Dices.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem: anima namque prout reduplicatiuè separata, habet modum immaterialitatis Angelicæ; cum prout sic excludat materiam, & aliàs reduplicato statu repugnet ei compositio cum corpore; quia tamen non adæquat gradum immaterialitatis Angelicæ in statu prædicto, non cognoscit Angelos perfectè, vt docet D. Thom. q. *citata art.* 2. *Respõd.*

Ad quartam responderi potest dupliciter: primo, negando maiorem. Nam Angelus ille confictus compositionem aliquam, & potentialitatem haberet; atque adeò, quod cum propria substantia non componeret, solum argueret materialem excessum intra eundem gradum, sicuti inter Angelos modò existentes datur maior, & minor compositio, qui tamen excessus materialis est, & intra eundem gradum contentus. 70 *Ad 4. respõd. 1.*

Vel secundo, omissa maiori, nego minorem: quia eo ipso quod Angelus cum subsistentia non componeret, nec componeret cum propria existentia; & consequenter esset infinitus, actus purus, &c. Vnde ab Angelis modò existentibus cognosci non posset quidditatiuè. Sed dices: ille Angelus esset creatura: ergo conueniret cum Angelis modò existentibus in gradu generico immaterialitatis. Respondeo, distinguendo antecedens: esset, & non esset, concedo antecedens: esset tantum, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo. *Secundo. Dices. Respõd.*

Ad quintam, nego antecedens pro vtraque parte, quod si plures id docent, docebunt absque vllo fundamento, & euertentes totam Philosophiam. Ad vltimam, concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Et ratio discriminis est manifesta; nam obiectum abstractiuè, non quidditatiuè cognitum per alienas species attingitur cum proprijs obiectis commensuratas: ac proinde principium cognoscens cum obiecto primo talium specierum debet in gradu immaterialitatis conuenire; non autem cum obiecto secundo, & connotatiuè attacto, cuius contrarium opposita de causa in obiecto cognito quidditatiuè, & intuitiuè contingit. 71 *Ad quintam.*

Obijciunt secundo; potest Deus de potentia absoluta facere intellectum creatum æquiualentem conflato ex intellectu, & lumine gloriæ de facto producto; at tali intellectui ratione sui esset debita, & connaturalis visio beatifica: ergo intellectus, cui sit connaturalis, possibilis est. Minor cum consequentia tenet. Maiorem autem probant; conflatum ex intellectu, & lumine gloriæ, est finitæ, & limitatæ perfectionis, & virtutis; ac quolibet finito dato, potest Deus aliud illo perfectius; & consequenter æquiualens facere: ergo potest producere intellectum ratione sui perfectiorem, & æquiualentem conflato resultanti ex intellectu, & lumine gloriæ, quod de facto datur. 72 *Arg. 2.*

Hoc argumentum adeò torsit ingenium Molinæ, vt inter vtramque sententiam affirmantem, & negantem pendulum, & suspensum reliquerit, & reuera in affirmantem magis propensum; sed mirum est, virum, aliàs 73 *Instatur argumentũ hoc pluribus instãtijs.*

ductum, adeò leui præsum argumento, cum mille instantijs eius inefficacia manifestè aperiatur. Et quidem conflatum ex substantia, & potentia proximè operatiua, limitatum, & finitum est; & tamen in veriori sententia, non potest Deus substantiam creatam producere illi æquiualentem, & ratione sui proxime operatiuam. Item conflatum ex substantia, & specie repræsentatiua extrinseci obiecti, limitatum est; & tamen non potest Deus substantiam producere prædicto conflato æquiualentem, & ratione sui absque superaddita specie cognoscentem obiectum extrinsecum. Item conflatum ex intellectu, & intellectione actuali, limitatum, & finitum est; & tamen in nullius sententia potest Deus intellectum producere ratione sui, absque intellectione à se ipso distincta, percipientem obiectum. Item conflatum ex potentia creata, & auxilio dato ad patrandam miracula, & conflatum ex intellectu, & illustratione ducente ad cognoscendas cogitationes cordis diuini, sunt finitæ, & limitatæ perfectionis; & tamen nequit Deus aliquam potentiam ratione sui æquiualentem illis producere. Denique, vt alia omittam, conflatum ex natura creata, & vnione hypostatica secundum id, quod vnio importat in recto, quid finitum, & limitatum est; & tamen nequi Deus, quantumcumque vtatur sua extraodinaria potentia, naturam creatam producere æquiualentem resultanti ex vtroque; cui connaturalis sit ratione sui personalitas diuina terminantes: valeat ergo argumentum Molinæ tot instantijs laborans ab ipso, & eius Assectis necessario diluendis.

74 *Resp. ad argumentum.* Ad illud respondeo, negando maiorem. Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem: potest aliud perfectius producere in vna simplici entitate, nego minorem: in alio coniuncto ex perfectionibus extremis composito, transeat minor, & nego consequentiam: quia solum infertur, posse Deum efficere aliud perfectius coniunctum, producendo perfectiorem intellectum illustratum perfectiori lumine specificè, si forte est possibile lumen gloriæ distinctè speciei, vel indiuidualiter, & intensiuè; non autem infertur, quod possit efficere intellectum, qui ratione suæ entitatis excedat, aut æquiualeat coniuncto ex intellectu nostro, & lumine gloriæ, quæ solutio manifesta est ex instantijs adductis.

75 *Arg. 3.* Sed contra istam solutionem opponit Molina, & fit tertium argumentum; quod intellectus Angelicus, aut humanus Deum videre non possit ratione sui, non prouenit, ex eo quod Deus sit extra obiectum specificatiuum illius, sed quia non gaudet tanta virtute quanta ad id opus est; at Deus, quolibet intellectu dato, potest alium, & alium absque termino efficere perfectioris virtutis: ergo deueniri potest ad aliquem intellectum, qui ratione sui, adeò eleuatæ virtutis existat, vt Deum absque superaddito lumine possit intueri; & consequenter æquiualentem coniuncto ex intellectu, & lumine gloriæ.

76 *Confirmatur.* Quod amplius confirmat; quia intellectum non repugnat esse accommodatum ex proprijs viribus ad videndum Deum ex ratione communi intellectus; cum id competat intellectui diuino, nec repugnat illi ex ratione creati: quod probat; nam intellectus creatus est quædam participatio intellectus diuini, & quolibet dato, potest Deus sua omnipotentia efficere alium perfectiorem excessu essentiali: ergo potest producere aliquem ita perfectum, vt sit participatio intellectus diuini, ea ratione, qua potest Deus proprijs viribus intueri; & consequenter excedentem, aut æquiualentem coniuncto ex intellectu, & lumine gloriæ.

77 *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, & minori, negando consequentiam. Sicuti non sequitur: *Quod causa creata non possit propria virtute patrare miracula, prouenit ex defectu virtutis; at qualibet data potest aliam perfectiorem producere: ergo deueniri potest ad aliquam, qua ratione propria virtutis illa possit patrare.* Et similiter ista consequentia non valet: *Quod intellectus creatus ratione sui non possit cognoscere secreta diuina, non prouenit ex eo quod sint extra obiectum specificatiuum illius, sed prouenit ex defectu virtutis; se quolibet intellectu dato, alius perfectior est dabilis: ergo deueniri potest ad aliquem, qui ratione sui absque speciali reuelatione Dei, illius secreta cognoscere valeat.* Ac denique ista consequentia non tenet: *Quod natura humana propria virtute non possit vniri cum subsistentia Verbi, non prouenit ex eo, quod Verbi subsistentia non comprehendatur intra spharam vnibilitatis illius, sed ex limitatione virtutis natura creata; sed qualibet natura data potest Deus aliam perfectiorem efficere: ergo deueniri potest ad aliquam propria virtute vnibilem cum illa,*

Pariter consequentia Molinæ non tenet, & omnium ratio est; quia defectus ille virtutis, est defectus virtutis ordinis superioris, quæ ob rationes traditas nulli creaturæ esse potest connaturalis, sed solum ex eleuatione potest illi competere. 78 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, cuius inefficacia per easdem instantias fit manifesta, nego antecedens pro secunda parte. Ad eius probationem, concessa vtraque parte antecedentis, nego consequentiam: quia intellectus diuinus sub eo conceptu, quo ex proprijs viribus diuinam intuetur naturam, repugnat ab intellectu creato participari ob rationes iam assignatas.

79 *Si dicas.* Si dicas; potest intellectus diuinus sub prædicto conceptu participari à lumine gloriæ: ergo etiam participari poterit ab aliquo intellectu creabili ratione sui. *Respondetur.* Concesso antecedenti, nego consequentiam. Quia lumen est participatio per modum formæ eleuantis; non autem repugnat, quod prædictus conceptus, qui proprius Dei est, à creatura ex eleuatione participetur; benè autem repugnat participari ab illa connaturaliter, & intellectus creatus si ratione sui esset participatio talis conceptus, esset potens Deum videre connaturaliter, quod, vt ex dictis patet, repugnat. Tum; quia deberet esset eiusdem immaterialitatis cum Deo Tum etiam; quia quod est Dei proprium, nulli præter Deum potest esse connaturale; est enim proprium Dei se ipsum per se ipsum videre, vt probaui. Mitto alia argumenta. Tum; quia ex dictis peruia erit illorum solutio. Tum etiam, quia disp. 15. oportunius diluentur.

80 *Inquires, An sit digna aliqua censura opposita sententia.* Inquires pro complemento disputationis; an sententia Recentiorum aliquam censuram mereatur? Cabrera, & Nazarius, adeò certam iudicant nostram sententiam, vt oppositam temerariam existiment. Alij omnino falsam, & reijciendam; Pater Salas acriter in illam inuehitur, asserens esse periculosam, scripturæ parum consonam, contra torrentem omnium Scholasticorum, quam nullus grauis Theologus hucusque defenderit, dignam, vt à Scholis reijciatur, & à nullo permittatur defendi, quod meritò sæpè Salmanticæ contigisse testatur.

81 *Argumentum pro sentientibus illam esse temerariam.* Ex quibus verbis sequitur, prædictam sententiam temerariam esse. Fauet sic sentientibus, hoc non leue argumentum; illa assertio est temeraria, quæ opponitur communi Scholasticorum consensui; talis est, quæ asserit possibilitatem substantiæ creatæ beatificabilis per naturam: ergo temeritate non vacat. Maior cum consequentia probatione non eget. Minor autem vsque ad Molinam constans videtur; cum vsque ad illum nullus prædictæ substantiæ possibilitatem adstruxerit; imo, quod magis est, Molina aliàs non tepidus in nouis sententijs vulgandis; sententiam istam non est ausus amplecti, & omnes, quos viderim, duobus Recentioribus tantum exceptis, ob Scholarum auctoritatem prædictæ adhærent sententiæ, quod signum manifestum est, Scholasticorum communem consensum huic sententiæ aduersari.

82 *Confirmatur.* Quod amplius confirmari potest; nam affirmare, prædictam substantiam esse de facto productam, est temerarium; at Antiqui vsque ad Molinæ tempora, vel illam, vt de facto existentem non reiecere, vel reiecerunt eam, vt possibilem de potentia absoluta; cum quantum adhoc nullum apud ipsos extet discrimen? ergo affirmare illius possibilitatem, temerarium videtur. Alij per oppositum docent, sententiam illam nulla censura dignam existere, sic Moderniores illam defensantes, quod sibi persuadent hoc argumento; sententiæ affirmanti possibilitatem substantiæ creatæ beatificabilis ex viribus proprijs sola Recentiorum auctoritas apertè contradicit; at sola auctoritas Recentiorum non sufficit temeritatis aliquam sententiam notare: ergo ab omni temeritatis nota libera existit. Probant maiorem; Antiqui Scholastici substantiæ supernaturalis diuinitus possibilis nullibi meminerunt.

83 Quod argumentum, si quid probat, conuincit, posse absque vlla temeritatis nota existentem de facto defendi, quia nullibi Ecclesiæ PP. supernaturalis substantiæ apertè meminere; & consequenter expresse illam non reiecerunt, vt de facto existentem: vnde ergo constat illam, vt de facto existentem exclusisse, non autem, vt possibilem de potentia absoluta? nam eadem ratione, qua illorum verba explicantur substantijs de facto existentibus, poterit, qui illam vt de facto existentem defensare voluerit, Scholasticos, & PP. interpretari de substantijs existentibus; quæ expectant ad ordinem naturæ, non autem de substantia ordinem naturæ excedente. Ita inter se digladiantur. Auctores prædicti, pro quibus stet veritas, quantum ad censuram sententiæ affirmantis, iudicet alius.

DISPVTATIO XIV.

An sit possibilis substantia intellectualis creata omnino imprecabilis per naturam?

§. I.

Referuntur sententiæ, & prima conclusio statuitur.

Nu. 1. *Prima sententia Nominalium.* DISPVTATIO hæc, quia cum præcedenti est connexa, ideo à nobis in præsenti excitatur, in qua multiplex versatur sententia. Prima est Nominalium, affirmans, possibilem esse substantiam ordinis naturæ, quę omnino sit impeccabilis, siuè contra legem naturæ, siuè contra legem supernaturalem. Hanc tenent Ochamus *in 1. dist. 44. q. vnica art. 1.* Gabriel *in 2. dist. 23. q. vnic. ar. 2.* (*Ocham. Gabriel.*) cuius possibilitatem dupliciter explicat. Primo, per hoc, quod non sit libera, sed necessario determinata ad sequendum iudicium rationis, siuè rectum, siuè erroneum. Secundo per hoc, quod sit necessitata ad sequendum iudicium rectæ rationis, & si inter obiecta regulata tali iudicio, possit liberè hoc, vel illud amplecti: tenet etiam Maior *ibidem quæst 2. conclus. 4. & 5.* (*Maior.*) vbi docet, implicare hominem natura impeccabilem, qui sit eiusdem rationis nobiscum, non tamen implicare hominem diuersæ rationis omnino impeccabilem, & licet apertè non explicent, se loqui de substantia ad ordinem naturæ spectante, ex illorum tamen rationibus colligitur, ita sensisse.

2 *Secunda Scoti. Scotus. Rada. Nazar. Tertia Recentiorum.* Secunda defendit, implicare substantiam intellectualem creatam, liberam omnino impeccabilem, non tamen implicare aliquam libertate carentem; & consequenter omnino impeccabilem. Ita Scotus *in 2. dist. 23. quæst. vnica* & Rada *p. 2. controu. 11. art. 1.* prout refert Nazarius *1. p. quæst 63. art. 1. controuersia vnica*. Tertia docet implicare substantiam ordinis naturæ, quæ omnino sit impeccabilis, non tamen implicare, quod impeccabilitas per naturam conueniat supernaturali substantiæ possibili. Ita recentes Theologi *disp. præcedenti* pro prima sententia relati.

3 *Quarta D. Th. Ferrara. Caietan. Bañez. Zumel. Capreol. Suarez. Vazquez. Arrubal. Salas. Granadus.* Quarta, & vera sententia omnino implicatoriam censet, substantiam creatam à natura omnino impeccabilem. Hanc tenet Angelicus Doctor, *quæst. 24. de verit. art. 7. in 2. dist. 34. q. 1. art. 3. ad 4. in 2. ad Annibaldum dist. 5. q. 1. 3. Contra Gentes cap. 109.* vbi Ferrara *1. p. quæst. 63. art. 1.* vbi Caietanus, Bañez, Zumel, & Collegium Salmanticense, tenet etiam Capreolus *in 2. dist. 22. q. vnica art. 3.* ad argumenta *2. loco* posita, & omnes Thomistæ *1. p. q. 12. art. 4. & q. 63. art. 1.* eandem ex PP. Societatis sequuntur Suarez *lib. 3. de Angelis cap. 7. & lib. 7. cap 3.* Vazquez *1. p. disp. 231. cap. 3.* Arrubal *disp. 177. cap. 1.* Salas *1. 2. q. 13. tract. 2. disp. 3.* Granadus *controu. 2. de actibus humanis tract. 1. disp. 2. sect. 2.* & communiter Theologi in eandem vnanimi consensu conspirant. Pro cuius explicatione sit.

4 *Prima conclusio. Probatur 1. ab auctoritate. Bernard.* Prima Conclusio. *Implicat substantia intellectualis creata aliqua libertate non gaudens.* Hanc statuo contra secundam sententiam, & partim contra primam, quæ est Nominalium, quæ in primis suadetur auctoritate PP. Bernardus tractatu de gratia, & libero arbitrio, sic habet: *Vbi consensus, ibi voluntas, vbi voluntas, ibi libertas*, sed implicat rationalis creatura voluntate non gaudens, vt tenet, & demonstrat communis Theologorum sententia *1 p. q. 19. art. 1.* vbi Diuus Thomas ex intellectu demonstratiuè colligit voluntatem in Deo: ergo implicat creatura rationalis expers omnis libertatis.

5 *Damasc.* Et Damascenus *lib. 2. de fide cap. 3*, eandem veritatem expressit his verbis: *Id omne, quod ratione vtitur, arbitrij quoque libertate præditum est. Angelus itaque, vt rationis, & intelligentiæ, particeps liberi arbitrij est.* Et cap. 27. postquam docuerat, bruta arbitrij libertate carere, & duci à natura, non ducere ipsam, hæc verba subiecit: *Homo contra, vtpotè rationis particeps, naturam potius ducit, quam ducatur ab illa*; vbi proportione libertatis hominis, statuens, quod sit rationis particeps, manifestè sentit, implicare creaturam rationis participem, omnis libertatis expertem.

Denique D. Thomas *de verit. q. 24. art. 1.* in argumento *sed contra*, sic habet: *Liberum arbitrium est facultas voluntatis, & rationis; sed in homine inuenitur voluntas, & ratio: ergo & liberum arbitrium*; at omnis intellectualis natura, voluntatis, & rationis est prædita: ergo libertate etiam debet gaudere, ita sicut implicat rationalis creatura non prædita voluntate, & ratione; ita repugnat intellectualis natura, quæ non sit liberi arbitrij. Et in corpore eiusdem articuli, & art. 2. sequenti exinde colligit, bruta arbitrij libertate carere, & hominem illa esse præditum, quia homo per virtutem rationis non solum de agendis iudicat, sed etiam potest supra suum iudicium reflecti; secus verò bruta; at omnis rationalis creatura possibilis, non solum de agendis iudicare potest, sed etiam valet supra suum iudicium iudicando reflecti; cum intellectiua potentia, vtpotè spiritualis, suos actus attingere possit: ergo omnis intellectualis natura possibilis debet esse liberi arbitrij. 6 *D. Tho.*

Deinde suadetur hac ratione à priori; implicat natura rationalis, cuius voluntas non habeat pro obiecto bonum in vniuersali; at eo ipso quod à bono in communi suam specificationem accipiat, potest aliqua bona in particulari liberè amplecti: ergo implicat rationalis creatura expers omnis libertatis. Illatio est euidens, si probentur præmissæ, quarum vtraque indiget probatione. Maior inde probatur; implicat intellectus cuius obiectum non sit verum in vniuersali: ergo implicat etiam voluntas limitata obiectiuè ad aliquam particularem ratione boni. Consequentia tenet, Tum; quia voluntas sequitur intellectum; & consequenter potest suis actibus tendere ad omne obiectum, quod vt conueniens potest voluntati proponi; at intellectus specificatus à bono in communi, potest omne bonum, vt conueniens proponere: ergo, & voluntas poterit suis actibus tendere ad omne bonum: ac proinde à bono in communi specificationem desumet. 7 *Secundo probatur ratione à priori. Maior probatur. Consequentia tenet prima.*

Tum etiam; nam idcirco omnis intellectus possibilis debet à verò sub communi ratione specificationem accipere, quia limitatio prouenit à materia, & amplitudo intellectualis, ratione cuius possunt omnia intelligibiliter fieri, ex immaterialitate desumitur, vt probat D. Thomas, & amplectuntur Theologi communiter *1. p. q. 14. art. 1.* repugnat autem intellectus, qui spiritualis, & immaterialis non sit; & consequenter repugnat intellectus limitatus ad aliquod verum; at etiam amplitudo, qua gaudet voluntas, ratione cuius ad omne bonum extenditur, prouenit ex illius immaterialitate: ergo cum repugnet omnino voluntas rationalis, quæ immaterialis non sit, implicatoria debet censeri voluntas determinata ad aliquod bonum in particulari, sed omnis voluntas creabilis debet à bono in communi suam speciem desumere. 8 *Secundo.*

Deinde minor principalis argumenti suadetur; eo ipso, quod voluntas à bono in communi specificetur, potest intellectus illi proponere particulare bonum, vt non habens omnem rationem bonitatis, quæ sub illius obiecto continetur, imo, & in illo considerare potest rationem aliquam mali, & impeditiui alterius maioris boni; at qui ad bonum ita propositum; non necessario, sed liberè moueretur voluntas. Tum; quia medio iudicio indifferenti, non potest actus necessarius regulari, sicut nec è contra, iudicium necessarium regulare potest actum voluntatis liberum. Tum etiam; quia non alia de causa voluntas, quæ de facto datur, actus liberos exercet; nisi quia per rationem obiectum cum hac indifferentia proponitur: ergo hoc ipso, quod voluntas omnis creabilis debeat specificari à bono in communi, potest circa aliqua obiecta libertatem exercere. 9 *Minor argumenti suadetur.*

Denique suadetur ad hominem contra Auctores prædictos; si namque est dabilis rationalis voluntas carens libertate omni; sequitur, possibilem esse voluntatem liberam 10 *Tertio suadetur*

conclusio ad hominem. tam omnino impeccabilem suaptè natura: consequens non admittunt: ergo nec eius sententia admitti debet. Probo sequelam; admissa, vt possibili, voluntate rationali nullatenus libera, nulla est assignabilis ratio, cur dari non possit voluntas libera vno modo libertatis, scilicet, libertate contradictionis, & non libera libertate contrarietatis: ergo ex eo quod detur possibilis voluntas non libera, manifestè sequitur possibilis voluntas rationalis libera, & impeccabilis, per hoc quod licet non possit iudicio rectæ rationis aduersari, inter bona tamen regulata tali iudicio possit hoc, aut illud amplecti, quod asserit secunda sententia Nominalium.

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

10 *Arguitur primo.* CONTRA istam conclusionem nullum est argumentum alicuius momenti, quod ex dictis non maneat solutum. Primo sic arguunt; de facto datur voluntas ex conceptu indiuiduali non libera: ergo etiam est dabilis rationalis voluntas non libera ex conceptu specifico: consequentia tenet a paritate rationis. Et antecedens constat in homine amente à natura, cuius voluntas ex conceptu indiuiduali est impotens ad liberum actum.

Respondetur. Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego antecedens; voluntas namque amentis non est impotens de exercitium libertatis ex conceptu indiuiduali, sed ex defectu, & ligamento sensuum perturbantium vsum rationis: quod patet; nam amentis anima à corpore separata, libertatem exercet; quia in vsu rationis, & libertatis à sensibus manet independens; & tamen per separationem non variatur indiuidualiter voluntas amentis.

12 *Arguitur secundo.* Secundo sic arguunt; potest Deus de potentia absoluta voluntatem rationalem producere necessario se conformantem suæ regulæ, scilicet, iudicio intellectus proponentis obiectum; at talis voluntas non foret libera: ergo talis voluntas non implicat. Minor est certa. Et maior probatur: nam de facto produxit appetitum sentientem determinatum à natura ad sequendum iudicium sensus, & amplectendum obiectum per sensum propositum: ergo potest voluntatem rationalem producere similis conditionis, quoad sequendum iudicium intellectus.

Respondetur. Respondeo, negando antecedens. Ad eius probationem, concesso antecedenti nego consequentiam; cuius ratio ex dictis colligitur; nam appetitus sensitiuus, idcirco est determinatus ad sequendum iudicium sensus, quia supra illud non potest reflecti, ac proinde in illius potestate non est, vt tale iudicium dimoueat. Insuper; quia tale iudicium collatiuum non est bonitatis apprehensæ, cum alia maiori; repugnat autem voluntas rationalis, quæ supra suos actus, & supra iudicium rationis reflexiua non sit, & pariter implicat intellectus rationalis, qui non sit collatiuus, & comparatiuus bonitatis apprehensæ, cum alia; & consequenter repugnat voluntas rationalis expers omnis libertatis, & quæ sit determinata ad necessario sequendum iudicium intellectus.

13 *Instatur hoc argumentum.* Et quidem hoc argumentum, quo vtitur Gabriel pro priori parte suæ sententiæ, euidenter instatur in hac consequentia; de facto Deus produxit potentiam apprehensiuam impotentem comparare vnum obiectum cum alio: ergo potest producere intellectum vi comparatiua non prædictum. Antecedens verum est, & consequens falsissimum; aliàs talis intellectus rationalis non esset, nec natura, ad quam sequeretur, rationalis foret, sed natura brutalis; cum natura rationalis per hoc à natura brutorum distinguatur, quod sit illatiua vnius ex alio, & potens vnum cum alio comparare, quorum neutrum naturæ brutorum competere potest.

14 *Vltimo arguitur.* Denique in fauorem huius sententiæ arguitur; sic comparantur in voluntate ratio naturæ, & ratio libertatis, sicuti in intellectu ratio intellectiui, & ratio discursiui; sed est possibilis intellectus non potens discurrere, & de facto datur, scilicet, Angelicus: ergo etiam est possibilis voluntas non libera. Respondeo, distinguendo maiorem: quoad prioritatem, concedo maiorem; quoad connexionem, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Itaque conueniunt in hoc, quod sicut intellectu nostro prior est ratio intellectiui sine discursu, quam ratio discursiui: ita in voluntate prior est ratio naturæ, quam ratio libertatis; non tamen conueniunt in omnibus; nam ratio discursiui ex imperfectione prouenit in nobis, quia scilicet, cognita causa, non statim in illa penetramus effectum, & idcirco indigemus discursu, vt ex causa cognita in effectus cognitionem veniamus; & quia potest dari intellectus, cuius vis intellectiua sit tanta, vt in causa cognita, & comprehensa statim penetret effectus in illa contentos, vt in Deo, & Angelis constat, ideo potest intellectus ab imperfectione discursus vindicari: ratio autem libertatis non prouenit ex imperfectione; cum perfectissima voluntas sit maximè libera, sed oritur ex causis iam dictis, scilicet ex potentia reflectendi supra iudicium intellectus proponentis, & ex eo quod rationem consultantem habet pro regula; & quia repugnat voluntas his duobus non gaudens; implicat voluntas rationalis non libera.

Respondetur.

§. III.

Implicare naturam liberam indefectibilem erga finem supernaturalem, probatur.

SIT SECVNDA CONCLVSIO. *Implicat creatura rationalis, & libera suaptè natura impeccabilis contra finem supernaturalem.* Suadetur primo ratione Diui Thomæ 1.p.quæst.63. art.1. ad hanc formam redacta; voluntas; quæ non est regula honestatis actionis identicè, aut connexiuè, nequit indefectibiliter honestati adhærere; at implicat voluntas creata ordinis naturæ, quæ sit regula honestatis actuum supernaturalium aliquo ex prædictis modis: ergo implicat rationalis creatura ordinis naturalis impeccabilis contra finem supernaturalem. Consequentia est euidens. Minor omnino certa; regula namque honestatis actuum supernaturalium, quæcunque illa sit, est supernaturalis: ergo nequit connexiuè, aut identicè conuenire creaturæ spectanti ad ordinem naturalem; eo namque ipso quod aliquid connectatur cum entitate ordinis supernaturalis, nequit remanere intra ordinem naturæ. Maior autem probatur; actus honestus honestate supernaturali dicit entitatem respondentem principio elicienti, & honestatem correspondentem regulæ: ergo voluntas illa, cui non conuenit regula identicè, aut connexiuè, nequit indefectibiliter honestati supernaturali adhærere; sicuti cui non conuenit indefectibiliter regula artis, nec artificiati bonitas potest indefectibiliter eidem competere. 15 *Secunda conclusio. Probatur primo ex D.Tho.*

Secunda probatur, & explicatur amplius ratio præcedens; id quod non est determinatum ad finem supernaturalem, nequit esse indefectibile in ordine ad illum; at nihil naturale potest esse determinatum ex propria natura ad supernaturalem finem: ergo implicat creatura rationalis ordinis naturæ indefectibilis ab intrinseco in ordine ad talem finem. Illatio tenet. Maior est certa. Tum; quia determinatio ad media prouenit ex determinatione circa finem; obiecta autem honesta supernaturali honestate, sunt media ordinata ad finem supernaturalem; & consequenter quod caruerit determinatione circa prædictum finem, nequit esse determinatum, ad honestatem mediorum: ac proinde ab illo deficere poterit. Tum etiam; quia in non ordinatione mediorum ad finem, stante præcepto consistit peccatum; ergo quod ex se non fuerit ad finem determinatum, poterit peccare defectu ordinationis mediorum ad illum. Minor etiam nota videtur. Tum; quia determinatio ad finem supernaturalem, est supernaturalis; & consequenter nequit enti naturali conuenire ab intrinseco. Tum etiam; nam determinatio connexionem dicit, imo ad illam aliquid superaddit; cum non stet connexio cum aliquo absque determinatione ad illud; at nihil naturale potest cum supernaturali fine connecti: ergo nec potest ratione sui ad illum determinari. 16 *Secundo.*

Tertio probatur, & explicantur amplius prædicta; formæ à quibus prouenit impeccabilitas in ordine ad finem supernaturalem, sunt visio clara, & amor perfectus talis finis; at prædictæ formæ nulli creaturæ ad ordinem naturæ spectanti possunt esse connaturales, nec ab intrinseco conuenientes: ergo nec impeccabilitas in ordine ad talem finem potest illi esse connaturalis, & conueniens ab intrinseco. Minor cum consequentia tenet. Maior autem certa videtur; quia omnis alia cognitio regulans, indifferenter proponit obiectum, & consequenter necessitate nequit ad illud, & omnis alius affectus voluntatis, præter amorem perfectum finis, insufficiens est ad imperanda omnia media ad finem ordinata: in defectu autem ordinationis mediorum ad finem consistit deuiatio per peccatum ab illo: ergo solus amor perfectus finis indefectibiliter alicui conueniens, potest illum constituere indefectibilem in ordine ad finem. 17 *Tertio.*

Re-

18 *Respondebis.* Respondebis, his tribus argumentis solum conuinci, non posse substantiam, creatam ordinis naturæ esse positiuè, & absolutè impeccabilem contra finem supernaturalem; quia ad hoc requirebatur connexio indefectibilis cum regula honestatis, supernaturalis determinatio ad finem supernaturalem, & quod principia impeccabilitatis ab intrinseco illi competerent, quæ omnia in substantia ordinis naturalis saluari non possunt; non autem suaderi, quod substantia ordinis naturæ nequeat impeccabilis erga prædictum finem negatiuè, & conditionatim; quia ad hoc tantum exigitur, quod voluntas talis substantiæ determinata sit ad bonum honestum, ita vt si eleuetur à Deo ad actum supernaturalem eliciendum, & adsit præceptum, non maneat indifferens ad oppositum actum, seu carentiam actus præcepti, in quo non elucet ratio aliqua supernaturalitatis, cum non constituatur connexa cum formis pertinentibus ad ordinem supernaturalem.

19 *Contra 1.* Sed contra primo; nam hæc solutio ex non penetrata rationum efficacia procedit; etenim causa determinationis ad bonum honestum est indefectibilis conuenientia regulæ honestatis, & determinatio circa finem: ergo eo ipso, quod voluntas creata ordinis naturæ non possit esse infallibiliter connexa cum regula honestatis supernaturalis, nec determinata circa finem supernaturalem, esse nequit determinata ad amandum honestum intra eundem ordinem; & consequenter ad talem honestatem erit indifferens: ac proinde poterit ab illa per culpam recedere.

20 *Secundo.* Secundo, nam talis voluntas esset potens ad bonum honestum, nedum naturale, verum etiam supernaturale, non potentia determinata ad hoc secundum genus honestis: ergo indifferens esset ad illud; & consequenter potens ab illo deficere. Maior constat; esset namque eleuabilis ad actus supernaturales eliciendos: ergo potens saltim remotè ad honestum supernaturale. Minor autem probatur; non esset determinata circa finem vltimum supernaturalem; aliàs non naturalis, sed supernaturalis deberet esse: ergo nec etiam esset determinata ad bonum honestum honestate supernaturali. Tenet consequentia. Tum; quia determinatio circa media, necessario supponit determinationem circa finem; Deus autem, vt Auctor supernaturalis, est finis honestatis ordinis supernaturalis. Tum etiam; quia in defectu ordinationis mediorum ad finem consistit peccatum, eo autem ipso, quod circa finem supernaturalem indifferens sit, poterit in ordine ad illum deficere; & consequenter peccare.

21 *Dices.* Dices; voluntatem talis substantiæ fore potentem remotè, & mediatè ad honestum supernaturale, & determinatam ad illud, non proximè, & positiuè, vt probat argumentum, benè tamen remotè, & negatiuè, quia scilicet impotens esset ad malum oppositum bono supernaturali, & hoc sufficere, vt esset impeccabilis in ordine ad supernaturalem finem. Sed contra; *Contra.* nam impotentia ad malum oppositum bono, prouenit ex determinatione circa bonum; ideo namque nemo potest appetere proprium non esse, quia est determinatus per inclinationem positiuam ad esse: ergo si voluntas talis substantiæ non esset determinata positiuè ad honestum supernaturale, non esset impotens ad oppositum malum; & consequenter careret determinatione negatiua ad bonum consistente in prædicta impotentia.

22 *Dices.* Dices; vt talis voluntas sit impotens ad malum oppositum honesto supernaturali, sufficit quod adæquatè specificetur à bono honesto, vt sic; eo namque ipso malum cuiuis bono oppositum, est extra phæram talis voluntatis; & consequenter nequit appeti ab illa. Sed *Contra.* contra; nam implicat quod talis voluntas adæquatè specificetur bono honesto, vt sic, nisi determinata sit ad omne bonum sub prædicta ratione communi contentum; at voluntas cuiuscumque substantiæ naturalis creabilis nequit esse determinata ad honestum supernaturale sub illa ratione contentum: ergo nulla voluntas creata ordinis naturæ specificari potest ab honesto, vt sic. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; eo namque ipso, quod careat determinatione erga aliquod bonum honestum, est indifferens in ordine ad illud; & consequenter potens ab illo per culpam recedere: ergo non stat adæquatè specificari ab honestate, vt sic, per exclusionem boni apparentis, nisi ponatur determinatio ad omne bonum honestum sub illa ratione communi contentum.

23 *Argumentum Gabrielis.* Contra istam conclusionem inhunc modum obijcit Gabriel; voluntas necessario determinata ad dictamen rectæ rationis, omnino est impeccabilis; at tali voluntas non implicat intra ordinem naturæ: ergo potest dari intra prædictum ordinem voluntas omnino impeccabilis. Probat minorem, in qua est difficultas; de facto datur appetitus sentiens determinatus ad rectam apprehensionem sensus: ergo & dabilis erit intra ordinem naturæ voluntas rationalis determinata ad rectum iudicium rationis. Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad eius probationem, omisso antecedenti, nego consequentiam ob rationes discriminis inter soluendum secundum argumentum contra primam conclusionem. Cætera argumenta ex dicendis conclusione sequenti solutionem accipient. *Respondetur.*

§. IV.

Reijcitur tertia sententia.

SIT TERTIA CONCLVSIO. *Implicat substantia creata suaptè natura impeccabilis omnino.* Hanc statuo contra tertiam sententiam, & suadetur sic primo; rationalis natura, quæ datur de facto, id circo est defectibilis, quia creatura est, & ex nihilo facta: at implicat substantia creata cuiusuis ordinis, quæ creatura non sit, & ex nihilo facta: ergo implicat substantia rationalis creata omnino indefectibilis. Consequentia est euidens Minor omnibus nota. Maior autem expressa in Augustino *lib. 14. de Trinitate cap. 4.* vbi de creatura rationali loquens, sic ait: *Magna natura est, vitiari tamen potest, quia summa non est.* Et *lib. 12. de ciuitate Dei cap. 10.* illis verbis: *Dicimus immutabilem non esse, nisi vnum.* Et statim: *Ea vero, quæ fecit, bona quidem esse, quod ab illo, verum tamen mutabilia, quod non de illo, sed ex nihilo facta sunt.* Et Magnus Gregorius *lib. 26. moralium cap. 4.* vbi de rationali loquens, sic ait: *Quia ergo ex nihilo est condita, ex seinfrà setendit, nisi ad boni desiderij statum artificis manu teneatur, ex eo itaque, quod creatura est, deorsum ire habet.* Id ipsum docet *lib. 5. cap. 28.* Damascenus *lib. 2. de fide cap. 3.* Fulgentius *lib. 6. de fide ad Petrum cap. 3.* Et passim alij Ecclesiæ PP. eandem exprimunt veritatem. 24 *Tertia conclusio. Suadetur primo. August. Gregor. Damasc. Fulgent.*

Ad hoc argumentum respondent Auctores oppositi negando minorem. Ad probationem ex PP. dicunt varijs modis interpretari posse. Primo, loqui de vitio abstrahente à Physico, & morali, quo prout sic abstracto, quævis creatura, eo ipso quod creata, & ex nihilo facta, vitiabilis est. Secundo, loqui natura, quæ in supernaturali ordine constituta non sit, de qua verum est dicere, defectibilem esse, quia creatura est, & ex nihilo facta. Tertio, loqui de defectibilitate, non absolutè, sed comparatione facta cum Deo, qua ratione, creaturæ quæ in se bonæ sunt, comparatæ cum Deo, non bonæ dicuntur; iuxta illud: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* 25 *Respondebis primo interpretando PP. Secundo. Tertio.*

Sed quis non videat omnes istas interpretationes extortas esse, & ad fugam argumenti contra PP. mentem inuentas. Et quidem primæ interpretationis falsitas constat. Tum primo, quia vitium absolutè & Theologico rigore loquendo, vt decet Ecclesiæ PP. & præcipuè Augustinum, non vitium physicum, nec abstrahens à physico, & morali, sed vitium morale determinate importat: ergo Augustinus creaturam rationalem vitiabilem asserens, quia ex nihilo facta, loquitur de vitio morali, & non de vitio in illa abstractione. Tum etiam, quia ex verbis PP. constat, rationalem creaturam de facto creatam, esse defectibilem per moralem defectum; at si dicta interpretatio admittatur ex illorum verbis, talis veritas non constabit: ergo talis interpretatio non congruit. Tùm denique; nam verba Gregorij dictam interpretationem non admittunt, vt illa meditanti constabit. 26 *Prima interpretatio reijcitur primo. Secundo. Tertio.*

Deinde secunda interpretatio reijcitur; nam etsi PP. de rationali creatura ordinis naturæ loquantur; ratio tamen, qua id probant, nempè, ex nihilo esse productam, militat in creatura cuiuscumque ordinis: ergo vel illorum ratio censenda est inefficax, vel defectibilitas est extenda ad omnem creaturam possibilem. Denique tertia interpretatio reijcitur; quia illa admissa, nec ex Scriptura constare potest, hominem esse physicè mutabilem; non à se, sed à Deo suum esse recipere; omnem hominem esse mendacem; consequens est falsum: ergo & interpretatio. Probo sequelam; nam vbi dicitur, solum Deum immutabilem esse, poterit explicari, 27 *Secundo reijcitur. Tertia reijcitur.*

plicari, hominem mutabilem dici, non absolutè, sed comparatiuè; & cum mendax dicitur homo, in eodem sensu poterit explicari, & sic nulla imperfectio rationalis creaturæ ex Scriptura, & Patribus colligi poterit.

28 *Secundo probatur conclusio.* Secundo suadetur conclusio ratione D. Thomæ *prima parte quæstione 63. articulo primo*, ad hanc formam redacta: sola illa voluntas est indefectibilis per moralem defectum, quæ est regula rectitudinis proprij actus; at nulla voluntas creabilis est regula rectitudinis sui actus: ergò nulla voluntas creabilis esse potest omnino indefectibilis. Illatio est legitima; minor constat. Tum, quia voluntas inferioris regulatur voluntate superioris, sicut voluntas militis habet pro regula ducis voluntatem. Tùm etiam, quia obiectiua regula omnis moralitatis est vltimus finis: ergo sola illa voluntas esse potest regula per modum imperantis omnis moralitatis, quæ est vltimus finis; nulla autem creata voluntas esse potest vltimus finis; & consequenter nequit esse regula omnis moralitatis per modum dirigentis. Maior etiam suadetur; nam tunc actus dicitur malus, quando caret conformitate ad regulam; at solus actus voluntatis, quæ est regula rectitudinis, est necessario regulæ conformis: ergo sola voluntas, quæ est regula, indefectibilis est necessario. Minor probatur, actus ex necessitate solum euadit conformis suo principio: ergo si principium regula non sit, non euadit necessario regulæ conformis, sed potest à conformitate deficere.

29 *Respondebis.* Respondebis, negando maiorem. Ad illius probationem, negabis minorem; potest namque necessaria conformitas actus cum regula oriri, vel ex eo quod voluntas sit regula rectitudinis actus identicè; qualiter in diuina voluntate contingit, vel ex eo quod talis sit conditionis, vt ab intrinseco habeat esse conformem regulæ, qualiter contingeret in voluntate creata impeccabili ab intrinseco ex aduersariorum sententia.

30 *Sed contra.* Sed contra; sola voluntas, quæ est sua regula, est necessario regulæ conformis: ergo sola talis voluntas est indefectibilis à rectitudine morali actus. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur; conformitas necessaria cum voluntate superioris regulante motiuè, solum potest competere voluntati, à qua necessario pullulat amor vltimi finis supernaturalis obiectiuè regulantis; at sola voluntas, quæ est vltimus finis identicè; & consequenter regula, potest necessitari ad amorem vltimi finis supernaturalis: ergo sola voluntas, quæ est sua regula, potest ab intrinseco necessario conformari cum illa.

Minor prob. 1. Probatur minor primo; nam amor vltimi finis supernaturalis, prout in se ipso, est propria perfectio voluntatis diuinæ, quæ est vltimus finis; sicut videre Deum, prout est in se ipso, est propria perfectio diuini intellectus, vt probauimus Disputatione præcedenti: ergo solum potest necessario ab intrinseco conuenire voluntati diuinæ, quæ est vltimus finis, & prima regula.

31 *Secundo.* Secundo probatur; visio beatifica nulli intellectui, præterquam diuino, potest ab intrinseco necessario competere, vt ostendi Disputatione præcedenti: ergo amor Dei Auctoris supernaturalis, prout est in se ipso, nulli voluntati, præterquam diuinæ, potest ab intrinseco necessario competere. Patet consequentia: tum à paritate rationis: Tùm etiam, quia sola visio clara potest necessitare voluntatem ad amorem: ergo sola illa voluntas erit ex proprijs ab intrinseco necessitata ad amorem vltimi finis supernaturalis, cuius intellectus fuerit ex proprijs ab intrinseco determinatus ad visionem claram illius.

32 *Tertio.* Denique illa minor suadetur ratione Diui Thomæ *in secundo ad Anibaldum distinctione quinta, quæstione prima. Et tertio Contra Gentes cap.* 109. voluntas solum inclinatur necessario, & per modum naturæ in proprias perfectiones, ergo sola illa voluntas est necessitata ab intrinseco ad amorem vltimi finis, cuius vltimus finis supernaturalis est propria perfectio; at vltimus finis supernaturalis solum est perfectio propria illius voluntatis, quæ identificatur cum illo, & cum regula moralis rectitudinis, nempè diuinæ: ergo sola talis voluntas esse potest ab intrinseco determinata ad amorem vltimi finis.

33 *Si forte dicatur.* Si forte dicatur; conformitatem necessariam cum voluntate Dei regulante posse voluntati creatæ competere, ex hoc, quod adæquatè specificetur à bono honesto vera honestate, quæ specificatio non est tanta perfectio, vt incompatibilis sit cum conceptu creaturæ.

Contra 1. In contrarium vrget argumentum iam factum; non enim potest stare specificatio adæquata voluntatis creatæ à bono honesto vera honestate, quin sit determinata ab intrinseco ad amorem vltimi finis supernaturalis, qui est obiectiua regula omnis moralitatis; vt arguebamus modò, & inter probandam secundam conclusionem; at talis determinatio repugnat cum conceptu creaturæ: ergo specificatio adæquata ab honesto vera honestate, cum tali conceptu repugnat.

34 *Secundo.* Secundo reijcitur euasio prædicta; repugnat voluntas creata specificata adæquatè ab aliquo determinato genere honestatis: ergo etiam repugnat creata voluntas specificata adequate à bono honesto vera honestate. Antecedens constat. Tùm, quia voluntas creata, eo ipso quod libera sit, potest suis actibus erga vltimum finem versari; consequenter potest attingere omne bonum honestum, quod ad vltimum finem valeat ordinari. Tùm etiam paritate intellectus creati, qui non est possibilis adequatè specificatus ab aliquo genere veritatis determinato; eo namque ipso, quod careat materia, potest fieri intelligibiliter omnia, vt cum Diuo Thoma probant omnes Theologi 1. *p. q.* 14. *art.* 1. ergo repugnat, eadem de causa, rationalis voluntas creata specificata adæquatè ab aliquo determinato genere bonitatis.

35 *Consequentia principalis suadetur.* Consequentia autem principalis exinde suadetur, quod si non obstante, quod voluntas quæ de facto datur specificatur à bono abstrahenti ab apparenti, & verò, liceat contrarijs meditari possibilem voluntatem creatam specificatam adæquatè ab honesto, pari ratione, non obstante, quod voluntas existens de facto contineat sub obiecto suo omne bonum honestum, licebit meditari possibilem aliquam voluntatem, quæ specificetur adæquatè ab aliquo determinato genere honestatis; & è contra, si hæc secunda voluntas non est possibilis, nec prima debet possibilis censeri.

§. Vltimus.

Contrariorum argumentis occurritur.

36 *Arg. 1.* CONTRA istam conclusionem arguitur primo: datur rationalis natura ab intrinseco indefectibilis quoad esse, nempè, Angelus, & anima rationalis, quæ ab intrinseco sunt incorruptibilia: ergo potest dari rationalis creatura ab intrinseco indefectibilis à rectitudine operationis. Patet consequentia; ex hoc namque quod est esse factum ex nihilo, propinquius consequitur redigi in nihilum, quam cadere in culpam: ergo si non obstante, quod rationalis creatura sit ex nihilo facta, potest dari, & de facto datur aliqua incorruptibilis, poterit etiam dari rationalis creatura ab intrinseco impeccabilis.

37 *Respondetur.* Respondeo ex D. Thom. *de Veritate q.* 24. *art.* 7. *ad* 5. concesso antecedenti, negando consequentiam; ratio autem discriminis est manifesta; nam esse rationalis creaturæ est particulare, & determinatum, receptum ab alio; vnde potest ab intrinseco determinatum esse quoad esse, & illud postquam sit immutabiliter possidere; per operationem autem ordinatur ad bonum in vniuersali, sub quo comprehenditur vltimus finis ordinis supernaturalis, ad quem esse nequit determinata ex propria natura; ac proinde potest ab illo deficere.

38 *Arg. 2. Capreol. Ferrara. Caiet. Zumel. Ripa. S. Tho.* Secundo arguitur: Angelus ex propria natura est impeccabilis circa finem naturalem directè, vt docent Capreolus *in 2. dist. 2. art. 3. ad argumenta Durandi*, Ferrara 3. *Contra gentes cap.* 109. Caietanus 1. *p. q.* 63. *art.* 1. Zumel, Ripa, satisque insinuat Angelicus Doctor *ibi se int. ad* 3. & tamen voluntas Angelica non est regula rectitudinis moralis actuum naturalium, cum etiam in hoc ordine subdatur voluntati diuinæ, nec sibi indentificet finem vltimum naturalem, qui obiectiuè regulat: ergo quod rationalis creatura non sit regula moralis rectitudinis ordinis supernaturalis, non probat, non esse ab intrinseco indefectibilem in isto ordine.

39 *Respondetur. Bañez. Nazar. Ledesm. Suar. Vazquez.* Respondeo, omissa pro nunc maiori, quam satis probabiliter negant ex nostris Bañez, & Nazarius *loco ex* 1. *p. relato*, Ledesma *de perfectione Dei q.* 6. *art.* 7. *sub art.* 2. ex alienis Suarez *lib.* 3. *de Angelis cap.* 7. Vazquez 1. *p. disp.* 231. *cap.* 2. Molina, Arrubal, & Granados loco allegato: & concessa minori, negando consequentiam; ratio autem discriminis est: nam voluntas Angeli esto non sit regula naturalis rectitudinis, potest esse ab intrinseco regulæ naturali conformis, per hoc quod ab intrinseco determinata

terminata sit ad amorem sui rectum, & Dei conditoris naturæ, quia esse ab intrinseco determinatam ad amorem prædictum, non repugnat cum conceptu creaturæ; cum talis amor non sit proprius naturæ superioris; repugnat autem cum conceptu creaturæ, determinatam esse ab intrinseco ad amorem super omnia finis vltimi supernaturalis, vt probaui inter confirmandam nostram sententiam, & sic in tali ordine per materialem consequentiam infertur, quod voluntas, quæ non est sua regula deficere potest.

40 *Dices.* Sed dices; si detur substantia supernaturalis creata, erit ab intrinseco regulæ supernaturali conformis, vtpotè cum necessario foret determinata ad amorem Dei supernaturalem, non minus quam voluntas Angeli de facto creati est determinata ab intrinseco ad naturalem amorem: ergo talis conformitas non pugnat cum conceptu creaturæ. Respondeo distinguendo antecedens: *Respondetur.* erit tantum, nego antecedens: erit, & non erit, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque ex illa substantia, concessa sequitur vtrumque, nempè, quod sit determinata ad amorem prædictum, & quod non sit determinata ad illum. Primum infra probabitur. Secundum probatum relinquo, ex eo quod talis amor est proprius superioris naturæ; & consequenter etsi ex eleuatione, inferiori naturæ conuenire possit, connaturaliter tamen non potest, vt arguit D. Tho. *q. 24. de Veritate art. 7. in 3. argument. sed contra.*

41 *Tertio arguitur.* Tertio objiciunt Recentiores, creatura rationalis ex propria natura affixa bono naturali honesto, à quo deuiare non potest, ad ordinem supernaturalem euecta, neutiquam potest inhonestum amplecti; at iuxta nostrorum sententiam, Angelus ex propria natura est ita affixus bono honesto naturali, vt ab illo directè non possit recedere, turpe amplectendo: ergo etiam eleuatus ad superiorem ordinem impotens manet, vt ab alio, quam ab honesto obiecto moueatur; & consequenter est omninò impeccabilis. Maiorem, in qua est difficultas, sic probant; creatura, quæ ex viribus proprijs, non potest intendere nisi bonum honestum, nec formaliter moueri à delectabili, quod honesto repugnat, non potest eleuari ad obiectum supernaturale, quod honestum non sit, nec vt eleuata, potest nisi ab honesto moueri; at creatura, quæ semper ab honesto mouetur, nunquam potest peccare; turpe namque sub ratione honesta amari repugnat: ergo creatura, quæ viribus proprijs relicta, non potest honestum deserere, etiam eleuata, recedere ab illo non potest; & consequenter est omninò impeccabilis. Probant maiorem; nulla namq; potentia eleuari potest ad obiectum supernaturale non contentum sub motiuo potentiæ; quo circa visus eleuari nequit ad obiectum non contentum sub ratione coloris, voluntas ad obiectum non contentum sub ratione boni, intellectus ad obiectum, non contentum sub ratione veri: ergo voluntas, quæ ex propria natura non potest, nisi à motiuo honesto moueri, non poterit eleuari ad obiectum non contentum sub ratione honesti, nec eleuata poterit ab alio, quam ab honesto moueri.

42 *Confirmatur.* Confirmant sic primo; ea, quæ sunt contra leges supernaturales, etiam rationi naturali aduersantur: ergo natura rationalis determinata ex se ad non contrauenlendum rationi naturali, determinata erit ad non violandas leges supernaturales; & consequenter erit omninò impeccabilis. Confirmant secundo; cum dilectione super *Secundo.* omnia Dei conditoris naturæ, non stat coniungi violationem supernaturalis præcepti; at impeccabilitas Angeli contra finem naturalem adstruitur, ex eo quod ex propria natura est determinatus ad amorem super omnia Dei naturæ conditoris: ergo cum hac impeccabilitate nequit componi, quod sit defectibilis per recessum à Deo Auctore supernaturali.

43 *Tertio.* Quæ omnia amplius vrgeri, & confirmari possunt ex nostris principijs: etenim, quia Angelus circa obiecta naturalia non discurrit, etiam ad supernaturalia eleuatus, caret discursu; vt cum D. Thom. *1. p. q. 58. art. 3.* docent magis commuoiter nostri Thomistæ; & quia non per discursum, sed statim perfectionem naturalem acquirit, statim etiam post primum actum meriti supernaturalem beatitudinem obtinent, vt docet D. Tho. *1. p. q. 62. art. 5.* & reddit rationem; quia gratia perficit naturam iuxta modum naturæ: ergo si Angelus ex conditione propria naturali peccare non potest circa obiecta naturalia, etiam eleuatus ad superiorem ordinem, circa supernaturalia, impeccabilis erit.

44 *Respond.* Hoc argumentum magis directè procedit contra illam sententiam quæ Angelum constituit impeccabilem circa finem naturalem directè; quam contra illam, quam modò defendimus; aliàs non solum possibilitatem, sed etiam existentiam de facto substantiæ impeccabilis omninò ex viribus proprijs suaderet; imo & quod talis substantia pertineat ad ordinem naturæ. Vnde potius inconsequentiæ Thomistas conatur conuincere, quam aduersariorum sententiam suadere; nihil tamen assequitur. Ad illud respondeo, distinguendo maiorem: si affixa sit bono naturali honesto specificatione adæquata, concedo maiorem, si solum illi sit affixa ratione status, à quo per eleuationem extrahitur, nego maiorem, & distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam. Itaque Angelum in sententia supposita, non posse à bono naturali directè per culpam recedere, non prouenit ex eo quod voluntas illius adæquatè specificatur à bono honesto; aliàs vt argumentum rectè conuincit, nec eleuata ad superiorem statum posset, nisi bonum honestum appetere; & consequenter non posset peccare; sed prouenit ex eo, quod ratione sui ad amorem Dei conditoris naturæ est ab intrinseco determinata; & consequenter nequit à fine naturali directè per culpam recedere: cum amor super omnia Dei conditoris naturæ cum peccato ab illo recedente directè oppositionem habeat.

Quod an verum sit, alibi discutiendum relinquimus; & quia eleuatione supposita obligatur Angelus præceptis supernaturalibus; & aliàs ex propria natura ad supernaturalem amorem non est determinatus; consequens fit, quod possit data eleuatione peccare per recessum directum à Deo, vt fine supernaturali, & indirectum respectu Dei conditoris naturæ; non quia eleuetur ad obiectum aliquod inhonestum; eleuatio namque ad supernaturale obiectum terminatur; & consequenter ad bonum honestum; sed quia sic eleuatur, & aliàs ad illud, nec ratione sui, nec ratione formæ eleuantis determinatur; & consequenter potest indifferenter illud amplecti, vel ab illo recedere. 45 *Veritas Solutionis alibi discutienda relinquitur.*

46 *Ad 1. confirmationem.* Ad primam confirmationem dicatur, ea, quæ opponuntur legibus supernaturalibus, solum indirectè rationi naturali aduersari; Angelus autem ex propria natura non est determinatus in sententia supposita ad non contrauenlendum rationi naturali indirectè, sed solum determinatus est ad non recedendum directè ab illa, per transgressionem legis purè naturalis. Ad secundam distinguo maiorem: cum dilectione super omnia directè, & indirectè auertentia à fine naturali, non compatitur transgressio supernaturalis præcepti, concedo maiorem: super omnia solum directè auertentia, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; consulantur Thomistæ loco allegato. *Ad secundam.*

47 *Ad tertiam.* Ad vltimam confirmationem, omisso antecedenti pro prima parte, & concesso pro secunda, nego consequentiam; ratio autem discriminis est: nam intelligere sine discursu, & statim propriam perfectionem acquirere, conueniunt Angelo ex modo operandi, & essendi; cum autem gratia naturam iuxta proprium modum perficiat: consequens fit, quod modus ille, etiam in statu eleuationis seruetur; quod verò Angelus, honestum naturale non possit directè deserere, conuenit illi ratione connexionis, qua gaudet cum Deo conditore naturæ, & determinationis intrinsecæ ad illum super omnia amandum; & quia istam connexiooem non habet cum Deo, vt est finis ordinis superioris; consequens fit, quod non sit impeccabilis erga finem supernaturalem, & bona ad illud directè ordinantia; semper tamen remanet Angelus impeccabilis directè erga finem naturalem; nec etiam facta eleuatione, potest ab illo per culpam directè recedere, sed solum indirectè, vt docent Auctores sententiæ, quam supponimus.

48 *Quarto arguitur.* Denique objiciunt, voluntas specificata adæquatè à bono honesto, & conformi rationi, est omninò impeccabilis ex propria natura; sed est possibilis de potentia absoluta voluntas ita specificata: ergo & quæ ab intrinseco sit omninò impeccabilis. Illatio est legitima. Maior omninò certa; nullamque potentia suum specificatiuum obiectum potest excedere; & consequenter voluntas adæquatè specificata ab honesto, nihil inhonestum appetere potest. Minorem, in qua est difficultas, suadere nituntur sic primo; nam in ordine sentientium existit potentia determinata ad sonum, alia ad solum colorem, alia ad saporem solum, etsi detur sensus communis ad omnia obiecta illarum potentiarum indifferens: ergo non repugnat in ordine intelligentium, potentia appetitiua adæquatè specificata ab honesto, vt amabili; & consequenter quæ circa turpe solum per odium versari possit, ita vt obiectum formale amoris sit honestas, *Minor prob.*

49 honestas; odij verò obiectum sola turpitudo.
Secundo. Secundo; nam determinatio adæquata ad amorem honesti, non est tanta perfectio, quæ non possit componi cum dependentia à Deo, cum finita perfectione suorum actuum, cum distinctione ab illis, cum physica mutatione, & alijs, cum imperfectionibus proprijs creaturæ: ergo dari potest creata voluntas ita specificata. *Tertio.* Tertio, complexum constitutum ex voluntate nostra, & habitu charitatis infuso, est determinatum per amorem ad bonum, & circa malum potest solum per odium versari; sed tale complexum, finitum, & limitatum est: ergo specificatio adæquata ab honesto, vt amabili non transcendit limites creaturæ.

50 *Respõd. ad 1 probationem.* Adhoc argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem, Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; cuius vim adhuc apparentem non video: nam prædictæ potentiæ sunt immersæ materiæ, parumq; immateriales; vnde ratione maioris, aut minoris immaterialitatis, obtinent maiorem, aut minorem obiecti amplitudinem, aut perfectionem; voluntas autem, aut rationalis esse non potest, aut debet omninò carere materia; eo autem ipso, quod omninò immaterialis sit, non potest limitatum aliquod obiectum habere inter obiecta honesta, nec ad honestum potest adstringi, nisi ratione infinitæ perfectionis, vt dixi supra, & iterum dicam; & quidem directius arguens, inferret ex illo antecedenti: ergo dabilis est intellectus specificatus adæquatè à vero peculiari, v.c. homine, & alius specificatus adæquatè ab Angelo v.c. etsi detur de facto intellectus indifferens ad hæc omnia obiecta; quæ tamen consequentia, etsi directius ex illo antecedenti inferatur, est prorsus nulla, nisi prædictus arguens totam metaphysicam non renuat euertere.

Ad secundam probationem, nego antecedens; ratio autem, cur ex illa specificatione arguatur infinitas, constat ex dictis; quia nempè, vt talis specificatio alicui voluntati conueniat, debet esse determinata ab intrinseco ad amorem vltimi finis supernaturalis, vt superius arguebam, quæ determinatio cum conceptu creaturæ componi non potest. Tum, quia est propria superioris naturæ. Tum, quia voluntas solum ad bonum proprium esse potest ita determinata; & consequenter solum illi voluntati conueniet determinatio ad vltimum finem, cuius vltimus finis sit propria perfectio. 51 *Ad secundam.*

Ad tertiam, concessa maiori, & minori, consequens distinguendum est; specificatio adæquata ab honesto per modum formæ eleuantis, concedo consequentiam: quod non repugnet cum conceptu finito, per modum potentiæ: nego consequentiam: cuius discriminis ratio constat ex dictis Disput. præcedenti, quia scilicet, quod est proprium superioris naturæ, potest inferiori per eleuationem competere, non autem potest illi conuenire connaturaliter; esse autem ita ad bonum determinata, vt illi turpitudo repugnet, proprium est naturæ diuinæ, vt probatum relinquo; vnde etsi possit conueniře voluntati nostræ eleuatæ ratione habitus, & ipsi habitui, vt formæ eleuanti; non tamen potest alicui potentiæ ratione sui competere, quia ei conueniret connaturaliter. Et quidem eodem argumento probaretur, dari posse voluntatem creatam, quæ adæquatè specificetur à bono diuino, ita vt ad bonitatem creatam solum secundario possit extendi, sicut contingit in conflatu ex voluntate nostra, & habitu charitatis; quod tamen esse implicatorium constat ex eo quod nulla est potentia, quæ ad naturam, ad quam consequitur primario, & per se terminari non possit. 52 *Ad tertiã.*

DISPVTATIO XV.

An sit posibilis de potentia absoluta supernaturalis substantia creata?

§. I.

Sententia negatiua probatur.

No. 1. HÆc etiam disputatio anexa est cum præcedentibus, & ideò à nobis in præsenti discutitur. Affirmant Recentiores *disp.* 13. pro prima sententia relati. Negant cæteri Theologi, quorum veram sententiam pro conclusione statuens, illam ostendo primo in hunc modum Implicat substantia creata, cuius intellectui sit connaturalis visio beatifica; at si esset possibilis supernaturalis substantia creata, illius intellectui esset connaturaliter debita beatifica visio: ergo implicat omninò substantia supernaturalis creata. Maior constat ex dictis *Disp.* 13. Minor autem probatur; talis nãq; substantia esset proportionata ad videndum Deum; ergo visio Dei esset illius intellectui debita connaturaliter. *Nostra conclusio, Prob. 1.*

2 *Respõdebis.* Respondebis, omissa maiori, negando minorem; potest namq; meditari possibilis substantia supernaturalis connexa cum gratia, æquiualens solum complexo resultanti ex intellectu, & fide, aut ex intellectu, & lumine scientiæ infusæ; talis autem substantia supernaturalis absque dubio esset, & tamen non sufficeret proprijs viribus videre Deum, sicuti nec complexum, cui æquiualet, potest ipsum intuitiuè videre, sed solum cognitione abstractiua. Nec mirum, quod talis substantia possibilis sit; sicuti namque in ordine naturæ dantur plures substantiæ in perfectione inæquales, ita, & in ordine supernaturali contingere potest, videlicet, dari vnam substantiam, alia perfectiorem; ac proinde dabilis erit aliqua substantia, quæ tametsi in supernaturali ordine sit constituta, ob sui tamen imperfectionem non valeat proprijs viribus ad intuitionem Dei; etsi possit ipsum abstractiuè cognoscere, quali in fide contingit.

3 *Contra, 1.* Hæc tamen solutio est omninò insufficiens, & reijcitur primo: nam esto admittamus possibilem substantiam creatam æquiualentem solum complexo resultanti ex intellectu, & lumine fidei, quæ proinde non valeat suis viribus Deum intueri, ista tamen admissa, per bonam consequentiam infertur possibilis alia, quæ æquiualeat complexo resultanti ex intellectu, & lumine gloriæ: ergo solutio tradita non eneruat vim nostri argumenti, & consequentiæ factæ. Consequentia est euidens Antecedens autem ostendo; ratio namque, qua probant contrarij Auctores possibilem substantiam priorem, est, quia complexum illud, finitum, & limitatum est; & consequenter potest Deus intellectum ratione sui, illi æquiualentem producere; at etiam complexum resultans ex intellectu, & lumine gloriæ, finitæ perfectionis est: ergo vel irrationabiliter admittunt possibilem supernaturalem substantiam æquiualentem præfato complexo, vel, vi eiusdem rationis compelluntur fateri possibilem intellectum creatum æquiualentem alteri complexo, videlicet, ex intellectu, & lumine gloriæ.

Secundo reijcitur; nam admisso possibili supernaturali intellectu, vrget euidenter argumentum Molinæ in hunc modum. Intellectus non ideò non potest videre Deum, quia non contineatur intra obiectum specificatiuum illius, sed defectu virtutis; at dato quolibet intellectu, potest Deus alium, & alium perfectioris virtutis vsque in infinitum producere: ergo deueniri potest ad aliquem, qui ratione sui tantæ virtutis sit, vt possit Deum intuitiuè videre. Quod argumentum solutionem non habet, nisi recurrendo ad hoc, quod virtus, quæ deficit intellectui creato, est in altiori ordine, quo effugio vti non possunt illi, quos impugnamus; cum intellectus, quem admittunt possibilem, sit supernaturalis; ac proinde eiusdem ordinis cum lumine gloriæ. 4 *Secundo.*

Tertio reijcitur; nam implicat substantia æquiualens soli complexo ex intellectu, & fide, aut ex intellectu, & scientia infusa: ergo implicat substantia supernaturalis creata, cui 5 *Tertio.*

Antecedens probatur 1. cui non sit connaturalis visio beatifica. Probo antecedens primo; implicat intellectus naturalis creatus, qui limitatus sit ad obiectum alicuius particularis scientiæ, nempè Metaphysicæ, aut Logicæ: ergo implicat intellectus supernaturalis creatus, ita limitatus, ac habitus fidei, aut habitus scientiæ infusæ. Secundo probatur; nam potentia essentialiter petit excedere habitus
Secundo. amplitudinem; habitus namque est determinatio, & perfectio potentiæ: ergo implicat prædictus intellectus.

6 *Tertio.* Tertio; nam intellectus ille esset potens ad videndum intuitiuè Deum, non potentia remota eleuabili: ergo potentia connaturali. Probo minorem; potentia eleuabilis respicit formam superioris ordinis; at forma constituens prædictum intellectum potentem proximè videre Deum, non esset ordinis superioris: ergo potentia talis intellectus non est remota eleuabilis, sed connaturalis. Probatur minor; quia nullus Theologorum hucusque cognoscit possibiles, nisi tres tantum ordines rerum, naturalem scilicet, supernaturalem, & hypostaticum; at intellectus talis substantiæ, esset in ordine supernaturali, & forma, qua videret Deum intuitiuè, in eodem ordine existeret, nisi vellimus, præter ordinem supernaturalem, alium supernaturalem confingere: ergo intellectus, & forma illum constituens potentem ad intuendum Deum, in eodem ordine existerent, scilicet supernaturali; & consequenter non potentia obedientiali eleuabili, sed potentia connaturali ad talem formam compararetur.

7 *Si opponas.* Si opponas; in nostra sententia solus intellectus summè actualis, & qui sit actus purus, potest ratione sui esse proportionatus ad intuendum Deum, at intellectus supernaturalis substantiæ creabilis foret finitus: ergo ex illo admisso, non sequitur valere ex proprijs viribus Deum intueri. Respondeo, concessa maiori, distinguendo
Respondetur. minorem: foret, & non foret finitus, concedo minorem: foret tantum, nego minorem, & nego consequentiam; itaque talis intellectus foret finitus ex data suppositione, & non foret finitus ob rationes, quas fecimus *Disp. 13.* quia scilicet, essent ei connaturales perfectiones, quæ soli infinitæ substantiæ, & diuino intellectui possunt connaturaliter conuenire, & sic ex illo dato sequitur vtrúque.

8 *Secundo suadetur Conclusio. Respondebis.* Secundo principaliter suadetur conclusio: implicat substantia creata suapte natura omninò impeccabilis, vt ostendi Disputatione præcedenti; at si daretur substantia supernaturalis creata, esset ex propria natura impeccabilis omninò: ergo implicat talis substantia. Respondebis, omissa maiori, negando minorem: potest namque meditari possibilis supernaturalis substantia creata, quæ ex propria conditione non sit omninò impeccabilis. Primo, per hoc, quod etsi non posset peccare mortaliter, posset tamen venialiter peccare, in quo suf-
Primus modus meditandi Substantiā Supernaturalem peccabilē assignandus. ficienter discernitur à Deo, cui omne peccatum, siuè mortale, siuè veniale repugnat. Secundo per hoc, quod etsi in supernaturali ordine existat, non tamen se ipsa sit sancta, nec ab illa naturali consequio gratia habitualis, aut visio beatifica sequatur, sed solum cum fide, aut spe connectatur, aut complexo ex intellectu, & fide, voluntate, & spe æquiualeat; nam sicuti cum istis habitibus componi potest peccatum mortale; ita & cum prædicta substantia illis æquiualenti poterit reperiri.

9 *Tertius.* Tertio per hoc, quod licet visio beatifica prædictæ substantiæ sit debita, Deus tamen suspendat illorum effluxum; tunc namque prædicta substantia poterit peccare. Denique, potest substantia supernaturalis defectibilis esse; quia quamuis sit sancta, poterit eius sanctitas
Quartus. esse diuersæ rationis a sanctificatione gratiæ habitualis; & consequenter quamuis gratia habitualis essentialiter cum peccato repugnet, in tali substantia repugnantia ista non inuenietur.

10 *Contra.* Hæc tamen solutio est omninò insufficiens, & reijcitur primo; nam supernaturalis substantia in omni suo actu debet operari ex supernaturali motiuo; at operando ex supernaturali motiuo peccare non posset: ergo implicat supernaturalis substantia capax peccati. Maior patet, quia nulla potentia potest elicere actum, nisi ex motiuo, a quo specificatur; sicuti voluntas nihil potest velle, nisi sub ratione boni, intellectus nullum actum elicere potest, nisi sub ratione veri, & sic de alijs; potentiæ autem supernaturalis substantiæ, vtpote supernaturales, à motiuis supernaturalibus specificari debent; sicuti hac de causa, fides, charitas, & aliæ supernaturales virtutes motiua supernaturalia, vt specificatiua adæquata respiciunt: ergo operari non posset, nisi ex supernaturali motiuo. Minor etiam principalis suadetur; quia non alia de causa ex motiuo charitatis, & ex motiuo fidei, aut aliarum virtutum supernaturalium nequit deriuari ad actus malitia, nisi quia hæc motiua sunt supernaturalia; & consequenter cum supernaturali fine connexa, & rationi supernaturali conformia: ergo actus ex motiuo supernaturali procedens, peccaminosus esse non potest.

Respondebis, negando consequentiam; quia licet ex supernaturali motiuo non possit in actum deriuari malitia, potest tamen actui habenti supernaturale motiuum aliunde malitia advenire, sicuti in multorum Thomistarum sententia; actus fidei, etsi sit supernaturalis potest vitiari, non quidem ex motiuo supernaturali, quod ratione sui habet, sed ex alio motiuo imperante. Sed contra; nam si verum est, actum fidei posse vitiari, contingit, quia per alium actum ab operante elicitum ex motiuo non supernaturali ad finem proprium potest ordinari; vt si quis actum credendi eliciat propter inanem gloriam per actum imperantem intentam; at nullus actus posset elici a supernaturali substantia, nisi ex supernaturali motiuo: ergo implicaret, ad illius actus deriuari malitiam. 11 *Respondebis.* *Contra.*

Secundo reijcitur; nam si talis substantia peccaret, esset appetendo sibi conueniens præter rationis ordinem; at hoc implicat in supernaturali substantia: ergo implicat supernaturalis substantia capax peccati. Probo minorem, talis substantia foret supernaturalis, quia connexa cum gratia, vel cum alijs virtutibus cum gratia connexis; sic etenim explicant conceptum communem supernaturalitatis vtentes solutione, quam impugnamus: ergo nihil posset esse conueniens prædictæ substantiæ, nisi cum gratia connexionem haberet, & ad illam ordinaretur; at bonum sic conueniens appetere, nequit esse dissonum rectæ rationi: ergo implicat sic conueniens appetere contra rationem rectam. 12 *Secundo reijcitur principalis solutio*

Dices, bonum reuera prædictæ substantiæ conueniens, non posse à ratione recta discordare, bene tamen illud, quod solum esset apparenter conueniens, & in huius appetitu posse peccare. Sed contra, bonum solum apparenter conueniens tali substantiæ non posset terminare appetitum supernaturalem; at omnis actus talis substantiæ deberet esse supernaturalis: ergo appetere non posset bonum sibi apparenter solum conueniens. Probo maiorem, bonum apparenter solum supernaturale, terminare non potest appetitum supernaturalem; cum viribus proprijs possit voluntas naturalis creata tale bonum appetere; at bonum prædictæ substantiæ solum apparenter conueniens, solum apparenter esset supernaturale: ergo terminare non potest supernaturalem appetitum. 13 *Dices. Contra.*

Dices, appetitum prædictæ substantiæ non fore supernaturalem ex bono mouente, sed ex principio eliciente ratione connexionis, quam haberet cum illo propter modum tendendi in obiectum, qui excederet modum actus cuiusuis naturalis substantiæ. Sed contra, quod actus connectatur cum supernaturali principio, & illud exposcat, prouenit ab excellentia obiecti excedentis vires principij naturalis: ergo si ex parte obiecti talis super excedentia non datur, nequit actus specificatus ab illo exigere ad sui elicientiam supernaturale principium, nec cum illo connecti; sicuti, quia in reuelatione solum apparenter diuina, non est excessus supra vires naturæ, actus fidei tali reuelationi innitens, supernaturales vires ad sui elicientiam exposcere nequit; & ad bonitatem solum apparenter diuinam amandam, desiderari nequeunt vires supernaturales ex parte principij eadem de causa. 14 *Dices. Contra.*

Denique reijcitur; nam estò admittamus aliquam supernaturalem substantiam capacem culpæ, illa tamen concessa, iuxta aduersariorum principia manifeste colligitur, esse possibilem supernaturalem substantiam culpæ incapacem: ergo vel illam irrationabiliter adstruunt possibilem, vel tenentur fateri, non repugnare substantiam à natura impeccabilem. Probo antecedens; ratio, qua probant possibilitatem supernaturalis substantiæ, ea est; quia cum formæ supernaturales, sint limitatæ, & finitæ, non implicat substantia finita cum illis connexa, vel illis æquiualens; in qua connexione supernaturalitas substantiæ consistit; at formæ supernaturales cum peccato tam mortali quam veniali pugnantes, sunt quid finitum: ergo iuxta illorum principia repugnare non potest supernaturalis substantia cum illis necessario connexa, vel illis æquiualens, ac proinde impeccabilis omnino tam mortaliter, quam venialiter ex propria natura. 15 *Tertio reijcitur principalis solutio.*

Explicatur hoc amplius; visio beatifica, & si quæ est dabilis aliqua forma creata, quæ incompossibilis sit cum omni peccato sunt finitæ, & limitatæ perfectionis; at iuxta 16 *Explicatur.*

at iuxta aduerſarios, id circo eſt poſſibilis ſupernaturalis ſubſtantia ex connexione cum fide, v. c. vel æquiualentia ad complexum ex fide, & intellectu reſultans, quia fides eſt forma finita: ergo eadem de cauſa cenſeri debet poſſibilis ſubſtantia finita connexa cum viſione beatifica, aut quauis alia repugnanti cum omni peccato, aut compoſito ex illis æquiualens; vel inefficaciam ſuæ rationis fateri; talis autem ſubſtantia eſſet impeccabilis omnino ex propria natura: ergo admiſſa ſupernaturali ſubſtantia creata, vt poſſibili, fateri tenentur, non repugnare ſubſtantiam creatam natura ſua omnino impeccabilem.

§. II.

Vlterior noſtra ſententia probatio.

17 *Tertio probatur concluſio.* TERTIO principaliter ſuadetur concluſio; implicat ſubſtantia creata incapax accidentium; at ſupernaturalis ſubſtantia capax accidentium non foret: ergo implicat ſupernaturalis ſubſtantia creata. Maior cum conſequentia tenet. Minorem autem probo, non eſſet capax accidentium naturalium, vt per ſe eſt manifeſtum; nec ſupernaturalium, quod probo; etenim omnino repugnat ſubſtantiam ſuſceptiuam accidentium eſſe deſtructiuam illorum; at talis ſubſtantia eſſentiam ſupernaturalium accidentium deſtrueret: ergo non eſſet ſuſceptiua illorum. Minor probatur; de ratione accidentis ſupernaturalis eſt ſuperare exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis, vt probaui diſputatione 13. at talis ſubſtantia exigeret propria accidentia, quibus eſſet capax connaturaliter; ergo eſſentiam illorum deſtrueret.

18 *Confirmatur.* Et confirmatur, implicat ſupernaturalis ſubſtantia ratione connexionis cum accidentibus ſupernaturalibus, quæ dantur de facto: ergo implicat ſupernaturalis ſubſtantia cum alijs poſſibilibus per ſe connexa; conſequentia tenet, quia rationes, quibus ſibi perſuadent contrarij, poſſe ſubſtantiam creabilem per ſe connecti cum ſupernaturalibus accidentibus, æquè conuincunt reſpectu exiſtentium, ac poſſibilium. Antecedens autem probatur; ſi eſſet poſſibilis ſubſtantia, cui accidentia ſupernaturalia, quæ de facto exiſtunt, eſſent connaturalia, non potuiſſet Deus abſque miraculo producere ordinem ſupernaturalem, vt de facto produxit; conſequens eſt inauditum: ergo implicat ſubſtantia ſupernaturalis cum accidentibus ſupernaturalibus modò exiſtentibus connexa. Probo ſequelam; nam producere accidens ſine connaturali ſubiecto per ſe ab illo exacto, miraculoſum eſt: ergo ſi accidentia ſupernaturalia alicui ſubſtantiæ poſſibili, Deus illa ſine tali ſubiecto in alieno producens, vt fecit de facto, feciſſet miraculum.

19 *Vltimo probatur concluſio.* Denique ſuadetur concluſio ratione à priori apud noſtros Thomiſtas ſatis frequenti. Ens ſupernaturale creatum petit conſtitui primo, & per ſe per reſpectum tranſcendentalem ad extrinſecum terminum, vel obiectum; talis conſtitutio repugnat cum conceptu ſubſtantiæ, qui eſt omnino abſolutus: ergo omnino implicat ſupernaturalis ſubſtantia creata. *Duplex ſolutio aduerſariorum.* Huic argumento dupliciter reſpondent Auctores oppoſiti. Primo, negando maiorem. Secundo, illa omiſſa, negando minorem; licet enim repugnet ſubſtantiæ ordo tranſcendens ad ſubiectum inhæſionis competens accidenti, non tamen repugnat illi ordo ad extrinſecum terminum, vel obiectum; cum per abſolutionem à primo reſpectu ſufficienter ab accidenti diſcriminetur.

20 *Reijcitur prima probãdo maiorem aſſumptam primo. Secundo.* Sed neutra ſolutio ſatisfacit; & prima impugnatur breuiter, probando maiorem primo à priori; illud namque eſt ſupernaturale, quod vel omnes perfectionis gradus habeat à ſe, vel ſecundum ſuum conſtitutiuum, ad Deum, qui omne illud habet à ſe, dicit ordinem; at enti ſupernaturali creato repugnat ſupernaturalitas prima: ergo eatenus ſolum poteſt eſſe ſupernaturale, quatenus ſecundum primum ſui conſtitutiuum ad ens ſupernaturale per eſſentiam ordinem importat. Secundo probatur ad hominem; nam Auctor huius ſolutionis ſupernaturalitatem creatam conſtituit in connexione cum gratia iuſtificante: ergo omne ens ſupernaturale creatum debet ſecundum primum ſui conſtitutiuum illam connexionem habere; & conſequenter dicere ordinem ad illam, vel ſaltim connexionem cum illa, quorum vtrumque repugnat primo conſtituere ſubſtantiam creatam.

21 *Secunda reijcitur primo.* Secunda reijcitur primo, nam ſubſtantia creata non ſolum eſt ens in ſe, ſed etiam ad ſe: ergo ſicuti ob primum abſoluitur ab ordine tranſcendenti ad ſubiectum, ita ob ſecundum abſolui debet in ſui conſtitutione primaria ab ordine ad extrinſecum terminum. Secundo, *Secundo.* nam ens abſolutum tam ab ordine ad ſubiectum, quam ab ordine ad extrinſecum terminum, in ſui primario conſtitutiuo non tranſcendit limites creaturæ; cum per ordinem ad propriam exiſtentiam poſſit limitari, & finiri, & per hoc, quod ſuum eſſe non habeat à ſe, ſed ab alio; at nullum aliud genus entis creati conſtituit, niſi genus ſubſtantiæ; ergo ſubſtantia creata in ſui primario conceptu abſoluitur ab vtroque ordine, tam ad ſubiectum, quam ad terminum, vel obiectum.

Explicatur hoc amplius; ens diuinum non differt ab ente creato per hoc, quod ſit ad ſe, ſed à ſe: ergo ens non à ſe, ſed ad ſe, non diuinum, ſed creatum eſt; at non eſt aliud genus entis creati, niſi genus ſubſtantiæ: ergo ſubſtantia ex proprio conceptu eſt ens abſolutum, non ſolum in ſe exiſtens, ſed etiam exiſtens ad ſe; & conſequenter non ſolum abſoluitur ab ordine ad ſubiectum, ſed etiam ab ordine ad aliud tanquam ad obiectum, vel extrinſecum terminum. 22 *Explicatur.*

Reſpondebis primo, eo ipſo quod non ſit ens à ſe, ſed ab alio, neceſſario importare ordinem tranſcendentem ad cauſam primam, à qua eſſentialiter pendet, & conſequenter non ſtare, quod ſubſtantia ſit ens ad ſe, quin etiam ſit à ſe, quod repugnat cum conceptu creaturæ. 23 *Reſpondebis 1.*

Sed contra primo; nam dato, quod ordo dependentiæ à Deo, vt à prima cauſa efficienti ſit eſſentialis enti creato, & ſubſtantiæ creatæ, de quo plures dubitant, ordo tamen ille non eſt ad obiectum, vel terminum: ergo remanet ſubſtantia ab illo ordine abſoluta, gratis admiſſo, quod ille ordo ſit ſubſtantiæ eſſentialis. *Contra 1.*

Secundo: nam ordo ad cauſam efficientem primam, eſtò ſit eſſentialis, eſt tranſcendens omnem entitatem creatam, & nullam illarum poteſt primo, & per ſe conſtituere; at ordo ad extrinſecum, conſtituens ens ſupernaturale, debet eſſe eſſentialis per modum differentiæ primo: & per ſe conſtituentis: ergo ordo dependentiæ à Deo, vt à prima cauſa efficienti, eſtò ſit eſſentialis ſubſtantiæ creatæ, nequit ratione illius alicui ſubſtantiæ creatæ ſupernaturalitas conuenire. Probo maiorem primo, quia nullum genus entis poteſt per ſe primo conſtitui per hoc, quod eſt, ab efficienti cauſa dependere: ergo ordo dependentiæ à cauſa prima, nequit primo, & per ſe aliquod genus entis conſtituere. Secundo: nam ita ad ſummum poteſt comparari ordo dependentiæ à prima cauſa reſpectu entis creati, quo ad ens diuinum comparatur, hoc quod eſt, eſſe à ſe; at ratio entis à ſe non conſtituit primo aliquod attributum diuinum, nec naturam diuinam; vt patet diſcurrenti per omnia attributa: ergo ratio entis ab alio, ſeu depẽdentia à prima cauſa efficiẽti cõſtituere nequit primo aliquod genus entis creati. 24 *Secundo.* *Maior probatur primo. Secundo.*

Reſpondebis ſecundo, quod etſi ſubſtantia ſit abſoluta ab ordine tranſcendenti immediato ad extrinſecum terminum, vel obiectum, non tamen abſoluitur à mediata connexione cum illis; nam ſubſtantia creata eſt operatiua ſaltim radicaliter; & conſequenter immediatè connexa cum potentijs proximè operatiuis; & mediatè cum actibus, & actum cum obiectis; & ratione iſtius mediatæ connexionis poterit ſubſtantia creata eſſe ſupernaturalis, per hoc quod ſit immediatè connexa cum principijs ſupernaturalibus proximè operatiuis, & mediatam connexionem habeat cum actibus ſupernaturalibus, & illorum obiectis. 25 *Reſpondebis 2.*

Sed contra, connexio cum potentijs proximè operatiuis non eſt, nec eſſe poteſt primus conceptus ſubſtantiæ creatæ: ergo nequit per talem connexionem in ratione ſupernaturalis conſtitui; ſed antecedenter ad illum aſſignanda eſt in ſubſtantia ratio ſupernaturalitatis per alium præcedentem conceptum reſpectiuum, quod implicat. Probo antecedens, connexio immediata cum potentijs, & mediata cum actibus conſtituit ſubſtantiam in ratione naturæ; at ratio naturæ non eſt primus conceptus ſubſtantiæ, ſed alium priorem ſupponit, ſcilicet, conceptum eſſentiæ per reſpectum ad exiſtentiam: ergo dicta connexio non conſtituit ſubſtantiam primario, & per ſe. Maior cum conſequentia tenet; minor autem præterquam quod videtur manifeſtum principium, poteſt ita ſuaderi; nam conceptus naturæ conſiſtit in hoc, quod ſit primum principium motus, & quietis; at ſubſtantia ex proprio conceptu non eſt ordinata vt motum, ſeu operationem principiet, ſed vt in ſe ſit: ergo primarius conceptus illius non eſt ratio naturæ radicantis motum, ſed ratio eſſentiæ per comparationem ad exiſtentiam. 26 *Sed cõtra.*

Dices, quod licet hoc ſit verum in conceptu communi ſubſtantiæ, poteſt tamen iſte communis conceptus 27 *Dices.*

ptus contrahi ad aliquam peculiarem substantiam, quæ primo, & per se constituatur per rationem naturæ: imo ita videtur contingere in substantia intellectuali; hæc namque nec intelligi, nec distiniri potest, nisi per hoc, *Contra 1.* quod sit radicaliter intellectiua per connexionem mediatam cum operatione intellectuali. Sed contra primo, nam quando duo conceptus conueniunt rationi communi, & eius inferioribus, eundem ordinem prioritatis seruant inter se contracti, quem in communi, vt patet discurrenti per omnia; at ratio naturæ, & essentiæ inuenitur in ratione communi substantiæ creatæ: ergo si in illa ratio essentiæ præcedit, & ratio naturæ subsequitur, in omni eius inferiori debet ita contingere.

28 *Secundo.* Secundo, nam etiam in substantia intellectuali prior est conceptus essentiæ, quam conceptus naturæ; ergo exemplo adducto oppositum solutioni conuincitur. Patet antecedens ex D. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 1. vbi intellectualitatem per immaterialitatem demonstrat demonstratione à priori in communi Thomistarum sententia: ergo immaterialitas prior est, quam conceptus naturæ in substantia intellectuali, & consequenter ratio essentiæ immaterialitate consistens præcedit in illa rationem naturæ. Quod autem intellectualis natura absque dicta connexione non possit intelligi, prouenit, vel ex eo quod intellectualitas est nomen significans rationem naturæ, vel quia vterque conceptus, nempè; essentiæ, & naturæ inadæquatè ad illam comparatur, & per vtrumque adæquatè constituitur, licet prior conceptus naturæ; non enim iste ordo inter duos conceptus inadæquatos repugnat, vt multis exemplis ostendam tractatu de voluntate Dei articulo 1.

§. III.

Tria argumenta contraria sententia diluuntur.

29 *Arguitur primo.* OBIICIVNT Auctores oppositi primo. Substantia per se connexa cum gratia, vel cum alia forma cùm gratia connexa, est supernaturalis; at non repugnat substantia creata taliter connexa: ergo non implicat supernaturalis substantia creata. Probant minorem, in tali connexione non elucet infinitas ratione termini; cum gratia illam terminans finita sit, nec ratione modi, cum prædicta connexio accidenti conueniat: ergo ex *Confirmatur.* nullo capite petit infinitatem prædicta connexio; & consequenter potest conuenire substantiæ finitatæ, & finitæ. Quod amplius confirmant, de facto datur modus substantialis per se connexus cum gratia, & alijs formis supernaturalibus, nempè, vnio hypostatica: ergo non repugnat substantiæ creatæ completæ; quod enim modo incompleto substantiali competit, quo pacto repugnare potest enti in tali genere completo, & perfecto.

30 *Respondetur.* Respondeo concessa maiori, negando minorem: ad cuius probationem nego antecedens; nam licet connexio cum gratia, & alijs supernaturalibus formis in accidenti infinitatem non arguat, arguit tamen illam in substantia ob duplicem rationem discriminis. Prima, quia accidens connectitur cum gratia, quæ est natura diuina per modum formæ eleuantis, quæ connexio, vt sic, non dicit infinitatem, sicuti dicit illam, quod innectitur cum diui- *Prima differentia inter substantias, & formas accidentales.* na essentia vnita per modum speciei; connexio autem substantiæ est per modum omnimodæ connaturalitatis; repugnat autem, quod natura diuina, vtpote Dei propria, sit connaturalis alicui creaturæ; ac per consequens, quod cum illa sit connexum fuerit, non potest non esse infinitum. Nec obstat, quod gratia sit forma finita, nam licet ita sit, est participatio formalis naturæ diuinæ infinitæ, atque adeò solum potest esse connaturalis habenti naturam diuinam.

31 *Secunda.* Secunda ratio discriminis sumitur ex ratione vltima, quam fecimus pro nostra sententia; quia nempè, prædicta connexio non potest primario, & per se substantiam constituere, sed necessario debet alium priorem conceptum in substantia supponere ratione cuius sit supernaturalis; cum autem iste primus conceptus nequeat esse respectiuus alicuius extrinseci, à quo supernaturalitatem venetur, debet esse absolutus; eo autem ipso, quod absolutus sit, & supernaturalis debet esse talis, qui habeat omnem gradum perfectionis à se; cum non possit supernaturalis constitui ratione ordinis ad Deum, omnem illum gradum habentem à se; & consequenter debet esse necessario infinitus; & Deus; accidenti autem, vel non repugnat primo constitui per connexionem prædictam cum gratia, vel per alium priorem respectum, seu conceptum, quo mediate, aut immediate ens supernaturale per essentiam respiciat; ac proinde ex connexione cum gratia non arguitur in accidenti infinitas.

Ex quibus ad confirmationem constat solutio; nam modo vnionis incompleto non repugnat primo constitui per respectum ad Deum; & quod illi modo sit connaturalis gratia, aut aliæ formæ supernaturales, solum arguit connaturalitatem, vt formæ eleuanti, non connaturalitatem omnimodam; ac proinde eadem est ratio de illo, ac de alijs formis accidentalibus. 32 *Ad confirmationem.*

Obijciunt secundo; non repugnat forma substantialis incompleta supernaturalis: ergo nec substantia supernaturalis completa. Antecedens probant sic primo, de facto datur modus substantialis vnionis supernaturalis: ergo potest dari forma partialis supernaturalis. Secundo, non repugnat subsistentia supernaturalis: ergo nec forma supernaturalis partialis. Consequentia tenet, & antecedens constat. Tum, nam ideo non repugnat modus vnionis supernaturalis, quia modalis est, & incompletus; subsistentia autem etiam est incompleta, & modalis. Tum etiam, quia non obstante quod modus vnionis sit complementum naturæ, potest esse supernaturalis: ergo etiam non obstabit, subsistentiam esse complementum naturæ, quo minus sit dabilis subsistentia supernaturalis. Tertio à priori probant primum antecedens: forma exigens materiam, & superans exigentiam illius, est supernaturalis; at non repugnat forma, quæ materiam exposcat, & illius exhibentiam excedat; sicut de facto dantur formæ accidentales exigentes subiectum, & superantes exigentiam illius: ergo non repugnat forma supernaturalis partialis. 33 *Obijciunt secundo. Antecedens probatur primo. Secundo; Tertio.*

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; quia forma substantialis partialis solum potest primario respicere materiam, & totum, & ad nihil extrinsecum potest per se primo ordinari, eisdem rationibus, quibus id probauimus de substantia completa; ac proinde non potest ab aliquo extrinseco supernaturalitatem recipere; modus autem vnionis respicit extrema, quæ vnit, & cum extremum vnitum possit esse diuinum, potest ab illo supernaturalitatem recipere. Ad secundam probationem nego antecedens; nec est eadem ratio de modo vnionis, ac de subsistentia; quia modus vnionis respicit naturam in ordine ad extremum, cui vnitur; ac proinde ab illo supernaturalitatem venari potest, subsistentia autem, etsi modus sit, est modus, quo natura redditur subsistens in se. Vnde solum respicit naturam, quam complet, & nihil extrinsecum, à quo supernaturalitatem accipere possit. 34 *Respondetur ad 1. probationem. Ad secundum.*

Et quidem exemplum vnionis, cui maximè fidunt, vel multum, vel nihil conuincit, quod probo; nam modus iste vnionis non solum est supernaturalis, sed etiam est hypostaticus cum subsistentia Verbi connexus: ergo si ex illo licet argumentari possibilem substantiam creatam completam supernaturalem, licebit etiam ex illo colligere possibilitatem substantiæ creatæ completæ hypostaticæ per se connexæ cum subsistentia Verbi, & illius terminationem exposcentis, quod non concedunt; vel si hæc non infertur, necesse est cognoscant inefficaciam argumenti, cui maxime fidunt. 35 *Retorquetur exemplum.*

Ad tertiam probationem, omissa maiori, nego minorem; nam quod forma substantialis exigeret materiam, & excederet exigentiam illius prouenire deberet, ex eo quod ex primo suo conceptu, non materiam, sed extrinsecum aliquid respicere, quod formæ repugnat, vt habetur ex dictis; non autem repugnat formæ accidentali per se primo respicere extrinsecum, à quo supernaturalitatem recipiat, & ideo non repugnat, quod exposcat subiectum, & illius exigentiam excedat. 36 *Ad tertiam probationem.*

Si dicas, etiam accidens respicit per se primo subiectum, cui inhæret; & tamen cum hoc stat, quod excedat exigentiam subiecti: ergo quamuis forma partialis per se primo respiciat materiam, & totum, poterit excedere exigentiam materiæ, etsi ipsa forma materiam exposcat. Patet, maior, accidens vt sic per se primo respicit subiectum: ergo etiam quodlibet accidens secundum suam vltimam differentiam debet per se primo subiectum respicere. Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: per se primo, quasi in executione, concedo consequentiam: quasi in intentione, nego consequentiam: itaque in qualibet differentia accidentis respicientis extrinsecum distingui debet duplex inadæquatus, & differentialis 37 *Si dicas. Respondetur.*

tialis conceptus, alter per modum inhærentis ad subiectum, alter tendentiæ ad obiectum, vel, terminum; & licet ordo ille specialis ad subiectum, sit primus in executione, in intentione tamen non primus, sed secundus est, v. c. relatio secundum suam vltimam differentiam respicit quidem subiectum, non tamen vt in illo sistat, sed vt illud ad terminum referat, habitus etiam speciali ordine respicit subiectum, non tamen vt sistat in illo, sed vt illud ad actus circa suum obiectum facilitet, si naturalis sit, vel eleuet si sit habitus supernaturalis. Vnde, etsi primus conceptus sit prior in executione, est tamen in intentione posterior: ac proinde cum specificationem à termino vltimate intento recipiant, possunt ab illo supernaturalitatem recipere; ratione cuius superent exigentiam subiecti.

38 *Instabis.* Instabis, inde arguebamus supra, conceptum essentiæ in qualibet differentia substantiæ esse primum constitutiuum, quia in substantia in communi primo constituit; at etiam in ratione communi accidentis ordo ad subiectum primo constituit: ergo in qualibet differentia contractiua accidentis, specialis ordo ad subiectum debet esse primo constituens, vel argumenti nostri efficacia non subsistit. *Respondes.* Respondeo concessa maiori, negando suppositum minoris, nam in accidenti communi non inuenitur duplex illa ratio, sed solus ordo ad subiectum, ac proinde illa non est ordo primi, & secundi; argumentum autem nostrum procedebat, ex eo quod, quando in aliqua ratione communi duplex ratio inuenitur, quæ etiam contrahentibus conuenit, idem ordo inter vtrumque seruari debet in contrahentibus, qui seruatur in ratione communi contrahibili, cuius nulla instantia poterit in contrarium adduci.

39 *Vltimo arguitur.* Denique argumentari possumus impugnando rationem à priori in hunc modum; ordo dependentiæ à prima causa efficienti essentialiter conuenit enti creato: ergo etiam est essentialis substantiæ creatæ, de qua ratio entis creati essentialiter prædicatur; ac proinde non repugnat substantiæ ordo transcendentalis ad aliquod extrinsecum. *Respondetur.* Respondeo omisso antecedenti, de quo dubitant plures ex nostris distinguendo consequens: essentialiter transcendentaliter, transeat consequens: constitutiue, nego consequentiam; nam sicut ratio entis transcendit substantiam; ita antecedenti omisso, ordo ille dependentiæ, substantiam transcendit, non vero illi competit per modum differentiæ primario constituentis; vt autem ex illo posset substantia creata supernaturalis euadere, hoc secundo modo debebat illi competere ordo transcendentalis ad aliquid extrinsecum.

40 *Dices.* Sed dices, solus ordo ad causam efficientem, potest constituere ens supernaturale creatum: ergo talis ordo non transcendentaliter, sed constitutiue potest enti creato conuenire; & consequenter etiam illo modo poterit alicui substantiæ competere. Probo antecedens primo, in vbicatione Eucharistica, quæ est supernaturalis, & tamen nullo alio ordine respicit Deum, qui est primum *Antecedens probatur primo.* ens supernaturale per essentiam, nisi ordine dependentis, vt à prima causa effectiua. Secundo in gratia habituali, quæ non ideo est supernaturalis, quia mediate sit operatiua per modum radicis, aliàs etiam posset substantia creata ratione connexionis mediatæ cum actibus supernaturalibus, & illorum obiectis supernaturalis con- *Secundo.* stituit; ac præter istam mediatam connexionem, nullo alio ordine respicit Deum, nisi dependentiæ per modum effectus; ergo ordo ad primam causam valet constituere ens supernaturale creatum.

41 *Respondetur ad 1. probationem.* Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem dicatur, quod si vbicatio Eucharistica est supernaturalis intrinsecè, debet dicere ordinem ad Corpus Christi Domini, quatenus hypostaticè vnitum Verbo diuino; quod si talem ordinem specialem non dicat, non intrinsecè, & quoad substantiam, sed quoad modum, & extrinsecè erit supernaturalis. Ad secundam concessa *Ad secundam.* maiori, nego minorem; nam gratia, etiam vt præuenit conceptum radicalis principij, qui secundarius est in illa, sicut in quauis alia natura creata, respicit transcendentaliter Deum, non solum vt principium efficiens, sed etiam tanquam terminum, à quo specificatur, vt participatio formalis naturæ diuinæ, & extremum, cuius est participata similitudo, & ratione huius ordinis primo, & per se in ordine supernaturali constituitur, & ad illum conceptum subsequitur, quod sit radicale principium actuum tendentium ad Deum, prout in se, ex eo enim gratia tales actus radicat, quia est participatio diuinæ essentiæ, & naturæ.

§. Vltimus.

Vnum corollarium ex præcedenti doctrina.

Ex dictis infertur, non solum repugnare naturam supernaturalem substantialem, sed etiam substantiam completam supernaturalem. Contrarium huius doctrinæ tuentur Recentiores quiddam afferentes, quod licet implicet natura supernaturalis substantialis, non tamen implicat supernaturalis subsistentia creata; & consequenter non implicat substantia supernaturalis completa; conflatum namque ex subsistentia supernaturali, & natura ordinis naturalis, esset substantia completa supernaturalis, eo quod natura subsistentia completur. 42 *Recentiorum sententia.*

Et ratio, qua mouentur, est quia de ratione entis supernaturalis est esse supra exigentiam omnis naturæ, nedum creatæ, verum etiam creabilis; natura autem substantialis supra se ipsam esse non potest, nec accidentia supernaturalia possunt esse supra exigentiam illius, eo ipso quod supernaturalis sit, ideoque repugnat natura substantialis ordinis supernaturalis. Quæ ratio in subsistentia non militat; vt enim supernaturalis sit, non petitur esse supra se ipsam, sed supra exigentiam naturæ, quam complet. Nec obstat supernaturalitati accidentium supernaturalium exigi à subsistentia, dummodo non exigantur à natura terminata per illam ratione sui, ideoque non implicat subsistentia supernaturalis. 43 *Ratio huius particularis sententiæ.*

Quæ sententia reijcitur primo; vt subsistentia supernaturalis detur, debet esse talis ex primario sui conceptu; sed implicat subsistentia, quæ ex primo conceptu supernaturalis sit, implicante natura substantiali supernaturali: ergo hac implicante, vt supponitur, non potest illius non implicantia affirmari. Consequentia est bona. Maior certa; nam secundarius conceptus; cum primarium præsupponat, & super illum fundetur, ad illumque consequatur, debet esse iuxta conditionem illius, non minus, quam proprietates, quia consequentia essentiam, sapiunt eius conditiones; sed implicat supernaturalis proprietas sine essentia, quam consequitur: ergo implicat secundarius conceptus supernaturalis, nisi primarius supernaturalis sit; & consequenter vt subsistentia sit supernaturalis, debet id habere ex primario suo conceptu. 44 *Reijcitur primo.*

Minor autem probatur; primarius conceptus subsistentiæ supernaturalis, si datur, esset esse terminum supernaturalis naturæ; sed implicante natura supernaturali implicat subsistentia, quæ sit terminus illius: ergo hac implicante, implicat subsistentia quæ ex suo primo conceptu supernaturalis sit. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur primarius subsistentiæ conceptus est terminare naturam: ergo primarius conceptus subsistentiæ supernaturalis esset, esse terminum naturæ supernaturalis.

Respondebis, distinguendo antecedens: primarius conceptus subsistentiæ vt sic secundum rationem communem ad omnem subsistentiam, concedis: primarius conceptus omnis subsistentiæ, omnisque differentiæ contractiuæ illius rationis communis, negabis antecedens, & consequentiam; nam sicut accidens, vt sic secundum primum conceptum constituitur per ordinem ad subiectum, cui inhæret, vel inhærere potest; & tamen primarius conceptus omnis differentiæ contractiuæ accidentis non est ordo ad subiectum, sed potest ratio illa communis contrahi per differentiam ordinis prædicamentalis ad terminum, vel ordinis transcendentalis ad obiectum; ita etsi ratio subsistentiæ vt sic, primo constituatur per respectum ad naturam, vt terminatiua illius, potest differentia contrahens illum conceptum communem consistere, non in respectu ad naturam terminabilem per ipsam, sed in respectu ad operationem per modum complementi naturæ in ratione operatiuæ. 45 *Respondebis.*

Vnde sicut hac ratione supernaturalitas accidentis non consistit in respectu inhærentiæ ad subiectum supernaturale; imo talis respectus obstaret illius supernaturalitati; sed in respectu ad operationes excedentes exigentiam naturæ subiecti; ideoque ipsum accidens eandem exigentiam excedit; ob eandem rationem primus conceptus subsistentiæ supernaturalis non est, nec potest esse ordo terminatiuæ naturæ supernaturalis; imo hoc illius supernaturalitatem euerteret, sed ordo ad supernaturales operationes per modum principij *quod*, & complementi naturæ, & quia non complet in ordine ad operationes debitas, sed ad operationes debitum naturæ 46 *Instant aduersarij.*

naturæ excedentes, ideò supernaturalis erit, & excedens totius naturæ exigentiam.

Sed contra; quia primus conceptus vnionis est in ordine ad extrema vnita omnis differentia contractiua vnionis debet in ordine ad extrema vnibilia desumi; & quia primus conceptus relationis prædicamentalis consistit in ordine ad terminum, primus conceptus omnis differentiæ contractiuæ relationis debet in ordine ad terminum consistere, & quia primus conceptus principij operatiui est in ordine ad operationem, primus conceptus omnis differentiæ contractiuæ principij, in ordine ad operationem consistit; ideoque implicat vnio supernaturalis, nisi aliquod extremum supernaturale sit, & relatio prædicamentalis supernaturalis, nisi terminum supernaturalem respiciat, & supernaturale principium, nisi in ordine ad supernaturalem operationem; sed primus conceptus subsistentiæ vt sic, est ordo termini complentis naturam: ergo omnis differentia contractiua illius debet consistere in ordine complectiui talis naturæ; & consequenter vt sit supernaturalis, debet esse terminatiua naturæ supernaturalis.

48 *Respondebis, & iterum instabis.* Respondebis, negando consequentiam, & instabis in accidenti, cuius primus conceptus consistit in ordine ad subiectum; & tamen non omnis differentia contractiua accidentis penes ordinem ad subiectum pensatur; vltima namque differentia constitutiua potentiæ est ordo ad actum, & obiectum, & vltima differentia constitutiua relationis est ordo ad terminum; sicuti ergo, etsi ratio accidentis consistat in ordine ad subiectum, differentia constitutiua accidentis supernaturalis non consistit in ordine ad subiectum supernaturale, imo iste ordo supernaturalitatem accidentis destrueret; sed in ordine ad actus supernaturales, ad quos eliciendos eleuat subiectum ordinis naturalis, ita etsi ratio subsistentiæ vt sic consistat in ordine ad naturam per modum termini illius, ratio subsistentiæ supernaturalis non debet consistere in ratione termini naturæ supernaturalis; imo talis ordo illius supernaturalitatem destrueret, sed in ordine terminatiui naturæ ordinis naturalis illam eleuantis ad actus supernaturales, vt complementum, & principium *quod* operationum, & ita subsistentia supernaturalis erit, quæ naturam creatam compleat ad supernaturales operationes.

49 *Contra 1.* Sed contra hanc solutionem obstant primo exempla à Nobis in contrarium apposita. Secundo argumentor contra illam; nam licet subsistentia compleat naturam in ordine ad operandum, primus tamen conceptus illius non consistit in ratione complementi ad operandum, sed in ratione complementi essentiæ ad essendum: ergo illius supernaturalitas non debet primo sumi ex ordine ad supernaturales operationes, sed ex ordine ad supernaturalem essentiam, vel naturam. Consequentia est bona. Antecedens autem ostenditur primo; licet namque in essentia, aut natura substantiali creata detur ordo ad operationes, vel connexio cum illis, vt principium *quo* remotum, primus tamen conceptus illius non consistit in hoc ordine, vel in ista connexione, sed in ordine ad essendum: ergo pariter ordo, vel connexio subsistentiæ cum operationibus per modum principij *quod* nequit esse primus alicuius subsistentiæ conceptus, sed ordo termini complentis naturam, vt sit. *Antecedens ostenditur 1.*

50 *Secundo.* Secundo probatur antecedens, etsi subsistentia naturalis compleat naturam in ordine ad operandum; primus conceptus illius non consistit in ratione operatiuæ, sed in ratione termini complentis naturam vt sit: ergo pariter, in subsistentia supernaturali, si datur: primus conceptus non erit connexio, vel ordo operatiui per modum pincipij *quod*, sed ratio termini complentis intra ordinem essendi. *Tertio.* Tertio; si namque primus conceptus esset ordo principij operatiui, sequeretur, non esse substantiam, sed accidens prædicamentale; consequens est falsum: ergo primus conceptus subsistentiæ non est ratio complementi ad operandum, sed ad essendum. Probatur sequela; quia namque lumen gloriæ per se primo respicit operationem, & ad illam ordinatur, est accidens prædicamentale: ergo si subsistentia supernaturalis consisteret per se primo in ordine principij operatiui, non esset substantia, sed accidens, non solum prædicabile, sed etiam prædicamentale.

Deinde reijcitur hæc solutio; inde namque hi Auctores probant repugnare naturam substantialem ordinis supernaturalis; quia de ratione supernaturalitatis est, excedere exigentiam totius naturæ creatæ, & creabilis; talis autem natura non posset sui exigentiam excedere, quandoquidem sibi ipsi identificata foret; sed hæc ratio etiam probat implicare substantiam creatam supernaturalem completam: ergo non minus implicat substantia creata supernaturalis completa, quam natura substantialis ordinis supernaturalis. Probo minorem; etiam est de ratione supernaturalitatis esse supra exigentiam omnis substantiæ completæ creatæ, & creabilis; sed substantia completa supernaturali subsistentia, hunc excessum nequit habere; quandoquidem se ipsam exigeret, & subsistentiam, qua compleretur in ratione substantiæ, & constitueretur in ratione suppositi: ergo probat illa ratio implicare substantiam supernaturalem completam. 51 *Contra 2.*

52 *Respondebis. Contra.* Respondebis, de ratione supernaturalitatis esse excessum supra exigentiam omnis substantiæ creatæ possibilis ratione naturæ, non autem supra exigentiam substantiæ completæ ratione subsistentiæ complentis naturam. Sed contra; de ratione formalitatis supernaturalis absolutè, & simpliciter comparatiuè ad hominem, est excedere exigentiam hominis, tam ratione naturæ, quam ratione subsistentiæ complentis naturam: ergo de ratione formalitatis supernaturalis absolutè, & simpliciter, est esse super exigentiam omnis substantiæ completæ creatæ, siuè ratione naturæ, siuè ratione complementi substantialis naturæ. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probo; de ratione doni gratiosi respectu hominis, est non exigi, nec ratione naturæ, nec ratione subsistentiæ complentis naturam; ita vt eo ipso, quod homini ratione subsistentiæ debeatur, gratia respectu hominis absolutè non sit: ergo de ratione formalitatis supernaturalis homini, est non exigi ab illo, nec ratione naturæ, nec rationæ subsistentiæ. Consequentia tenet à paritate rationis.

53 *Antecedens probatur 1.* Antecedens autem probo primo; quod Christo ratione subsistentiæ debetur, non est absolutè gratia per respectum ad Christum: ergo pariter, quod homini ratione subsistentiæ est debitum, non est absolutè gratia respectu hominis.

Secundo. Secundo; nam homo essentialiter importat in sui constitutione naturam, & subsistentiam; sed quod alicui ratione prædicati essentialis debetur, respectu illius gratia absolute non est: ergo idem quod prius. Tertio; nam si sufficeret ad rationem gratiæ absolutè, & simpliciter respectu hominis non exigi ratione naturæ, sequeretur, ex Patribus, & Scriptura non constare, auxilia gratiæ, quæ de facto dantur hominibus, excedere exigentiam subsistentiæ, sed tantum, quod excedant exigentiam naturæ consequens non potest admitti: ergo nec doctrina solutionis. Probatur sequela. Ex Scriptura, & Patrum solum habetur, auxilia, quibus homo ad iustificationem disponitur, esse gratiam absolutè: ergo si de ratione gratiæ homini factæ absolutè non est esse supra exigentiam subsistentiæ complentis naturam hominis, sed tantum esse supra exigentiam naturæ hominis, non potest ex PP. & Scriptura probari, prædicta auxilia excedere exigentiam subsistentiæ constituentis hominem in ratione suppositi, sed tantum quod excedant exigentiam naturæ. Et hæc de ista Disputatione sufficiant. *54 Tertio.*

DISPVTATIO XVI.

An lumen gloriæ sit adæquata virtus proxima agendi respectu visionis beatificæ?

§. I.

Quibusdam præsuppositis, & relatis sententijs, statuitur, & probatur prima conclusio.

Nu. 1. *Intellectus beati actiuè influit in visionem.*

IN hac celebri Disputatione ferè omnes Theologi conueniunt in eo, quod tam intellectus, quam lumen beatificum influunt effectiuè in visionem, contra Paludanum, Marsilium, & Ochamum, asserentes, intellectum beati merè passiuè per ordinem ad visionem se habere, cuius oppositum adeò certum visum est aliquibus Theologis, vt præfatam Nominalium sententiam aliqua censura dignam existimauerint contra Suarez *lib. 2. de attributis negatiuis cap. 10. num. 6.* & Lorcam 1. 2. *disp. 16*, ab omni censura illam censentes immunem. Quid quid tamen de censura sit, Nominalium sententia communi Theologorum iudicio aduersatur; & meritò quidem, colligitur enim non leuiter ex Concilio Tridentino *sessione 6. canone 4. & cap. 5.* diffiniente: *Liberum arbitrium creatum non se habere merè passiuè ad actus, quibus ad iustificationem disponitur*; sed non alia ratione ad actus prædictos non se habet merè passiuè liberum arbitrium creatum, nisi quia vitales sunt; & consequenter debent ab intrinseco procedere: ergo cum visio beatifica vitalis sit, & beatus viuat per illam, debet illi conuenire ab intrinseco, & ab illo actiuè concurrente procedere.

Conc. Trid.

2 *Suadetur ratione.* Et suadetur manifesta ratione; viuens namque per hoc à non viuente differt, quod viuens se mouet, & non viuens mouetur ab alio adæquatè; sed intellectus beati viuit per visionem beatificam: ergo se ab intrinseco mouet per illam. At si mere passiuè ad visionem se haberet, non se moueret per illam, sed solum moueretur à principio extrinseco; cum in nullo alio possit consistere à principio extrinseco moueri, quam in hoc, quod est recipere formam ab alio, non præstando ad illam concursum effectiuum; ergo intellectus beati effectiuè ad visionem concurrit. Cumque per proprias vires, vtpotè improportionatas, non possit in visionem influere, oportet, quod lumen beatificum illum eleuans, & confortans, effectiuum etiam præstet concursum.

3 *Non influit partialiter partialitate effectus.* Secundo exploratum est apud omnes intellectum, & lumen gloriæ beatificum non concurrere ad visionem partialiter partialitate effectus. Quod patet manifesta ratione; nam partialitas ista consistit in hoc, quod influentia partialiter, vnam, & non aliam formalitatem in effectu producant; sed visio beatifica, vtpote indiuisibilis, non potest ita in terminando efficientiam sui partiri, vt vna formalitas efficienter ab intellectu causetur, & non à lumine gloriæ, & altera à lumine, & non ab intellectu efficiatur; indiuisibile namque, vel totum, vel nihil attingitur: ergo intellectus, & lumen non influunt in visionem beatam partialiter partialitate effectus.

4 *Punctus difficultatis aperitur.* Solum ergo est difficultas de partialitate causæ An scilicet, intellectus, & habitus luminis gloriæ influant in visionem beatificam partialiter partialitate causæ? quod idem est, atque inquirere, an intellectus ratione sui habeat virtutem partialem proximam, & immediatam ad influendum in visionem beatificam simul cum lumine gloriæ, ad modum quo duo simul portantes aliquod pondus, ad quem illorum quilibet seorsum est insufficiens, concurrunt per suas partiales proximas, & inadæquatas virtutes? An verò careat, ratione propriæ entitatis, virtute partiali proxima, & adæquata virtus proxima agendi, & influendi in visionem sit habitus luminis gloriæ?

5 Prima sententia. Prima sententia docet; intellectum ratione sui habere partialem vim proximè, & immediatè actiuam in ordine ad visionem beatificam; & consequenter negat habitum luminis gloriæ esse adæquatam virtutem proximam influendi in visionem. Ita Molina *in præsenti art. quinto disput. prima & art. 6. disput. 2.* Suarez *lib. 2. de attributis negatiuis cap. 9. num. 13. & cap. 10. num. 8. &* Molina *tom. 1. in 3. partem disput. 31. sect. 6.* Vazquez *1. p. disput. 43. cap. 4. num. 11.* Beccanus *tract. 1. cap. 9. quæstione 4.* Arrubal *disput. 19. cap. 5. & 6.* Fasolis *quæstione 12. art. 5. dubitatione septima.* Granadus *tract. 5. de Visione Dei disp. 6. sect. 4.* Alarcon *tract. 1. de Visione Dei disput. 2. cap. 11.* Multa in Thomistas proferens religioso homini indigna, à quibus modestia solita illos vindicauit Magister Sancto Thoma vbi infra; ac tandem Herice *disputatione 45. cap. 13.* verbis non rationibus pungens nostros Thomistas, vt rem conformet nomini, nec proprium nomen deserat. Tenent etiam loquendo in simili de voluntate cum actu charitatis comparata. Suarez *lib. 6. de Gratia cap. 5.* Coninch. *disput. 5. de differentia actuum supernaturalium, & naturalium dub. 5.* Petrus Hurtado 2. 2. q. 23. *disp. 124.* quos sequuntur cæteri Recentiores ex eadem familia.

Molina. Suar. Vazquez. Beccanus. Arrubal. Fasolis. Granad. Alarcon. Herice.

Suar. Coninch. Hurt.

Licet autem omnes doctores Societatis in præfata sententia conueniat, in explicando tamen, an virtus ista immediata, & partialis, quæ intellectui conuenit respectu visionis beatificæ, voluntati respectu actus charitatis, principalis sit, an instrumentalis? diuiduntur inter se; quibusdam affirmantibus instrumentalem esse; alijs per extremum docentibus esse principalem, Alijs asserentibus esse principalem, quando eleuatur media qualitate intrinseca, instrumentalem verò, quando medio auxilio extrinsecè eleuante iuuatur. Alijs denique dicentibus partim esse instrumentalem, & partim principalem. 6 *Dissidium inter prædictos Auctores.*

Secunda, & vera sententia præcedenti opposita docet, habitum luminis gloriæ esse adæquatam virtutem proximam agendi in ordine ad visionem beatificam; ac proinde intellectum ratione sui virtute partiali proxima non gaudere, sed ex illo, & lumine gloriæ adæquatam visionis causam componi, habitu concurrente, vt virtute proxima adæquata, & intellectu ingrediente, vt potentia, vel secundum virtutem mediatam, vel remotam, vel secundum coaptationem essentialem, vel secundum essentiam potentiæ. Hanc sententiam his, vel alijs terminis explicatam defendunt omnes Thomistæ, Capreolus *in 4. distinctione 49 q. 4.* Mag. Soto *in eadem distinctione quæstione secunda art. 4. ad 1.* Ferrara *3. Contra Gentes cap. 54.* Vincentius *de Gratia Christi quæstione sexta pag. 798* Zumel *in præsenti art. quinto, disput. tertia conclus. 2.* Cabrera *3. parte quæstione nona art. secundo disput. 4. §. 4. & disput. 11. solutione ad 7.* Curiel *1. 2. quæstione quinta art. quinto dubio vnico §. sexto, & septimo.* Nauarrete *in præsenti controuers. 37. §. 4.* Nazarius *art. 5. controuers. 2. §. 3. aduertendum.* Albelda, Ripa, Zanardus, Collegium Salmanticense, Reuerendissimus Sancto Thoma, & Marcus de la Serra ad eundem articulum. Mag. Aluarez *tom. de auxilijs disput. 64. & lib. 3. responsionum cap. 2.* loquens de gratia, & libero arbitrio respectu actuum supernaturalium in genere, & in speciali de habitu charitatis in ordine ad actum dilectionis tractantes. Mag. Bañez *2. 2. quæst. 23. art. 2.* Lorca *ibidem disput. 4.* & Illustrissimus Arajo *dub. 2* Pro cuius explicatione sit. 7 Secunda sententia.

Soto. Ferrara. Vincent. Zumel. Cabrera. Curiel. Nauarr. Nazar.

Aluar.

PRIMA CONCLVSIO. *Intellectus non concurrit ad visionem beatificam instrumentaliter propriè; & consequenter non gaudet partiali virtute immediata instrumentali.* Dixi *propriè instrumentaliter*; nam largem de instrumento loquendo, qualiter omnis causa secunda dicitur instrumentum respectiue ad causam primam, certum est, intellectum ad visionem beatificam concurrere instrumentaliter. Conclusionem istam tuentur omnes Thomistæ pro secunda sententia relati, & ex professo illam discutit, & defendit Aluarez *lib. 7. de auxilijs disp. 68. & lib. 3. responsionum cap. 1.* loquendo de actibus supernaturalibus in communi. Tenent etiam ex PP. Societatis Belarminus *lib. 4. de gratia,* 8 *Prima conclusio.*

Aluar.

Belarm.

Vazquez. Salas. Herice. Tanerus. Beccanus. *de gratia, & libero arbitrio cap.* 15. *ad* 1. Vazquez *in hac prima parte disp.*176. *cap.*4. *num.* 20. *& cap.* 5. *num.* 26. Salas *tom.*1. *in* 1.2. *quæst.*3. *tract.*2. *disp.*5. *sect.*5. *num.*74. Herice 1.*p. disp.*46. *cap.*2. Tanerus *disp.*2. *q.*6. *dub.*4. *num.*6. Et Beccanus *tract.*1. *cap.*9. *q.*4. *n.*4.

9 *Probatur primo ex D.Tho.* Et ostenditur primo; voluntas enim respectu actus charitatis non concurrit instrumentaliter propriè; sed vt causa principalis: ergo idem est de intellectu dicendum per comparationem ad visionem beatificam. Consequentia tenet à paritate rationis, nec aduersarij vllum, quantum ad hoc, inter intellectum, & voluntatem recognoscunt discrimen. Antecedens autem probatur ex Diuo *S. THO.* Thoma 2.2. *q.* 23. *art.*2. *in corpore*, illis verbis: *Similiter etiam non potest dici, quod sic moueat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi, sicut mouetur instrumentum, quod etsi sit principium actus, non tamen est in ipso agere, vel non agere: sic enim tolleretur ratio voluntarij, & excluderetur ratio meriti.* Ergo ex mente Diui Thomæ voluntas non influit, nec potest influere instrumentaliter propriè in actum charitatis; cum implicet, actum charitatis esse, & voluntarium non esse.

10 *Respondebis 1.* Respondebis primo, Diuum Thomam solum negare voluntati respectu actus charitatis concursum instrumenti inanimati, quod agitur, & nullatenus agit; non verò concursum instrumenti animati: hoc namque taliter agit, quod se mouet ad agendum; ac proinde non repugnat cum ratione voluntatis, ex quo capite Diuus Thomas excludit à voluntate rationem instrumenti respectu actus charitatis.

11 *Sed contra.* Sed contra; nam Diuus Thomas in corpore illius articuli verbis paulò antecedentibus excluserat à voluntate respectu dilectionis Dei concursum instrumenti inanimati; ergo verbis allegatis omnem modum proprij instrumenti, illi negat respectu supernaturalis dilectionis. Consequentia videtur bona; aliàs Diuus Thomas inaniter id ipsum repeteret. Antecedens autem constat ex anterioribus verbis, ibi: *Non enim motus charitatis ita procedit ab Spiritu Sancto mouente humanam mentem; quod humana mens sit mota tantum, sicut cum aliquod corpus mouetur ab aliquo exteriori mouente; hoc enim est contra rationem voluntarij.* Ex quibus verbis sic arguo, cum corpus aliquod mouetur ab aliquo exteriori principio, tale corpus præbet ad prædictum motum concursum instrumentalem per modum instrumenti inanimati; vt quando lapis sursum ab aliquo agente proijcitur, lapis ipse medio impulsu sibi impresso, instrumentaliter ad motum ascendenti concurrit; at Diuus Thomas verbis adductis negat voluntatem ab Spiritu Sancto moueri in ordine ad dilectionem, ad modum quo aliquod corpus ab exteriori agente mouetur; ergo negat illi concursum instrumentalem per modum instrumenti inamitati; & consequenter verbis à nobis adductis omnem modum proprij instrumenti illi negat.

12 *Respondebis 2.* Respondebis secundo, Diuum Thomam loqui de voluntate, vt vitaliter agente, & sic verum est non agere instrumentaliter; quia non subordinatur Deo, vt vitaliter agenti per ipsum actum charitatis: cum quo tamen stat, quod sub conceptu efficientis, instrumentaliter ad actum charitatis concurrat; quia prout sic accipit à Deo virtutem, & ab ipso, vt efficiente actum charitatis dependet, quod sufficit, vt voluntas verè, & propriè sit instrumentum in illius efficientia.

13 *Reijcitur primo.* Hæc tamen subtilitas, qua Recentior quidam arbitrum se inter sententias extremè pugnantes constituit, nihil soliditatis habet; & reijcitur primo: nam Diuus Thomas non exinde probat, voluntatem non posse ad actum charitatis comparari, vt instrumentum, quia Deus, etsi talem actum efficiat, per illum tamen non viuit, sed quia instrumentum, etsi sit principium actus, non tamen est in illo agere, vel non agere: ideoque voluntarè operari non potest; at iuxta doctrinam traditæ solutionis potest instrumentum taliter ad actionem concurrere, quod in ipso sit agere, vel non agere; cum voluntas, vt efficiens instrumentum sit; & tamen est in illa agere, vel non agere: ergo solutio tradita menti Angelici Præceptoris non congruit.

14 *Secundo.* Secundo reijcitur; nam ratio efficientis comparatur ad rationem viuentis in voluntate, sicut genus ad differentiam, vel vt ratio superior ad rationem essentialiter inferiorem; sed ratio causæ instrumentalis, non potest illo modo comparari cum ratione causæ principalis; causa enim instrumentalis essentialiter à causa principali in ratione causæ distinguitur, quæ distinctio inter rationem superiorem, & inferiorem intercedere non potest: ergo non stat voluntatem sub ratione efficientis concurrere instrumentaliter, & sub ratione viuentis principaliter in actum charitatis influere.

Præterea reijcitur; si voluntas, vt efficiens, instrumentaliter in actum charitatis influeret, maximè quia 15 *Tertio,* dependet à Deo, vt simul cum ipsa efficiente, & illi virtutem dante; sed etiam quatenus vitaliter agit, dependet à Deo, vt illi dante virtutem, & cum illa vitaliter actum charitatis efficiente; Deus namque, etsi per actum charitatis non viuat; ipsum tamen vitaliter efficit, sicut quamuis per actum charitatis non agat liberè, illum tamen liberè efficit; ergo eadem ratione instrumentaliter influet voluntas in actum charitatis, quatenus vitaliter agit.

Et augetur difficultas; nam voluntas iuxta solutionis 16 *Confirmatur.* doctrinam est instrumentum sub ratione efficientis actum charitatis, quia dependet à Deo, tanquam ab efficiente, quamuis prædictum actum non efficiat, constitutus per ipsum in ratione efficientis; Deus enim per actum charitatis non agit; sed etiam prout vitaliter agens, & influens in actum charitatis dependet à Deo, vt ipsum efficiente vitaliter: ergo quamuis Deus per actum charitatis non viuat, voluntas, vt viuens, instrumentaliter illum eliciet.

Denique reijcitur; nam ad rationem instrumenti non petitur dependentia ab alio, vt ab efficiente, & causante 17 *Denique,* secundum eandem conditionem, & modum causandi: alias causa instrumentalis non esset possibilis; cum eo ipso, quod causa instrumentalis sit diuerso modo causet effectum, ac illum causat agens principale, à quo in causando dependet: ergo ex eo quod voluntas, vt viuens, in eliciendo actum charitatis non dependeat à Deo, vt per talem actum viuente; non tollitur, quin vt viuens instrumentum sit, si semel vt efficiens instrumentum est respectu actus charitatis.

Secundo principaliter suadetur conclusio: *In hoc differunt causa instrumentalis, & causa principalis, quod* 18 *Secundo principaliter probatur.* *principalis operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit; causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo mouetur à principali agente; vnde effectus non assimilatur instrumento, sed agenti principali.* Verba sunt D. Thomæ 3.*p.q* 62. *art.*1. *in corpore*. Et ratio est manifesta; nam causa instrumentalis, non propter se, sed ministraliter propter causam principalem agit: quo circa vt docet Diuus Thomas 3. *Contra Gentes cap.*112. *Instrumentum non quæritur propter se ipsum, sed vt eo principale agens vtatur*; sed intellectus eliciens visionem beatam, non causat illam ratione solius motionis diuinæ, sed virtute suæ formæ in contrariorum sententia immediatè influentis immediatione virtutis, & in nostra sententia mediatè ratione coaptationis essentialis, vel immediatè immediatione potentiæ: nec soli Deo actum beatificæ visionis assimilat, sed etiam sibi ipsi illum assimilare intendit similitudine analoga: nec propter Deum tantummodo quæritur, vt Deus illo vtatur in prædicti actus elicientia, sed quæritur propter se: ergo non instrumentaliter, sed principaliter influit in visionem beatificam.

Confirmatur; nam licet intellectus habitu, aut qualitate transeunte à Deo sibi infusa eleuetur ad eliciendam visionem beatam, non tamen illam causat ratione solius motionis diuinæ, sed ratione prædictæ formæ 19 *Confirmatur.* eleuantis, quæ licet à Deo infundatur; fit tamen intellectus propria, & sibi vt tali qualitate affecto intendit visionem assimilare; sed vt ex Diuo Thoma vidimus, ad rationem instrumenti requiritur, quod agat præcisè, vt motum à principali agente, & soli agenti principali intendat effectum assimilare: ergo intellectus, quatenus per formam eleuantem, elicit visionem beatificam, non instrumentaliter, & ministraliter, sed principaliter agit.

20 *Tertio,* Tertio probatur; nam intellectus, vel concurreret ad visionem beatificam per modum virtutis instrumentariæ Dei, qualiter calor ad substantiam ignis, vt virtus instrumentaria ignis generationis concurrit vel vt verum instrumentum; nullo ex his modis causalitatem instrumentalem exercet: ergo non instrumentaliter, sed principaliter influit in illam. Minor, in qua est difficultas, quantum ad primam partem manifesta videtur; virtus enim instrumentaria se ipsa ratione sui subordinatur principali agenti in agendo, & in essendo; sed intellectus ratione suæ entitatis non est subordinatus Deo, vt agenti supernaturali in agendo, sicut nec in essendo, illi vt sic subordinatur: cum sit naturalis entitas à Deo conditore naturæ causata: ergo non potest in beatificam visio-

visionem influere, vt virtus instrumentaria Dei Auctoris supernaturalis, cuius virtus esse deberet, vt in visionem beatam instrumentaliter influeret, vt virtus instrumẽtaria.

21 *Secunda pars minoris probatur.* Pro secunda parte probatur; nam intellectus viuit per visionem beatificam, vt fatentur omnes; sed si instrumentaliter illam causaret tanquam verum instrumentum, non posset per illam viuere: ergo non influit in visionem beatificam instrumentaliter propriè. Minor, in qua est difficultas, ostenditur primo ex Diuo Thoma 3. p. quæst. 62. art. 4 *in corpore*, illis verbis: *Instrumentum enim non operatur, nisi in quantum est motum à principali agente, quod per se operatur*. Et 3. *Contra Gentes cap. 12.* vbi ait: *Quod enim ab altero tantum agitur, rationem instrumenti habet, quod vero per se agit, habet rationem causæ principalis agentis*; sed vt intellectus viuat per beatificam visionem, debet non solum agi, sed etiam agere, non solum moueri, sed se mouere; viuere enim consistit in se mouere, vel à se perfectionem habere: ergo si intellectus, vt verum instrumentum, in beatificam visionem influeret, non posset per illam viuere. Secundo eadem pars minoris probatur; nam ad rationem viuentis non sufficit causare in se instrumentaliter motum; aliàs graue deorsum descendens viueret per talem motum, cum illum in se instrumentaliter causet: ergo si intellectus instrumentaliter tantum in se ipso beatificam visionem causaret, non posset per illam viuere.

22 *Denique.* Denique principaliter suadetur conclusio: habitus luminis gloriæ principaliter ad beatificam visionem concurrit: ergo intellectus non instrumentaliter, sed principaliter influit illam. Antecedens admittit Suarez, loquendo in simili de habitu charitatis respectu dilectionis Dei *li. 6. de gratia c. 7. in principio*, vbi docet à nemine posse negari. Consequentia vero probatur. Tum; quia instrumentum non petit eleuari ad agendum per virtutem principaliter influentem, vt per omnia instrumentorum genera discurrenti constabit; sed intellectus, vt connaturaliter influat in visionem beatificam, petit eleuari per habitum luminis gloriæ, vt alibi vidimus: ergo si habitus principaliter influit in beatificam visionem, non potest intellectus esse causa instrumentalis illius. Tum etiam; nam habitus influit in actum, non vt *quod*, sed vt *quo*: ergo constitutum per illum principaliter agit vt *quod*, si virtus principalis est; sed intellectus per habitum luminis gloriæ constituitur agens vt quod: ergo si lumen gloriæ principaliter influit in visionem beatificam intellectus eleuatus per illud, non instrumentaliter, sed principaliter influit in illam. Tum denique à paritate rationis; sicut enim intellectus supernaturalis non est, & idcirco ratione sui supernaturalitatem actus, vt adæquata causa non continet, ita in sententia aduersariorum, habitus non est vitalis, & consequenter ab actu vitali in ratione vitalis exceditur; sed non obstante excessu actus supra habitum in prædicato vitalis, principaliter causatur ab illo, vt docet Suarez: ergo non obstante excessu actus supra intellectum in prædicato supernaturalitatis, principaliter ab illo causabitur.

23 *Respondebis 1.* Respondebis primo ex doctrina Patris Suarez, negando consequentiam, & paritatem rationis; disparitas autem est; nam habitui supernaturali est connaturalis, & debitus Dei concursus in actum supernaturalem; secus autem potentiæ, quæ cum obedientialiter solum in prædictum actum influat, vtpotè ordinis inferioris, non exigit Dei concursum in illum. Nec repugnat, quod instrumentum aliquando eleuetur ad agendum per virtutem principaliter influentem, quando actus, ob diuersas considerationes exposcit influxum duorum simul influentium, quorum vnum principale est, & aliud instrumentale. Nec potentia per habitum supernaturalem causat, nisi tantum materialiter, & per accidens, ad modum quo aqua calefacit per calorem.

24 *Contra 1.* Sed contra primo; non enim repugnat virtuti instrumentariæ, quod concursus principalis agentis connaturaliter illi debeatur; calor enim est virtus instrumentaria ignis, cui tamen debetur concursus ad producendum ignem; cum illum ab intrinseco petat: ergo ex eo quod debeatur lumini gloriæ concursus Dei in ordine ad visionem beatificam, intellectuique non debeat, non redditur sufficiens ratio discriminis, vt lumen gloriæ causa principalis sit, intellectus autem causa instrumentalis visionis.

25 *Contra 2.* Deinde; nam estò non repugnet, quod ex duobus ad effectum aliquem concurrentibus, vnum principale sit, & aliud instrumentale, quod autem instrumentum eleuari petat, vt connaturaliter agat per virtutem principalem, omnino repugnans est nec illius oppositum exemplo aliquo poterit manifestari; sed virtus quam petit intellectus, vt visionem beatificam eliciat connaturaliter, est habitus luminis gloriæ: ergo si lumen gloriæ est virtus principalis respectu visionis beatificæ, intellectus eleuatus per illud non influit instrumentaliter in beatificam visionem.

Denique; nam falsum est id, quod docet Suarez nempè, intellectum ratione luminis gloriæ solum materialiter, & per accidens in visionem influere; quod probo primo; nam media virtute ab aliqua causa petita, vt agat connaturaliter, non influit talis causa materialiter, & per accidens; sed lumen gloriæ est virtus ab intellectu exacta, vt connaturaliter eliciat visionem: ergo vt eleuatus per illud, non influit in visionem materialiter, & per accidens, sed per se, & formaliter. Secundo probatur; nam si ratione luminis solum per accidens, & materialiter influit intellectus in visionem, & ratione suæ innatæ virtutis formaliter, & per se, secundum influxum, quem per se, & formaliter præstat, non concurret connaturaliter; & consequenter quando à Theologis asseritur, peti formam inhærentem permanenter, vt potentia influat connaturaliter in actum supernaturalem, intelligendum erit de concursu materiali, & per accidens, non de concursu formali, & per se: Ex quo vlterius fiet inhærentiam formæ permanentis solum desiderari, vt forma permanens, influat per se, & potentia eleuata per illam influat denominatiuè, & per accidens. 26 *Contra 3. Assumptũ probatur primo.* *Secundo.*

Tertio; nam omni formæ accidentali per se causatiuæ vt *quo* alicuius effectus, correspondere debet aliquod per se causans vt *quod*; vnde calori in aqua existenti correspondet ignis potens vt *quod* per se per calorem calefacere, etsi aqua, non per se, sed per accidens, & denominatiuè medio calore influat in calefactionem; sed habitus luminis gloriæ est per se causatiuus visionis beatificæ, tantum vt *quo*: ergo debet illi assignari aliquod potens mediante lumine gloriæ per se vt *quod* in beatificam visionem influere: cumque aliud præter intellectum, illi assignari non possit, asserendum est, intellectum, vt lumine gloriæ eleuatum, per se vt *quod* influere in visionem beatificam. 27 *Tertio.*

Denique; nam intellectus medio lumine gloriæ, eleuatur ad agendum intra sphæram suæ specificationis adæquatæ, ad differentiam aquæ calefacientis medio calore, quæ per illum trahitur ad operationem non contentam intra sphæram specificationis sui vel suarum potentiarum: ergo licet aqua mediante calore, solum per accidens materialiter, & denominatiuè calefaciat, intellectus mediante lumine gloriæ, non materialiter, & per accidens, sed per se, & formaliter influet in visionem beatificam. 28 *Quarto.*

Respondebis secundo, negando antecedens; lumen enim gloriæ instrumentaliter in visionem beatificam influit, non vt instrumentum obedientiale, sed vt instrumentum connaturale, strictiori instrumenti ratione, quam intellectus; eo quod lumen gloriæ accipit virtutem à Deo, & ab illo, vt à simul efficiente dependet, & alias non operatur vitaliter: intellectus autem, etsi à Deo recipiat virtutem, ab illoque, vt simul coefficiente dependeat, vitaliter tamen agit, & per visionem beatificam viuit, qualiter Deus non operatur per illam: ideoque minus rationem instrumenti sortitur, quam lumen in ordine ad visionem beatam. 29 *Secundo respondebis.*

Sed contra: nam sequitur ex hac solutione omnem causam secundam non operantem vitaliter esse in rigore instrumentum causæ primæ; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Patet sequela; nam ex eo lumen gloriæ, iuxta doctrinam traditæ solutionis, est rigorosè instrumentum, quia accipit à Deo suum esse, & virtutem operandi, ab illoque vt simul operante dependet; sed totum hoc conuenit omni causæ secundæ: ergo omnis causa secunda, quæ non operatur vitaliter, est cum omni proprietate instrumentum causæ primæ. Falsitas autem consequentis probatur, tum; quia aliàs cum Diuus Thomas pluribus in locis docet, nullam creaturam causare posse physicè principaliter gratiam: bene autem instrumentaliter, esset omnino supervacanea distinctio; cum eo ipso quod creatura aliqua causaret physice gratiam, deberet illam causare, vt verum, rigorosumque instrumentum. Tum etiam; quia iuxta communem Phylosophorum doctrinam, causa secunda diuiditur in principalem, & instrumentalem, quin ad hoc, quod causam secundam principalem inueniant, ad causas vitaliter operantes recurrant: ergo asserere omnem causam secundam vitaliter non operantem, esse verè, & propriè instrumentum causæ primæ, communi Phylosophorum sententiæ aduersatur. 30 *Sed cõtra.*

Respon-

31 *Respondebis tertio.* Respondebis tertio cum alijs, negando etiam antecedens; eo quod habitus luminis gloriæ non est vitalis, visio autem vitalis est; vnde sicut intellectus, quia supernaturalis non est, visio autem est supernaturalis, instrumentaliter influit in illam, ita habitus luminis gloriæ, quia vitalis non est, instrumentaliter influit in visionem vitalem.

32 *Sed contra.* Sed præterquam quod hæc solutio falso nititur fundamento, nempè, habitum luminis gloriæ vitalem non esse, cuius falsitas ex infra dicendis constabit, in hunc modum reijcitur; nam iuxta aduersarios præfata solutione vtentes, etsi habitus supernaturalis non contineat ratione sui vitalitatem actus, nec potentia ratione sui supernaturalitatem actus contineat, conflatum tamen ex potentia, & habitu supernaturali resultans, vitalitatem, & supernaturalitatem in actu repertam continet, vnum ratione habitus, & aliud ratione potentiæ: ergo conflato ex habitu, & potentia resultanti, nihil deest, vt principaliter ad elicientiam actus supernaturalis concurrat; & consequenter est causa principalis illius. Sed causa principaliter agens, non potest in ratione talis constitui ex partibus tantum instrumentaliter concurrentibus: ergo saltim habitus in supernaturalem actum principaliter influit.

33 *Respondebis.* Respondebis, quod licet conflatum ex habitu, & potentia resultans, vitalitatem, & supernaturalitatem actus contineat, non tamen continet per modum causæ principalis, sed per modum causæ instrumentalis; eo quod nullum ex componentibus tale conflatum adæquat actum supernaturalem vitalem, sed vnum exceditur ab illo in vitalitate, & alterum in supernaturalitate.

34 *Sed contra.* Sed contra; nam sequitur ex hac solutione, implicare concursum partialem principalem partialitate causæ; consequens non admittent contrariæ sententiæ Auctores: ergo solutio tradita non subsistit. Patet sequela; nam eo ipso, quod duo concurrant ad aliquem effectum partialiter, quod libet illorum seorsim à perfectione effectus exceditur; si namque illorum aliquod perfectionem effectus adæquaret, se solo illum contineret, & consequenter causa partialis non esset: ergo eo ipso nullum illorum seorsim, nec conflatum ex vtroque resultans, potest principaliter in effectum influere, si vera est doctrina traditæ solutionis; & consequenter manifestè ex illa infertur, implicare omnino concursum principalem partialem.

§. II.

Sententia opposita cum suis fundamentis proponitur.

35 *Suarez.* CONTRARIAM nostræ conclusioni sententiam docuere Suarez *primo tom. in 3. p. disp. 31. sect. 6. solutione ad 4. lib. 3. de auxilijs cap. 15. nu. 20. disp. 3. metaph. sect. 13. num. 46. lib. 2. de attributis negatiuis cap. 10. num. 14. & lib. 6. de gratia cap. 6. & 7.* *Arrubal.* Arrubal *in hac prima parte disp. 19. num. 30.* *Fasolis.* Fasolis *in hac quæst. art. 5. num. 27.* *Granad.* Granadus *tractatu de visione Dei disp. 6. n. 22. & controu. 3. de charitate disp. 2. nu. 3.* Quos alij Recentiores ex eadem familia sequuntur pro se referentes *Ægid.* Ægidium *in 2. dist. 26. quæst. 2. art. 1. in corpore* Et *dist. 28. quæst. 1. art. 3.* *Argent.* Argentinam *in eadem distinct. quæst. vnica art. 2.* Et *Capreol.* Capreolum *quæst. vnica art. 3. ad 12. argumentum.* Falso tamen Capreolus pro hac sententia refertur; nam de voluntate in ordine ad actum meritorium loquendo, non dicit esse propriè instrumentum, sed largè; vnde ait voluntatem quasi instrumentaliter à Deo ad actum meritorium moueri, manifestè denotans per illam modificationem, non propriè, sed largè posse dici instrumentum, quia a Deo vt mouente dependet, quod omni causæ secundæ est commune.

36 *S. Tho.* In fauorem huius sententiæ, & contra assertionem nostram arguitur primo ex Diuo Thoma 1. 2. *quæst. 21. art. 4. ad 2.* illis verbis: *Dicendum, quod homo sic mouetur à Deo, vt instrumentum, quod tamen non excludit, quin moueat se ipsum per liberum arbitrium.* Et 2. 2. q. 173. *art. 4. in corpore,* illis verbis: *In reuelatione prophetica, mouetur mens Prophetæ ab Spiritu Sancto, sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis.* Et *quæst. 27. de veritate art. 1. ad 9.* ibi: *Dicendum, quod duplex est instrumentum, quoddam inanimatum, quod agitur, & non agit, vt securis, & tale non indiget habitu; quoddam vero animatum, vt seruus, quod agit, & agitur, & hoc indiget habitu; & tale instrumentum est humanitas diuinitatis.* Ex quibus testimonijs tale argumentum formatur; homo per liberum arbitrium vitaliter, & liberè agit, mens etiam Prophetæ vitaliter ad propheticam cognitionem concurrit, & humanitas Christi vitaliter influit in actus, quos elicit medijs habitibus; & tamen iuxta D. Thomam homo per liberum arbitrium agens est instrumentum Dei, mens Prophetæ instrumentum deficiens Spiritus Sancti, & humanitas Christi est instrumentum diuinitatis: ergo vitalitati actionis non obstat a principio instrumentaliter agente procedere; & consequenter ex eo quod visio beatifica sit actus vitalis, non tollitur, quod ab intellectu beati procedat instrumentaliter.

37 *Respondetur. S. Tho.* Vt ad hoc argumentum respondeam, aduerto ex D. Thoma *quæst. 24. de veritate art. 1. ad 5.* instrumentum dici dupliciter: *Vno modo propriè, quando scilicet aliquid ita ab altero mouetur, quod non confertur ei à mouente aliquod principium talis motus, sicut serra mouetur à Carpentario, & tale instrumentum non est particeps libertatis. Alio modo dicitur instrumentum magis communiter quidquid est mouens ab alio motum, siuè sit in ipso principium sui motus, siuè non; & sic ab instrumento non oportet, quod omnino excludatur ratio libertatis, quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen se ipsum mouet, & ita est de mente humana.* Verba sunt Diui Thomæ, ex quibus sine interprete infertur clara intelligentia primi testimonij in contrarium adducti, nempè, Diuum Thomam loqui de instrumento largè, & communiter accepto, cum docet, liberum arbitrium in ordine ad actus liberos esse instrumentum Dei, sumpto scilicet instrumento communiter pro omni eo quod ab alio mouetur, siuè se ipsum moueat, siue non.

38 *Secundo testimonium explicatur.* Ex eisdem etiam colligitur vera secundi testimonij intelligentia, animaduertendo prius, quod cum ratio instrumenti consistat in hoc, quod est agere tantum vt motum, per quod excluditur agere per propriam formam, & agere se mouendo, quo aliquid minus virtute propriæ formæ mouetur, eo magis accedit ad rationem instrumenti, etsi semper maneat intra limites instrumenti communiter sumpti: ex quo manifestè colligitur agens vitaliter tantum, magis participare de ratione instrumenti accepti communiter, quam agens vitaliter liberè; quia etsi vtrumque moueatur à se, magis tamen agens liberè à se ipso mouetur, quam agens tantum vitaliter; vtpote cum agens liberum, media consultatione, & libera electione moueatur, sibique suæ actionis finem præstituat; quo circa Diuus Thomas 3. *Contra Gentes cap. 112.* agentia omnia irrationalia inter instrumenta computauit; quia nempè aguntur, & non agunt cum suarum actionum dominio, nec sibi finem præstituunt, sed à Deo præstitutum accipiunt. Hoc ita præmisso sensus Diui Thomæ manifestus apparet, mentem scilicet Prophetæ esse instrumentum Spiritus Sancti in cognitione prophetica, non strictè, & propriè, sed communiter, & largè, magis tamen rationem instrumenti participat respectu talis cognitionis, quam liberum arbitrium creatum in ordine ad actus liberos; hoc enim taliter mouetur a Deo, quod se applicat liberè ad illos, mens autem Prophetæ taliter à Deo mouetur ad cognitionem propheticam, quod non se applicat libere ad illam nec eam continet in sua libera potestate, vt enim docet Diuus Thomas 2. 2. *q. 171. art. 2.* non potest aliquis vti prophetia, cum voluerit, & ideo lumen propheticum non est habitus, sed impressio quædam per modum transeuntis communicata.

39 *Tertio testimonium explicatur.* Ad tertium testimonium dicatur, instrumentum iuxta D. Thom. 1. *p. quæst. 45. art. 5.* habere propriam actionem, hoc est, virtute propriæ formæ causatam præuie ad actionem principalis agentis, præter quam habet actionem instrumentariam. Est ergo differentia inter instrumenta animata, & inanimata quoad indigentiam habituum, non in ordine ad actionem, quam instrumentaliter causant, sed in ordine ad actionem præuiam, quam in genere causæ principalis efficiunt: & sic humanitas Christi, quæ est instrumentum animatum diuinitatis, habitibus indigebat, illisque vtebatur in ordine ad actiones præuias ad concursum instrumentalem, non vero in ordine ad actiones, quas causabat instrumentaliter. Et ex his ad argumentum constat solutio; non enim ex testimonijs Diui Thomæ conuincitur agens vitale, seu liberum, ad actiones, quibus viuit, & quas liberè elicit, instrumentaliter propriè concurrere, sed tantum communiter, quod à nobis non negatur, nec vllus Theologorum negauit.

40 *Suarez. Se instat.* Sed contra interpretationem datam secundo testimonio instat Suarez, nam Diuus Thomas ex eo quod mens Prophetæ est instrumentum deficiens Spiritus Sancti, colligit Prophetas non cognoscere omnia, quæ pro-

prophetant; sed qui loqueretur de instrumento, non propriè sumpto, sed largè, & communiter accepto, ridicula esset illatio facta ab Angelico Doctore: ergo accipiendus est de instrumento, non largè, sed propriè sumpto.

41 *Respondetur.* Respondeo, negando minorem. Vt enim Propheta aliquando loquatur, aut faciat ea, quæ ipse non cognoscit sufficit, quod sit instrumentum Spiritus Sancti communiter sumptum modo explicato, nempè, quod ad illud dictum, vel factum propheticum non moueatur à se cum consultatione, & deliberatione: licet enim operans media deliberatione, & consultatione, debeat sibi finem præstituere, illumque perfectè cognoscere: operans autem vitaliter, non tamen deliberatè, & præuia consultatione non est opus, vt finem suæ actionis sibi præstituat, & illum perfectè cognoscat. Quia ergo mens Prophetæ ad illa dicta, vel facta prophetica speciali instinctu mouetur à Deo, non tamen per deliberationem à se, ideo potest non cognoscendo, quæ Deus reuelare intendit, illa dictis, aut factis reuelare.

42 *Secundo arguitur.* Secundo arguit Suarez; nam intellectus influit in visionem beatificam, non ratione potentiæ naturalis, sed ratione potentiæ obedientialis actiuæ; sed virtus obedientialis actiua non est principalis, sed instrumentalis ergo non principaliter, sed instrumentaliter influit in illam. Minorem probat primo; nam virtus proxima principalis operatur iuxta mensuram suæ naturalis virtutis; item cum concursu sibi debito: ac denique cum proportione, & naturali propensione ad effectum, sed virtus actiua obedientialis non sic operatur: ergo non principaliter, sed instrumentaliter agit. Secundo probat minorem; nam potentia actiua obedientialis, solum est apta operari iuxta imperium, motionem, seu auxilium Dei principalis agentis, respectu cuius dicitur obedientialis; sed iste modus operandi est sufficiens ad rationem instrumenti: cum sit operari vltra mensuram, & naturam proximæ facultatis, & cum dependentia per se ab agente superiori habente principalem virtutem: ergo virtus actiua obedientialis, non principalis, sed instrumentalis est.

43 *Respondetur.* Respondeo, distinguendo maiorem: agit ratione potentiæ actiuè obedientialis habentis coaptionem essentialem cum actu, ratione continentiæ illius intra sphæram sui specificatiui, concedo maiorem: tali coaptatione carentis, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Ad primam probationem minoris, quatenus solutioni traditæ potest obstare, concessa maiori, & minori, distinguo consequens: non operatur principaliter proximè, concedo consequentiam: remotè, nego consequentiam. Virtus autem, quam nos intellectui ratione sui concedimus in ordine ad visionem beatificam, non influit immediatè, & proximè in illam, sed mediatè & remote, ratione luminis gloriæ, vt virtutis proximæ adæquatæ eleuantis intellectum, illique præstantis proximam continentiam visionis.

44 Ad secundam probationem, distinguo maiorem: iuxta imperium, motionem, seu auxilium eleuantia potentiam intra sphæram suæ specificationis, concedo maiorem: non sic eleuantia, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam intellectus, etsi solum aptus sit ad influendum in visionem beatificam iuxta imperium Dei, aut motionem illius; quia tamen hoc imperium seu motio fit media qualitate eleuante intellectum, vt agat intra sphæram suæ specificationis; fit consequens, quod intellectus media tali qualitate, non tantum sit motus à Deo, sed etiam à seipso moueatur, & per propriam formam, seu virtute propriæ formæ operetur; remotè quidem ratione suæ coaptationis essentialis, & proximè ratione habitus, vel auxilij eleuantis, quæ sunt formæ propriæ intellectus; ac proinde quod non instrumentaliter, sed principaliter influat in visionem beatificam: vt enim vidimus ex Diuo Thoma, agens, quod virtute propriæ formæ operatur, non instrumentale, sed principale est.

45 *Tertio arguitur.* Tertio objiciunt Recentiores; illa est causa instrumentalis propriè, quæ operatur effectum per virtutem acceptam ab alio, à quo, vel præsente, vel absente dependet in operando; sed intellectus, vt efficiens visionem, accipit virtutem à Deo, & ab ipso, vt præsente in illius efficientia dependet; ergo non principaliter; sed instrumentaliter influit in illam. Minor, & consequentia probatione non indigent. Maiorem autem probant; nam ratio instrumentalis causæ non sumitur ex modo, quo cum effectu comparatur, sed ex modo, quo cum alia causa coefficiente confertur; principalis enim causa sonat causam in agendo præcipuam, alterique non subiectam; instrumentalis verò sonat causam minus præcipuam in agendo, & alteri causæ subiectam: ergo causa ab alia in agendo dependens, & ab illa virtutem accipiens, verè, & propriè est causa instrumentalis.

46 *Respondetur.* Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem dicatur, rationem causæ instrumentalis ex vtroque capite sumi, nempè, ex modo quo cum effectu comparatur, & ex modo quo cum causa principali confertur; causa namque instrumentalis taliter effectum respicit, quod illo non sibi, sed agenti principali quærit, vt ex Diuo Thoma vidimus. Dato autem quod sumatur ex modo, quo cum alia con causa confertur, non sufficit ad rationem instrumenti propriè accepti, quod ab alio recipiat virtutem & ab alio dependeat in operando; aliàs omnis causa secunda esset instrumentum propriè, & non causa principalis, quod est contra D. Thom. & contra communem Philosophorum sententiam, vt supra argumentabamur; sed insuper est necessarium, quod virtus illa recepta ab agente superiori, non sit propria causæ agentis, nec data, vt illa se moueat, sed vt præcisè moueatur, nec vt sibi effectum quærat, sed tantum agenti mouenti; quando autem licet virtus recipiatur ab alio, est tamen agentis, cui datur propria & datur illi, vt se moueat, & vt sibi effectum quærat, etsi instrumentum communiter, non est instrumentum propriè, & quia intellectus hoc modo accipit virtutem à Deo in ordine ad visionem beatificam: fit consequens, vt in eius eliciencia non sit instrumentum propriè, sed solum largè, & communiter.

47 *Instabis primo.* Sed oppones primo; nam sequitur ex hac solutione, nullum esse instrumentum animatum, quod propriè instrumentum sit; consequens est contra Diuum Thomam *quæst. 27. de veritate art. 1. ad 9.* vbi docet, humanitatem Christi esse instrumentum animatum, & coniunctum diuinitatis; ergo deficit solutio. Probatur sequela; nam iuxta Doctrinam traditæ solutionis, cum virtus agenti datur, vt se moueat ad aliquem actum, tale agens non est instrumentum propriè, sed instrumento animato datur virtus, vt se moueat; aliàs animatum non esset, cum de ratione viuentis sit à seipso moueri: ergo nullum datur instrumentum animatum, quod propriè instrumentum sit, si vera est solutionis doctrina.

48 *Secundo.* Secundo; nam id, quod accipit ab alio virtutem ad agendum vltra sphæram actiuitatis suæ, & supra virtutem innatam agit propriè instrumentaliter; quidquid enim aliud petitur ad rationem instrumenti propriè, voluntariè peti videtur; sed intellectus, vt eliciens visionem beatificam accipit virtutem à Deo ad agendum supra facultatem propriam, virtutemque sibi innatam, & vltra sphæram suæ actiuitatis: ergo influit in visionem beatificam tanquam proprium instrumentum.

49 *Tertio.* Tertio; nam habitus siuè auxilium, quibus intellectus iuuatur, & eleuatur ad eliciendam visionis, non sunt formæ propriæ intellectus; cum non sint, nec possint esse connaturalia intellectui creato, aut creabili, sed tantum Deo, cui soli videre se ipsum potest esse connaturale; sed in nostra sententia intellectus elicit visionem beatificam ratione formæ eleuantis, vt virtutis proximè adæquatæ: ergo non elicit illam per sibi propriam virtutem; & consequenter in eliciencia visionis agit instrumentaliter propriè.

50 *Respondetur primæ instantiæ.* Respondeo ad primam instantiam, negando sequelam. Ad illius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: virtus per quam constituitur instrumentaliter agens, nego minorem: virtus per quam principaliter agit præuiè ad actionem instrumentariam, concedo minorem, & nego consequentiam. Vel distinguo consequens: ratione primæ virtutis, concedo consequentiam; ratione secundæ virtutis, nego consequentiam. Itaque humanitas Christi, & idem de quouis alio instrumento animato est dicendum, cum ad effectus miraculosos instrumentaliter concurrebat, duas exercebat actiones, vnam præuiam, principalem, alteram instrumentalem; & consequenter duplici virtute pollebat, vna ad actionem principalem, & per hanc se mouebat, & vitaliter agebat, alia ad instrumentaria actionem, & per hanc non se mouebat, sed mouebatur à Deo, nec per talem actionem formaliter sumptam viuebat: ex quo tantum sequitur, quod instrumentum animatum non constituitur in ratione instrumenti per illam primam virtutem, & quod respectu primæ actionis, propriè instrumentum non

non sit, quod libenter fatemur; non autem, quod in ordine ad effectum principalis agentis, ad quem per secundam virtutem eleuatur, non sit instrumentum propriè.

15 *Ad secundam.* Ad secundam, distinguo maiorem: quod accipit virtutem ad agendum vltra sphæram essentialem, & specificatiuam, concedo maiorem: vltra sphæram proportionatam, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Ratio autem distinctionis est; nam eo ipso quod aliquid operetur intra sphæram suæ specificationis essentialis, etsi operetur vltra sphæram proportionatam, concurrit ad talem operationem per virtutem sibi innatam, vt per vim mediatè actiuam, & forma vim proximam præstans, etsi ab extrinseco veniat, illi tamen appropriatur, & fit propria illius, non quidem proprietate naturalis dimanationis, sed proprietate passiuæ receptionis in ordine ad proprium obiectum, & non taliter mouetur ab alio, quod simul à se non moueatur; ac proinde non agit, vt instrumentum propriè, de cuius ratione est taliter operari, vt motum a principali agente, quod non moueatur à se, & quod motio præstet vim proximam, & remotam, id est, nullam vim etiam mediatè actiuam in instrumento supponat. *Ad tertiam.* Et ex his ad tertiam replicam constat solutio, nam licet forma supernaturalis eleuans intellectum ad efficientiam visionis, non sit intellectui propria dimanatiuè, receptiuè tamen est propria, eo quod eleuat intellectum, vt agat intra sphæram suæ specificationis essentialis, & in ordine ad obiectum proprium, & specificatiuum.

52 *Denique arguitur.* Denique argumentari possumus contra nostram conclusionem; non repugnat agenti vitali instrumentaliter influere in actum vitalem: ergo ex eo quod intellectus vitaliter influat in visionem beatificam, non benè à nobis infertur, quod non influat instrumentaliter. Probatur antecedens primo, nam potentia generatiua concurrit ad generationem vitaliter; & tamen non principaliter, sed instrumentaliter influit in illam; non enim stat principalis concursus ad actionem, & instrumentalis ad terminum actionis, potentia autem generatiua non principaliter, sed instrumentaliter causat generationis terminum: ergo non repugnat viuenti concurrere instrumentaliter ad actionem per quam viuit. Secundo probatur: nam iuxta D. Thomam *quæst. 3. de potentia art. 7.* in corpore ad finem: *Deus est causa cuiuslibet actionis in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conseruat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum eius virtute omnis alia virtus agit.* Et solutione ad 7. duplicem virtutem distinguit in omni causa secunda, vnam habentem esse ratum, & permanens, per quam principaliter agit; & aliam habentem esse intentionale, & fluidum per modum quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis, per quam instrumentaliter causat terminum, qui est Dei proprius, scilicet esse; sed etiam causa vitalis à Deo dependet, vt dante, & conseruante virtutem & vt applicante virtutem datam ad actum; & vt in cuius virtute talem actum operatur: ergo est instrumentum Dei respectu actionis vitalis; & consequenter non est contra rationem agentis vitalis instrumentaliter ad vitalem actum concurrere.

53 *Respondetur.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: tanquam proprium instrumentum, nego minorem: vt virtus instrumentaria, concedo minorem; & distinguo consequens distinctione minoris. Itaque viuens vt *quod* principaliter, debet etiam principaliter ad actum vitalem concurrere; viuens autem *quo* per modum virtutis vitalis, etsi possit in actionem vitalem influere instrumentaliter, vt virtus instrumentaria, non tamen potest influere instrumentaliter tanquam proprium instrumentum. Et ratio differentiæ est; nam virtus instrumentaria se ipsa est virtus principalis agentis; ac proinde quamuis in illius virtute, in sensu intransitiuo, moueatur, non tollitur, quod moueatur à se; ac proinde non tollitur, quod per talem actum viuat. Instrumentum autem, quod verè instrumentum est, non est se ipso virtus principalis agentis, sed agit per virtutem fluidam à se distinctam, & ab agente principali determinatam; ideoque non a se ipso, sed ab agente principali mouetur, cum quo non stat viuere per talem actionem.

54 *Si obijcias.* Si dicas; sequi ex ista solutione intellectum respectu visionis beatificæ posse concurrere instrumentaliter, per modum virtutis instrumentariæ; consequens non admittimus: ergo solutio tradita non subsistit. Probatur sequela; vt enim in solutione tradita asserimus, concurrere instrumentaliter per modum virtutis instrumentariæ, non obstat vitalitati: ergo licet visio beatifica vitalis sit, & intellectus viuat per illam, poterit in visionem influere, etsi non vt instrumentum proprium, bene tamen vt virtus instrumentaria.

Respondeo, negando sequelam; non quia modus iste concurrendi instrumentaliter obstet vitalitati actionis, sed ex alio capite, nempè, quia intellectus non potest concurrere, vt virtus instrumentaria Dei Auctoris supernaturalis, cum se ipso non sit virtus illius, vtpotè ratione sui Deo Auctori supernaturali non subordinatus in operando, sicut nec in essendo: nec vt virtus instrumentaria animæ rationalis; nam concursus instrumentalis per modum virtutis, est per subordinationem ad causam principalem; si autem intellectus instrumentaliter influit in visionem beatificam, non potest anima principaliter in illam influere; cum ratio quare intellectus non principaliter, sed instrumentaliter influat, non possit alia assignari, nisi quia visio excessu ordinis intellectum excedit; quæ ratio, si quid probat, conuincit, nec animam rationalem posse principaliter in beatificam visionem influere: non ergo potest intellectus concurrere instrumentaliter in visionem beatificam per modum virtutis instrumentariæ. 55 *Respon.*

Ad secundam antecedentis probationem, concessis maiori, & minori, distinguo consequens: non est contra rationem agentis vitalis concurrere instrumentaliter ad actum vitalem sub conceptu entis, concedo consequentiam secundum rationem vitalis, nego consequentiam. Quæ doctrina qualiter sit accipienda, & quomodo cum nostrorum actuum libertate compati possit, quod intellectus, & voluntas, & omnis causa secunda ad actus, & effectus proprios sub aliqua ratione concurrant instrumentaliter, fusè à Discipulis Diui Thomæ discuritur *Tractatu de Auxilijs.* 56 *Secunda probatio diluitur.*

Si opponas: ergo poterit intellectus influere in visionem beatificam principaliter sub ratione vitalis, & instrumentaliter sub ratione supernaturalis, quod intento aduersariorum sufficiet. Probatur sequela; vt enim in solutione data asseruimus, intellectus de facto instrumentaliter tanquam instrumentum Dei influit in visionem beatificam sub ratione entitatis, & principaliter influit in illam sub ratione vitalis; sed non minus distinguuntur in visione beatifica ratio vitalitatis, & ratio supernaturalitatis, quam ratio vitalitatis, & ratio entitatis, vel actualitatis: ergo poterit influere in visionem beatificam principaliter sub ratione vitalis, & instrumentaliter sub ratione supernaturalis. 57 *Si opponas.*

Respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, si nomine actualitatis instrumentaliter à causis secundis causatæ, non actualitas essentiæ, sed existentiæ intelligatur, facili negotio occurritur, negando minorem. Existentia namque realiter ab essentia distinguitur in doctrina Diui Thomæ, supernaturalitas autem a vitalitate visionis non distinguitur realiter, sed intimè illam transcendit, & cum illa identificatur. Si autem teneamus nomine actualitatis Deo, vt proprius effectus respondentis, non existentiam, sed actualitatem entitatiuam intelligi, vrget magis difficultas; cæterum ad illam respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam: & ratio discriminis est; nam ad vitalitatem, & etiam ad libertatem saluandam, sufficit continentia principalis effectus secundum formalitates pertinentes ad ordinem causæ secundæ, non autem petitur continentia principalis formalitatum spectantium ad sphæram, & ordinem causæ primæ, & quia iuxta doctrinam ex Diuo Thoma adductam, in quolibet ente creato, ratio entitatis pertinet ad causam primam, vt proprius effectus illius; consequens est, quod vt intellectus vitaliter influat, & vt voluntas liberè agat, non petant istius prædicati continentiam principalem. Supernaturalitas autem non est formalitas spectans ad causam primam, vt proprius illius effectus, & illius quasi specificatiua, sed pertinet ad ordinem causæ secundæ; & ideò vt intellectus influat vitaliter, & voluntas influat liberè in actus ipsis correspondentes, petunt prædictos actus, vt supernaturales principaliter continere. 58 *Responditur.*

Instabis; entitas, vel actualitas entitatiua in quolibet ente creato, correspondet primæ causæ tanquam proprius effectus illius: ergo entitas, vel actualitas naturalis, correspondebit Deo Auctori, & conditori naturæ, & entitas, seu actualitas supernaturalis sub conceptu supernaturalis, Deo conditori gratiæ; & consequenter sicut actualitas naturalis, solum instrumentaliter a causa 59 *Instabis.*

secun-

secunda naturali causatur, ita actualitas entitatiua supernaturalis, solum causatur instrumentaliter à causa secunda eleuata.

60 *Respondetur.* Respondeo, negando consequentiam quoad vtramq; partem. Cum enim Deus, vt Auctor naturæ, & gratiæ gaudeat virtute operatiua vna, & indiuisibili, non solum formaliter, sed etiam virtualiter, non potest ex parte effectuum diuersa ratio formalis terminatiua, & obiectiua Deo, vt Auctori gratiæ, & Auctori naturæ assignari, sed omninò eadem: ac proinde formalis ratio in effectibus respectu Dei sub vtraque ratione, est actualitas entitatiua sub conceptu actualitatis; supernaturalitas autem, & naturalitas materialiter se habent respectu omnipotentiæ diuinæ. Quod si hæc non placuerint, poterit quis ad primam solutionem recurrere, nempè, nomine actualitatis instrumentaliter à causis secundis causatæ, intellexisse Angelicum Præceptorem, actualitatem existentiæ, quæ quia est extra essentiam omnis creaturæ in nulla potest contineri, vt in causa principali.

§. III.

Statuitur secunda conclusio, & probatur.

61 *Secunda conclusio.* SECVNDA CONCLVSIO SIT. *Intellectus ratione sui non habet partem virtutis proxima actiua respectu visionis beatificæ; sed adæquata virtus proxima est habitus luminis gloriæ.* Ita omnes Auctores relati pro secunda sententia: & ostenditur primo; *Suadetur primo D. Th.* nam habitus charitatis est adæquata virtus proxima agendi in ordine ad dilectionem supernaturalem: ergo lumen gloriæ est intellectui adæquata virtus proxima in ordine ad visionem beatificam. Consequentia aduersarijs est nota. Antecedens autem probatur ex Diuo Thoma *quæstione vnica de Charitate articulo primo propè initium corporis*, vbi relata sententia Magistri asserentis, voluntatem mediante Spiritu Sancto, absque forma intrinsecè inhærente Deum super omnia diligere, illamque impugnans, sic ait: *Sed hæc opinio omninò stare non potest. Sicut enim naturales actiones, & motus a quodam principio intrinseco procedunt, quod est natura, ita & actiones voluntariæ oportet quod à principio intrinseco procedant; nam sicut inclinatio naturalis in rebus naturalibus, appetitus naturalis nominatur, ita in rationalibus inclinatio apprehensionem intellectus sequens, actus voluntatis est. Possibile autem est, quod res naturalis ab aliquo exteriori agente ad aliquid moueatur, non à principio intrinseco, puta cum lapis projicitur sursum; sed quod talis motus, vel actio non à principio intrinseco procedens, naturalis sit, hoc omninò est impossibile, quia in se contradictionem implicat: vndè cum contradictoria esse simul, non subsit diuinæ potentiæ, nec hoc à Deo fieri potest, vt motus lapidis sursum, qui non est à principio intrinseco, sit ei naturalis. Et similiter non potest hoc diuinitus fieri, vt aliquis motus hominis, vel interior, vel exterior, qui fit à principio extrinseco, sit voluntarius.* Et paucis interpositis infert: *Actus igitur, qui excedit totam facultatem naturæ humanæ, non potest esse homini voluntarius, nisi superaddatur naturæ humanæ aliquid intrinsecum voluntatem perficiens, vt talis actus à principio intrinseco proueniat.* Verba sunt Diui Thomæ, quæ idcirco, ita fuse præter morem solitum retuli, quia ex illis rectè intellectis, antecedentis veritas clarè colligitur.

62 *Prob. ex doctrina relata.* Et ex illis ita probatur, iuxta Diuum Thomam, implicat actum voluntatis à voluntate procedere sine aliqua forma intrinseca; id namque probat Diuus Thomas ex implicatione, quæ ex opposito sequitur, nempè, esse, & non esse voluntarium; & consequenter sentit, contradictionem involvere; at iuxta Auctores omnes concedentes voluntati ratione sui virtutem partialem proximam, hoc ipso, quod tali gaudeat virtute, non implicat ad actum charitatis absque intrinseca forma concurrere, ita vt in sententia illorum hæc consequentia sit euidens; *Voluntas est potens ratione sui partialiter proximè actum charitatis elicere: ergo potest de potentia absoluta illum elicere, sine forma intrinsecè inhærente*: ergo iuxta Diuum Thomam, voluntas virtute partiali proxima ad actum dilectionis non gaudet, & consequenter adæquata virtus proxima respectu actus dilectionis est habitus charitatis.

63 *Confirmatur 1.* Vel aliter id ipsum explico, & confirmo in hunc modum; nam iuxta Diuum Thomam, vt dilectio voluntati ab intrinseco conueniat; & consequenter voluntaria sit, est omninò necessarium, quod per formam aliquam supernaturalem eleuetur, & intrinsecè perficiatur; at si in voluntate esset partialis virtus proxima agendi actum dilectionis, vt talis actus conueniret illi ab intrinseco, hoc necessarium non esset: ergo sentit manifeste voluntatem non gaudere virtute proxima actiua in ordine ad dilectionem supernaturalem Dei ratione propriæ entitatis. Maior constat ex discursu facto à Diuo Thoma, & ex vltimis verbis relatis. Minor autem probatur; nam etiam si non perficeretur, nec eleuaretur per formam superexcedentem intrinsecam, esset in voluntate vis intrinseca partialis proxima: & consequenter illam in se ab intrinseco contineret: ergo sine tali forma eleuante, & intrinsecè perficiente, conueniret dilectio voluntati ab intrinseco, & ab intrinseco ab illa procederet.

Vrgeo, & explico secundo vim argumenti facti ex verbis Diui Thomæ in corpore eiusdem articuli, ibi: *Si igitur actus charitatis in homine, non ex aliquo habitu interiori procedat naturali potentiæ superaddito, sed ex motione Spiritus Sancti, sequeretur alterum duorum, vel quod actus charitatis non sit voluntarius, quod est impossibile, quia ipsum diligere, est quoddam velle, aut quod non excedat facultatem naturæ, & hoc est hæreticum.* At si respectu actus charitatis daretur in voluntate vis proxima partialis agendi, consequentia à Diuo Thoma facta, futilis omninò esset: ergo iuxta mentem Angelici Præceptoris talis virtus voluntati non conuenit. Probo manifeste minorem. Vt actus voluntarius sit, sufficit, quod voluntati ab intrinseco conueniat; sed concessa voluntati virtute proxima partiali in ordine ad actum charitatis, quamuis talis actus à voluntate ratione habitus intrinsecè superadditi non procedat, ab intrinseco tamen procedet, nempè, à voluntate ratione virtutis proximæ actiuæ, illi intrinsecè conuenientis; & aliàs excedet facultatem naturæ; vt enim passim repetunt aduersarij vis proxima partialis naturæ in ordine ad actus supernaturales, illorum supernaturalitati non obstat: ergo eo ipso, quod prædicta virtus proxima voluntati concedatur, respectu actus charitatis, ex eo quod talis actus non procedat ab aliqua forma supernaturali intrinseca voluntati, non sequitur, aut voluntarium non esse, aut non excedere facultatem naturæ, quæ est illatio à Diuo Thoma facta. 64 *Confirmatur 2. S. Th.*

65 *Respondebis.* Respondebis, Diuum Thomam non intulisse prædictum inconueniens, ex eo quod actus charitatis non procedat, à forma intrinsecè voluntati inhærente, sed ex eo quod procedat ex motione Spiritus Sancti, quod est procedere omninò ab extrinseco; ex hoc autem rectè infertur, nam eo ipso, quod actus aliquis conueniat subiecto ab extrinseco, non potest esse voluntarius.

66 *Sed contra.* Sed contra; nam sic explicata doctrina Diui Thomæ, non deberet inferre consequens disiunctiuum, nempè, talem actum, aut voluntarium non fore, quod implicat, aut non excedentem facultatem naturalem, quod est hæreticum, sed tantum vnam partem, nempè, actum sic procedentem voluntarium non fore; sed Diuus Thomas intulit disiunctiuam illam propositionem: ergo tradita explicatio menti Angelici Doctoris non congruit. Probo manifeste maiorem; nam ex eo quod actus charitatis adæquatè ex motione Spiritus Sancti procederet, & ab extrinseco prouenirit; nullatenus sequi potest, non excedere facultatem naturæ, benè tamen quod voluntarius non esset; nam vnde potest ista consequentia tenere. *Actus charitatis adæquatè procedit ex motione Spiritus Sancti; ergo non superat facultatem naturæ?* Aut quomodo ex processu a principio extrinseco supernaturali mouente, potest apparenter inferri actum sic procedentem non excedere facultatem naturalem? ergo sic explicata doctrina Diui Thomæ, non deberet Angelicus Præceptor inferre sub disiunctione, actum charitatis, aut voluntarium non fore, aut non excessurum facultatem naturalem, sed tantum primam partem, nempè, voluntarium esse non posse.

67 *Mens D. Th. explicatur.* Mens ergo Diui Thomæ est, respectu actus supernaturalis, non posse saluari, quod conueniat voluntati ab intrinseco, nisi procedat à forma illi intrinsecè inhærente; & consequenter, vel processurum à principio voluntati extrinseco; ac proinde voluntarium non fore, aut supernaturalem esse non posse: Et sic non dari medium in actu supernaturali inter hoc, quod est à forma supernaturali voluntati intrinseca procedere, & procedere adæquatè ab extrinseco; si autem vis partialis immediata, & proxima respectu actus charitatis voluntati conueniret, medium inter prædicta extrema daretur, nempè, à voluntate procedere ratione virtutis proximæ, & immediatæ, quæ voluntati conueniret ratione

ratione propriæ entitatis : ergo talis virtus proxima immediatè actiua voluntatis in actum dilectionis supernaturalis, menti Diui Thomæ aduersatur.

68 *Suadetur ratione.* Deinde suadetur conclusio ratione ; nam virtus proxima in ordine ad aliquem actum, est ratio præcontinendi proximè illum ; sed adæquata ratio præcontinendi proximè visionem beatificam, est habitus luminis gloriæ : ergo est intellectui adæquata virtus proxima in ordine ad illam ; & consequenter intellectus ratione propriæ entitatis, virtute proxima partiali non gaudet. Vtraque consequentia euidenter infertur. Maior est certa. Et minor ostenditur primo;nam visio beatifica non est partim naturalis, & partim supernaturalis, sed adæquatè supernaturalis est, vt aduersarij fatentur : ergo ratio proximè præcontinendi illam, non est mixta, vel composita ex naturali, & supernaturali entitate, sed adæquatè est supernaturalis ; & consequenter habitus luminis gloriæ, est adæquata ratio huius proximè præcontinentiæ. Secundo probatur ; nam præcontinentia causæ efficientis, non est præcontinentia in potentia, sed præcontinentia in actu ; sed entitas naturalis nequit esse ratio præcontinendi proximè in actu, actionem adæquatè supernaturalem : ergo adæquata ratio præcontinentiæ proximæ effectiuæ illius, est solus habitus, qui est supernaturalis. Minor probatur ; nam præcontinentia in actu effectiua, aut est formalis, aut est eminentialis; sed entitas naturalis nequit esse ratio præcontinendi proximè actum supernaturalem in actu formali ; alias esset supernaturalis formaliter, nec in actu eminentiali ; res namque superior, qualis est actus supernaturalis comparatus cum naturali entitate, in re sibi inferiori non potest eminenter contineri : ergo entitas naturalis non potest esse ratio præcontinendi proximè effectiuè actum supernaturalem.

69 *Solutiones aduersariorum.* Hoc est fundamentum, cui potissimè fidunt Auctores nostræ sententiæ, & merito sanè ; est enim efficacissimum. Illi variè occurritur ab Auctoribus sententiæ contrariæ. Prima solutio est, minorem argumenti esse veram de continentia effectiua principali, secus autem de continentia instrumentali ; hoc enim genere continentiæ non repugnat rem ordinis superioris contineri in inferiori. Secundo alij respondent, non contineri actum supernaturalem in entitate naturali, ea ratione, qua supernaturalis est, sed ea ratione, qua est vitalis, & iuxta istam doctrinam distinguunt argumenti minorem. Tertia, & frequentior solutio est, minorem argumenti esse veram de continentia in actu adæquata, & totali, secus autem de continentia partiali, & inadæquata ; licet enim actui supernaturali repugnet immediatè dependere à naturali entitate tanquam à causa efficiente adæquata, & se sola effectiuè causatura, non tamen repugnat illi à potentia naturali ratione suæ naturalis entitatis immediatè, & proximè dependere, & in illa contineri tanquam in causa efficiente inadæquata, & partiali, & non se sola effectiuè causatura sed dependenter à Deo agente supernaturali, & supernaturaliter extrinsecè, aut intrinsecè auxiliante ; & eleuante : sicut nec repugnat actionum vitalitati dependere immediatè partialiter, & inadæquatè à principio non vitali. Et ratio à priori est, quia causa efficiens partialis, eo ipso, quod partialis sit, non petit ratione sui, & in se præcontinere omnia prædicata effectus sed sufficit, si ratione sui aliquod prædicatum in effectu repertum contineat, vt ex consortio alterius compartialiter agentis totum effectum producat totalitate effectus etsi non totalitate causæ.

70 *Prima solutio reijcitur.* Sed nulla ex his solutionibus argumenti eleuat vires, & contra primam, præter ea, quæ in prima conclusione opposuimus, facit modò ad hominem contra Suarez primæ solutionis Auctorem : asserit namque intellectum instrumentaliter in visionem beatam influere ratione potentiæ obedientialis omnibus creaturis communis, quam esse in omnibus creaturis vnam, & eandem formaliter, docet *tertia parte disputatione 31. sectione sexta num. 12.* ex quo manifestè infertur, non influere in prædictum actum formaliter, vt potentiam vitalem. Patet consequentia ; nam potentia obedientialis viuentibus, & inanimatis communis, non est vitalis formaliter : ergo si intellectus influit in visionem beatam ratione potentiæ obedientialis communis omni creaturæ non influit in illam, vt potentia vitalis formaliter, sed omninò materialiter vitalitas intellectus comparatur ad visionem, & consequenter non magis viuet intellectus per visionem a se elicitam, quam viueret quævis alia inanimata creatura, si a Deo assumeretur, vt instrumentum ratione potentiæ obedientialis ad producendam visionem, quod esse possibile, fatetur Suarez *1. tom. in tertiam partem disputatione 31. sectione sexta in solutione ad 7. & 8. argumentum.* Quod autem, intellectum influere in visionem beatam ratione potentiæ obedientialis sibi, & alijs creaturis communis, sit prædicti Doctoris sententia, manifestè constat ex his, quæ docet *libro sexto de gratia cap. sexto num. 16.* vbi ait, entitatem naturalem voluntatis materialiter ad elicientiam actus charitatis se habere, & solum influere in illum formaliter, vt potentia obedientialis, idem consequenter dicturus de intellectu in ordine ad visionem beatam ; sed distinctiuum, si quod esset inter potentiam obedientialem, ratione cuius intellectus in visionem beatam influeret, & potentiam obedientialem rerum inanimatarum, ex entitate naturali intellectus desumi deberet : ergo influit, in sententia istius Auctoris, ratione potentiæ obedientialis sibi, & inanimatis communis. Quod expressius docuit *3. parte disputatione 33. numero 12. in fine;* vbi ait, quod licet potentia obedientialis in diuersis creaturis, sit diuersa realiter, est tamen secundum rationem eadem,quatenus eodem titulo,& sub eadem ratione omnibus creaturis conuenit.

71 *Secunda solutio impugnatur.* Deinde secunda solutio reijcitur ; nam ideò actus ille, vt supernaturalis non continetur in intellectu ratione sui, vt in principio partiali immediatè effectiuo, quia vt sic superexcedit entitatem intellectus, & ad altiorem ordinem spectat ; sed etiam vitalitas visionis beatificæ superexcedit entitatem naturalem intellectus : ergo non potest in illo ratione sui contineri, vt in principio immediatè effectiuo. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo ; nam omnis formalitas reperta in visione beatifica est formaliter supernaturalis, cum supernaturalitas transcendat omnem illius formalitatem, non minus quam naturalitas transcendit omnem formalitatem in actu naturali repertam : ergo omnis formalitas conueniens visioni beatificæ excedit entitatem naturalem intellectus ; & consequenter vitalitas visioni conueniens entitatem naturalem intellectus excedit. Secundo probatur ; nam ideò visio beata, vt supernaturalis, excedit entitatem intellectus, quia vt sic exprimit supernaturalitatem, quam intellectus ratione suæ entitatis non exprimit ; sed visio, vt vitalis, quamuis non exprimat supernaturalitatem, illam tamen implicitè, & per identitatem importat, intellectus autem, nec identicè, nec implicitè supernaturalitatem dicit : ergo etiam vt vitalis excedit entitatem intellectus ; & consequenter non potest in illo ratione sui, vt in principio proximo partiali immediatè effectiuo contineri.

72 *Tertia solutio reijcitur primo.* Tandem vltima solutio, quæ vt dicebam apud Recentiores inualuit, reijcitur primo ; nam causa efficiens principalis, etiam si partialis, & inadæquata sit, petit continere effectum in actu formali, aut eminentiali, nisi velimus causam efficientem, ex hoc quod partialis, & inadæquata sit,posse influere in effectum absque continentia illius, quod rationi naturali aduersatur ; sed entitas naturalis intellectus non continet actum supernaturalem in actu continentia formali ; aliàs essent supernaturalis formaliter, nec continentia eminentiali ; hæc namque solum est respectu effectus inferioris & imperfectioris, actus autem supernaturalis non est intellectu inferior : ergo non potest ratione sui immediatè in illum influere, etiam vt partialis causa efficiens.

73 *Secundo.* Deinde reijcitur ; nam causa efficiens partialis, etsi non petat adæquari cum effectu sumpto adæquatè, petit tamen ipsum inadæquatè sumptum adæquare, idest, secundum aliquod prædicatum illius ; sicut causa efficiens adæquata principalis petit, vel excedere, vel ad minus adæquare effectum adæquatè sumptum, idest, secundum omne prædicatum illius ; sed intellectus ratione suæ entitatis naturalis non adæquat visionem beatam, etiam inadæquatè sumptam, hoc est, secundum aliquod prædicatum in ipsa repertum ; omne namque prædicatum visionis beatificæ est supernaturale formaliter ; & consequenter excedit entitatem intellectus, quæ supernaturalis non est : ergo nequit intellectus ratione propriæ entitatis proximè præcontinere actum visionis beatificæ,nec ratione sui immediatè in illam influere.

74 *Tertio.* Præterea ; nihil enim non supernaturale, vel formaliter, vel connexiuè, potest in actum supernaturalem influere partialiter immediatè, illumque ratione sui immediatè continere ; sed intellectus ratione propriæ entitatis non est supernaturalis aliquo ex prædictis modis :

ergo non potest in actum supernaturalem influere immediatè partialiter, ipsumque proximè præcontinere, etiam vt causa partialis. Consequentia tenet. Minor constat; in primis namque non est supernaturalis formaliter, vt omnibus est in confesso: nec etiam est supernaturalis connexiuè: nihil enim formaliter naturale potest cum entitate supernaturali connecti; cum ens supernaturale petat eleuari super exigentiam, & connexionem omnis entis naturalis. Maior autem probatur; nihil enim non vitale formaliter, aut connexiue, potest immediatè partialiter influere in actum vitalem, illumque in actu præcontinere, etiam vt causa partialis: ergo pariter nihil non supernaturale formaliter, aut connexiuè potest immediatè influere, etiam vt causa partialis, in actum supernaturalem. Patet consequentia: tùm à paritate rationis. Tùm etiam ad hominem contra aduersarios; ipsi namque ex eo quod principium non vitale formaliter, immediatè possit influere in actum vitalem, censent efficaciter inferri, principium non supernaturale formaliter, posse immediatè influere in actum supernaturalem: ergo pariter ex eo quod principium non vitale formaliter, aut connexiuè, nequeat immediatè influere in actum vitalem, censere debent per bonam consequentiam inferri, principium non supernaturale formaliter, aut connexiuè, non posse immediatè influere in actum supernaturalem.

75 *Quarto rejicitur.* Quarto rejicitur; nam vita supernaturalis actualis, non potest in actu primo proximo contineri, nisi in viuente supernaturaliter proximè, sed intellectus ratione sui non est viuens supernaturaliter proximè: ergo non continet in actu primo proximo partiali, & inadæquato actum visionis beatificæ, qui est vita supernaturalis in actu secundo. Consequentia est bona. Minor videtur certa; viuens namque est inferius ad ens; & consequenter viuens supernaturaliter, est inferius ad ens supernaturale; sed intellectus ratione suæ entitatis non est ens supernaturale: ergo ratione illius non est viuens supernaturaliter; & consequenter ratione propriæ entitatis non viuit supernaturaliter proximè. Maior autem probatur; nam vita actualis intellectiua, non potest in actu primo proximo contineri, nisi in viuente proximè intellectualiter, vita etiam actualis appetitiua, non potest vt in principio proximo contineri, nisi in viuente proximè appetitiuè, & sic discurrendo per alia genera vitæ actualis; ergo vita actualis supernaturalis non potest in actu primo proximo contineri, nisi in viuente supernaturaliter proximè.

76 *Denique rejicitur.* Denique rejicitur; nam omnis virtus proxima intellectus in ordine ad actum supernaturalem, qualis est visio beatifica, est accepta à Deo, vt Auctore supernaturali; sed entitas naturalis intellectus non est accepta à Deo, vt Auctore supernaturali: ergo non est virtus proxima respectu actus supernaturalis. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostenditur primo; nam omnis virtus in ordine ad aliquem actum est accepta à Deo, vt continente talem actum; & consequenter omnis virtus in ordine ad actum supernaturalem est à Deo, vt illum continente; sed actus supernaturalis solum continetur in Deo, vt Auctore supernaturali; aliàs in illum, vt Auctor naturæ influeret; & consequenter esset partim naturalis, & partim supernaturalis: ergo omnis virtus proxima in ordine ad actum supernaturalem est accepta a Deo, vt Auctore supernaturali. Secundo probatur; nam omne agens subordinatur in agendo danti proximam virtutem ad actum; sed intellectus non subordinatur in elicientia actus supernaturalis, Deo, vt Auctori naturæ, sed solum Deo, vt Auctori supernaturali: ergo omnis virtus proxima intellectus in ordine ad actum supernaturalem est a Deo, vt Auctore supernaturali.

77 *Confirmatur 1.* Explicatur, & vrgetur; intellectus prout potens proximè elicere visionem beatificam, adæquatè est subordinatus Deo Auctori supernaturali per modum actus primi: ergo virtus adæquata proxima agendi visionem beatificam est accepta a Deo, vt Auctore supernaturali; & consequenter intellectus ratione propriæ entitatis non habet virtutem proximam ad elicientiam visionis. Secunda consequentia ex prima colligitur. Prima patet; nam subordinatio in ratione operatiui fundatur in subordinatione entitatiua; cum ex eo aliquid Deo subordinetur in agendo, quia illi subordinetur in essendo, & ex eo aliquid sit agens secundum, quia est secundum ens: ergo si intellectus, vt potens proximè elicere visionem beatificam adæquatè est subordinatus Deo, vt Auctori supernaturali, virtus per quam potens proximè constituitur, adæquatè est accepta à Deo Auctore supernaturali. Antecedens autem probatur; nam intellectus, vt actu influens in visionem beatificam adæquatè est subordinatus Deo auctori supernaturali, vt mouenti, & simultaneè concurrenti: ergo prout potens proxime elicere visionem beatam, soli Deo, vt Auctori supernaturali est subordinatus per modum actus primi.

Consequentia videtur bona; nam subordinatio in agendo actualiter, est iuxta modum subordinationis in actu primo proximo operatiuo. Antecedens autem probatur; si namque Deus, vt Auctor naturalis simul cum intellectu influeret in visionem beatificam, sequeretur, visionem beatam esse partim naturalem, & partim supernaturalem; consequens est falsum; ergo Deus, vt Auctor naturæ, non influit simul cum intellectu in beatificam visionem; & consequenter intellectus, vt de facto illam eliciens, adæquatè subordinatur Deo vt Auctori supernaturali. Probatur sequela; concursus actualis Dei, vt Auctoris naturæ, necessario est naturalis, sed concursus actualis Dei, vt influentis in visionem beatificam, non distinguitur ab illa in sententia adversariorum: ergo si Deus, vt Auctor naturæ simul cum intellectu in beatificam visionem influeret; sequeretur, non esse adæquatè supernaturalem, sed mixtam, & compositam ex natural, & supernaturali.

Confirmatur, & vrgetur secundo; Deus vt Auctor naturæ non continet proximè actiuè visionem beatificam: ergo entitas ab illo producta nequit esse virtus proxima ratione sui visionem beatificam continens; & consequenter intellectus, qui à Deo Auctore naturæ adæquate causatur, non potest ratione sui proximè continere visionem. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur. Prima ex antecedenti colligi videtur; continentia namque entitatis causatæ non potest excedere continentiam formalem, vel eminentialem causæ illam causantis. Antecedens autem probatur; si namque Deus vt Auctor naturæ eminenter proximè effectiuè contineret visionem beatam, posset illam causare, in eanque influere per simultaneum concursum; sed non potest sic in illam influere, vt probatum relinquimus: ergo non continet visionem beatam eminenter proximè effectiuè. 78 *Cõfirmatur 2.*

§. IV.

Vlterior nostra conclusionis probatio.

TERTIO principaliter suadetur conclusio, & tradita solutio impugnatur. Principio ratione sui effectum aliquem continenti, & proximè potenti ad illius efficientiam, debetur concursus causæ primæ, vt aliquando talem effectum producat; sed intellectui ratione sui non debetur concursus causæ primæ in visionem beatificam; aliàs supernaturalis non esset; ergo non continet illam ratione sui, nec est in potentia proxima ad illius elicientiam ratione propriæ entitatis, & sibi innatæ virtutis. 79 *Tertio prob. conclusio.*

Respondebis primo, veram esse maiorem: si principium adæquatum sit; & totale, falsam autem si inadæquatum, & partiale sit; & quia intellectus ratione sui non est principium adæquatum, & totale, sed partiale, & inadæquatum respectu visionis beatificæ, ideò non debetur illi concursus primæ causæ, vt beatificam visionem eliciat. Vel secundo respondebis, maiorem argumenti esse veram de principio agente per potentiam naturalem; falsam autem de agente ratione potentiæ obedientialis, qualiter intellectus influit in visionem beatam. 80 *Respondebis 1.* *Secundo.*

Vel tertio respondebis, maiorem esse veram de principio proportionato, falsam verò de improportionato; intellectus autem, etsi ratione sui actiuè proximè contineat visionem, non tamen est cum illa proportionatus, & ideò non debetur ei concursus ad visionis elicientiam. Vel denique respondebis; tunc solum deberi agenti concursum causæ primæ ad effectum, quando respectu illius habet absolutum posse; secus verò, quando tantum habet potentiam conditionatam; intellectus autem ratione sibi innatæ virtutis non habet posse absolutum respectu visionis beatæ, sed solum conditionatum, nimirum sub conditione, quod Deus velit cum illo concurrere ad visionem beatificam, & ideò non debetur intellectui concursus ad visionem beatam, estò ratione sui illam in se præcontineat per modum principij proximi inadæquati, & partialis. 81 *Tertio.* *Quarto.*

82 *Prima solutio* Sed nulla ex his solutionibus argumento facto satisfacit. Non prima. Tùm, quia datur plura solum partialiter

reijcitur primo. liter præcontinentia effectum, quibus tamen debetur concursus ad illius productionem. Anima namque, & intellectus, in sententia aduersariorum, partialiter influunt in intellectionem naturalem; & tamen cuilibet ex illis debetur concursus causæ primæ in prædictam intellectionem: aliàs naturalis non esset. Intellectus etiam lumine gloriæ illustratus non est adæquata, & totalis causa, sed partialis respectu visionis beatificæ; & tamen intellectui sic illustrato est debitus Dei concursus ad elicientiam visionis: ergo ex eo quod intellectus ratione propriæ entitatis non sit adæquata, sed partialis causa visionis, non tollitur, quominus, si visionem continet ratione sui per modum principij proximi, debeatur illi concursus ad visionis elicientiam.

83 *Secundo.* Tùm etiam; nam sicur causæ adæquatæ debetur, quod aliquando cum suo effectu coniungatur, & illum extra causas constituat, ob idque debetur illi concursus primæ causæ, sine quo nequit extra causas constitui; ita causæ efficienti partiali debetur aliquando coniungi cum principio sibi compartiali, ex quo simul cum illa adæquata causa coalescat, & effectus extra causas ponatur; parti namque debitum est aliquando cum sua comparte coniungi: ergo maior facti discursus vera est, non solum de principio effectiuo totali, sed etiam de principio partiali.

84 *Secunda reijcitur primo.* Nec magis sufficit secunda solutio, primo: nam ideò agenti per potentiam naturalem est debitus concursus ad actum, quia ratione huius potentiæ illum proximè in actum præcontinet: ergo si ratione potentiæ obedientialis actiuæ continet intellectus in actu proximo visionem beatificam, debetur illi concursus ad visionis elicientiam. Deinde, nam sequitur ex hac solutione, quod *Secundo.* etiam sit intellectus ratione sui esset adæquata, & totalis causa visionis beatificæ, non deberetur ei concursus ad illius elicientiam; consequens est falsum, vt contrarij Auctores fatentur: ergo & tradita solutio. Probatur sequela; etiam si esset adæquata causa in ordine causæ secundæ contineret in visionem ratione potentiæ obedientialis actiuæ; sed principio continenti effectum ratione potentiæ obedientialis non est debitus concursus ad illius efficientiam, vt in secunda solutione docetur: ergo quamuis intellectus esset ratione sui adæquata causa *Confirmatur.* visionis beatificæ non deberetur illi concursus ad visionis elicientiam. Et augetur difficultas: quia namque potentiæ obedientiali passiuæ non est debitus concursus ad receptionem formæ, etiam si adæquata causa receptiua supponatur, non est illi debita actualis formæ receptio: ergo si principio continenti actum ratione potentiæ obedientialis actiuæ non debetur concursus ad illius elicientiam, etiam si adæquatum agens sit, non debebitur talis concursus; & consequenter stare poterit supernaturalitas visionis beatificæ cum dependentia ab intellectu nostro, vt a causa efficienti particulari adæquata, expectato solum concursu Dei, vt causæ non particularis, sed primæ.

85 *Tertia solutio reijcitur.* Deinde tertia solutio reijcitur: nam eo ipso quod intellectus ratione sui contineat visionem beatificam, sitque potens proximè ad illam elicendam est physice proportionatus cum illa; improportio enim physica consistit in carentia alicuius principij physici: aliàs improportio moralis non habet locum in præsenti: hæc namque consistit in difficultate orta ex impedimentis extrinsecis, nullus autem improportionem intellectus cum visione beata ad extrinseca impedimenta reducit: ergo admissa in intellectu partiali continentia proxima ratione sui respectu visionis beatificæ, etiam est concedenda partialis proportio cum illa; & consequenter ex defectu proportionis intellectus cum visione beata non erit indebitus concursus Dei ad elicientiam illius.

86 *Vltima reijcitur.* Tandem vltima solutione reijcitur; nam intellectus respectu actuum naturalium non habet posse absolutum, vel absolutam potentiam, sed tantum conditionatam; non enim habet potentiam ad agendum nisi sub conditione assistentiæ concursus primæ causæ simul cum illo in actus naturales influentis; & tamen ad tales actus debetur intellectui concursus: ergo ex eo quod respectu visionis beatificæ non habeat absolutam potentiam, sed solum conditionatam, non probatur, non deberi illi concursum ad elicientiam visionis.

87 *Dices.* Dices, assistentiam concursus primæ causæ, sub cuius conditione intellectus est potens ad actus naturales, esse debitam intellectui, quando autem conditio est debita, datur denominatio absolutè potentis; ideoque intellectus dicitur absolute potens respectu actuum naturalium, etsi non possit in illos sine diuino concursu: secus autem respectu visionis beatificæ; quia est potens proximè ad illam sub conditione non debita, nempè sub conditione concursus diuini, qui intellectui non debetur.

Sed contra primo; nam in hac solutione committitur circulus, & petitur principium: ergo est insufficiens solutio: probo antecedens, nam ratio cur intellectui non debetur concursus Dei in ordine ad visionem beatificam iuxta Auctorem solutionis, est, quia non habet absolutam, sed conditionatam potentiam; ratio autem cur potentiam intellectus conditionata est, & non absoluta, est, quia concursus ad prædictum actum indebitus est: ergo probatur, non deberi intellectui concursum in ordine ad visionem beatam, quia potentia, quam habet ad illam conditionata est, & probatur esse conditionatam, quia non debetur concursus, quod est idem per idem probare, circulum committere, & principium petere. 88 *Contra 1.*

Secundo, non enim alia ratione debetur intellectui concursus primæ causæ respectu actuum naturalium, nisi quia illos ratione sui continet in actu formali, aut eminentiali; sed etiam continet visionem beatificam continentia in actu formali, aut eminentiali, supposito, quod ratione sui sit potens proxime ad illam, habeatque partialem virtutem proximam, vt sententia opposita docet: ergo debetur intellectui concursus ad illius elicientiam. 89 *Secundo.*

Dices, rationem cur ad actus naturales debetur intellectui concursus, non esse quia illos continet in actu formali, aut eminentiali, sed quia ad illos refertur respectu transcendentali, & quia non sic refertur in visionem beatificam, ideo non debetur intellectui concursus ad illius elicientiam. Sed contra primo; nam ratio cur debetur causæ efficienti concursus in suum effectum, non est id, quod in illa imperfectionis est, sed id quod est perfectionis; sed respectu trascendentali ad suum effectum referri, non perfectionis, sed imperfectionis est in causa efficiente creata; respectus namque transcendentalis, est respectus dependentiæ, & consequenter imperfectionem dicit: ergo ratio debiti non est respectus transcendentalis, quo causa ad effectum refertur, sed continentia illius in actu formali, aut eminentiali. 90 *Dices.* *Contra 1.*

Secundo: nam actualis productio effectuum non est supra exigentiam omnipotentiæ; & tamen omnipotentia non dicit ad suos effectus ordinem transcendentalem: ergo quod effectus alicui causæ debeatur, & concursus ad illius productionem, non fundatur in ordine transcendentali ad effectum, sed in continentia actiua illius formali, aut eminentiali; & consequenter si intellectus ratione propriæ entitatis continet visionem beatificam continentia in actu proxima formali, aut eminentiali, debetur illi concursus ad elicientiam visionis, esto ad illam non referatur respectu trascendentali. 91 *Secundo.*

Quarto principaliter eandem conclusionem ostendo. Si propter aliquam rationem lumen gloriæ non esset adæquata virtus proxima respectu visionis beatificæ, maxime quia vitale non est, ac proinde vitalitatem in visione repertam præcontinere non potest; sed lumen gloriæ est vitale, saltim vt *quo*: ergo est adæquata virtus proxima respectu visionis. Minor, in qua est difficultas; ostenditur primo ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 2. *ad* 2. ibi: *Deus est vita effectiuè, & anima per charitatem, & corporis per animam; sed forma inter charitas est vita animæ, sicut & anima corporis*, Quod etiam docet *quæst.* 27. *de veritate art.* 3. *ad* 21 *argumentum*, illis verbis: *Dicendum, quod anima aliter se habet ad vitam naturalem, & ad vitam gratiæ; ad vitam enim gratiæ se habet, vt quod alio viuit, ad vitam vero naturæ, vt quo aliud viuit, &c.* Ex quibus testimonijs aperte constat, Angelicum Doctorem sentire, charitatem, & gratiam esse animæ principium *quo* vitæ supernaturalis. Sed eadem ratio est de charitate, & gratia, ac de lumine gloriæ: ergo lumen gloriæ est principium *quo* vitale. 92 *Quarto probatur conclusio.* *Minor ostenditur primo ex D. Th.*

Secundo probatur; nam lumen gloræ est formalis participatio intellectus diuini: ergo ab illo participat rationem viuentis *vt quo* per modum principij proximi. conceptus enim vitæ in diuino intellectu repertæ in participabilitatem formalem non dicit. Tertio probatur, nam gratia habitualis, quæ est formalis participatio naturæ diuinæ, est participatio vitalitatis Dei per modum radicis: ergo lumen erit formalis participatio vitæ diuinæ per modum principij proximi vitæ. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem constat; nam vita radicalis in Deo consistit in radice intellectus, & voluntatis tendentium in Deum, prout est in se ipso; sed gratia habitualis est radix charitatis, & luminis gloriæ 93 *Secundo.* *Tertio.*

gloriæ Deum, prout in se attingentium: ergo est participatio formalis vitæ radicalis diuinæ.

94 *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur; homo iustus viuit supernaturaliter radicaliter; sed non ratione suæ propriæ naturæ: ergo ratione gratiæ habitualis, & consequenter gratia est vita radicalis *vt quo*. Maior supponitur. Minor autem probatur; vita supernaturalis radicalis consistit in radice supernaturalium virtutum; sed adæquata ratio radicandi supernaturales virtutes, est gratia habitualis, quin ad talem radicationem concurrat natura, quæ merè subiectiuè comparatur ad illas: ergo gratia ratione sui adæquate constituit hominem radicaliter viuentem vita supernaturali;& consequenter est vitalis *vt quo* per modum radicis.

95 *Secundo.* Confirmatur, & vrgetur secundo: si gratia non esset adæquatum principium *quo* radicale vitæ supernaturalis, sequeretur, quod anima in ordine ad vitam supernaturalem, non se haberet solum vt *quod* alio viuit, sed etiam vt *quo* aliud viuit; sed hoc est aperte contra D. Thom. *quæst.27. de veritate art.3. vbi supra*: ergo adæquata ratio viuendi per modum radicis in ordine supernaturali, est gratia habitualis;& consequenter adæquata ratio proxima viuendi in eodem ordine sunt supernaturales virtutes.

96 *Quarto probatur minor principalis.* Denique minor principalis suadetur; nam principium *quo* proximum vitale respectu visionis beatificæ debet esse vitale vitalitate essentialiter supernaturali; sed nisi lumen gloriæ sit principium *quo* vitale, hoc verum esse non potest: ergo lumen gloriæ est vitale per modum principij proximi. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; etenim visio beatifica est vitalis vitalitate essentialiter supernaturali: ergo principium *quo* proximum vitale illius, debet esse vitale vitalitate supernaturali essentialiter. Probatur consequentia; quia namque vitalis est essentialiter, petit aliquod principium essentialiter vitale, & quia supernaturalis est essentialiter, petit aliquod principium essentialiter supernaturale: ergo quia vitalis est vitalitate supernaturali essentialiter, petit aliquod principium *quo* proximum vitale vitalitate essentialiter supernaturali. Patet consequentia; ideo namque antecedens est verum: quia illæ formalitates petunt præcontineri in sua causa efficiente; sed etiam vitalitas essentialiter supernaturalis competens visioni beatificæ, petit in sui causa efficienti contineri: ergo petit reduci in principium *quo* vitale vitalitate supernaturali essentialiter.

97 *Confirmatur 1.* Quod amplius vrgetur, nam formalitates illæ, ideo petunt principia, quibus sint essentiales, nè effectus suam causam adæquatam excedat; sed si supernaturalitas essentialis vitalitati visionis non sit essentialis principio *quo* vitali respectu illius, idem excessus colligitur: ergo petit reduci in principium *quo* vitale vitalitate supernaturali essentialiter. Minor probatur; nam vitalitas essentialiter supernaturalis perfectior est in ratione vitalis vitalitate supernaturali solum accidentaliter: ergo nisi vitalitas supernaturalis visionis reducatur in principium vitale vitalitate supernaturali essentialiter, excedet visio beatifica sui causam adæquate effectiuam.

98 *Secundo.* Confirmatur, & vrgetur secundo; quia namque intellectio ex conceptu intellectionis petit principium intellectiuum, & ex conceptu vitalis petit principium vitale, ex conceptu intellectionis essentialiter vitalis, petit aliquod principium intellectiuum vitale essentialiter: ergo si visio beatifica ex conceptu vitalis petit principium *quo* proximum essentialiter vitale,& ex conceptu supernaturalis petit principium essentialiter supernaturale, ex conceptu vitalis vitalitate supernaturali essentialiter, petet principium *quo* proximum vitale vitalitate essentialiter supernaturali.

99 *Quinto probatur conclusio.* Quinto principaliter suadetur conclusio. Quando duo agentia partialia per partiales virtutes ad alicuius effectus productionem concurrunt, non requiritur, vnum alterum informare: ergo si Deus medio lumine gloriæ partialiter cum intellectu ad visionem concurrit, non requiretur lumen gloriæ intellectum informans, adhuc attenta lege ordinaria: quod est plusquam falsum. Consequentia tenet; antecedens autem ab exemplis probatur; quia namque duo portantes lapidem partialiter influunt per proprias virtutes, non requiritur, vnum alterum informare, & lumen in contraria sententia partialiter influens, non indiget, vt ab intellectu informetur, & quia intellectus actuatus lumine gloriæ, simul cum diuina essentia ad visionem beatificam concurrunt partialiter, non requiritur informatio essentiæ, vt gerentis munus speciei: ergo verum est antecedens.

Si dicas primo, requiri lumen gloriæ intrinsecè informans, non vt absolutè eliciat visionem sed vt connaturaliter illam eliciat. In contrarium obstat, quod quando duæ causæ immediate partialiter influunt, nec vt influant connaturaliter, requiritur, vnam aliam informare, vt constat in exemplis adductis: ergo solutio est nulla. Si vlterius dicatur, non requiri ex ratione agentis partialis sub communi ratione, sed ex ratione talis, vitaliter nempè operanti. Obstat in contra, quod in contrariorum sententia, intellectus influit immediate in vitalitatem visionis: ergo non medio lumine gloriæ informante, & consequenter informatio luminis non exigetur ex vitalis principij nempè influentis vitaliter. 100 *Dices. Contra. Si vlterius dicas. Contra.*

Si dicas secundo, antecedens assumptum esse verum, quando agunt partialiter per proprias virtutes proportionatas, secus vero, quando vnum ex illis improportionatam habet virtutem, vt in nostro casu contingit; intellectus namque proportionatas vires non habet, vt visionem producat. In contrarium oppono primo, etiam lumen gloriæ est improportionatus ad vitalitatem visionis, in contraria sententia; & tamen ab intellectu non informatur, nec ab illo eleuatur: ergo idem dicendum de intellectu respectu visionis, seu supernaturalitatis illius. Secundo, intellectus actuatus lumine gloriæ, etiam est improportionatus ad repræsentationem visionis, in sententia contraria asserente, hoc prædicatum correspondere concursui diuinæ essentiæ, vt gerentis munus speciei: & tamen non exigitur, vt ab illa informetur: ergo idem quod prius. 101 *Dices 2. Contra 1. Secundo.*

Tertio, vt insufficientia virtutis agentis partialis auferatur, necessarium non est, à compartiali agente informari: ergo nec exigetur dicta informatio, vt virtutis improportio tollatur, & consequenter, etsi virtus nostri intellectus sit improportionata; si tamen influit immediate partialiter, informatio intrinseca luminis necessaria non erit. Consequentia tenet; & antecedens constat in duobus trahentibus nauim, quorum quilibet est insufficiens, & tamen vt insufficientia tollatur, vnum alterum non informat. 102 *Tertio.*

Denique ab inconuenienti nostra conclusio probatur sequitur namque ex contraria sententia, intellectum naturaliter perfectiorem, v. c. Angelicum, cum æquali lumine elicere semper perfectiorem visionem; consequens est falsum: ergo & antecedens. Falsitas consequentis exinde colligitur, quod aliàs, quamuis Angelus, & homo æquarentur in meritis, nihilominus excederet Angelus hominem in præmio essentiali, contra illud: *Vnusquisque accipiet mercedem iuxta laborem suum*. Sequela probatur; crescente naturali principio agente, in quantum potest, necessario crescit in perfectione effectus; sed intellectus, in contraria sententia, influit immediate in visionem, & alias agit, in quantum potest; cum influat naturaliter: ergo intellectus excedens alium in perfectione, necessario præstabit perfectiorem influxum, & consequenter eliciet perfectiorem visionem. 103 *Vltimo probatur conclusio.*

Multipliciter connantur occurrere argumento Auctores oppositi. Omissis tamen quibusdam euasionibus, quas latè impugnant in præsenti nostri Thomistæ, & moderniores Societatis Theologi iam deseruerunt; duas tantum in quibus sibi valdè congaudent, referam, & excludam. Primo aliqui respondent facto argumento, negando sequelam, quia necessum non est, inquiunt ipsi, perfectiorem potentiam in omnibus suis actibus, suæ perfectionis excessum explicare, sed sufficit, si aliquos actus perfectiores eliciat: vnde ex hoc, quod potentia intellectiua Angeli perfectior sit nostra, rectè infertur visionem beatificam Angeli æquali gaudentis lumine, fore perfectiorem. 104 *Respodēt primo Aduersarij.*

Verum hæc solutio argumentum nostrum, nec diluit, nec tangit; nam licet verum sit, posse aliquando actum potentiæ minus perfectæ superare in perfectione actum perfectioris potentiæ, vt de actu charitatis cum actu fidei comparato solet à Thomistis doceri 2. 2. *quæst. 24.* hoc tamen intelligendum est, quando excessus potentiæ resarcitur, per alium maiorem, vt in casu adducto contingere, docent Thomistæ, quando autem talis excessus non resarcitur, est omninò impossibile; at in præsenti casu non resarcitur; cum æquenter in lumine, à quo solum poterat excessus potentiæ resarciri: ergo manet in suo robore nostrum argumentum. Maior probatur, principium influens naturaliter, influit secundum vltimum potentiæ suæ: ergo effectui communicat totam perfectionem, quam potest; at eo ipso, quod potentia perfectior sit, potest maiorem perfectionem communicare: ergo illam de facto communicat, & consequenter, 105 *Contra.*

nisi

nisi resarciatur aliunde; euadet effectus absolutè perfectior.

106 *Si dicas.* Si dicas, intellectum in tali casu non influere totum, quod potest, quia influit proportionato influxu cum influxu luminis compartialiter concurrentis, ac proinde limitatur ab illo. *Contra.* In contrarium objicio, etsi lumen partialiter cum potentia concurrat, si perfectius sit lumen, estò potentia sit imperfectior, seu æque perfecta, elicit perfectiorem visionem, quin illius influxus limitetur ab influxu æquali, vel minus perfectæ potentiæ: ergo pariter, potentia perfectior, etsi partialiter influat cum lumine, præstabit perfectiorem influxum, quin limitetur à minus perfecto, vel æquali lumine compartialiter concurrente. Antecedens est certum, & consequentia tenet, nec enim nisi voluntarium discrimen poterit assignari, cur ex duobus, quæ concurrunt partialiter, vnum limitet, & alterum non limitet concursum alterius.

108 *Dices. Impugnatur.* Dices, rationem discriminis esse, quod potentia subordinatur lumini, lumen autem non subordinatur potentiæ. Sed contra, potentiam subordinari lumini, in contraria sententia, non consistit in alio, quam in eo, quod non possit in vitalem actionem supernaturalem influere, nisi concurrente lumine; sed lumen nequit in illam influere, non concurrente potentia immediate, & partialiter: ergo æqua est in vtroque subordinatio.

107 *Dices iterum. Reijcitur.* Dices, non consistere subordinationem in illo precisè, sed in eo quod potentia eleuatur per lumen ad altiorem influxum; lumen autem à potentia non eleuatur. Sed contra, potentia non eleuatur per lumen, vt influat in vitalitatem actionis; ergo in ordine ad illam non aliter subordinatur lumini, quam lumen potentiæ. Probo antecedens; si eleuaretur, influeret in vitalitatem visionis, vt eleuata reduplicatiue: ergo media eleuatione; & consequenter non immediatè; quia immediatè influere excludit medium ad influxum præstandum, nisi in vocibus solum dissidium ponatur.

109 *Secunda solutio.* Secundo alij respondent, concedendo sequelam, & negando minorem; nec sequitur præmium in casu posito fore inæquale; quia excessus in præmio consistit in excessu visionis per ordinem ad obiectum beatificum; in *Contra.* casu autem posito, cresceret visio, non per ordinem ad obiectum visum, sed per ordinem ad principium. Sed contra, non stat vnam intellectionem excedere aliam, nisi perfectius attingat obiectum; ergo non stabit visionem beatificam Angeli esse perfectiorem visione beatifica hominis, nisi illa perfectius attingat, & penetret obiectum beatificum, & consequenter sit maior in ratione præmij essentialis, & per ordinem ad obiectum.

110 *Tertia solutio.* Tertio potest argumento facto responderi; intellectum Angelicum, & humanum non præstare immediatum influxum ratione naturalis potentiæ, in qua differunt, sed ratione obedientialis actiuæ, in qua diximus *sup. art. 1. disp. 2. conclus. 2.* essentialiter inter se non differre; ac *Impugnatur.* proinde, ex eo, quod immediate concurrant, in conueniens illatum non sequitur. Sed contra, potentia obedientialis intellectus non est actiua immediatè, sed immediatè passiua, & receptiua; actiua verò media forma supernaturali, quam recipit: ergo non stat immediate concurrere ratione obedientialis potentiæ. Probo antecedens; Deus nequit facere, vt aliquid influat in effectum, nisi præsupponat in agente continentiam illius, vel tribuat formam, rationes cuius ipsum præcontineat; at intellectus ratione suæ obedientialis potentiæ non præcontinet supernaturales effectus, vt probatum relinquo: ergo vt Deus illo mediante a supernaturalem effectum concurrat, debet prius præbere formam supernaturalem, ratione cuius supernaturalem effectum præcontineat; ac proinde non erit immediate actiua, sed receptiua supernaturalis formæ immediate, & actiua mediate.

§. V.

Tribus fundamentis contrariorum ab auctoritate sumptis occurritur, & explicatur, an voluntas immediatè per propriam virtutem influat in actus supernaturales?

111 *Arguitur primo ab auctoritate.* CVM eadem ratio sit de intellectu, & voluntate quoad immediatum influxum in actus supernaturales, & Scriptura, & PP. frequentius de voluntate loquantur; ideò placuit argumenta proponere, quibus contrarij Auctores immediatum influxum voluntatis in actus supernaturales suadent, vt illis solutis, soluta etiam maneant, quæ circa immediatum influxum intellectus procedunt. Primum argumentum desumunt contrarij Au-

ctores ex Paulo 1. *Corinth. 15.* ibi: *Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quod accepit Apostolus ex Sapientiæ 9. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret*; at nisi voluntas immediatum, & partialem in supernaturalem actum per partialem suam virtutem præstet influxum, non soluantur allegata verba cum proprietate, nec consonè ad mentem PP. ergo admittenda est in voluntate partialis virtus, & partialis in supernaturales actus immediatus influxus.

Minorem pro prima parte probant primò, nam voluntas mediante gratia in actum supernaturalem influens, & non se ipsa immediate partialiter, etsi possit dici operans talem actum per gratiam, non tamen potest cum proprietate dici operans simul cum gratia; sicut pater medio filio nepotem generans, etsi possit dici causare illum per filium; non tamen potest dici cum proprietate nepotem simul cum filio à se genito gignere; at proprietas verborum Pauli necessario postulat, vt de voluntate affirmetur, liberum nostrum arbitrium, non solum per gratiam, sed etiam simul cum illa actum supernaturalem efficere: ergo nisi admittatur, voluntatem per partialem suam virtutem in supernaturalem actum præstare immediatum, & partialem influxum, non saluantur cum proprietate allegata verba Pauli. 112 *Minor quoad 1. partem probatur.*

Secundo, si namque anima simul cum intellectu, immediatè in intellectionem non influat, sed tantum mediante intellectu, non verè dicetur simul cum intellectu ad intellectionem concurrere, sed tantum per intellectum illam causare; & quia aqua in calefactionem, immediatum, & partialem influxum non præstet, sed tantum medio calore ad calefactionem concurrit, non potest dici cum proprietate, simul cum calore calefacere, sed tantum calefacere per calorem: ergo si voluntas non influit immediate partialiter in supernaturalem actum simul cum gratia, sed tantum media gratia illum elicit, non potest cum proprietate dici, simul cum gratia in supernaturalem actum influere, sed tantum per gratiam supernaturalem actum causare; & consequenter verba Pauli cum proprietate explicari non possunt, nisi concessa voluntati nostræ partiali immediata virtute, qua in supernaturalem actum immediate partialiter influat. 113 *Secundo.*

Secundam minoris partem probant ex Parente Augustino, de gratia, & libero arbitrio cap. 5. post medium, illis verbis: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum; at per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* In eodem sensu verba Pauli interpretantur Bernardus *de gratia, & libero arbitrio circa finem.* Et Gregorius *lib. 16. Moralium cap. 12. & lib. 18. cap. 22.* at nisi voluntas partiali gaudeat virtute, per quam immediate partialiter influat in charitatis actum, sed adæquata virtus proxima agendi sit gratia, sola gratia supernaturalem actum causabit, non autem simul cum gratia voluntas; sicut quia calor est adæquata virtus calefaciendi in aqua solus calor dicitur calefactionis causa, non aqua simul cum calore: ergo verba Pauli consonè ad mentem PP. explicari non possunt, nisi voluntati demus proximam partialem virtutem, ratione cuius in supernaturales actus immediate partialiter influat. 114 *Secunda minoris pars probatur. S. Aug. S. Bern. S. Greg.*

Confirmant primo ex Parabola *Lucæ 10.* hominis descendentis ab Hyerusalem in Iericò, qui à latronibus vulneratus, & spoliatus proponitur semiuiuus relictus, quod ideò dicitur teste Augustino *lib. 3. hypognosticon cap. 8.* approbante D. Thom. *Lucæ 10.* in Catena *Quia habebat vitalem motum, scilicet, liberum arbitrium vulneratum, & ad æternam vitam, quam perdiderat, redire non sufficiebat.* Verba sunt Augustini: ergo ideò semiuiuus dicitur relictus per culpam, quia semiprincipium vitale operationis supernaturalis, adhuc nudus gratia retinebat; & consequenter, quia habebat partialem immediatam virtutem ad supernaturales, & salutares actiones. 115 *Confirmatur 1. S. Aug. S. Tho.*

Confirmant secundo, ex illis verbis Pauli ad Philippenses 2. *Cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate*; at si sola Dei gratia operaretur adæquatè consensum, quin præter illam partialis voluntatis nostræ concursus necessarius esset, nulla esset ratio timendi, atque tremendi, non enim malum negligentiæ, & desidiæ timeri potest in operatione gratiæ, quæ nulli deest, quantum est ex parte Dei, nec in arbitrij cooperatione, si immediatè non influit se ipso, sed solum influit mediante gratiam; negligens enim in agendo esse 116 *Secundo.*

nequit, nisi causa, quæ immediate agere potest, quippe, quæ sola potest ad agendum teneri: ergo iuxta Paulum concedendus est voluntati partialis immediatus influxus in salutares, & supernaturales actiones.

117 *Tertio.* Denique id ipsum confirmans ex illo Pauli Romanorum 2. *Factores legis iustificabuntur, cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, &c.* Vbi Paulus manifestè loquitur de obseruatione legis, quæ ad veram iustificationem sufficiat; & asserit, eam naturaliter fieri; at non quia ad illam sola sufficiat natura; hoc enim Pelagianum est, nec quia sola gratia illam exequatur; aliàs non naturaliter sed omnino supernaturaliter fieret; ergo idcirco dicitur à Paulo, naturaliter fieri, quia natura ipsa immediatam, & partialem vim præstat simul cum gratia in supernaturalis legis ad impletionem. In cuius interpretandi modi confirmationem adiungunt Augustinum, de spiritu, & litera cap. 27. illis verbis: *Fiunt, quæ legis sunt naturaliter, non quod per naturam negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura.* Prosperum contra Collatorem cap. 22. Cyrillum Alexandrinum *lib.* 1. contra Iulianum proprius ad finem; & Magnum Basilium *in regulis fusius disputatis interrogatione 2. paulò post initium*; vbi de facultatibus naturalibus loquens, sic ait: *Sanè facultates hæ eiusmodi sunt, vt si his rectè, & vt par est, vti fuerimus, egregiè pietatem tenentes, quæ cum virtute coniuncta est, vita satisfacere possimus.* Quibus verbis fateri videtur Basilius, facultatem nostram naturalem se ipsa immediatè in actus salutares influere.

118 *Huius argumenti defectus appetitur.* Hæc tamen, & alia plura, quæ magno armorum strepitu congerunt aduersarij, forte vt vincant multitudine, quos non possunt ratione superare, absque vllo negotio diluuntur, notando vt ex testimonijs adductis suæ sententiæ veritatem deducant, illum defectum committere, quē Dialectici vocant à superiori ad inferius affirmatiuè, sine superioris distributione; ac si ita argumentarentur; *est animal: ergo est homo; currit animal: ergo homo currit*; nam ex eo quod in Scriptura asseratur, non solum gratiam nostrum parere consensum, sed simul cum gratia liberum arbitrium concurrere, inferunt, immediatè, & partialiter, & per partialem virtutem influere in supernaturales actiones; cum tamen influere latius pateat, quam immediatè influere, & abstrahat ab hoc quod est influere immediatè, & influere mediatè, & ab influere per propriā virtutem, & per virtutem supernaturalem sibi appropriatam & ab hoc, quod est influere immediatè immediatione virtutis, & influere immediatè immediatione potentiæ: fatemur ergo libenter; catholici namque sumus, liberum arbitrium, & non solam gratiam influere, negamus autem, quod influat partialiter, fatemur influere, negamus autem influere per virtutem propriam naturalem, sed per supernaturalem sibi appropriatam; fateor & ego, immediatè voluntatem influere, non quidem immediatione virtutis, sed immediatione potentiæ.

119 *Resp. ad 1. primæ partis minoris probationem.* Quæ doctrina, vt euidentior fiat, ad singula occurrere oportet; ad argumentum, nego vtramque partem minoris, ad primam prioris partis probationem, nego antecedens; vt enim cum proprietate dicatur, voluntatem simul cum gratia supernaturalem operari consensum, sufficit vt quamuis gratia sit adæquata virtus proxima eliciendi talem operationem, non tamen sit adæquata causa, sed ex voluntate, & gratia adæquata causa calescat, ingrediente gratia per modum virtutis proximæ eleuantis voluntatem, & ista per modum potentiæ eleuatæ secundum coaptationem essentialem, vel secundum essentiam potentiæ; nec est eadē ratio de auo respectu nepotis ad quem solum concurrit per accidens, patre ad nepotis generationem concurrente, non vt virtute aui, sed vt adæquata causa.

120 *Ad secundam.* Ad secundam probationem dicatur, falsum esse, quod in primo exemplo supponitur; anima namque in doctrina D.Thom. solum concurrit mediatè ad operationes vitales, & nihilominus verè affirmatur de illa, simul cum intellectu ad operationes istas concurrere *vt quod*, & per modum radicis. Ad secundum dicatur, causalem illam adæquatam non esse, sed ideò aqua non propriè dicitur simul cum calore ad calefaciendum concurrere, quia calor mediat, non vt virtus aquæ, sed vt adæquata causa caloris, aqua omninò per accidens ad calefaciendum se habente; non sic in nostro casu; nam licet gratia adæquata virtus proxima sit ad supernaturales actus eliciendos, adæquata causa non est, sed ex illa, voluntate, & anima adæquata causa conficitur, ingrediente gratia vt virtute potentiæ, voluntate vt potentia, & anima vt huius potentiæ radice.

Et ex his ad secundæ partis probationem, nego minorem; non enim ex hoc, quod gratia sit adæquata virtus, & sola per modum virtutis proximæ ad supernaturalem actum concurrat, sequitur, quod sola sit causa, & quod voluntas causa efficiens supernaturalis actus non sit; causa namque ex potentia: & ex virtute potentiæ coalescit, nec est simile de calore in aqua existente; ideò namque solus ad calefactionem concurrit, non quia solus est virtus, sed quia solus est calefactionis causa, aqua sustantiuè tantum, & omninò per accidens ad calefactionem se habente. 121 *Ad 2. minoris partis probationem.*

Bernardus nostræ suffragatur sententiæ. Et quidem Bernardus, quem in sui fauorem connantur inducere, manifestè nostræ suffragatur sententiæ versans locum Pauli, vbi supra, illis verbis: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt, totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in hac, ita totum ex illa*: nam quid quæso: *Non partim gratia, & partim liberum arbitrium*: nisi manifestè affirmare liberum arbitrium, & gratiam non partialiter, quod asserunt aduersarij, ad supernaturalem consensum concurrere?

Nec etiam fauet Gregorius, sed potius illis obsistit, vt constat ex illis verbis: *Vt ergo se sine gratia nihil esse ostendere, ait, &c.* Quomodo autem voluntas sine gratia nihil est, si, vt contrarij volunt, voluntas ratione sui partialem proximam virtutem haberet? nam quod totali non gaudet virtute, non sufficit, vt nihil dicatur; aliàs affirmare etiam liceret, gratiam nihil sine voluntate esse, cum iuxta contrarios, non totalis virtus, sed tantum partialis sit, nec etiam fauet Augustinus, vt postea videbimus. 122 *Gregorius etiam.*

Ad primam confirmationem dicatur; ideò hominem per peccatum semiuiuum proponi, non quia habeat ratione sui sine supernaturali gratia partialem vim proximam ad opera salutaria, vt voluntariè interpretantur Recentiores arguentes, sed vel quia vt docuit Theodoretus, anima immortalis est, corpus vero mortale, & illius mortem per peccatum incurrit; vel quia vt Tridentinum docet *sessione sexta de iustificatione can. quinto*, liberum hominis arbitrium per peccatum Adæ non fuit extinctum, nec amissum, ad quod sufficit, quod aliqua bona opera ordinis naturalis sine speciali gratia possit efficere, vt docet Diuus Thomas 1.2. *quæst.* 109. *art.* 1. non autem est necessarium, quod in ordine ad actus salutares, & supernaturales partialem virtutem proximam post peccatum conseruet; in ordine namque ad actus salutares homo per peccatum non infirmus, nec atenuatus viribus remanet, nec semiuiuus, sed mortuus; vt enim docet Tridentinum *sess.* 5. peccatum originale, & quodlibet mortale est mors animæ, & vt docet D.Thom. 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. ideò peccatum aliquod mortale dicitur, & à veniali distinguitur, quia mortem animæ infert, tollitque principium vitæ, ob quam rationem non est ab intrinseco, sed ab extrinseco tantum reparabile, scilicet, in virtute gratiæ diuinæ. 123 *Ad 1. confirmationem.*

Nec video, qua specie probabilitatis, ex Augustino inferant Recentiores interpretationem suam; nam Augustinus, ait, ideo semiuiuum relictum hominem post peccatum, quia habebat vitalem motum, scilicet, liberum arbitrium, & ad æternam vitam, quam perdiderat, redire non sufficiebat. Vnde consequentiæ locus: *Liberum arbitrium ad æternam vitam, quam perdiderat reddire non sufficiebat: ergo habet vim partialiter actiuam ad opera salutaria?* quomodo ex insufficientia redeundi ad vitam æternam, quam in libero hominis arbitrio concedit Augustinus, colligitur sufficientia partialis, & quomodo ex negatiua, affirmatiua propositio colligitur, contra rudimenta Dialecticæ? causalis ergo Augustini intelligenda est, iuxta dicta ex Tridentino, scilicet, ideò hominem post peccatum semiuiuum relinqui, quia remanet cum libero arbitrio, hoc est, quia per peccatum non extinguitur, nec amittitur liberum arbitrium hominis, ad quod sufficit, quod per se ipsum possit in aliqua bona opera ordinis naturalis. Et licet domus in ordine ad opera salutaria hominem semiuiuum relinqui, sufficit, quod post peccatum maneat in illo essentialis coaptatio, & potentia obedientialis remota ad opera salutaria reducibilis ad actum per merita Christi, in quo natura humana sperabat consequi salutem, vt secundo explicat Theodoretus illud verbum *Semiuiuus*. 124 *Aug. pro nobis est.*

Ad secundam confirmationem, nego minorem; nam licet voluntas nostra non influat immediatè partialiter in actum supernaturalem, quia tamen verè influit, & verè illum cooperatur cum gratia, timere potest desidiam, & negligentiam coniungibilem cum gratia suffi- 125 *Ad 2. confirmationem.*

sufficiente, & possibilem in sensu diuiso respectu gratiæ efficacis, quam si Deus, vel non conferat, vel semel collatam gratiosè non continuet, liberum hominis arbitrium ad operaratione desistet; & ideò cum timore, & tremore operari nostram salutem debemus, nos Deo subijcientes, & coram ipso humiliantes, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate: ne scilicet Deus à suæ gratiæ collatione desistat, qua deficiente bonum opus non perficietur. Quod autem ex præallegatis verbis nihil sententiæ nostræ contrarium colligatur, sed quod ei maximè faueant, constat clarè ex Augustino *de gratia, & libero arbitrio cap.* 9. vbi versans locum Pauli, sic ait: *Quando enim iubentur, vt operetur, liberum eorum arbitrium innuitur, sed ideò cum timore, & tremore, ne sibi tribuendo, qui benè operatur, de bonis tanquam suis extollantur operibus.* Si autem liberum arbitrium ratione suæ natiuæ virtutis partialiter proximè in supernaturalem actum influeret, posset homo de illo tanquam de suo partialiter saltim gloriari.

126 Et quidem si gratia posset in se ipsa gloriari, gloriaretur profectò de bono supernaturali, quod in homine parit, & tamen non est virtus adæquata proxima, vt fatentur contrarij, sed tantum partialis: ergo si homo ratione suæ naturæ partialem ad supernaturalem actum habet virtutem, gloriari poterit de illo tanquam de suo, modo quo gratia de illo posset gloriari, si capax gloriationis esset. Quo argumento vsus est Augustinus *lib.* 1. *ad Simplicianum quæst.* 2. versus locum illum Pauli: *Non volentes, nec currentis, sed miserentis est*, vt non partim Deo, & partim libero tribuamus arbitrio, sed totum Deo nostrum opus salutare.

Instatur in gratia.

127 Ad vltimam confirmationem, nego minorem pro secunda parte, quam non conuincit inducta probatio; licet enim homini ratione gratiæ eleuantis totam legem adimplenti sit supernaturalis totius legis adimpletio, respectiuè ad hominem ratione sui, non tamen est supernaturalis respectiuè ad ipsum, vt eleuatum gratia; sicut homini eleuato per lumen inspecto ratione sui supernaturalis est beatifica visio; secus autem homini eleuato lumine, prout illo eleuato; sic namque connaturalis est. Et quidem illud verbum *naturaliter*, non potest aduersarijs fauere; nam licet asserant hominem ratione suæ innatæ virtutis ad actum salutarem partialiter proximè influere; non tamen docent influere naturaliter, nec ratione potentiæ naturalis; sed obedientialiter, & ratione potentiæ obedientialis.

Ad vltimam confirmationem.

128 Vel secundo dicatur, loqui Paulum de adimpletione totius legis naturalis, ad quam non concurrit supernaturalis gratia elicitiuè, nec proximè, sed antecedenter, & expeditiuè, vt fusè explicabimus *Tract. de gratia Dei art.* 4. & respectu illorum actuum, quibus lex naturæ adimpletur, proximè concurret natura, etsi speciali gratia Dei conditoris adiuta, *vt ibidem latè docebimus*. Cui doctrinæ non refragantur PP. adducti, nec Recentiorum suffragantur sententiæ; nam Augustinus asserens per gratiam reparari naturam, non ideò affirmat, naturam reparatam partialiter proxime influere, nisi opera sint naturalia, ad quæ antecedenter solum reparatio gratiæ requiritur. Nec Basilij verba aduersantur; nam si loquitur de facultate nostræ voluntatis naturali, non loquitur de vsu illius ab illa egrediente partialiter, sed de actu supernaturali elicito à voluntate ratione gratiæ dantis totam proximam virtutem, ratione cuius naturalis facultas, vt eleuata in supernaturalem actum prorumpit. Et in eundem sensum cæteri PP. relati fuerunt loquuti.

Secundo Respondetur.

Explicatur Augustinus.

Basilius.

129 Obijciunt secundo, Tridentinum *sess.* 6. *de iustificatione cap.* 5. vbi aduersus Caluinum, & Luterum docetur: *Hominem gratia excitanti, atque adiuuanti liberè assentiendo, & cooperando, dispeni, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, nec homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens.* Et can. 4. illis verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque passiuè se habere: anathema sit.* Ex quibus Concilij verbis tres eliciuntur propositiones: prima est: *Hominem cooperari gratia adiuuanti, & excitanti Dei.* Secunda: *Hominem ipsum aliquid agere in supernaturali consensu.* Tertia: *Liberum arbitrium hominis non se habere merè passiuè*; at nulla ex his propositionibus verificari potest, nisi concedatur libero arbitrio creato immediata, & partialis actiuitas in consensum supernaturalem: ergo vt Concilij verba subsistant, admittenda est ista partialis actiuitas.

Arg. 2. ex Conc. Trident.

Tres propositiones eliciuntur ab his Auctoris verbis. Concilij.

Minor pro prima parte probatur; nam principium quod immediatè nihil operatur, non potest cooperari gratiæ adiuuanti; etenim substantia aeris non cooperatur luci ad illuminandum, nec substantia ignis calori ad calefaciendum, quia immediatè in illuminationem, & calefactionem non influunt: ergo nisi concedatur liberum arbitrium immediatè partialiter in supernaturalem consensum influere, non potest prima propositio saluari. 130

Minor pro 1. parte suadetur.

Deinde pro secunda parte probatur. Tùm, nam ly *homo ipse* denotat, hominem prout à diuina gratia distinctum: ergo Concilium docens, hominem ipsum aliquid agere, sentit, agere aliquid, prout à diuina gratia distinctum; at nisi ratione suæ naturalis entitatis influat proximè; & immediatè consensum supernaturalem, homo vt à diuina gratia distinctus, nihil aget; cum tantum agat vt affectus, & eleuatus per gratiam, qualiter à gratia non differt: ergo debet concedi libero arbitrio nostro partialis actiuitas in supernaturalem actum, vt verificetur secunda Concilij propositio. Tum etiam; nam si homo ratione solius gratiæ in consensum influeret, & non immediatè ratione propriæ entitas, non aliquid consensus, sed totum consensum operatur homo; at Concilium homini, prout à gratia distincto tribuit aliquid consensus, non totum consensum: ergo sentit ratione suæ entitatis immediatè in consensum influere.

Pro 2. suadetur 1.

Secundo.

Denique tertia pars minoris suadetur; si namque arbitrium immediatè non agit, sed tantum mediatè, nihil aliud immediatè habebit, quam passiuè recipere gratiam, & actionem mediante gratia elicitam: ergo comparatione actionis immediatæ merè passiuè se habebit; at mens Concilij est diffinire respectu immediatæ actionis non merè passiuè se habere: ergo vt saluetur, non se habere merè passiuè ad intentionem Concilij, concedendus est arbitrio immediatus, & partialis influxus in supernaturalem consensum. Probant minorem; nam Luterus, & Caluinus, quos ibi damnat Concilium, non negabant liberum arbitrium creatum actiuè se habere respectu actionis mediatæ; fatebantur enim in se recipere gratiam causantem consensum; & consequenter liberum arbitrium gratiam recipiens, per illam in consensum influere; tantum ergo negabant, actiuè se habere respectu immediatæ actionis; & tamen à Concilio damnantur: ergo sentit, non se habere passiuè comparatione actionis immediatæ; & consequenter actiuè immediatè influere. 131

Tertia pars minoris probatur.

Quod argumentum irrefragabile Recentioribus visum, vrgent, & confirmant primo; nam Tridentinum in allegato decreto eam sententiam definit, quam Caluinus fatebatur à catholicis defendi; at sententia, quam Caluinus catholicis adscribebat, non est, quæ gratiæ tribuit adæquatam virtutem immediatam agendi, sed quæ inter arbitrium, & gratiam virtutem immediatam, & immediatum influxum partitur: ergo hæc posterior sententia a Concilio diffinitur. Minorem probant ex Caluino *libro secundo institutionum cap.* 3. quem referunt Maldonatus *Ioannis* 15. *versu* 5. & Stapletonius Antidoto *in caput* 15. *Ioannis versu* 5. vbi versans illa verba: *Sine me nihil potestis facere*, sic contra catholicos disputat: *Papistæ hanc sententiam non extenuant modo, sed enervant, imo potius eludunt; etsi enim verbo tenus fatentur, nos sine Christo nihil posse, aliquid tamen facultatis suppetere nobis somniant, quod per se quidem non sufficiat, sed Dei gratia adiutum cooperatur, nec enim hominem ita exinaniri sustinent, quin aliquid ex se conferat.* Et paucis interpositis ita concludit: *Christus vero contra pronunciat, nos nihil posse ex nobis, palmes*, inquit, *nullum fructum habet à semetipso: ergo non tantum cooperantis sua gratia auxilium hic commendat, sed nos penitus priuat omni virtute, nisi quā suppeditat ipse nobis.* Vbi vt clarè constat, Caluinus eam sententiam catholicis tribuit, quæ docet, aliquid facultatis libero arbitrio suppetere, quæ diuina gratia adiuta illi cooperetur, & quæ ex se aliquid conferat in supernaturalem consensum; at iuxta illos, qui negant libero arbitrio creato partialem, & immediatam virtutem ad actus supernaturales, nulla nobis suppetit facultas ad illos, nec ex se aliquid confert in consensum salutarem; benè tamen in sententia affirmante habere ex se proximam, & partialem virtutem, & partialiter in illum influere: ergo hæc, & non illa est, quam Caluinus attribuebat catholicis. 132

Confirmatur 1. hoc argumentum.

Minor prob. ex verbis Caluini.

Id ipsum repetit Caluinus *lib.* 3. *institutionum cap.* 24. ad illa verba Pauli: *Non est volentis, nec currentis*, vbi ita de catholicis loquitur: *Verè hic locum habet illud Pauli, non est volentis, &c. non quomodo id vulgo accipiunt, qui inter Dei gratiam,* 133

Alia Caluini verba adducuntur.

gratiam, hominisque voluntatem sursum partiuntur. Et *lib. 2. cap. 6. sess. 6.* sic à catholicis dissensionem proponit: *Sed nendum liquet, sit ne in totum priuatus, benè agendi facultate homo, an habeat adhuc non nullam, sed pusillam, & infirmam, qua per se quidem nihil possit, opitulante vero Dei gratia, suas ipse quoque partes habeat.* Sentit ergo Caluinus in hoc inter ipsum, & catholicos dissentionem consistere, quod ipse nullam in nobis partialem, & proximam virtutem agendi actus supernaturales cognoscit, catholici vero huiusce modi virtutem proximam, & partialem concedunt; & consequenter sententia libero arbitrio illam attribuens virtutem, est quam Caluinus catholicorum esse sentiebat.

134 *Confirmatur 2.* Confirmant secundo, eam sententiam Concilium in superiori decreto definit, quæ Caluini menti aduersatur; at sententia negans libero arbitrio creato proximam virtutem agendi actus supernaturales, & totam virtutem proximam gratiæ concedens, non aduersatur Caluino, benè tamen illa, quæ inter gratiam, & liberum arbitrium creatum, virtutem proximam, & influxum partitur: ergo hæc posterior à Concilio diffinitur. Minorem, in qua est difficultas, sic probant, Caluinus non negabat libero arbitrio mediatum effectiuum influxum in actum supernaturalem, sed tantum immediatum; at sententia concedens libero arbitrio solam virtutem remotam, & proximam soli gratiæ, tantum libero arbitrio concedit mediatum in supernaturalem actum influxum, & negat illi immediatum: ergo non aduersatur Caluino.

135 *Maior prob. 1. Camerar.* Maiorem probant primo ex Camerario *lib. 10. de libero arbitrio cap. 5. §. 2.* vbi Caluinum ita loquentem proponit: *Non hic quæritur, agat ne voluntas, quod extra dubium est, sed agat ne à se ipsa, an pro modo diuina actionis, quis enim nescit per voluntatem fieri, vt vellit homo?* Et *lib. 1 cap. 9.* hæc verba ex Caluino refert. *Hominem sic docemus agi Dei gratia, vt tamen simul agat, sic tamen ipsum agere, vt penes Dei spiritum tota sit, ac maneat actionis efficatia.* Vnde subdit: *Minimè sic cooperari hominem cum ipse Deo, inquio, vt aliquid de suo misceat, sed pro mensura solum, quam accepit, vt non aliter agat, nisi quo agitur.* Ergo iuxta Caluinum, agit voluntas simul cum Dei gratia super naturalem consensum; at non agit immediatè, & partialiter: ergo agit mediatè, media scilicet gratia adæquatè proximè efficiente consensum, & consequenter non ideò à Concilio damnatur, quia neget libero arbitrio concursum mediatum in actum salutarem, sed quia negat immediatum.

136 *Secundo.* Secundo id ipsum probant; nam Caluinus fatebatur, hominem in se recipere, & sustentare gratiam immediatè agentem supernaturalem consensum; at subiectum sustentans formam immediatè efficientem, mediatè saltim efficit, & operatur; quo circa aqua sustentans calorem immediatè calefacientem, mediatè saltim, idest; altero mediante calefacit: ergo non negabat Caluinus libero arbitrio creato, mediatè in supernaturalem assensum influere, sed tantum illi negabat immediatum, & partialem influxum.

137 *Luteri, Caluini, & Pelagij errores explicantur, & in quibus conueniant, & discriminentur.* Antequam argumentum dissoluam placuit errores Luteri, & Caluini breuiter vobis proponere, vt manifeste constet, quam immerito Recentiores, illos nobis connentur imponere, & quam leuiter suam sententiam ex Tridentino suadeant, & nostram impugnent. Igitur Luterus, Caluinus, & Pelagius in hoc conuenientes principio, quod scilicet gratia efficax, nostrorum actuum libertatem euertat, in extremos inciderunt errores. Pelagius quidem necessitatem gratiæ negauit, liberoque arbitrio absque indigentia gratiæ omnes vires ad salutares actus concessit, contra quem Tridentinum *sess. 6. de iustificatione cap. 5.* ibi: *Nec tamen sine Dei gratia mouere se ad iustitiam ceram illo libera sua voluntate possit.* Et can. 1. 2. & 3. Luterus vero, & Caluinus necessitatem gratiæ admittentes ad salutares actiones, nostram libertatem negarunt; contra quos Tridentinum *cap. 5. relato, & can. 4.* hoc tamen inter prædictos Hæreticos erat discrimen, quod Luterus, ideò hominem ex necessitate, & non liberè moueri per diuinam gratiam asserebat, quia non agit suos motus, sed merè passiuè comparatur ad illos, & adæquatè à diuina gratia, vt ab efficiente causa prouenniunt; constat hoc ex Lutero super *Psalm. 5.* & ex Concilio Senonensi in principio columna 2. ad finem; vbi de Lutero hæc habet. *In errorem Manichæi Luterus incidit, cum nimis anxiè, & scrupulosè deuitat Pelagium, metuens namque liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre, omne opus bonum, quod est in homine, Deo tribuit, & diuina gratia, nihil prorsus libero arbitrio relinquebat.* Ergo Luterus, adæquatam causam efficientem actuum supernaturalium esse Deum, & illius gratiam, nosque respectu illorum tantum comparari passiuè, & nullatenus actiuè, asserebat, & idcirco liberè ad illos actus nos concurrere, negabat.

138 *Error Caluini.* Caluinus, etsi cum Lutero consentiat in neganda arbitrij libertate respectu salutaris consensus; dissentiebat ab illo, concedens aliquam actiuitatem libero arbitrio creato in ordine ad supernaturales actiones. Vnde fatebatur, non se habere merè passiuè, nec inanimatè concurrere, necessario tamen, & non liberè à diuina gratia moueri; sicut equus à sessore necessario gubernatur: sic referunt Caluini errorem Aluarez *lib. 1. responsionum cap. 3. num 9.* & Mag. Sancto Thoma *1. part. q. 19. disput. 3. art. 5. n. 14.* Quo posito, absque difficultate intelligitur, quod in prædictis Hæreticis damnauit Tridentinum, & quam longè nostra sententia ab illius distet censura: diffiniuit contra Pelagium necessitatem gratiæ ad opera salutaria, contra Luterum, liberum nostrum arbitrium non merè passiuè, nec vt instrumentum inanime se habere; ac deniq; peculiariter contra Caluinum, non solum spontaneè, sed etiam liberè cum diuina gratia operari. Contra Nos verò, qui libenter fatemur, necessitatem gratiæ, & liberum arbitrium non merè passiuè, nec vt inanime instrumentum se habere, sed vitaliter ad illos concurrere, & non solum spontaneè, sed liberè cum diuina gratia operari, nihil Tridentinum diffinit, sed nostra est ipsius sententia: vt quid ergo ex Concilio vociferant, nisi vt insipientes turbent, & à nostra sententia deterreant?

139 *Resp. ad 1. partem minoris ex verbis Concilij illata.* Et ex his ad argumentum admissis libentissimè illis tribus propositionibus, vt ex Tridentino deductis, nego argumenti minorem. Ad primæ partis probationem, nego antecedens; vt enim vnum alteri cooperetur, sufficit vtrumque simul ad operationem concurrere, & quod ex vtroq; adæquata causa operationis coalescat: cum ergo in nostra sententia absque partiali voluntatis in supernaturalem actum concursu, saluetur, simul cum diuina gratia ad consensum salutarem concurrere, & ex voluntate, & gratia adæquatam causam consensus supernaturalis confiari, ingrediente gratia vt virtute proxima potentiæ, & voluntate vt potentia, cuius gratia, existit virtus, fit, vt optimè saluetur, liberum arbitrium hominis, gratiæ Dei excitanti, & adiuuanti cooperari.

140 *Exemplis fit satis.* Nec exempla in oppositum vrgent; admisso namq; aerem non cooperari luci in illuminando, nec ignem calori in calefaciendo, quod tamen negari poterat, cum sint accidentia connaturalia prædictis subiectis; subiectum autem medijs accidentibus sibi connaturalibus, & cum illis effectus accidentium producit; illo tamen admisso, est maxima ad nostrum casum disparitatis ratio; nam lux non est solum adæquata virtus illuminatiua, sed etiam adæquata causa, cuius signum est, quod ab aere separata æquè atque in illo recepta illuminaret; ac proinde aer ad illuminandum sustentatiuè solum videtur influere, non verè effectiuè, nisi tantum quoad denominationem; ac proinde non mirum, quod luci ad illuminandum cooperari non dicatur, & idem de calore in ordine ad calefaciendum potest eadem ratione negari; non sic de voluntate respectu supernaturalis consensus; nam gratia medians, etsi sit adæquata virtus proxima, non est adæquata causa, vt dicebam, sed ex illa vt virtute, & ex voluntate vt potentia, & ex anima, vt voluntatis radice, adæquata causa coalescit. Vnde gratia extra voluntatem existens consensum supernaturalem operari non posset; ac proinde non tantum denominatiuè, nec per accidens, sed verè, & per se voluntas gratiæ cooperatur in elicientia supernaturalis consensus.

141 *Ad 2. partis 1. probationem.* Ad secundæ partis primam probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: ly *prout* reduplicante virtutem agendi proximam, & immediatam, nego consequentiam: ly *prout* reduplicante, tum causam *vt quod* adæquatam; tum etiam coaptationem essentialem, & actiuitatem mediatam, concedo consequentiam, & nego minorem subsumptam; cum enim ad causandum consensum salutarem, non solum virtus proxima, & immediata agendi concurrat, sed etiam causa *vt quod* agens, composita ex virtute proxima, & coaptatione essentiali potentiæ; & radice talis potentiæ, fit, quod ad hoc, vt dicatur, hominem ipsum, quatenus à gratia distinctum causare, non requiratur, quod ratione sui, prout ita distinctus, habeat proximam virtutem, sed sufficiet, quod ratione sui habeat essentialem coaptationem, & à gratia proximam influendi virtutem accipiat.

142 *Ad 2. probationem,* Ad secundam probationem, concedo sequelam, & nego minorem; non enim somniauit Concilium, aliquid arbitrio tribuere, & aliquid illius efficientiæ negare, sed

sed totum gratiæ, & totum libero concedit arbitrio, vt ex Bernardo videbamus *supra*, & ipsi aduersarij fatentur; cum doceant, non partialiter, partialitate effectus, sed partialitate causæ ad consensum salutarem liberum arbitrium, & diuinam gratiam concurrere. Ad tertiæ partis probationem dicatur, non dari actionem mediatam, & immediatam, sed vnicam, & eandem actionem, a gratia, vt à virtute proxima adæquata immediatè procedentem, & à voluntate mediatè mediatione virtutis, & immediatè immediatione potentiæ, vt postea explicabimus vnde; voluntas nihil immediatè agit, sed solum mediante gratia quam in se immediatè recipit, quia nihil mediat, vt diuinam gratiam auxiliantem recipiat.

Ad 3. partis minoris prædictæ probationem respond.

143 Ad probationem, quatenus huic doctrinæ obstare potest, dicatur, Luterum omnem actiuum influxum libero arbitrio negasse, asserendo, solum passiuè, tum ad gratiam, tum ad consensum salutarem se habere, contra quem diffinit Tridentinum, non se habere merè passiuè, sed vitaliter actiuè concurrere, ad quod sufficit, quod influat mediante diuina gratia, vt virtute agendi proxima. Nec Luterus influxum istum libero concedebat arbitrio; nam licet asseruerit, diuinam gratiam consensum efficientem recipere, quia tamen gratiam mediantem, non solum adæquatam virtutem proximam, sed etiam adæquatam causam effectiuam consensus salutaris esse dicebat; non fatebatur, nec ex illius dictis colligitur, voluntatem verè actiuè in supernaturales actus influere, sed tantum, quod sustentaret causam influentem, ex quo ad summum verificari potest, denominatiuè, & per accidens illos causare, quod ad Concilij intentum non sufficit. Caluinus autem, non ideò a Concilio damnatur, quia influxum voluntatis actiuum in consensum salutarem negauerit, sed quia liberum negauit influxum, vt vidimus. Quod si admittamus, etiam actiuum negasse concursum, sicuti Lutero consensit, eadem censura damnatur.

Ad probationem minoris cōtra hāc solutionē obstantis.

144 Sed oppones primò; vt verba Concilij saluentur, necessario requiritur, quod liberum arbitrium creatum ex se aliquid efficiat in consensum salutarem; at si adæquata virtus sit gratia, nihil ex se confert liberum arbitrium hominis: ergo non saluantur verba Tridentini. Secundo; quia ex eisdem verbis necessario colligitur, voluntatem ratione propriæ entitatis, non omninò materialiter, sed formaliter ad assensum salutarem se habere; at si gratia sit virtus adæquata proxima, entitas nostræ voluntatis omninò materialiter ad assensum salutem se habet: ergo hoc admisso non subsistit veritas Tridentini. Maior ex eo constans videtur; quia namque aqua calorem in se sustentans materialiter omninò ad calefactionem se habet, non est verum cum proprietate dicere, effectiuè calefacere: ergo vt vera sit Tridentini sententia asserentis, liberum arbitrium cooperari gratiæ Dei, & ad supernaturalem consensum efficienter concurrere, necessario requiritur, quod entitas voluntatis non omninò materialiter ad opera salutaria concurrat. Minor autem probatur; nam id omninò materialiter ad aliquam actionem se habet, quod non est illius formale principium; at si gratia sit adæquata virtus proxima, erit etiam adæquatum actionis salutaris formale effectiuum principium; cum principium, & virtus prorsus sint idem, & consequenter entitas voluntatis nullatenus erit principium formale illius: ergo si gratia sit adæquata virtus proxima agendi, omninò materialiter entitas voluntatis se habebit ad actiones salutares.

Oppones primo. Secundo.

145 Respondeo ad primam instantiam, distinguendo maiorem: ly *ex se* dicente proximam virtutem agendi, nego minorem: dicente causam *vt quod* efficientem, coaptationemque essentialem, & remotam, seu mediatam virtutem, prætermitto maiorem; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam gratia in nostra sententia, etsi sit adæquata proxima virtus, non tamen est adæquata causa *vt quod*, nec adæquata virtus, tam proxima, quam remota. Vndè potest liberum arbitrium *ex se* aliquid influere, ly *ex se* dicente causam *vt quod* operantem, & importante remotam, seu mediatam virtutem.

Resp. ad primum.

Ad secundam, prætermissa maiori, nego minorem. Ad illius probationem dicatur, non solum principium proximum, sed etiam remotum, & mediatum, formaliter ad actionem se habere, vt constat in anima rationali, quæ solum remotè ad vitales actus naturales concurrit; & tamen non materialiter, sed formaliter comparatur ad illos; cum sine influxu animæ, etiam existentibus separatis ab anima naturalibus potentijs, actus vitales nequeant existere de potentia absoluta in probabiliori sententia: cum ergo voluntas ratione propriæ entitatis, etsi non habeat immediatam, & proximam virtutem agendi; habet tamen virtutem agendi remotam, & mediatam, non materialiter, sed formaliter comparatur ad supernaturalem consensum.

Ad secūdum.

Vel secundo responderi potest, quod sicut ex parte obiecti specificantis potentiam, vel habitum, non solum ratio *sub qua*, verumetiam ratio *qua* formaliter comparatur ad specificandum habitum, vel potentiam: ita etiam ex parte causæ efficientis, non solum principium *quo*, sed etiam principium *quod* formaliter comparatur ad actum; licet autem gratia sit principium *quo* formale, & entitas voluntatis non sit formale principium *quo*, est tamen principium *quod*; ac proinde non omninò materialiter ad actus salutares comparatur. Nec eadem ratio est de aqua sustentante calorem respectu calefactionis: nam calor sustentatus ab aqua, non solum est principium *quo* formale, sed etiam est causa *vt quod*. Vndè separatus ab aqua eodem modo, imo & melius calefactionem causaret. Vndè aqua illum sustentans, nec *vt quo* nec *vt quod* formaliter ad calefaciendum se habet, sed omninò materialiter. 146

Secundo responderi potest.

Ad primam confirmationem, qua sibi Recentiores blandiuntur, & exultant, quasi capta præda, responderi potest primo, negando maiorem; etenim possunt hæretici, sicuti in alijs falluntur, ita & in recensendis catholicorum sententijs, seduci; ac proinde, esto Caluinus catholicis attribuerit sententiam proximam virtutem inter gratiam, & liberum arbitrium partientem; non tamen inde sequitur, illam verè fuisse catholicorum sententiam; ac proinde multo minus colligitur a Concilio definiri. Vel secundo, sustinendo, Caluinum verum, & vitalem influxum in salutarem, & supernaturalem consensum libero arbitrio negasse; prætermissa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem dicatur, nomine facultatis suppetentis nobis sine diuina gratia, non tamen sufficientis sine illa, & ex se aliquid conferentis quam catholicis Caluinus adscribit, non intelligi proximam, & immediatam virtutem agendi in consensum salutarem, sed facultatem remotam, & mediatam, seu remotam virtutem, coaptationemque essentialem, quam Nos libenter fatemur, nostræque sententiæ Auctores. Vnde distinguo minorem facti discursus; nulla nobis suppetit facultas ad salutares actiones, quæ virtus proxima sit, concedo minorem: quæ sit virtus mediata, & remota, nego minorem, & consequentiam; & hæc virtus aliquid confert *ex se*, non per modum virtutis proximæ, vt non eleuatæ influentis, sed per modum virtutis remotæ influentis ratione formæ eleuantis tanquam proximæ virtutis, & hæc est facultas, quam Caluinus adscribebat catholicis, & ipse in vltimis verbis allegati testimonij negabat. 147

Ad 1. confirmatio. nē argumēti principalis resp. 1.

Secundo.

Si tamen sustineamus, Caluinum non negasse libero arbitrio creato talem in supernaturales actus influxum, sed tantum influxum liberum. Responderi potest tertio, etiam prætermissa maiori negando minorem. Ad cuius probationem dicatur: nomine facultatis, quam catholicis adscripsit, ipseque in supernaturales actus libero arbitrio negauit, non intellexisse proximam operandi virtutem, sed facultatem liberam operandi mediatam meditatione virtutis, & immediatam immediatione potentiæ, quam quidem plures catholici libero arbitrio concedunt, & ipse Caluinus negauit existimans ex indigentia gratiæ efficacis libertatem euerti, & voluntatem diuina gratia auxiliatam non agere, sed tantum agi, sicut equus a sessore. 148

Tertio responderi potest.

Nec magis vrgent verba secundo loco relata; nam nomine partitionis, quam catholicis attribuit, non est intelligenda partitio virtutis proximæ inter voluntatem, & gratiam, sed partitio, vel virtutis abstrahentis à proxima, & remota, iuxta secundam solutionem. Vel consequenter ad tertiam, partitio liberi influxus, non quoad proximam virtutem libero competentem arbitrio, sed quoad virtutem remotam, quam habet voluntas nostra, vt diuina gratia adiuta, vt se ad consensum salutarem applicet, & determinet. Et ex his ad vltima verba constat; non enim tribuit catholicis, quod in illorum sententia liberum nostrum arbitrium ratione sui habeat proximam, & partialem virtutem, nec suas partes in supernaturalem consensum per proximam virtutem influxiuam in illum, sed per virtutem remotam factibilem proximè potentem media diuina gratia, non solum in supernaturalem consensum influere, sed etiam liberè influere: & istum partitionis modum nostra fatetur sententia. 149

Verba Caluini vltima expenduntur.

Ad vltima verba respondetur.

Et ex his ad secundam confirmationem, nego minorem; ad illius probationem, respondeo primo, negando minorem iuxta secundam solutionem præcedentis confirmatio- 150

Ad secūdā confirmationē respondetur 1.

mationis. Ad illius probationem dicatur, Caluinum in vtroque loco solum concedere voluntati efficientiam denominatiuam, & per accidens talem, sicut est illa, quæ aquæ conuenit in ordine ad calefactionem, quia nempè substentat calorem, qui est adæquata calefactionis causa; & ille modus causandi ad intentum Concilij non sufficit. Nos autem conformiter ad Tridentini mentem, non sufficientiam per accidens, sed efficientiam per se concedimus libero arbitrio in ordine ad supernaturales actiones, licet non per concursum à voluntate egredientem ratione propriæ entitatis immediate immediatione virtutis, sed immediatione tantum potentiæ. Vnde sententia nostra è regione pugnat cum sententia Caluini.

151 *Secundo.* Iuxta tertiam vero solutionem, quam præcedenti confirmationi dedimus, responderi potest secundo, concessa maiori, & minori distinguendo consequens: non aduersatur nostra sententia Caluino, quoad vitaliter in supernaturalem consensum influere, in quo Caluinus à Concilio non damnatur, concedo consequentiam: quantum ad influxum liberum, quem Caluinus hæreticè negat, & in quo à Concilio damnatur, nego consequentiam: itaque iuxta hanc solutionem, & consequenter ad modum quo Caluini error, à nostris Thomistis refertur, duo asserebat Caluinus, nempè, liberum arbitrium agere vitaliter salutarem consensum, in quo non errabat, sed Luthero dissentiebat, & adhærebat catholicis, nec in hoc à Concilio damnatur, nec nostra sententia illi opponitur. Secundo asserebat, hominem non agere libere sed omnino necessario, & in hoc adhærebat Luthero, & catholicis dissentiebat, à Tridentinoque damnatur, & quantum ad hoc nostra sententia illi opponitur; nec oportet, quod magis illi opponatur; non enim omnia hæreticorum dicta hæretica debent censeri, & consequenter, nec in omnibus nos illis tenemur opponere.

152 *Dices.* Sed dices, Caluino neganti liberum, & immediatum in supernaturalem actum influxum, magis opponitur sententia illa, quæ libero arbitrio concedit immediatum in supernaturalem actum influxum, quam, quæ solum mediatam, & remotam potentiam libero tribuit arbitrio: ergo prima est eligenda, & præponenda secundæ. *Respondetur 1.* Respondeo primo, permisso antecedenti, negando consequentiam: cum enim Caluinus, iuxta modum dicendi, duo de libero arbitrio doceret, vnum verum, scilicet, non influere immediate in consensum salutarem, & alterum falsum, nempè, influxum liberum non præstare, non est illa sententia eligenda, quæ Caluino in vtroque dicto obsistit, sed quæ in vno illi aduersatur, scilicet in hæretico, & falso.

153 *Secundo.* Vel secundo respondetur, distinguendo antecedens: magis Caluino opponitur absque aliquo accessu ad Pelagium, nego antecedens: in aliquo cum Pelagio consentiens, concedo antecedens, & nego consequentiam: nam sententia nostra dans libero arbitrio solam innatam virtutem, totaliter Pelagio aduersatur; secus vero contraria; nam Pelagio adeò eleuanti vires arbitrij creati, vt gratia non indigeret ad consensum salutarem, concedit contraria opinio, liberum nostrum arbitrium non indigere gratia, vt sit potens proxime in consensum salutarem, etsi ab illo catholicè distet negans habere, absque diuinæ gratiæ assistentia vndique completam potentiam. Et idcirco nostra sententia merito debet præponi, quæ Scyllam, & Carybdim vitans, Pelagio magis opponitur, & Caluino, in eo in quo à fide dissentit.

154 *Arguitur tertio ex D. Tho.* Tertio opponunt nobis plura Angelici Doctoris testimonia, sed quod aliquam difficultatem habet, sumitur ex primo sententiarum *dist. 17. art. 3. in corpore,* illis verbis: *Quando ergo ita est, quod homo non habens charitatem ex tota virtute bonitatis naturalis sibi indita, mouetur ad charitatem, tunc vnus actus disponit cum vltima dispositione, vt charitas sibi detur.* Et paucis interpositis, ita prosequitur: *Similiter dico ex parte altera, quod quando actus charitatis procedit ex tota virtute habentis, & quantum ad virtutem naturæ, & quantum ad actum virtutem habitus infusi, tunc vnus actus disponit, & meretur augmentum charitatis, vt statim fiat:* ergo iuxta D. Thomam duplex virtus est distinguenda in ordine ad actum charitatis, altera naturæ, & altera gratiæ; & consequenter vtraque ad actum charitatis immediate concurrit.

155 *Confirmatur.* Confirmatur primo ex eodem D. Thoma *quæst. 27. de veritate art. 4. ad 12. Dicendum, quod anima agit disponendo ad gratiam virtute propria naturæ, Sacramentum autem virtute diuina, vt eius instrumentum, & ideo non est simile;* sed ex quod D. Thomas 1. 2. *quæst. 109. art. 3.* docet, hominem per naturæ suæ virtutem posse aliquod bonum opus efficere, infertur à nobis, posse per se ipsum sine indigentia gratiæ contra Vazquez: ergo hic est inferendum, per suam naturalem virtutem posse in actus supernaturales immediate.

Confirmatur secundo ex Augustino, *de spiritu, & littera cap. 33.* ibi: *Prius igitur illud dicamus, & videamus, vtrum huic satisfaciat quæstioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad finem, vel inclinari ad fidelitatem potest:* ergo sentit Augustinus liberum arbitrium de se habere vim mediam, id est, partialem. 156 *Secundo.*

Respondeo, Diuum Thomam in prioribus verbis non loqui de virtute bonitatis naturalis, vt à gratia præcisa, sed vt eleuata per gratiam, vt per virtutem proximam adæquatam agendi, verbis autem posterioribus, etsi duplicem virtutem distinguat, nempe habitus, & naturæ non loquitur de virtute naturæ, vt à gratia præcisa, sed vt eleuata per gratiam auxiliantem transeuntem, quam virtuti permanenti habitus contraponit, loquitur namque quando mouetur ad actum intensiorem, ratione cuius statim augmentum datur, & quia elicit actum intensiorem ratione auxilij adiuuantis habitum remissum, hinc est, quod duplici virtute moueatur neutra tamen naturali, sed vtraque supernaturali. 157 *Respondetur.*

Dices, iuxta hanc solutionem, dari, vel non dari statim habitum charitatis homini ad illum disposito, nec pensandum, nec metiendum esse, ex eo quod operetur, vel non operetur ex tota virtute naturæ, sed ex tota virtute gratiæ auxiliantis; at hoc est falsum: ergo & solutio. Falsitas consequentis manifesta videtur; nam stat Deum auxiliari hominem gratia intensa vt octo ad attritionis actum, & hominem ex tota gratiæ huius intensione operari, quin statim infundatur gratia, & consequenter, nec charitas; homini enim quantacumque attritione disposito, nisi intra Sacramentum non confertur statim gratia: ergo dari, vel non dari statim habitum charitatis, non pensatur penes hoc, quod operetur ex tota virtute gratiæ: Sequela autem non minus manifesta videtur, ex maiori namque vel minori virtute tantum remota, sicut non accrescit actui perfectio, ita nec pensari potest dari, aut non dari statim habitum, ad quem actus tanquam dispositio ordinatur; at virtus naturæ iuxta nostram solutionem tantum remote se habet, & adæquata virtus proxima est gratia: ergo non penes operari per totam naturæ virtutem, sed per totam virtutem gratiæ pensari debet, quod habitus detur, aut non detur statim. 158 *Dices.*

Respondeo, obiectionem istam ab omnibus esse soluendam, nam etiam contrarij Auctores, qui voluntati concedunt immediatum, & partialem influxum, non asserunt ex maiori, aut minori virtute naturali, crescere, aut decrescere supernaturalis actus perfectionem; aliàs perfectior intellectus cum æquali lumine gloriæ perfectionem visionem eliceret, quod negant fere omnes contrariæ sententiæ Auctores. Totalitas ergo illa bonitatis naturalis, de qua D. Thomas loquitur, non est totalitas subiectiua, sed obiectiua, id est, diligere efficaciter Deum, omnibus illum præponendo, quod est Deum super omnia diligere, ad modum quo explicantur illa verba Christi Domini, *diliges Dominum tuum ex toto corde tuo;* in corde enim totalitas, aut partialitas intensiua non est. Vnde Deum ex toto corde diligere, & Deum omnibus in affectu præponere, & ad illum dilectionis actum, gratia vt virtus proxima adæquata concurrit, natura autem vt remota; & quando homo charitatem non habens per auxilium gratiæ mouetur ad Deum ex tota virtute bonitatis naturalis amandum, idest, ad sic amandum, vt omnibus præponatur, & super omnia appretietur, tunc statim infunditur gratia, & consequenter charitas statim datur. 159 *Respondetur.*

Ad primam confirmationem dicatur, in primo loco per virtutem suæ naturæ intelligere D. Thomam virtutem remotam, quia sufficiebat, vt animam in se disponendo, ab instrumentis distingueret. In secundo autem, per virtutem suæ naturæ intelligi virtutem proximam, quia loquebatur in ordine ad bonum sibi connaturale: & quidem eodem argumento probatur, posse hominem absque indigentia gratiæ, se ad gratiam disponere, quod hæreticum est. Ad secundam confirmationem respondeo, esse mediam vim remotam, non proximam, iuxta quod alibi dixit: *Posse habere fidem natura est hominum, habere autem, gratia, est fidelium;* & ipse Augustinus pro nostra est sententia *tomo 8. enarratione 2. in Psalmum 32.* circa illa verba: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum;* ibi *non habuerunt aliquid ex se,* & 160 *Ad 1. confirmationem.* *Ad 2. confirmationem.*

ex se, & tanquam supplementum à Domino percipiunt, spiritu enim oris eius, non pars, sed omnis virtus eorum: vbi nomine cœlorum, Apostoli, & Angeli intelliguntur. Idipsum docuit *libro primo de gratia Christi cap. 20. & cap. 21.* Et Bernardus *sermone 80. in Cantica.*

§. VI.

Soluitur prima ratio contrariæ sententiæ.

161 *Quartũ argumẽtum.* QVARTO arguunt argumento à priori; immediatus influxus partialis naturæ in actum charitatis, illius supernaturalitati non obstat: ergo influit voluntas in illum immediate partialiter. Antecedens ostenditur *Antecedens probatur primo.* primo, per hoc solum quod habitus charitatis sit necessarius ad influxum immediatum naturæ, & alias talis habitus sit illi indebitus, saluatur supernaturalitas in actu charitatis, cum ad actum naturalem, nec vt partiale principium possit exigi forma supernaturalis; sed influxus immediatus naturæ ponitur a contrarijs cum indigentia habitus charitatis, à natura non exacti: ergo influxus immediatus, & partialis naturæ in actum charitatis, illius *Secundo.* supernaturalitati non obstat. Secundo, influxus immediatus passiuus naturæ in dona supernaturalia, illorum supernaturalitatem non destruit, quia vt illam natura exhibeat, requiritur influxus virtutis supernaturalis actiuæ, à natura non exactæ: ergo pariter, influxus immediatus actiuus naturæ cum indigentia comprincipij supernaturalis non debiti, non destruet supernaturalitatem actus dilectionis.

162 *Tertio.* Tertio probatur, non obstat vitalitati actionis immediatus influxus in illam, principij, quod vitale non sit, vt constat in specie impressa immediate efficiente cognitionem vitalem, quæ tamen vitalis non est; cum vires intellectui non præbeat, vt dicebamus disputatione præcedente ad finem: ergo nec supernaturalitati actionis *Quarto.* obstabit, quod influat immediate in illam principium non supernaturale. Quarto, nam principium partiale non petit præcontinere omnia prædicata in effectu reperta, aliàs non partiale, sed totale principium esset: ergo quamvis natura, quia supernaturalis non est, non præcontineat supernaturalitatem actus charitatis, & id circo non possit esse causa totalis illius, poterit nihilominus partialiter immediate in actum charitatis influere.

163 *Quinto.* Denique, anima rationalis influit ratione sui prout ab intellectu distincta in actum supernaturalem credendi; at influxum istum non præstat ratione formæ supernaturalis eleuantis: ergo influit immediate ratione propriæ entitatis. Probatur minor, nam forma dans vires animæ, non est habitus fidei, cum non in anima, sed in intellectu resideat, nec est gratia habitualis; cum habitualis gratia in peccatore non sit, à quo tamen elicitur actus fidei, nec est auxilium transiens per modum dispositionis; hoc enim tantum residet in potentijs proximè operatiuis: ergo ad influxum, quem anima rationalis exhibet in actum fidei, non recipit vires à forma supernaturali eleuante, & consequenter influit in prædictum actum ratione propriæ entitatis.

164 *Respõdetur ad 1. probationem.* Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem distinguo maiorem: saluatur indebito, & repugnanti modo, concedo maiorem: debito, & non repugnante, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: nam ex eo capite quo necessarius ponitur habitus charitatis, actus ad quem petitur, non naturalis, sed supernaturalis est, & ex eo capite, quo admittitur immediatus influxus naturæ in prædictum actum, illius supernaturalitas læditur ob rationes traditas inter confirmandam nostram sententiam. Et quidem eodem argu-*Instatur.* mento probarent, posse ex viribus naturæ hominem se ad gratiam remote disponere, sic formando argumentum; per hoc quod petatur vltima dispositio supernaturalis ad gratiam, supernaturalitas gratiæ subsistit: ergo poterit natura se ad gratiam remote disponere, cum necessitate dispositionis proximæ, naturæ, vel remotæ dispositioni non debitæ. Imo & probaretur, posse naturam ex proprijs viribus se ad gratiam vltimate disponere, sic formando argumentum; per hoc quod petatur concursus Dei supernaturalis Auctoris, naturæ non debitus, saluatur supernaturalitas gratiæ infundendæ; at dispositio vltima, naturæ conceditur cum indigentia concursus Dei Auctoris supernaturalis supra omnem exigentiam naturæ: ergo poterit illæsa gratiæ supernaturalitate, homo ex proprijs viribus, se vltima dispositione ad illam disponere.

165 *Ad secũdam.* Ad secundam probationem, concedo antecedens, & nego suppositum consequentis, quod scilicet possibilis sit concursus immediatus actiuus in actum supernaturalem absque exigentia alterius compartialis supernaturalis principij; ratio autem discriminis, cur natura est capax immediatè passiuè recipiendi dona supernaturalia, absque indigentia concursus infundentis illam; concurrens autem immediate actiuè, necessario petat, sibique annectat omne aliud comprincipium, est; nam concursus actiuus fundatur in continentia in actu, quæ continentia est perfecta: vnde non potest dari absque proportione cum forma, seu effectu contento; ac proinde nec absque connexione cum illo; ex quo euidenter sequitur, quod nec potest dari absque exigentia cuiusuis alterius principij, & sine connexione cum illo: concursus autem passiuus, non in continentia in actu, sed in continentia in potentia fundatur, quæ continentia cum imperfectissima sit, potest ad formam non proportionatam, ac proinde indebitam extendi; cumque debitum principij infundentis, ex debito infundendæ formæ proueniat; fit consequens, quod possit dari immediatus passiuus concursus naturæ in formas supernaturales absque exigentia concursus Dei, formas istas infundentis. Et sanè hoc argumento, si *Instatur etiam.* quid probarent, conuincerent oppositi Auctores, non solum concursum partialem actiuum immediatum naturæ in actus supernaturales, illorum supernaturalitatem permittere, sed etiam concursum immediatum totalem actiuum; cum passiuus adæquatus concursus naturæ in dona supernaturalia, cum illorum supernaturalitate non pugnet.

166 *Ad tertiũ.* Ad tertiam distinguo antecedens: quod non sit vitale connexiue, aut formaliter nego antecedens: quod formaliter vitale non sit, transeat antecedens, & nego consequentiam: quia ex paritate facta ad minus petitur, vt principium aliquod supernaturalitatem immediate actiuè contineat, quod supernaturale sit ad minus connexiue; non autem stat, aliquid esse connexiue supernaturale, & non supernaturale formaliter; nam eo ipso, quod cum forma supernaturali connectatur, aut petit supernaturalitas terminans connexionem, aut illam fundans ad supernaturalem ordinem eleuatur. Non sic in vitalitate contingit; nam potest aliquid esse vitale connexiue, quin formaliter vitale sit, & id circo potest principium non vitale formaliter in actum vitalem influere actiue immediate.

167 *Ad quartã respõdetur 1. Secundo.* Et ex his ad quartam probationem distinguo antecedens: ratione sui, aut ratione comprincipij sibi connexi, nego antecedens: ratione sui tantum, transeat antecedens, & nego consequentiam; quia natura, nec ratione sibi connexorum, omnia prædicata in actu supernaturali reperta continere potest. Vel secundo, dato antecedenti, nego consequentiam: quia ad minus petitur ad principium partialiter influens continentia formalis, aut eminentialis alicuius prædicati ex his quæ conueniunt effectui; natura autem ratione sui, nec omnia, nec aliquod ex prædicatis actus supernaturalis continere potest, vt supra monstrauimus.

168 *Ad quintã respõdetur 1. ab aliquibus.* Ad vltimam probationem responderi solet primo, animam ad actum fidei eliciendum eleuari per auxilium ex natura sua fluidum immediatè receptum in illa, quod sit participatio naturæ diuinæ, non per modum permanentis, sed per modum transeuntis; sicuti namque voluntas, & intellectus Dei per modum permanentis participantur à charitate, lumine beatifico, & fide, & participari possunt ab auxilijs per modum transeuntis; ita pariter, & natura diuina potest permanenter, & transeunter participari.

169 *Contra.* Sed displicet ista solutio, etenim conceptus naturæ consistit in ratione radicis; at qualitas fluida immediate in anima residens, radicare non potest dona habitualia eleuantia potentias; cum permanentia radicari in radicante debeat contineri, nec auxilia actualia fluida, & transeuntia; hæc namque immediate infunduntur a Deo, vnumque auxilium fluidum in altero radicari, & ab illo dimanare, sit inauditum: ergo repugnat conceptum naturæ à qualitate ab intrinseco fluida formaliter participari.

170 *Secunda solutio aliorum. Contra 1.* Secunda solutio est quorundam Recentiorum dicentium, animam peccatoris fidelis immediate eleuari per gratiam habitualem eiusdem rationis specificæ cum illa, quæ hominem iustificat, & à peccato emundat, peccatori autem fideli non tribuit sanctitatis effectum; quia sanctitas dicit statum, gratia vero existens in peccatore fideli, non est in illo per modum status; & ideo non tribuit illi sanctitatis effectum; sicut quia beatitudo dicit statum, & visio in Raptu communicata Paulo, non fuit illi per modum status communicata, non constituit Paulum beatum.

Sed

171 *Cōtra 1.* Sed nec placet iſtorum ſolutio, & reijcitur; nam gratia per modum ſtatus nihil eſt aliud, quam gratia ab intrinſeco permanens, & communicata per modum permanentis; at ex illorum doctrina, & ratione, qua mouentur ad ſuam ſingularem ſententiam, ſequitur in peccatore fideli conſtituendam eſſe habitualem gratiam per modum permanentis, vel non eſſe gratiam habitualem in illo conſtituendam: ergo vel fateri tenentur, gratiam, vt facientem ſtatum, reſidere in anima peccatoris fidelis, vel quoad ſubſtantiam in illius anima reſidere negare. Probo minorem, nam ex inde probant, neceſſitatem habitualis gratiæ in peccatore fideli, quia ſicut anima eſt natura, & principium radicale vitale in ordine naturali, ideoq; ab illa omnino inſupplebiliter pendent actiones omnes vitales naturales; ita gratia habitualis eſt natura in ordine ſupernaturali, & principium radicale vitale omnium ſupernaturalium actionum, ac proinde ſine illa implicat elici actionem aliquem vitalem ordinis ſupernaturalis; at ſi hæc ratio, & paritas aliquid probat, conuincit gratiam habitualem reſidere in anima peccatoris fidelis per modum permanentis: ergo ex doctrina traditæ ſolutionis infertur, vel conſtituendam eſſe per modum permanentis, vel relegandam ab anima peccatoris fidelis habitualem gratiam quantum ad ſubſtantiam. Probatur minor, à natura vitali ordinis naturalis non ſolum pendent actiones naturales vitales, ſed etiam vitales potentiæ, ita vt ſine illa, aut extra illam nequeant exiſtere in ſententia aliquorum de potentia Dei abſoluta, & in omnium ſententia, ſecundum prouidentiam ordinariam, & abſque miraculo: ergo ſi paritas naturæ vitalis ordinis naturalis quid valet, tenere debet, non ſolum paritate facta ad actiones ſupernaturales, ſed etiam protracta ad potentias, ſeu habitus ſupernaturales; ita vt ſicut naturales potentiæ, exiſtere nequeunt connaturaliter ſine ſua naturali radice, ita ſupernaturales potentiæ, ſeu habitus ſine natura ſui ordinis exiſtere nequeant; at in peccatore fideli actu non operante reſidet habitus fidei permanens, & permanenter: ergo ſi ratio illa alicuius ponderis eſt, permanenter etiam reſidere debet in illo habitualis gratia.

172 *Secundo reijcitur hæc ſolutio.* Secundo, nam ex ſolutione tradita ſequitur, peccatori in inſtanti iuſtificationis non infundi gratiam habitualem ſed ſolum accidentalem modum permanentiæ, conſequens pugnare videtur cum Tridentino *ſeſſione 6. de iuſtificatione cap. 7.* ibi: *Hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed renouatio, & ſanctificatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.* Et ibi: *Iuſtitiam in nobis recipientes vnuſquiſque, &c.* Quibus verbis manifeſte denotat Concilium, iuſtitiam in nobis infundi in iuſtificationis inſtanti: ergo ſolutio tradita eſt falſa. Probatur ſequela: id namque ſolum infunditur in inſtanti iuſtificationis, quod ante tale inſtans non ſupponitur exiſtens; cum infundi ſit fieri, & fieri ſit tranſitus de non eſſe ad eſſe, & conſequenter ſolum infundi poteſt, quod non præ exiſtens ſupponitur: at iuxta doctrinam traditæ ſolutionis, gratia habitualis quoad ſubſtantiam ante inſtans iuſtificationis exiſtens ſupponitur; cum ante illud inſtans exiſtens ſupponatur actus fidei, remote ad iuſtificationem diſponens qui ſine gratia habitualia actu in anima exiſtente, elici, aut exiſtere nequit: ergo ex doctrina traditæ ſolutionis manifeſte ſequitur, non infundi in iuſtificationis inſtanti habitualem gratiam quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum.

173 *Tertio.* Tertio, nam ſequitur ex tradita ſolutione, non amitti per peccatum mortale gratiam habitualem quoad ſubſtantiam; conſequens aduerſatur Tridentino *ſeſſione 6. Canone 23. 27. & 28.* ergo ſolutio tradita minime ſuſtineri poteſt. Minor conſtat; nam Tridentinum in citatis locis diffinit, gratiam ſemel acceptam amitti poſſe, & per quodlibet peccatum mortale amitti; & anathemate ferit dicentes amiſſa per peccatum gratia, fidem ſemper amitti: ergo aſſerere gratiam non deſtrui per quodlibet peccatum mortale, eſt Tridentino aduerſari. Sequela vero probatur: nam per mortale peccatum eatenus gratia deſtruitur, quatenus cum illo pugnat; at gratia habitualis iuxta ſolutionem traditam non ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed tantum ratione modi ſibi accidentalis, peccato mortali opponitur; ſiquidem cum illo ſimul quoad ſuam ſubſtantiam exiſtit in peccatore fideli: ergo non deſtruitur quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum accidentalem.

174 *Si dicatur.* Si forte dicatur, Concilium intelligendum eſſe de gratia quoad modum permanentis, qua ratione eſt forma iuſtificans, non autem de amiſſione gratiæ quoad ſubſtantiam. In contrarium obſtat primo, gratiam amitti, ſi in proprietate ſumatur, non dicere ſolum de perditionem modi, ſed etiam deſtructionem ſubſtantiæ, nemo enim cum habitus intenſus remittitur, dicit abſolute habitum deſtrui, quia ſolum quoad intenſionis modum deſtruitur; at Concilij verba cum proprietate ſunt accipienda: ergo non ſunt explicanda de amiſſione, aut deperditione gratiæ quoad modum. *Cōtra 1.*

Secundo: nam iuxta hanc explicationem non ſaluatur aduerſatiua Concilij *Canone 28.* vbi ait: *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul etiam amitti, &c.* At hæc contrapoſitiua debet ſaluari: ergo inepte tradita doctrina explicatur. Probo maiorem: nam iuxta hanc explicationem, ſolum quoad modum amittitur gratia per peccatum mortale, non vero quoad ſubſtantiam, ſed etiam fides quoad modum perfectæ, & formatæ virtutis amittitur per quodlibet peccatum mortale, & quo ad ſubſtantiam non tollitur: ergo non ſaluatur, quod amiſſa gratia, fides non deſtruatur. Et augetur difficultas; ſi namque amitti gratiam ſolum quoad modum, ſufficit, vt abſolute gratia habitualis per peccatum dicatur amitti: ergo etiam deperdi fidem quoad modum, ſcilicet perfectæ virtutis, & quantum ad virtutis ſtatum, ſufficiens erit vt dicatur abſolute, fidem amitti; & conſequenter verum erit abſolute dicere, amiſſa per peccatum gratia, fides etiam amittitur, quod à Concilio damnatur, & cuius contrarium vt de fide diffinitur. 175 *Secundo.* *Confirmatur.*

176 *Reſpōdebis 2.* Si reſpondeatur ſecundo: gratiam habitualem quoad ſuam ſubſtantiam deſtrui per quodlibet peccatum mortale, non ratione intrinſecæ oppoſitionis, ſed ex lege, & voluntate Dei ſtatuentis, ſubſtantiam gratiæ in præſentia peccati mortalis non conſeruare. Sicut neceſſario eſt dicendum in ſententia aſſerentium, gratiam in eſſe qualitatis non pugnare cum peccato ex natura rei, ſed ſolum ex lege, & voluntate extrinſeca Dei ſtatuentis, ad præſentiam gratiæ peccatum remittere, & in præſentia peccati non conſeruare gratiam. In contrarium obſtat; ſolutionem iſtam cum doctrina principalis ſolutionis non poſſe componi. Quod probo; nam iuxta ſolutionem illam, quam impugnamus, Deus homini fideli, & exiſtenti in peccato mortali elicituro actum fidei, ſubſtantiam gratiæ communicat tanquam principium illius: ergo non eſt lex non infundendi ſubſtantiam habitus gratiæ in præſentia peccati mortalis: ergo nec etiam eſt lex ſtatuta à Deo non conſeruandi ſubſtantiam habitualis gratiæ in præſentia peccati mortalis; nam ſi non eſt lex negandi habitum gratiæ quoad ſubſtantiam homini in peccato mortali exiſtenti, quo fundamento adſtrui poteſt lex ſuſpendendi concurſum conſeruatiuum habitualis gratiæ quoad ſubſtantiam in homine de nouo peccante? *Contra.*

177 *Vlterius reijcitur principalis ſolutio.* Denique principalis ſolutio reijcitur; gratia namque non ratione alicuius modi accidentalis, ſed ratione ſuæ eſſentiæ pugnat cum peccato, vt ſuppono ex dicendis 1. 2. *quæſt. 113. art. 2.* & breuiter poteſt ſuaderi. Peccatum namque non ratione alicuius modi accidentalis, ſed ratione ſuæ eſſentiæ cum gratia incomponitur, & conſequenter etiam gratia ipſa ratione propriæ eſſentiæ debet cum peccato pugnare: ergo non poteſt gratia habitualis quoad eſſentiam in peccatore exiſtere. Confirmatur; nam ſicut iuſtificatio, & ſanctitas dicit ſtatum, ita eſſe peccatorem, ſtatum importat; ſed peccato eſt eſſentiale ſtatum iniuſtitiæ conſtituere; alias cum gratia etiam vt ſanctificante, peccatum poterit quoad eſſentiam componi, per hoc quod non ſit in ſubiecto iuſtificato per modum conſtituentis ſtatum: ergo etiam gratiæ eſſentiale erit, ſtatum ſanctitatis, & iuſtitiæ tribuere. Confirmatur, & vrgetur ſecundo; peccatum habituale, ſiue per modum permanentis, ſiue per modum tranſeuntis in ſubiecto exiſtat, conſtituit hominem peccatorem, etiam ſi eſſe peccatorem ſtatum importet; aliàs poſſet in ſubiecto exiſtere, & hominem peccatorem non conſtituere, nec gratiam, vt iuſtificantem expellere: ergo gratia habitualis, ſiuè permanenter, ſiuè tranſeunter communicata, tribuit ſanctitatis effectum, & peccatum excludit, etiam ſi eſſe ſanctum, & iuſtum importet iuſtitiæ ſtatum. *Cōfirmatur 1.* *Secundo.*

178 *Si dicas.* Nec reſponderi poteſt ad hanc vltimam confirmationem; peccatum habituale non poſſe in anima exiſtere, & non exiſtere cum ſubſtantia, & modo habitus; ac proinde quin præbeat ſubiecto, eſſe iniuſtum, & inimicum Dei. Nam in contrarium obſtat; omnes alias qualitates ab intrinſeco permanentes poſſe exiſtere in ſubiecto, abſque modo permanentiæ actuali, vt conſtat in *Cōtra 1.*

gratia

gratia habituali, virtutibus sibi annexis, in virtutibus acquisitis, tùm moralibus, tùm intellectualibus, & in vi-
Secundo. tiosis habitibus: ergo quamuis peccatum habituale sit ab intrinseco permanens, poterit de facto existere in subiecto absque modo permanentiæ. Præterea; nam inde inferimus, gratiam communicatam peccatori ad actum fidei, etsi permanens sit ab intrinseco, de facto tamen permanenter non inhærere, quia de facto in subiecto non durat, sed præcisè datur pro instanti elicientiæ actus; at etiam peccatum habituale potest de facto breui tempore durare: ergo potest non permanenter existere.

179 Nec est eadem ratio de visione Paulo communicata, *Ad instantiã visionis Pauli resp. 1.* quoad hoc, quod est ipsum beatum non constituisse; nam beatitudo permanentiam actualem importat; cum aliàs appetitum non quietet, & ideò visio transeunter communicata non constituit beatum. Vel secundo dici
Secundo. potest; Paulum videntem clarè diuinam essentiam non fuisse beatum simpliciter, quia non fuit beatus per redundantiam ad corpus, fuit tamen pro illo tempore, quo vidit diuinam essentiam beatus secundum quid, idest, secundum aliquid, nempè, secundum mentem. Quæ doctrina ferè expressè traditur à Diuo Th. 2.2. q. 175. art. 3. ad 2.

180 *Vera solutio, & communis vltimæ probationis.* Missis igitur his solutionibus, ad vltimam illam probationem respondeo, negando minorem. Ad probationem, nego antecedens pro prima parte; sicut enim per eundem actum fidei, anima, & intellectus intelligunt, & per idem auxilium efficax ad operationem applicantur, ita per eandem formam possunt ad operandum eleuari, ad quod sufficit, quod habitus fidei immediatè in intellectu residens, mediatè animam informet; sicut vt anima intelligat, sufficit actum intelligendi immediatè ab intellectu egredientem, & immediatè intellectum informantem, egredi mediatè ab anima, & mediatè illi
Tacita obiectio proponitur, & diluitur. inhærere. Nec sequitur superfluam fore gratiam, quando residet in anima in ordine ad operandum, siquidem sufficienter eleuatur per habitus, vt in nostra solutione dicimus. Non inquam, sequitur; anima namque dupliciter potest ad operationem supernaturalem concurrere, vel mediatè radicaliter, radicando habitus infusos, vel mediatè obedientialiter. Primo modo concurrit ratione gratiæ habitualis, quæ est tota ratio proxima radicandi habitus, sicut isti sunt rationes adæquatæ proximæ agendi. Secundo modo potest ratione habituum influere, & quia primus modus est connaturalior in ordine gratiæ; ideò non superfluit gratia habitualis in anima in ordine ad supernaturaliter operandum. Et quidem si hoc argumentum aliquid probaret conuinceret, posse voluntatem sine forma supernaturali eleuante amare connaturaliter Deum, quod non credam aduersarios admittere.

Hæc est communis istius argumenti solutio; si tamen
181 nouitas doctrinæ non displicet, aliter occurrere possu-
Secunda solutio ex mente Authoris. mus, nempè, formam, qua eleuatur anima in ordine ad actus fidei, & spei, neque esse gratiam sanctificantem, nec habitum fidei, nec auxilium ab intrinseco fluidum, sed qualitatem ab intrinseco permanentem adæquatam per modum radicis cum habitu fidei, & spei, quæ quidem ab habitu fidei distinguitur: tum, quia iste est proximè operatiuus, illa vero solum radicaliter. Tum etiam, quia habitus fidei adæquatur cum actu credendi, secus autem qualitas illa: ab auxilio facile transeunte, quia est ab intrinseco permanens, & à gratia habituali, quia hæc qualitas est intellectiua radicaliter Dei tantum obscurè, illa vero est intellectiua per modum radicis, non solum obscurè mediante lumine fidei, sed etiam clarè mediante lumine gloriæ, seu intellectiua Dei abstrahendo à clara, & obscura cognitione; & ab ista qualitate eleuatur anima ad credendum, & sperandum, habitusque fidei, & spei in absentia gratiæ iustificantis radicantur.

182 *Oppones primo.* Sed oppones aduersus istam solutionem primo; nullam esse huius qualitatis necessitatem: ergo est superflua; & consequenter est releganda. Secundo; sequi ex illa
Secundo. habitum fidei, & spei, aut nunquam in gratia radicari, sed in ista qualitate, aut destructa per peccatum gratia, habitus fidei, & spei specificè variari, aut saltim numericè; & consequenter fidem hominis existentis in gratia destrui numericè, & aliam numero distinctam succedere. Et idem dico de spe; consequens quoad vtrumque est contra communem Theologorum sententiam: ergo & nouitas doctrinæ. Patet sequela; nam variata specificè radice, radicatum variatur specificè, vel saltim numericè: ergo vel habitus fidei, & spei nunquam radicantur in gratia, vel gratia per peccatum destructa, & illa qualitate succedente, habitus fidei, & spei, variantur specificè, vel saltim numericè.

Tertio; nam sequitur, homini per peccatum gratia 183 *Tertio.*
spoliato istam qualitatem infundi, & homine per pœnitentiam denuo ad iustitiam testituto, istam qualitatem destrui, quorum vtrumque inconueniens videtur. Ac *Quarto.* denique; nam sequitur, posse multiplicari gratiam iustificantem specificè, saltim de potentia absoluta; consequens est contra communem Thomistarum doctrinam 1.2. q. 112. à qua nobis non licet recedere: ergo idem quod prius. Patet sequela; si namque ista qualitas adæquatur per modum radicis cum habitibus fidei, & spei, & per hoc à gratia iustificante specificè distinguitur, quæ est vniuersalis radix, fidei, spei, luminis, & charitatis: ergo etiam erit possibilis qualitas per modum radicis adæquata cum lumine gloriæ, & habitu charitatis; at hæc erit forma ad sanctificandum sufficiens, vt per se notum apparet; & aliàs à gratia de facto iustificante distinguetur specificè; cum ista indifferenter radicet lumen gloriæ, charitatem, & habitus fidei, & spei: ergo ex illius qualitatis positione, sequitur possibilitas gratiæ sanctificantis, specificè distinctæ ab ea, quæ de facto sanctificat.

Istæ tamen obiectiones non adeò vrgentes sunt, vt nos 184
cogant solutionem datam deserere. Ad primam respon- *Respond. ad primã*
deo; negando antecedens: necessitas autem est; nam habitus fidei, & spei sunt vitales per modum principij proximi; licet autem principium radicale vitale non petat ab intrinseco procedere, sed solum intrinsecè conuenire; at verò principium vitale proximum ab intrinseco procedere petit, & etiam in consetuari à principio radicante pendere; cumq; gratia iustificans in homine peccatore non maneat, & qualitas facile transiens, habitus permanẽtes radicare nõ possit, fit, vt necessario hæc qualitas sit admittẽda, vt habitus fidei, & spei cõseruentur in homine peccatore.

Ad secundam, nego vtramq; partem sequelæ. Ad illius 185
probationem constat ex dictis Disputatione præcedenti ad *Ad secundam.*
vltimum argumentum contra vltima conclusionem, nempè, quod effectus à duobus principijs dependens secundum gradum vtrique principio communem, potest variatis principijs invariatum perseuerare; fides autem, & spes radicantur in gratia, & in nostra qualitate secundum gradum vtriq; ex illis communem; sicut potentiæ sensitiuæ hominis non radicantur in anima secundum vltimam differentiam illius, sed secundum gradum, & sibi, & animæ irrationali communem. *Si obijcias.*

Nec sequitur, quod sicut potentiæ sensitiuæ hominis, saltim numericè differunt à potentijs sensitiuis exterioribus brutorum; ita etiam fides, & spes ob distinctionem prædictarum qualitatum saltim debeant numero multiplicari. Non inquam sequitur; nam ratio, cur ibi interuenit distinctio numerica, est, quia anima non solum est dimanationis principium, sed etiam constituit subiectum, *Respond.* cui inhærent sensitiuæ potentiæ, variato autem numericè subiecto inhæsionis, numero etiam multiplicantur accidentia in illis recepta; at in nostro casu non ita; nam gratia non est subiectum inhæsionis habituum fidei & spei; cum in anima immediatè resideat, non autem prædicti habitus, sed in intellectu, & voluntate.

Si insistas, ideo animam esse subiectum, cui potentiæ 186 *Insurges.*
sensitiuæ inhærent, quia est essentia ad quam dimanant, seu quia naturam, ad quam dimanant, constituit; natura autem nõ solum dimanatiuè, verum etiam receptiuè comparatur cum proprietatibus; at etiam gratia, est essentia, ad quam tanquam proprietates prædicti habitus consequuntur: ergo comparatur cum illis, non solum dimanatiuè, verum etiam receptiuè. Respondeo, causalem in maiori contentam, adæquatam non esse, sed insuper, quia *Respond.* constituit essentiam, quæ in subiecto distincto a suis proprietatibus non existit, cuius oppositum in nostro casu contingit; nam essentia gratiæ, ad quam dicti habitus consequuntur, in anima subiectatur, habitus vero in potentijs; & ideò non recipiuntur in illa; quomodo autem possint proprietas radicata, & essentia radicans non inhærere eidem subiecto immediatè, non est in præsenti examinandum, sed supponendum ex 1.2. q. 112. 187

Ad tertiam, concedo sequelam, & nego minorem; nec *Ad tertiã*
est inconueniens vtramque partem consequentis admittere; cum sit necessarium ad saluandam perseuerantia fidei in homine peccatore, quam fides docet. Ad *Ad quartam.*
quartam, nego sequelam. Ad illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam gratia radicans lumen, non potest non esse radix charitatis; cum volitiuum sequatur ad intellectiuum; charitas autem eiusdem speciei est, siuè reguletur clara, siuè obscura Dei cognitione, nec est possibi-

lis habitus charitatis specie distinctus ab illo, qui de facto datur; ac proinde nec est possibilis charitas, cui repugnet per obscuram fidei cognitionem regulari; ac proinde gratiæ radicanti charitatem, non potest repugnare radicatio fidei; aliàs charitati radicatæ repugnaret cum fide coniungi.

§. VII.

Cætera argumenta diluuntur, & explicatur, an habitus sit vitalis, & liber?

188 *Arg. 5.* QVINTO arguitur, vitalitas actus charitatis petit à virtute proxima vitali procedere, non minus quam supernaturalitas à supernaturali principio; sed habitus charitatis non est vitalis: ergo non est adæquata virtus proxima ad eliciendum actum charitatis; sed virtus proxima operatiua illius, ex habitu supernaturali, & potentia vitali componitur. Minor, in qua est difficultas, probatur: principium vitale, non solum petit esse inhæsiuè intrinsecum, sed etiam dimanatiuè; sed habitus charitatis, etsi intrinsecè inhæsiuè voluntati conueniat, non tamen dimanatiuè; cum ab illa non dimanet, sed ab extrinseco principio infundatur: ergo vitalis non est. *Maior suadetur primo.* Maior ostenditur primo; actio vitalis petit procedere ab intrinseco naturæ viuentis, aliter quam actio violenta; at actio violenta procedere petit à principio intrinseco inhæsiuè, vt constat in calefactione aquæ violenta, quæ à calore intrinsecè inhærente aquæ procedit: ergo principium proximum actionis vitalis, non solum inhæsiuè, verum etiam egressiuè intrinsecum debet esse.

189 *Secundo.* Secundo, sicut actio vitalis constituit in actu secundo viuens, ita principium proximum vitale constituit viuens in actu primo; sed nisi actio intrinseca sit inhæsiuè, & egressiuè, vitalis esse non potest, nec viuens constituere in actu secundo: ergo nisi principium sit vtroque modo intrinsecum, nequit esse vitale, nec constituere viuens in actu primo. *Tertio.* Tertio, species impressæ super infusæ à Deo, non sunt vitales per modum principij, non alia ratione, nisi quia licet intrinsecè inhæreant, non tamen ab intrinseco subiecti dimanant: ergo vt principium aliquod vitale sit, debet inhærere intrinsecè, & ab intrinseco dimanare.

190 *Resp. et simul probatur habitũ charitatis esse vitalẽ primo.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem; nam habitum charitatis esse vitalem constat: tùm primo, ex eo quod gratia habitualis est vitalis radicaliter; aliàs peccatum gratiam habitualem destruens, non spoliaret animam vita; & consequenter mors animæ non diceretur, contra Tridentinum *sess.* 5. decreto de peccato originali: ergo habitus charitatis est vitalis per modum principij proximi. *Secundo.* Tùm etiam, quia id expressè docet D. Th. 2.2. q. 23. *art. 2. solut. ad* 2. vbi ait, Deum esse vitam animæ efficienter per charitatem, quod autem efficiẽter præstat causa efficiẽs formã, forma ipsa præstat formaliter: ergo charitas formaliter viuificat animã; & consequẽter est principium vitale. Tùm tertio; nam idem D. Th. q. 27. *de Verit. art. 3. ad* 21. docet, *Tertio.* animam vita naturali viuere *vt quo*, quia est forma, qua corpus naturaliter viuit, vita autem gratiæ viuere, *vt quod*: ergo gratia, & consequenter charitas, est forma, qua viuit anima, & principium *quo* viuendi. *Quarto.* Quarto, quia aliàs, sicut voluntas, quia supernaturalis non est, per habitum eleuatur, vt actum supernaturalem producat, ita habitus, si vitalis non esset, eleuaretur à voluntate, vt in vitalitatem actus influeret. *Quinto.* Denique; nam charitas est formalis participatio voluntatis diuinæ; at voluntas diuina vitalis est, & aliàs illius vitalitas non est ex illis prædicatis, quibus ex proprio conceptu repugnat participari à creatura: ergo charitas vitalitatem diuinæ voluntatis participat; & consequenter est vitalis per modum principij proximi.

191 *Ad minoris prob. resp. 1.* Ad minoris probationem responderi potest primo, prætermissa maiori, negando minorem; nam licet charitas non dimanet à voluntate, dimanat tamen ab anima, non ratione sui, sed ratione gratiæ habitualis; quæ cum sit supernaturalis vita per modum radicis, radicat facultates proximas supernaturales; & consequenter charitas ab anima viuente radicaliter vita supernaturali per gratiam, ratione ipsius gratiæ dimanat. Nec obstat gratiam ipsam non conuenire animæ egressiuè, nec ab illa dimanare; nam ab intrinseco conuenire, & dimanatiuè ab essentia, solum petitur à principio proximo vitali; non autem requiritur ad principium radicale, vt constat in anima rationali, quæ vitalis est radicaliter, corpusque vt forma viuificat, & tamen non dimanat ab illo. Quia tamen aliquando potest actus charitatis elici medio auxilio ab intrinseco fluido, quod à gratia non dimanat; & consequenter vitalis non est ex isto capite: ideo

192 *Respond. secundo.* Respondetur secundo, negando maiorem. Ad cuius primam probationem, nego maiorem; nam licet id quod est principium vitale proximum *vt quod*, petat ab intrinseco conuenire; quod tamen solum est vitale *vt quo*, istam conuenientiam, seu dimanationem non petit. *Ad 1. probationem maioris.* Ad cuius 1. probationem, concede maiorem, & nego minorem; nam licet calor intrinsecè inhæreat aquæ, non tamen est conformis illi, sed potius disonus, seu difformis; charitas autem, quæ principium est vitale, non solum intrinsecè inhæret, sed etiam est conformis voluntatis naturæ, & illius perfectiuus, voluntasque non resistit charitatis actiuitati; sicut aqua resistit calori. Vnde differentia est in conuenientia intrinseca principij vitalis à principio violento, & in processu ab intrinseco actionis violentæ, & actionis vitalis, quin perueniatur ad egressum, seu dimanationem principij vitalis à natura subiecti, nempè, quod principium vitale est intrinsecum, & conforme, principium autem violentum, etsi intrinsecè subiecto conueniat, non tamen consonat naturæ subiecti.

193 *Dices.* Sed dices actio vitalis aliter à principio intrinseco procedere petit, non solum ac procedit actio violenta, sed etiam actio naturalis, non vitalis; sed actio naturalis non vitalis procedere potest à principio proximo intrinseco subiecto, & illius naturæ conformi, vt constat in calefactione à calore igni intrinseco, & illius naturæ consono procedente, quæ tamen vitalis actio non est: ergo vt actio aliqua vitalis sit, petit procedere à principio proximo, non solum subiecto intrinseco, & illius naturæ consono, sed etiam dimanatiuè, & ab intrinseco conueniente. Respondeo, obiectionem istam ab omnibus esse soluendam; nam calefactio, non solum est à principio proximo igni intrinseco inhæsiuè, illiusque naturæ conueniente, sed etiam à principio intrinseco igni dimanatiuè; calor namque, à quo procedit tanquam à principio proximo, à natura ignis, vt propria passio dimanat; & tamen vitalis actio non est: ergo differentia actionis vitalis à naturali non vitali, non est desumenda penes hoc, quod à principio proximo intrinseco subiecto procedere petat. Vnde nego maiorem: differentia namque actionis vitalis à naturali non vitali, non sumitur ex procedere à principio intrinseco, sed ex hoc, quod actio vitalis procedit à principio intrinseco se mouente ad illam, seu per illam, secus autem actio non vitalis.

194 *Insurgit.* Sed dices; si charitas esset adæquata virtus proxima non saluaretur, voluntatem se mouere per actum charitatis; ergo nec vitalitas talis actus subsisteret. Probatur antecedens; vt aliquid se moueat, requiritur, quod sit mouens, & motum; at si charitas esset adæquata virtus proxima, voluntas non esset mouens, sed charitas esset adæquata causa mouens, & voluntas tantum mota: ergo non saluaretur, voluntatem se mouere per actum charitatis. *Diluitur.* Respondeo, negando antecedens; ad probationem, concessa maiori, negando minorem; nam licet charitas sit adæquata virtus proxima, non tamen est adæquata causa motus dilectionis, sed ex voluntate vt potentia, & ex charitate vt virtute, adæquata causa coalescit; charitasq; non *vt quod*, sed *vt quo* ad actum charitatis concurrit; & consequenter voluntas media charitate in se causat dilectionis motum.

195 *Ad 2. maioris principalis probationem.* Ad secundam maioris probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam, disparitas autem est; nam viuere in actu secundo, est se mouere; & consequenter est causare, & recipere motum; ac proinde necessario exigitur, quod motus vitalis non solum inhæreat intrinsecè, sed etiam ab intrinseco egrediatur; viuere autem per modum actus primi, non est se mouere per formam dantem posse, sed posse per talem formam, in se vitalem actum eliciuè causare; & idcirco, vt forma vitalis sit per modum actus primi, & potentiam proximè viuentem constituat, non est necessarium, quod ab intrinseco illi conueniat; & quidem si ab intrinseco dimanare, principium in ratione vitalis constitueret, calor esset potentia vitalis in igne, cum ex illius essentia per modum proprietatis dimanet.

196 *Ad tertiã.* Ad tertiam, prætermissa maiori, nego minorem, sed ratio est: quia speciei per se, & ex proprio conceptu, nec conuenit dimanare, nec intrinsecè inhærere, nec virtutem intellectui ad intelligẽdum cõferre, sed virtute ex parte intellectus supposita, illum obiectiuè determinare cum obiecto vnire, & ex parte obiecti concurrendo intellectũ ad intelligẽdum iuuare; & quidem Theologi defensantes species Angelicas, non solũ esse intrinsecas Angelis, sed etiã proprietates illorum, dimanantes ab essentijs Angelicis, non

non ideò dicent, vitalia principia esse si semel negant speciebus nostris vitalem ad intellectionem concursum. Ratio ergo cur vitales non sint, non est quia non dimanat ab essentia intellectus, sed tradita a Nobis, quæ in charitate respectu voluntatis non militat, vt constat ex dictis.

197 *Sextum argumentum.* Sexto arguitur; voluntati conuenit immediata, & proxima libertas ad actum charitatis: sed hoc nequit esse verum, nisi ratione propriæ entitatis, vt ab habitu distinctæ, immediatè influat in illum: ergo ratione sui immediatè influit in actum charitatis; & consequenter proxima virtute gaudet, habitusque adæquata virtus proxima influendi non est. Probatur minor; libertas immediata ad actum charitatis, est proximè actiua illius, cum indifferentia ad non agendum, seu agendum contrarium; sed habitus charitatis non est indifferens ad non agendum, seu agendum contrarium actui dilectionis; alias, illo mediante posset voluntas omittere dilectionem instante præcepto, odioque habere Deum: ergo solus habitus non est libertas proxima, & immediata; & consequenter, vt voluntati immediata libertas ad actum charitatis conueniat, debet ratione sui immediatè, & proximè in prædictum actum influere.

198 *Confirmatur 1.* Augetur difficultas primo: actus charitatis viæ, vt potè liber libertate contradictionis, & libertate contrarietatis, petit immediatè efficienter à libero principio causari; & consequenter à principio indifferente ad vtrumque extremum contradictionis, & contrarietatis; sed charitas non est indifferens ad vtrumque extremum contradictionis, & contrarietatis, sed sola voluntas: alias esset liberum arbitrium supernaturale creatum, & posset *vt quo* peccare; sicut voluntas, quia prædicta indifferentia gaudet, est liberum arbitrium naturale creatum, potestque omittere dilectionem omissione ad culpam imputabili, & peccatum odij efficere: ergo actus *Secundo.* dilectionis non à sola charitate, vt proximo principio procedit, sed à charitate, & voluntate ratione propriæ entitatis. Confirmatur, & vrgetur secundo; actus charitatis proximi in via, est libera electio: ergo petit à principio proximo electiuo procedere; sed habitus charitatis electiuus non est: cum non possit esse principium omissionis, nec amoris contrarij extremi, scilicet odij: ergo non procedit à charitate solum, vt à principio proximo, sed ab illa, & voluntate ratione propriæ entitatis proximè immediatè partialiter influente.

199 *Respondetur.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: libertas immediata per modum potentiæ, concedo maiorem: libertas immediata per modum virtutis subdistinguo maiorem; cù differentia permissiua ad non agendum, vel agendum contrarium, concedo maiorem: cum indifferentia positiua ad illa, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: itaque libertas per modum potentiæ petit potentiam agendi, quæ simul sit facultas non agendi, seu agendi contrarium; & hæc licet competat voluntati, non tamen se habet immediatè ad actum charitatis immediatione virtutis; quia inter voluntatem vt sic liberam, & actum dilectionis, mediat habitus charitatis, vt virtus adæquata proxima; libertas vero per modum virtutis, non petit in virtute actiua proximè vim *vt quo* effectiuam omissionis, seu actus contrarij, sed quod taliter sit virtus, detque virtutem ad actum, quod in potentia, cuius est virtus, relinquat, seu permittat facultatem ad omissionem, & contrarium actum: & quia charitas taliter dat voluntati virtutem proximam ad actum charitatis, quod permittit in voluntate facultatem, qua ante gaudebat ad odium, & amoris omissionem; consequens fit, quod sit *vt quo* libera per modum virtutis, etsi non per modum potentiæ.

200 *Ad 1. confirmationem.* Et ex his ad primam confirmationem, distinguo maiorem: petit immediatè procedere à principio libero per modum virtutis, concedo maiorem: à principio libero per modum potentiæ, nego maiorem: loquendo de immediatione virtutis: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; nam licet habitus non sit principium *vt quo* liberum per modum potentiæ, est tamen principium *vt quo* liberum per modum virtutis. Nec sequitur, esse liberum arbitrium supernaturale creatum: nam ad hoc requirebatur, quod esset vt *quo* indifferens ad amorem; & odium positiua indifferentia, idest, tanquam principium elicitiuum odij, & amoris, quæ est indifferentia potentiæ; sic autem non est indifferens, sed per positiuam tendentiam ad bonum, & per- *Ad secundam.* missionem facultatis ad malum. Ad secundam, concesso antecedenti, distinguo consequens: à principio elicitiuo per modum virtutis, concedo consequentiam: per modum potentiæ, nego consequentiam; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam secundam: nam licet charitas non sit principium elicitiuum per modum potentiæ, est tamen principium *quo* electiuum per modum virtutis, ad quod non requiritur indifferentia per facultatem causatiuam vtriusque extremi contrarietatis, & contradictionis, sed per facultatem positiuam ad bonum, & permissionem in voluntate facultatis proximæ ad malum.

Sed obijcies primo; voluntas prout in actu primo proximo ad amorem, est proximè potens ad odium; alias non esset libera proximè, & consequenter non causaret liberum amorem: ergo in principio proximo ad amorem ingreditur proximum principium ad odium: at habitus non est proximum principium ad odium: ergo non est adæquatum principium proximum amoris, sed conflatum ex habitu, & voluntate. Secundo obijcies; ratione suæ entitatis est potens proximè ad liberam omissionem amoris; sed potentia proxima ad liberam omissionem amoris non stat absque potentia proxima ad amorem; sicut nec è contra; stat potentia proxima ad liberam elicientiam amoris absque proxima potentia liberam amoris omissionem: ergo voluntas ratione pro. entitatis est immediatè, & proximè potens amorem supernaturalem elicere. 201 *Obijcies primo.* *Secundo.*

202 *Resp. ad 1. obiectionem.* Respondeo ad primam instantiam, distinguo antecedens: reduplicatiuè, nego antecedens: specificatiuè, concedo antecedens, & nego consequentiam; nec est necessarium, vt amor sit liber, quod reduplicatiuè, vt proximè potens amare, sit proximè potens ad odium, idest, quod ab eadem forma, & virtute, à qua habet voluntas vim proximè elicitiuam actus charitatis, ab eadem habeat vim effectiuam odij, sed sufficit, quod eadem voluntas, quæ à charitate habet vim effectiuam proximam amoris, habeat ratione sui vim proximè expeditam ad odium. Et hoc etiam in contraria sententia est dicendum: nam voluntas est potens amare per potentiam obedientialem, ad odium vero per potentiam naturalem, potentiaque connaturalis amoris ex habitu, & voluntate conflatur: potentia verò connaturalis ad odium ratione sui adæquatè conuenit voluntati.

Si dicas: ergo non est potens proximè amore reduplicatiuè, prout libera; cum non procedat ab illa prout reduplicatiuè potente, & indifferente ad vtrumque extremum contradictionis, & contrarietatis; consequens est falsum: nam actus liber petit à principio libero, prout libero reduplicatiuè procedere: ergo voluntas est potens amare, prout reduplicatiuè potens ad odium. 203 *Insurges.*

Respondeo, distinguendo primum consequens, prout libera libertate potentiæ, concedo consequentiam: libertate virtutis, nego consequentiam; & licet vt voluntas actum liberum charitatis eliciat, requiratur esse liberam libertate potentiæ, potensque positiuè ad vtrumque extremum; non tamen requiritur, quod actus charitatis ab illa procedat sub reduplicatione potentiæ ad vtrumque sed sufficit, quod procedat ab illa sub reduplicatione virtutis dantis posse proximè amare, & permittentis in voluntate facultatem proximè expeditam ad omittendum amorem, seu ad eliciendum odium; quod etiam ab aduersarij affirmandum constat ex proximè dictis. *Respond.*

204 *Ad 2. obiectionem respond.* Ad secundam obiectionem, concessa maiori, distinguo minorem; absque potentia proxima ad amorem ex vi eiusdem virtutis, seu principij proximi, nego minorem: ex vi eiusdem, vel alterius principij, concedo minorem, & nego consequentiam: vt enim in voluntate sit facultas proxima ad liberam omissionem amoris, licet requiratur, quod sit potens proximè amare, non tamen exigitur, quod ex vi eiusdem formæ, qua est potens omittere, sit etiam potens proximè amare. Vnde ex eo quod ratione sui sit potens omittere, non rectè colligitur, quod ratione propriæ entitatis sit potens amare; sicut nec valet hæc argumentatio; voluntas ratione suæ entitatis est adæquate potens liberam omissionem amoris: ergo ratione suæ entitatis: est adæquatè potens amare; nec ista; voluntas ratione potentiæ naturalis est potens omittere amorem: ergo ratione eiusdem naturalis potentiæ est potens elicere amorem. Nec ista; voluntas vt affecta habitu charitatis, est potens elicere amorem: ergo vt illo affecta est potens omittere, aut elicere odium. Et quidem si actus charitatis, vt liber à voluntate ratione suæ entitatis naturalis immediatè procederet, manifestè sequitur, actum charitatis, vt liberum, non supernaturalem, sed naturalem esse, seu libertatè actus charita-

tis esse naturalem: quod patet; nam in aduersariorum sententia libertas actus est denominatio extrinseca sumpta à principio indifferente immediato: ergo si actus charitatis, vt liber à voluntate ratione suæ entitatis naturalis sumitur denominatio: cum ergo forma dans denominationem, sit naturalis, libertas actus charitatis erit naturalis.

205 *Replicabis.* Sed replicabis adhuc; vt omissio amoris supernaturalis sit libera, essentialiter requirit in voluntate vim proximè effectiuam amoris; sed non exigit essentialiter auxilium supernaturale eleuans voluntatem ad dilectionem supernaturalem: ergo voluntas ratione sui habet vim proximam effectiuam supernaturalis dilectionis. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; nihil enim non supernaturale potest formam supernaturalem exigere, nec cum illa connecti; sed omissio libera amoris supernaturalis, est non supernaturalis: ergo non potest essentialiter exigere auxilium supernaturale præbens voluntati vires ad supernaturalem dilectionem.

Respondetur. Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: vt principium sui effectiuum, vel influxiuum, concedo maiorem: vt principium expeditiuum, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris. Solum enim sequitur, omissionem liberam amoris supernaturalis non exigere auxilium supernaturale, vt principium influens in ipsam, quod verissimum est, non autem quod illud non exigat, vt principium expeditiuum; quia nimirum dat vim proximam effectiuam dilectionis supernaturalis, sine qua virtute proxima non est expedita voluntas ad liberam omissionem illius.

206 *Instatur hac doctrina, & in contrarios vertitur.* Et quidem hoc argumentum à contrarijs est soluendum; vt enim voluntas liberè omittat supernaturalem dilectionem, non sufficit partialis virtus, quam in sententia contraria habet in ordine ad illam, sed necessario requiritur, quod sit potens expeditè, & adæquatè in ordine ad dilectionem supernaturalem Dei; aliàs auxilio supernaturali, nec recepto, nec oblato, posset voluntas obligari ad amorem supernaturalem, & libere illum omittere, quod contrarij non concedent; sed quamuis in illorum sententia voluntas habeat vim proximam partialem in ordine ad dilectionem ratione propriæ entitatis, vim tamen adæquatam, & totalem non habet sine auxilio supernaturali intrinseco, vel extrinseco: ergo fateri tenentur, omissionem dilectionis supernaturalis, vt liberam, essentialiter exigere auxilium Dei supernaturale intrinsecum, vel extrinsecum, quo voluntas fit completè potens diligere; & consequenter huiusmodi exigentiam non obstare naturalitati omissionis, vel non supernaturalitati illius.

207 *Septimũ.* Septimo arguitur; actus charitatis vt *quatuor*, procedens à voluntate affecta habitu intensionis vt *octo*, habet, quod sit tantæ, & non maioris intensionis à principio proximo sui; at id non habet ab habitu: ergo habitus non est principium proximum adæquatum illius, sed conflatum ex voluntate, & habitu. Maior videtur certa; nam *Minor probatur primo.* totum id, quod conuenit actui, recipit efficienter à principio sui proximo, & immediato. Minor autem probatur primo; nam habitus intensus *vt octo* inclinat de se ad eliciendum actum similis intensionis: ergo quod actus elicitus non adæquet intensionem habitus, non habet ab *Secundo.* habitu, vel à potentia ratione habitus, sed à voluntate ratione sui. Secundo; nam habitibus vtimus cum volumus, & quomodo volumus: ergo habitus charitatis subditur voluntati quoad vsum, & quoad influxum tantæ, vel tantæ intensionis: ergo quod habitus non influat secundum totam suam intensionem, sed secundum partem intensionis, prouenit à voluntate ratione sui; & consequenter, quod actus ille solum sit intensus vt *qua-* *Tertio.* *tuor*, non ab habitu, sed à potentia habet ratione propriæ entitatis. Denique; nam quod voluntas non vtatur habitu, quando, vel non agit, vel in actum naturalem influit, non habet ab habitu, sed à se ratione propriæ entitatis: ergo quod voluntas vtens habitu, non vtatur adæquata habitus intensione, sed intensionis parte, non habet ab habitu, sed à se ratione propriæ entitatis; & consequenter, quod actus intensus vt *quatuor* non sit maioris intensionis, non habet ab habitu, sed à voluntate ratione suæ innatæ entitatis.

208 *Resp. ad 3. minores probationem.* Respondeo, concessa maiori, loquendo de illo actu, quantum ad totum possitiuum, quod dicit, negando minorem. Ad primam probationem, distinguo antecedens: inclinat per modum principij *vt quod* liberi, concedo antecedens: per modum principij *vt quo* ad eliciendum determinatè, nego antecedens, & consequentiam: cum enim actus ille quoad totum positiuum, quod dicit, supernaturalis sit, prouenire debet ab habitu, vt virtute proxima, & à potentia ratione habitus. Ad secundum, concesso antecedenti, distinguo consequens: subditur voluntati, vt agenti *quod*, & vt *quod* habitu vtenti concedo consequentiam: vt agenti *quo* proxime, vel vt principio *quo* proximo vtendi habitu supernaturali, nego consequentiam: nam cum sic, vel sic vti habitu supernaturali, non naturale sit, sed supernaturale, non potest esse à potentia, vt principio *quo* proximo vtendi, sed tanquam ab agente *quod*. Ex quo neganda est secunda consequentia.

Ad tertiam minoris probationem, si teneamus negationem maioris intensionis non consequi necessario ad aliquid possitiuum actus intensionis minoris, sed cum omni possitiuo actus remissi posse maiorem intensionem gradualem componi: respondeo concesso antecedenti, distinguendo consequens: habet à potentia quoad negationem vsus maioris intensionis, concedo consequentiam; quoad possitiuum vsus parte intensionis habitus, nego consequentiam: nam hoc secundum est supernaturale; & consequenter prouenit à potentia remotè, & *vt quod*; ab habitu vero *vt quo* proximè. Primum autem, nempe, negatio vtendi maiori habitus intensione naturalis est; ac proinde, sicut carentia totius actus à potentia immediate potest prouenire; ita negatio, seu carentia maioris intensionis à potentia ratione suæ entitatis immediatè proueniet. Si vero teneamus, negationem intensionis vt *quinque* v.c. consequi ad terminationem vt *octo*, ratione prædicati possitiui, ratione cuius in actu remisso, datur repugnantia maioris intensionis gradualis, concesso antecedenti, nego consequentiam; & ratio discriminis est, nam negatio actus est naturalis, negatio autem maioris intensionis competens actui remisso supernaturalis est pro radice, ad quam sequitur. Vnde sicut radix, quam prædicta negatio consequitur, nempe intensio, per terminationem vt octo solum remotè *vt quo* prouenit à potentia, & ab habitu principio *quo* proximo, ita radicata negatio. 209 *Ad tertiã.*

Denique, vt alia omittamus, quorum solutio ex dictis rectè perpensis colligitur. Arguunt contrarij Auctores, plura entia naturalia immediatè ratione sui influunt in actum supernaturalem: ergo voluntas ratione propriæ entitatis immediatum habet in actum charitatis influxum. Consequentia probatione non eget; etenim repugnantia immediatus influxus in actum supernaturalem, vel non repugnat voluntati, vel omni entitati naturali repugnat. Antecedens autem ostenditur primo; assensus enim Theologicus est supernaturalis entitatiuè, vt plures Thomistæ docent 1. *par. quæst.* 1. *art.* 1. & tamen quando infertur ex vna præmissa de fide, & alia naturali lumine nota, immediate efficitur ab assensu præmissæ naturalis, qui entitatiuè naturalis est: cum conclusio ex duabus præmissis illata immediatè ab vtraque dependeat: ergo datur immediatus concursus entitatis naturalis ad actum aliquem supernaturalem. Secundo; nam habitus facilitans, immediatè efficienter influit in actum; sed habitus naturalis potest facilitatem præstare ad actum supernaturalem; ex actibus enim supernaturalibus sæpè repetitis prompta redditur potentia, & non ratione habitus supernaturalis geniti ex illis: ergo ratione habitus naturalis, & consequenter habitus naturalis potest facilem reddere potentiam in actum supernaturalem. 210 *Vltimum argumentum.* *Antecedens suadetur primo.* *Secundo.*

Tertio; species immediatè, & ratione suæ entitatis influit efficienter in actum; sed species deseruientes fidei sunt naturales; ergo influunt immediatè, & ratione sui in actum supernaturalem. Denique probant; possunt enim entitates naturales ratione sui immediatè concursum formalem ad actum supernaturalem præstare, species naturales determinando, habitus naturalis facilitando, præmissa naturalis inducendo in assensum Theologicum, & naturales cognitiones mouendo, & inducendo voluntatem in supernaturales actus: ergo etiam poterunt præstare immediatum effectiuum influxum. Patet consequentia; tum, quia formalis concursus non ita ignobilis est, vt ex illo ad effectiuum argumentum fumi non possit. Tum etiam, nam si non adsit supernaturale auxilium, entitates istæ naturales suum formalem concursum exercere non valent, & illo præsente possunt: ergo quamuis entitas naturalis absq; auxilij supernaturalis iuuamine nequeat immediatum influxum in supernaturalem actum præstare, auxilio tamen supernaturali iuuante immediatum effectiuum concursum poterit exhibere. 211 *Tertio.* *Quarto.*

Respon-

212 *Respondetur a d1.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, praetermissa maiori, nego minorem: assensus enim naturalis non influit nisi vt eleuatus per assensum praemissae supernaturalis effectiuè, & formaliter per aliquid deriuatum ab illa, hoc autem supernaturale eleuans assensum naturalem est illi adaequata ratio proxima influendi, concurrente assensu ratione suae entitatis mediate; & licet quando conclusio naturalis est, petat immediatè ab vtraque praemissa procedere, quando vero est supernaturalis, & altera ex praemissis est naturalis, hoc non exposcit; nec sequitur, posse assensum probabilem mediante assensu fidei ad conclusionem scientificam eliciendam eleuari, nam est extra sphaeram essentialem actiuitatis illius; & ideo eleuari non potest, sicut nec visus corporeus ad videndum Deum.

213 *Ad secundam.* Ad secundam, concessa maiori, nego minorem: à quo autem proueniat formaliter facilitas in supernaturales actus explicuimus Tract. de Charitate, vbi diximus, prouenire ab ipso habitu supernaturali de se potente dare potentiam proximam, & facilitatem; & se in duplicem illum effectum explicante media repetitione actuum supernaturalium concurrente dispositiue ad effectum illum formalem. *Ad tertiam.* Ad tertiam distinguo maiorem: in actum sibi proportionatum concedo maiorem: in actum sibi improportionatum, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: quia species deseruientes fidei sunt improportionatae cum actu supernaturali credendi; & ideo non habent vim immediate effectiuam actus credendi, sed tantum vim mediatam, coaptationemque essentialem; vis autem, seu virtus proxima immediata est forma supernaturalis illas proportionans, & eleuans cum assensu supernaturali; à quo autem haec proportio eleuatio, & vis proxima praestentur formaliter, non est vna Theologorum responsio; quibusdam asserentibus, species impressas fidei deseruientes, ab ipso fidei habitu eleuari, & proportionatas constitui.

214 *Recentiores impugnant istū modū dicendi.* Quod Recentiores impugnant: nam exinde sequeretur, posse habitum fidei, absente specie, actum fidei efficere; consequens est falsum: ergo & ista sententia. Probant sequelam; virtus adaequata causae remotae eodem modo potest operari effectum, absente causa, ac praesente, vt constat in calore qui est virtus ignis, & operatur effectum, igne absente, sicuti praesente igne: ergo si habitus fidei est virtus, qua species redderentur proximè potentes ad efficiendum assensum, potest habitus fidei absentibus speciebus efficere fidei assensum. Haec tamen impugnatio friuola est; nam habitus in nostra sententia est adaequata virtus proxima ad actum charitatis; & tamen sine voluntatis concursu, & praesentia, nequit actum charitatis efficere; voluntas etiam est animae adaequata virtus proxima; & tamen sine praesentia animae nequit efficere volitionem naturalem.

215 *Nec obstat quod contrarij dicunt.* Quod si contrarij dicant, haec omnia in sua sententia esse falsa: respondebunt praefatae solutionis Auctores, sibi sufficere quod non magis vrgeat obiectio facta in speciebus, quam in anima, & potentijs; nam jam fit difficultas communis, cui facili negotio occurritur; quod sicut actus supernaturalis pendet essentialiter, non solum à virtute potentiae, sed etiam ab essentia potentiae, eo quod ab illa specificatur; ita assensus supernaturalis pendet essentialiter, non solum à virtute proxima speciei, sed etiam ab essentia illius; & ex eadem ratione, quia nempe ab illa secundum essentiam speciei, & vt virtute eleuante specificationem desumit; quando autem simul cum concursu effectiuo importatur etiam formalis, non potest concursus suppleri.

216 *Modus ille dicendi ex alio capite reijcitur.* Ex alio tamen principio reijciendus venit modus ille dicendi; nam forma eleuans, & dans virtutem, debet intrinsecè recipi immediatè, vel mediatè in eo, cui dat virtutem; vt constat ex supra dictis; at habitus fidei non recipitur in speciebus aliquo ex praedicti modis: ergo non potest esse virtus, qua eleuentur species. Probatur minor; nam in primis non recipitur mediate; cum species non sint subiectum intellectus immediate recipientis fidem, nec immediatè; aliàs habitus fidei inhaereret intellectui mediantibus speciebus; & consequenter illis destructis periret: ergo nec mediate, nec immediate recipitur in speciebus, & consequenter illas eleuare non potest, nec esse virtus, per quam species potentes reddantur ad actum fidei efficiendum.

217 *Species deseruientes fidei eleuantur per auxi.* Quare dicendum censeo cum Magistro Aluarez *lib. 7. de auxilijs disp. 56. num. 18.* species eleuari, & potentes proximè ad efficiendum fidei assensum constitui per auxilium supernaturale, quod non obscure docuit D. Thom. 2. 2. *quaest.* 173. *art.* 2. *ad* 3. illis verbis: *Dicendum, quod quaecumque formas imaginatas naturali virtute homo potest formare absolute considerandas; non tamen vt sint ordinata ad repraesentandas intelligibiles veritates, quae hominis intellectum excedunt, sed ad hoc necessarium est auxilium.* *lliū supernaturale.* Vbi vt clarè constat, docet Angelicus Doctor species naturales deseruientes menti Prophetae indigere vt repraesentent propheticas veritates auxilio supernaturali eleuante, & illas ordinante.

Nec obstant contra hanc solutionem obiectiones Recentiorum obijcientium sic primo: quia auxilium gratiae praeuenientis in praesentia habitus non operatur efficienter, sed tantum formaliter; cum habitus ratione sui habeat sufficientem vim effectiuam; concursus autem speciei, non formalis tantum, sed etiam effectiuus est: ergo non praestatur ab illis ratione auxilij gratiae praeuenientis. 218 *Obijcies primo cōtra istum modū dicendi.* Secundo, nam auxilium gratiae praeuenientis non est distinctum ab illustratione intellectus, ad quam praeuius speciei concursus requiritur; at qui ad hunc concursum non eleuantur species media illustratione à se ipsis causata, vt per se est manifestum; nec medio alio praeuenientis gratiae auxilio, ne detur processus in infinitum: ergo praestant illum ratione propriae entitatis proximè, & immediate. *Secundo.* Tertio, nam auxilium gratiae praeuenientis non inhaeret speciei, quod tamen in nostra sententia petitur vt possit dare virtutem: ergo non est virtus eleuatiue operum. *Tertio.* Denique; nam sequitur, tale auxilium esse quamdam supernaturalem speciem; consequens est falsum: ergo idem quod prius. *Quarto.* Patet sequela: exhibet namque ad actum intellectus concursum obiectiuum cum sit virtus speciei obiectiuè concurrentis; at species nihil est aliud, quam qualitas obiectiue ad actum cognitionis concurrens: ergo erit supernaturalis species.

Haec tamen parum vigent. Ad primum respondeo, maiorem ad summum posse esse veram de auxilio gratiae praeuenientis se tenentis ex parte potentiae; non autem de auxilio speciei eleuante: & ratio est aperta; nam habitus sufficit ad eleuandam potentiam, vt efficiens causa sit; & ideo auxilium eleuans, & dans effectiuam virtutem, in praesentia habitus, non requiritur; quia tamen species per habitum non eleuantur, vt proxime ostendi, petitur auxilium supernaturale illas eleuans, & virtutem praestans proxime effectiuam physicè. 219 *Resp. ad primum.* Ad secundum, falsam esse maiorem; illustrationes namque intellectus sunt auxilia tantum moralia, praeter quae, auxilia physica, tum efficacia, tum sufficientia, sunt necessaria. *Ad secundum.* Et licet admittamus, esse etiam physica auxilia, praeter tales illustrationes, alia etiam desiderantur, intellectus namque ad illustrationis elicientiam qualitate supernaturali eleuatur; & consequenter species deseruientes intellectui eleuari poterunt alia supernaturali qualitate distincta.

220 *Ad tertiū.* Et ex his ad tertiam negandum est antecedens; nam licet illustratio intellectus speciebus non inhaereat; quia tamen, non ipsa sola est auxilium gratiae praeuenientis, non sequitur, auxilium non concurrere. *Ad vltimum.* Ad vltimam nego sequelam: ad probationem dicatur, ad rationem speciei non sufficere obiectiuum concursum, sed requiri repraesentationem, & obiectiuam similitudinem, quorum neutrum auxilio à nobis posito conuenit; & ideo species non est. Ad vltimam antecedentis probationem dicatur, falsa esse omnia, quae in illius probationem adducuntur vt de specie impressa, praemisa naturali, & naturali habitu constat ex dictis. Nec naturales cognitiones possunt ad affectum supernaturalem mouere; aliàs actus fidei ad dilectionem supernaturalem necessarius non esset; & consequenter ad iustificationem sola cognitio naturalis sufficeret.

§. VIII.

Explicatur concursus intellectus.

221 *Tertia conclusio.* TERTIA CONCLVSIO. *Habitus non est adaequata visionis beatificae causa, sed ex habitu, & intellectu adaequata causa illius componitur, ad quam intellectus non solum concurrit vt quod, sed etiam vt principium quo mediatum mediatione virtutis, & immediatum immediatione potentiae.* Haec conclusio statuitur contra tres modos dicendi, qui inter Auctores nostrae sententiae circumferuntur. Primus est aliquorum docentium, intellectum nullatenus esse principium *quo* visionis supernaturalis, sed tantum vt *quod* ad illam concurrere, ad modum quo suppositum ad operationes naturae concurrit. Secundus est aliorum, qui etsi negant intellectui partialem in visionem influxum, nihilominus affirmant, immediatum, & proxi-

mum intellectionis principium ex intellectu, & habitu luminis gloriæ componi; & consequenter intellectum immediate in visionem influere. Tertius est aliorum, qui affirmant, omnino mediatè & nullatenus immediate concurrere.

222 *Notatur.* Contra istos tres modos dicendi statuitur nostra conclusio. Ante cuius probationem aduerto, me non excludere animam rationalem à causalitate visionis; certum enim est, etiam animam suum habere in intellectionem influxum; quia tamen probato, intellectum ingredi constitutionem causæ visionis beatificæ, probatum etiam relinquitur, animam, vt intellectus radicem in visionem influere; ideo ex intellectu, & lumine adæquatam causam visionis componi, asseruimus.

223 *Prima pars conclusionis probatur primo,* Igitur prima pars nostræ conclusionis breuiter ostenditur primo; nam si habitus esset adæquata visionis causa, posset extra intellectum existens, visionem beatificam operari, at hoc implicat, etiam in omnium Thomistarum sententia: ergo habitus adæquata causa visionis non est. *Secundo.* Secundo, nam si habitus esset adæquata visionis causa, intellectus solum per accidens diceretur videre, seu intelligere; nec posset cum proprietate dici ad illam cooperari cum gratia; non enim potest cooperari dici, quod non operatur; consequens est contra expressa testimonia Scripturæ, & Tridentini supra allegata: ergo habitus luminis gloriæ adæquata causa visionis beatificæ non est. *Tertio,* Tertio, nam ad actum quemlibet vitalem, non solum effectiuè concurrit virtus proxima potentiæ, sed etiam essentia potentiæ; at lumen gloriæ non est essentia potentiæ, sed solum intellectus proxima virtus: ergo non est adæquata visionis causa; sed simul etiam intellectus, ex quo, & habitu adæquata visionis causa conflatur.

224 *Secunda pars conclusionis probatur primo.* Deinde, quod intellectus non solum vt *quod*, sed etiam vt principium *quo* comparetur ad visionem; probatur primo; nam intellectus comparatur ad visionem tanquam potentia intellectiua; at de essentia potentiæ est, esse principium *quo* natura potens proximè constituatur ad actum: ergo concurrit ad visionem, non solum vt *quod*, sed etiam vt principium *quo*. *Secundo,* Secundo, nam intellectus verum, vt abstrahit à naturali, & supernaturali sub explicito veritatis conceptu respicit, vt principium *quo* actiuum: ergo omnia inferiora sub illa ratione superiori contenta respicit etiam vt principium *quo* agendi; & consequenter ad verum supernaturale, non solum vt *quod*, verum etiam vt principium *quo* comparatur. Consequentia euidens est; nam cum inferiora, & materialia obiecta ratione superioris, quod est formale obiectum, inspiciantur, si primarium, & formale obiectum inspicitur sub conceptu principij *quo* actiui, etiam secundaria, & materialia sub eodem respectu inspiciuntur. Antecedens autem probatur; nam ratio illa communis inspicitur, vt passiuè intelligibilis: ergo intellectus illam respicit, vt actiuè intellectiuus; at esse actiuè intellectiuum, est esse principium *quo* intellectionis: ergo respicit rationem illam communem, vt principium *quo* actionis.

225 *Tertio.* Tertio; nam omne, quod ad aliquam actionem concurrit, vel se habet tanquam principium *quo*, vel vt conditio operandi; at intellectus non comparatur ad intellectionem supernaturalem tantum vt conditio operandi; iste enim modus concurrendi solum conuenit supposito, seu subsistentiæ, & existentiæ, naturam, quæ est principium complentibus: ergo concurrit vt principium *quo* operatiuum. *Quarto.* Quarto, nam intellectus comparatur ad intellectionem supernaturalem formaliter vt vitalis; alias potentia non vitalis posset per habitum ad visionem eliciendam cum denominatione ab illa eleuari; sed vitale, in quantum tale, petit esse principium *quo* operationis; subsistentia namque non dicitur principium vitale, quia solum vt conditio, & vt *quod* ad operationem concurrit: ergo intellectus non solum est causa vt *quod*, sed etiam vt principium *quo* visionis beatificæ.

226 *Quinto.* Denique; nam si intellectus non esset principium *quo* vllo modo visionis beatæ, habitus esset adæquatum principium *quo* tam proximum, quam remotum ad illam; at hoc est falsum: ergo idem quod prius. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur; nam quia natura humana est adæquatum principium *quo* tam proximum, quam remotum operationum naturalium, & Verbum in illa subsistens solum concurrit vt *quod*, humanitas separata à Verbo operationes eliceret omnino eiusdem rationis, vt omnibus est exploratum: ergo si lumen gloriæ esset adæquatum principium *quo* agendi respectiue ad visionem beatificam, & intellectus solum vt *quod* compararetur ad illam, lumen (& idem dicendum de quolibet habitu supernaturali) separatum ab intellectu, posset visionem beatificam eiusdem rationis elicere, & Deum mediante ipsa visione videre; consequens est falsum, & contra omnes Doctores, tam nostræ, quam contrariæ sententiæ: ergo habitus luminis gloriæ non est adæquatum principium *quo* respectu visionis beatæ.

227 *Respondebis.* Respondebis, negando sequelam; nam aliquando potest id, quod tantum vt *quod* ad operationem concurrit, essentialiter ad illam desiderari, vt constat in paternitate diuina, quæ ad actiuam generationem solum vt *quod* comparatur; & tamen ita essentialiter ad generandum exigitur, vt solus ille qui est Pater, possit filium in diuinis generare; ac proinde ex eo quod intellectus, solum vt *quod* ad visionem comparetur, & habitus sit adæquatum principium vt *quo*, male infertur posse habitum luminis gloriæ ab intellectu seiunctum visionem beatificam operari.

228 *Contra 1.* Sed contra primo, nam falsum est, paternitatem diuinam se habere tantum vt *quod* ad generationem filij habet enim se, vt complementum essentiale principij *quo* generandi, vt tractatu de Trinitate docuimus. *Secundo,* Secundo, nam esto ita sit, quod solum vt *quod* concurrat, & tamen essentialiter exigatur, hoc illi peculiare est, quia nempè principium *quo* à termino genito realiter non distinguitur, quod si distingueretur realiter ab illo, talis exigentia non esset; at in præsenti habitus luminis gloriæ ab actu visionis beatificæ distinguitur: ergo si intellectus non vt *quo*, sed tantum vt *quod* comparetur, nulla esset ratio cur lumen separatum ab intellectu non possit visionem beatam efficere. *Tertio.* Denique nam in creatis ita videmus, quod principium *quo* adæquatum proximum, & radicale, ab agente *quod* separatum, potest suam actionem efficere: ergo si habitus est principium *quo* adæquatum, tam proximum, quam radicale, separatus ab intellectu, & anima poterit visionem efficere. Nam asserere hoc in actu visionis beatificæ, & alijs actibus supernaturalibus esse peculiare, vt ab agente tantum vt *quod* essentialiter dependeant, quia in diuinis processionibus ita contingit, est voluntarium omnino.

229 *Tertia pars conclusionis probatur.* Quod autem intellectus non sit principium *quo* immediatum absolute, probatur; nam illud est immediatum actionis principium, inter quod & talem actionem non mediat aliquid realiter ab vtroque distinctum, quod sit principium actionis; at inter intellectum, & visionem mediat lumen gloriæ realiter ab intellectu distinctum, quod est principium *quo* visionis: ergo intellectus non est principium *quo* immediatum visionis beatificæ, sed mediatum mediatione virtutis. *Respondebis.* Respondebis; habitum luminis gloriæ, etsi distinguatur realiter ab intellectu in genere entis, non tamen ab illo realiter in ratione causæ distingui; quia ex causa, & virtute causæ fit vna indiuisibilis causa, non indiuisibilis in plures entitates bene tamen in plures causas, vel in causas partiales.

230 *Contra 1.* Sed contra primo; nam visio beatifica sub nulla ratione coniungitur cum intellectu, vel egreditur ab illius essentia, nisi medio lumine realiter ab illo distincto: ergo sub nulla ratione immediatè ab illo egreditur. *Secundo.* Secundo, nam ex data solutione tantum colligitur, intellectum agere immediate immediatione causæ, hoc est, absque causa mediante, quod libenter fatemur, non autem quod agat immediate immediatione virtutis, vel immediate absolutè; nam licet lumen medians, causa visionis non sit, sed virtus causæ, realiter tamen in ratione virtutis ab intellectus essentia distinguitur: ergo asserendum est, intellectum agere mediate mediatione virtutis, & mediate absolute. *Tertio.* Denique, nam absoluto docet D. Thom. pluribus in locis, substantiam non esse immediate operatiuam, quia operatur medijs potentijs realiter ab illa distinctis; & tamen potentiæ mediantes, non sunt causæ operationum, sed virtus proxima ex qua, & natura substantiali vna causa in plures causas, vel in partiales causas indiuisibilis constituitur: ergo quod ex habitu, & potentia fiat vna causa indiuisibilis in plures causas partiales, non obstat, quo minus intellectus mediatè dici debeat in visionem beatificam influere.

231 *Vltima pars conclusionis probatur.* Tandem, quod influat immediate in visionem immediatione potentiæ, probatur, nam id influit immediate immediatione potentiæ, inter quod & actionem non interuenit media potentia; at habitus luminis medians inter intellectum, & visionem, non est potentia, sed virtus potentiæ: ergo intellectus influit in prædictam visionem immediate immediatione potentiæ. *Minor probatur primo.* Probatur minor primo: nam potentia est indifferens ad benè, vel male operandum, vt communiter docetur à Logicis *cap. de Qualitate*; habitus autem tali indifferentia non gaudet,

det, sed ad bonum actum est determinatus: ergo habitus, *Secundo.* virtus potentiæ, & non ipsa potentia est. Secundo, nam potentia non perit pro immediato subiecto potentiam, lumen autem gloriæ in intellectu petit immediate sub- *Tertio.* iectari: ergo idem quod prius. Tertio, nam si habitus esset potentia intellectiua; posset immediate animæ inhærere, & illam ad videndum Deum proxime potentem constituere, etiam si ab ea auferretur intellectus; consequens à nemine admittitur: ergo nec confusio habitus cum potentia admitti debet. Probatur sequela, habitus esset potentia proxima intellectiua adæquata: ergo posset secluso intellectu, qui est potentia proxima in ordine ad actus naturales, animæ immediate vniri, & *Confirmatur* illam constituere proxime potentem intelligere. Et augetur difficultas, nam intellectus non dat proximè posse in ordine ad visionem beatificam: ergo si ex alia parte lumen non solum est virtus, sed etiam potentia proxima, nulla est ratio, cur mediet essentialiter inter animam, & lumen, ita vt habitus luminis gloriæ nequeat animæ immediate vniri absque medio intellectu.

232 *Dices.* Dices, quod licet intellectus non sit proxima potentia respectu visionis, seu intellectionis supernaturalis, est tamen immediatum *quod* agens; anima autem agens mediatum vt *quod*, & idcirco nequit habi- *Contra.* tus supernaturalis animæ rationali inhærere absque medio intellectu. Sed contra, nam si intellectus agit immediate vt *quod*, ideo erit, quia est intellectiua potentia: ergo si habitus est etiam Intellectiua potentia, erit agens immediatum vt *quod*; & consequenter non erit necessaria mediatio intellectus inter animam, & habitum per modum agentis immediati vt *quod* in visionem beatificam influentis, sed sicut intellectus immediate vnitur animæ in ordine ad actiones naturales, ita habitus supernaturalis poterit immediate animæ vniri in ordine ad actus supernaturales.

§ Vltimus.

Diluuntur contraria argumenta.

233 *Arguitur primo.* CONTRA primam partem conclusionis arguitur; sequitur namque ex illa, intellectum, & habitum luminis gloriæ partialiter ad visionem concurrere: consequens est contra dicta conclusione secunda: ergo & prima pars huius tertiæ conclusionis. Probatur sequela; nam habitus est causa visionis beatificæ; cum ad illum visio sequatur, in quod definitio causæ consistit; at non est causa adæquata, vt in prima *Confirmatur.* parte nostræ conclusionis docuimus: ergo est causa inadæquata, ac proinde causa partialis. Confirmatur, nam per Nos habitus est pars ex qua simul, & potentia, adæquata visionis causa componitur: ergo est pars causæ visionis; at idem est esse partem causæ effectiuæ visionis, & esse causam partialem: ergo est causa efficiens visionis partialis.

234 *Respondetur.* Respondeo, negando sequelam. Ad probationem, nego maiorem, nec ad habitum luminis sequitur visio, sed ad conflatum ex potentia, & habitu; vnde non habitus, sed conflatum ex ipso, & potentia, est causa efficiens visionis; composita ex habitu, vt virtute potentiæ, & ex intellectu vt potentia. Ad confirmatio- *Ad confirmationem.* nem, concesso antecedenti, & prima consequentia, nego minorem subsumptam, non enim est idem, esse partem causæ, & esse causam partialem; etenim materia prima est pars causæ effectiuæ actionum naturalium hominis, quas sola anima rationalis efficere non potest; & tamen non dicitur causa partialis illarum, & anima, & materia sunt partes hominis, & tamen; nec anima est homo partialis, nec materia partialis homo est, aut potest; quia cum homo sit compositus ex anima, & corpore, vt anima esset homo partialis, ex anima partiali, & partiali corpore debebat constare; natura etiam, & potentia componunt vnam causam suarum operationum; & tamen non possunt dici causæ partiales, etsi dici possint partes componentes causam; quia ad causam petitur natura, vt radix, & potentia, vt principium immediatum. Vnde vt potentia esset partialis causa, debebat componi ex natura partiali, & partiali potentia; Verbum etiam, & natura humana sunt extrema componentia Christi personam, & tamen dici nequeunt Christi partiales; quia Christus est compositum subsistens in duabus naturis; vnde vt Verbum, & humanitas dicerentur Christi partiales, quodlibet illorum debebat importare suam partialem subsistentiam, atque naturam partialem. Ita in præsenti; quia causa importat esse etiam potentiæ, & proximam virtutem illius, & intellectus, etsi ratione sui habeat essentiam potentiæ, coaptationemque essentialem, non tamen gaudet proxima partiali virtute; habitus vero, etsi proximam virtutem importet, non tamen gaudet proxima partiali virtute; habitus verò, etsi proximam virtutem importet, non tamen gaudet ratione sui coaptatione essentiali potentiæ; consequens fit, quod licet possint dici, & verè sint partes causæ efficientis visionem beatificam, non tamen sint partiales visionis causæ.

235 *Arguitur secundo, ex D. T. contra secundam conclusionis partē.* Secundo aduersus secundam partem conclusionis arguitur ex D. Thom. *quæst. 27. de veritate art. 1. ad 21.* vbi ait: *Animam in ordine ad vitam naturalem se habere, vt quo aliud viuit, in ordine vero ad vitam gratiæ se habere, vt* quod *alio viuit*: ergo sentit D. Thom. tam animam, quam potentias, non comparari ad actus supernaturales, vt principium *quo*, sed tantum vt *quod*. Et 3. *Contra Gentes cap. 53 ratione 4.* docet: *Quod sicut virtus diaphani augetur, vt possit illuminare, per hoc quod fiat lucidum in actu; ita virtus intellectus creati de se sufficientis ad visionem claram Dei augetur per lumen beatificum, vt possit Deum clare videre*; at virtus diaphani taliter augetur per lucidum, quod non est de se actiua vt *quo*, etiam remotè, & mediatè; ergo idem quod prius. Et 2.2. *q. 23. art. 2. solut. ad 2.* docet: *Quod formaliter charitas est vita animæ, sicut anima est vita corporis*; sed anima taliter est vita corporis, quod ad illam, nec proximum, nec remotum principium *quo* viuendi supponitur; ergo taliter charitas est vita supernaturalis animæ, quo ad illam, nec proximum, nec remotum principium *quo* actus supernaturalis supponitur; & consequenter voluntas ratione sui non est principium *quo* mediatum, & remotum dilectionis; sed eadem est ratio de intellectu respectu visionis beatificæ, ac de voluntate respectu amoris supernaturalis: ergo secundum D. Thom. intellectui ratione sui non competit ratio principij *quo* mediati, & remoti in ordine ad visionem supernaturalem; & consequenter non est conformis eius doctrinæ secunda pars nostræ tertiæ conclusionis. *Confirmatur. ex eodem D. Thom. Secundo.*

236 *Respond. ad 1 testimoniū.* Respondeo, D. Thom. in priori testimonio, solum negare, animam in ordine ad vitam gratiæ se habere, vt principium *quo* proximum. Vnde proximè solum comparatur vt *quod* viuit alio, non autem vt *quo*, tanquam principio proximo aliud viuit; cum quo tamen stat, quod sit principium *quo* mediatum, & remotum vitæ supernaturalis; quod pro argumenti solutione sufficiebat. Argumentum enim intendebat probare, animam posse gratiam causare, quia viuit vita gratiæ, & vita naturæ; communicat autem naturalem vitam: ergo etiam vitam gratiæ communicare potest; & consequenter gratiam causare. Ad quod argumentum respondet D. Th animam viuere vita naturali vt *quo*, vita autem gratiæ vt *quod*; & ideò primum communicat, secundum autem communicare non potest; vt autem hoc saluetur, sufficit, quod non viuat vita gratiæ vt *quo* proximè; nam eo ipso non potest ratione sui viuens vita gratiæ formaliter constituere.

237 *Ad secundam.* Ad secundum testimonium dicatur, similitudinem D. Thom. tenere quoad hoc, quod vtrobique est argumentum, non per simplicem virtutis naturalis intensionem sed per nouæ formæ oppositionem; non autem quoad omnia; nam cum diaphanum illuminatione non viuat, non est necessarium, quod virtus in illo supposita, sit actiua vt *quo* mediatè, sed sufficit esse passiuam, & vt *quod* media luce operatiuam; intellectus autem eleuatur, vt viuat; & consequenter etsi indigeat noua forma superaddita dante proximam virtutem, remota actiua supponitur; quia alias non saluabitur ratio viuentis, vt *superius*, arguebam. Ad tertium testimonium dicatur, similitudi- *Ad tertium.* nem tenere quoad hoc, quod vtrumque est alteri ratio viuendi, charitas animæ, & anima corpori; non tamen in omnibus, ita vt sicut anima est corpori prima ratio viuendi, nullam vitam supponens, ita charitas sit animæ primum vitæ supernaturalis principium. Tum, quia aliàs non supponeret vitam radicalem per gratiam habitualem: quod falsum est; tum etiam, quia aliàs sicut anima, nulla vita in materia supposita, illam viuificat; ita etiam charitas absque suppositione vitæ naturalis animæ, posset vitam supernaturalem præstare, vt *superius* arguebam: ex quibus clarè constat, quid de intellectu respectu visionis beatificæ sit dicendum.

238 *Tertiū argumentū.* Tertio arguitur; vt intellectus eleuetur ad vitaliter agendum per actum visionis beatificæ, non est necessarium, quod ad formam eleuantem supponatur cum virtute

tut e aliqua actiua; & consequenter, vt principium *quo* remotum, & mediatum talis operationis; ergo tradita hucusque deficiunt; ac proinde non est principium *quo*, adhuc remotum supernaturalis operationis. Antecedens, in quo est difficultas, ostenditur primo, nam suppositum Verbi ratione humanitatis sibi hypostaticè vnitæ, operatur omnes operationes humanitatis, vt verum agens vitale, & cum omni proprietate viuit humanitatis operationibus; aliàs non esset verum, cum proprietate dicere, *Verbum est homo*, cum non esset cum proprietate animal, nec viuens, nec cum proprietate diceretur de Verbo, vt subsistente in humanitate, pro nobis passum esse, ad inferos descendisse, nobis meruisse, ac satisfecisse pro nobis; quæ omnia absurda videntur; & tamen non supponitur ad humanitatem sibi hypostaticè vnitam, cum vi actiua, adhuc mediata, nec vt principium *quo*, etiam mediatum, seu remotum operationum humanitatis, vt omnibus est manifestum: ergo vt intellectus medio habitu eleuetur ad vitaliter videndum, non est necessarium, quod ad illum supponatur cum virtute actiua mediatè, nec vt principium *quo* mediatum, seu remotum actus visionis beatificæ. Secundo; corpus verè viuit operationibus animæ, est enim anima forma corporis physici organici, potentia vitam habentis; & tamen non supponitur in corpore ad animæ informationem vis actiua radicalis remota, aut mediata, sed tantum potentia passiua, nec supponitur vt principium *quo* mediatum illarum operationum: ergo poterit intellectus viuere per visionem ratione gratiæ, & luminis gloriæ, quin ad illam supponatur cum vi radicali actiua, aut cum vi actiua mediatè, nec vt principium *quo* radicale, aut remotum actus visionis beatificæ.

Antecedens suadetur primo. *Secundo.*

239 *Resp. ad 1. probationem.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, distinguo maiorem: viuit suppositaliter, aut per modum suppositi, concedo maiorem: per modum potentiæ, aut naturæ viuentis, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam; ratio autem discriminis constat ex dictis inter probandam secundam partem nostræ conclusionis; quia nempè, subsistentia concurrit tantum per modum conditionis ad operationes naturæ: vnde natura sine subsistentia illas efficit eiusdem rationis; & ideò in subsistentia, seu personalitate, nulla actiuitas supponitur, etiam remota, & mediata; natura autem, & potentia non sic ad operationes supernaturales concurrunt; nam si tantum vt conditiones se haberent, sine illis per solum habitum possent effici operationes eiusdem rationis, vt arguebamus *supra*; & ideò necessario debent aliqua actiuitate, saltim remota, & mediata gaudere.

240 *Ad secundam.* Ad secundam probationem, distinguo maiorem: viuit corpus animæ operationibus, vt compositum constitutum per animam, concedo maiorem: vt subiectum per animam perfectibile, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: nam compositum constitutum viuens per animam, non potest ad illam cum vita, etiam radicali, & remota supponi, sed primum esse viuentis ab anima recipit; subiectum autem eleuabile per aliquam formam ad altiorem gradum vitæ, non potest per illam viuere, nisi in aliquo esse vitali constitutum supponatur; & consequenter in aliquo esse actiuo, saltim radicali, aut remoto. Vnde, quia materia prima ante informationem animæ, nulla gaudet actiuitate, non constituitur per animam viuens; falsum enim est dicere, materia operatur vitales operationes; & consequenter falsò etiam enuntiatur de materia prima ratio viuentis, sed solum id verificatur de subiecto sumpto pro composito ex anima, & corpore: quia ergo de intellectu verum est affirmare, quod viuit vita supernaturali per actum visionis beatificè; in hac enim propositione: *intellectus lumine affectus viuit*, subiectum non supponit pro composito ex intellectu, & lumine, sed tantum pro intellectu; sicut in hac *album est disgregatiuum visus*, subiectum supponit pro corpore; consequens fit, quod necessario, in intellectu supponi debet ratio viuentis mediatè; & remotè vita supernaturali.

241 *Dices.* Sed dices; materia prima verè viuit ratione animæ, & tamen ad animæ informationem non supponitur, vt principium *quo* actiuum: ergo etiam in viuente per modum subiecti ratione alicuius formæ, non est necessarium, quod supponatur ratio primi principij *quo* actiui. Minor est certa. Maior autem ostenditur primo; nam materia prima informatur ab anima, non solum secundum gradum essendi, sed etiam secundum gradum vitæ; sed quia informatur ab anima secundum gradum essendi, constituitur ens, seu existens: ergo ab anima informante secundum gradum viuendi, constituitur etiam viuens.

Maior prob. 1.

Secundo; nam materia informata per animam non est mortua, sicut remanet in cadauere, in quo anima viuentis non est: ergo est vita, & consequenter viuens. *Secundo.*

242 *Respond. ad primam probationem.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam; nam huius, quod est existere ratione compositi immediatè existentis, capax est materia prima; huius autem, quod est operari vitaliter, capax non est; & ratio discriminis consistit in eo, quod existens, ad existentiam solum comparatur receptiuè, & passiuè; ad operationem autem comparatur actiuè; & quia materia receptiua est, non autem actiua; ideò ratione animæ potest existens constitui, non autem operans; & consequenter nec viuens; vnde ad gradum vitæ solum comparatur sustentatiuè, non autem denominatiuè; sicut etiam ad generationem passiua in sustentatiuè, & non denominatiuè comparatur; non enim denominatur genita materia, sed compositum ex materia, & forma, etsi materia genarationem recipiat; ita etiam non nominatur generans, aut viuens materia, etiam si formam vt *quo* generantem, & vt *quo* viuentem sustentet, sed compositum ex materia, & forma.

Ad secundam. Ad secundam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; nam vt materia esset mortua, requirebatur, quod nec esset viuens, nec sustentans animam viuentem, nec esset viuens, nec pars actu componens suppositum viuens; & quia quando informatur anima viuente, sustentat vitam, & actu componit suppositum viuens; consequens fit, quod non sit mortua, quamuis viuens non sit.

243 *Quarto arguitur.* Quarto arguitur adversus eandem conclusionis partem: esse principium *quo* viuendi supernaturaliter, sequitur ad esse in actu supernaturali; at intellectus præcedenter ad habitum luminis, non est in actu supernaturali: ergo ante habitum luminis gloriæ non est principium *quo* supernaturalis vitæ; & consequenter, nec intellectionis; seu visionis supernaturalis. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; nam vnumquodque operatur, in quantum est in actu naturali, & supernaturaliter, in quantum est in actu supernaturali; sed operans constituitur per principium *quo* operandi, & viuendi supernaturaliter, sequitur ad esse in actu supernaturali.

244 *Respondetur.* Respondeo, maiorem esse veram de principio *quo* proximo, non autem de principio *quo* remoto, & mediato; hoc namque supernaturalitatem actualem non petit, sed tantum capacitatem eleuabilem per formam supernaturalem dantem proximam potentiam ad agendum supernaturaliter. Vnde ad maioris probationem, quatenus distinctioni traditæ potest obstare, concesso antecedenti, distinguo consequens pro secunda parte; vnumquodque operatur supernaturaliter, in quantum est in actu supernaturali: ly *in quantum* reduplicante principium *quo* proximum supernaturaliter operandi, concedo consequentiam: ly *in quantum* reduplicante principium *quo* remotum operandi supernaturaliter, nego consequentiam; nam ad istum modum principiandi supernaturalem operationem, sufficit eleuabilitas per principium proximum supernaturale perficiens, & eleuans intra sphæram obiecti essentialis potentiæ eleuatæ.

245 *Oppones primo.* Sed oppones primo; quia materia prima est pura potentia in omni ordine essendi, non est principium *quo*, etiam remotum alicuius operationis, siuè naturalis, siuè supernaturalis; sed intellectus est pura potentia in ordine supernaturali: ergo non est principium *quo*, etiam remotum operandi supernaturaliter. Secundo; nam principium *quo*, etiam remotum operationis supernaturalis, debet illam continere in actu formali, aut eminentiali; sed intellectus ratione sui non continet visionem supernaturalem in actu formali, nec in actu eminentiali; ergo non est principium *quo* illius, etiam remotum. *Secundo.*

Tertio. Tertio; nam principium *quo* remotum perfectiori modo ad operationem concurrit, quam principium proximum *quo*, vt constat in anima, & potentijs proximè operatiuis. Et ratio est, quia principium *quo* proximum subordinatur remoto; sed intellectus ratione suæ entitatis non est principium *quo* proximum intellectionis supernaturalis: ergo nec principium *quo* remotum. Quarto, quia namque respectu habituali gratiæ repugnat dispositio proxima naturalis, etiam repugnat ad illam per naturalem actum remotè disponi: ergo si repugnat entitati naturali proximè principiare supernaturalem actum, etiam repugnabit illum principiare remotè. Denique: nam principio *quo* remoto alicuius operationis debetur principium proximum *quo*; sed intellectuis est indebitus habitus,

Quarto. *Quinto.*

tus, qui est principium *quo* proximum intellectionis, seu visionis, supernaturalis: ergo non est ratione suæ entitatis principium *quo* mediatum, aut remotum illius.

246 *Respond. ad primum.* Respondeo ad primam instantiam, concessa maiori, & minori, negando consequentiam; nam pura potentia in omni ordine essendi non est eleuabilis, vt agat, sed actuabilis, vt ex illa, & forma actuante resultet compositum agens. Vnde caret omni actiuitate, tam proxima, quam remota; quod autem est in actu in ordine naturali, etsi in supernaturali in pura potentia sit, est eleuabile per supernaturalem formam, vt agat, & non vt constituat compositum agens; ac proinde eleuatur vt actiuum, quod absque vi mediatè actiua non potest saluari.

Ad secundum. Ad secundam dicatur; intellectum ratione sui continere actum supernaturalem in actu eminentiali remoto, ad quod non requiritur, esse supernaturalem in actu formaliter, sed sufficit esse in actu naturali eleuabili per formam supernaturalem formaliter, à qua recipiat esse formale supernaturale. *Ad tertium.* Ad tertiam, distinguo maiorem: principium *quo* remotum radicale, hoc est, radicans principium *quo* proximum, concedo maiorem: principium *quo* remotum, non radicale, sed obedientiale, nego maiorem. & concessa minori, nego consequentiam; vel distinguo consequens distinctione maioris: ratio autem distinctionis est; nam principium *quo* remotum radicale dat esse effectiuè principio *quo* proximo, illudque sibi, vt principio danti esse, subordinat; & ideò perfectius ad operationem concurrit; principium autem *quo* remotum obedientiale non dat esse actiuè principio *quo* proximo, sed tantum passiuè comparatur ad illud. Vnde hoc principium proximum non subordinatur remoto, tanquam à quo accipit esse; ac proinde non exceditur ab illo in perfectione operandi.

247 *Ad quartum.* Ad quartam, concesso antecedenti, nego consequentiam; & ratio discriminis est; nam dispositio, non ideò remota dicitur, quia per proximam vt rationem disponendi ad causandam formam eleuetur, sed quia quamuis ratione sui ad talem formam disponat, subiectumque ad formam præparet, & cum forma connectatur; non tamen est ad formam inducendam sufficiens, sed alia dispositio spectatur, quæ tamen remotæ dispositioni non est virtus, qua disponat; & quia repugnat formæ naturali, supernaturalem exigere, atque cum illa connecti, repugnat dispositio, tam proxima, quam remota respectu formæ supernaturalis; vis autem mediatè actiua non exercet ratione sui influxum actiuum in supernaturalem actionem, sed spectat principium *quo* proximum, vt adæquatam virtutem proximam influendi. Vnde ratione sui non connectitur cum actu supernaturali, nec illum exposcit; ac proinde non repugnat entitati naturali habere vim remotam influendi in supernaturales operationes. Vbi obiter est aduertendum, quod sicut concedimus entitati naturali vim remotè actiuam, ita etiam debemus entitati naturali concedere vim remotè efficienter dispositiuam idest, vim remotè effectiuam actuum disponentium ad gratiam; non tamen remotam dispositionem in natura debemus agnoscere, ob rationem proximè adductam.

Ad quintum. Ad vltimam obiectionem dicatur, veram esse maiorem de principio *quo* mediato radicali, falsam autem de principio *quo* mediato obedientiali, ex quo, minori concessa, tantum infertur, intellectum non esse principium *quo* mediatum radicale visionis beatificæ, non autem quod non sit principium *quo* mediatum obedientiale operatiuum media eleuatione per formam supernaturalem.

248 *Instabis primo.* Sed instabis primo, non minus est de ratione principij remoti exigentia principij *quo* proximi, & radicatio illius, quam de ratione principij proximi exigentia operationis, & comprincipiorum, quæ ad existentiam operationis sunt necessaria; sed non est dabile principium *quo* proximè operatiuum, non exigens operationem, & concursum aliorum comprincipiorum, vt dicebamus §. 3. *& sequentibus*: ergo nec erit dabile principium *quo* mediatum, & remotum non exigens, & radicans principium *quo* proximum; & consequenter maioris distinctio est nulla. *Secundo.* Secundo, esse principium *quo* remotè, seu mediatè operatiuum, est, esse immediatè causatiuum principij proximè concurrentis, & illo mediante in operationem influere: ergo non stat, esse principium *quo* mediatè, seu remotè operatiuum, & non esse radicem principij *quo* proximè influentis in operationem.

249 *Respond. ad 1. instantiam.* Respondeo ad primam instantiam, negando maiorem, ratio autem differentiæ est: nam eo ipso, quod aliquid ratione sui sit principium *quo* proximum operationis, est proportionatum physice cum illa; ac proinde est debita operatio; & ex consequenti assistentia aliorum, quorum concursus ad operationem exigitur; stat autem, esse principium *quo* remotum non proportionatum, sed proportionabile per formam eleuantem, cuius mediatio obstat concursui per modum principij proximi, non autem influxui per modum principij remoti; & ideò stat principium *quo* remotum absque debito, seu radicatione principij *quo* proximi; non autem stare potest principium *quo* proximum absque debito operationis; & concursus aliorum principiorum.

Ad secundam. Ad secundam dicatur, verum esse antecedens de principio *quo* remoto radicatiuo; non autem de principio *quo* mediato operatiuo eleuabiliter, cuius mediata actiuitas consistit in eo, quod sit eleuabile ad agendum intra obiectum essentiale, & specificatiuum, & media forma eleuante ad actum contentum intra ambitum suæ actiuitatis essentialis, essentialisque coaptationis. Vnde hoc principium ad formam immediatam efficientem comparatur passiuè, & ad actum mediante illa eliciendum, vt principium *quo* mediatè, & remotè actiuum; nec impossibile debet censeri, ad formam eleuantem comparari passiuè, & ad operationem vt principium *quo* actiuum; sicut nec in contraria sententia inconueniens iudicatur, quod ad formam eleuantem receptiuè tantum comparatur sine actiuitate vt *quod*, & ad operationes tanquam agens *quod* referatur.

Quinto arguitur in fauorem secundi modi dicendi: 250 *Quintum argumentum contra 3. partem conclusionis.* principium *quo* proximum intellectionis supernaturalis componitur ex coaptatione essentiali potentiæ, & habitu luminis gloriæ: ergo intellectus immediatè ad visionem concurrit. Consequentia est bona; nam id immediatè in aliquem actum influit, inter quod, & actum ipsum principium operandi non mediat; eo autem ipso, quod principium *quo* proximum visionis beatificæ ex potentia, & habitu confletur, non mediat inter potentiam, & actum, aliquod principium *quo*; & consequenter immediatè influit in illum. *Antecedens probatur* h. Antecedens autem probatur primo; principium *quo* proximum intellectionis naturalis essentialiter componitur ex quantitate virtutis potentiæ, & ex essentia potentiæ: ergo principium *quo* proximum intellectionis supernaturalis, etiam constat essentialiter ex essentia potentiæ intellectiuæ, & ex quantitate virtutis, seu ex virtute potentiæ; qui est habitus luminis gloriæ.

Secundo. Secundo, quia implicat intelligere principium *quo* proximum visionis beatæ, non intellecto principio *quo* proximè intellectiuo; at principium *quo* proximè intellectiuum implicat intelligi absque essentia intellectiuæ potentiæ, & virtute talis potentiæ, quæ respectu intellectionis supernaturalis est habitus; ergo principium *quo* proximum visionis beatificæ, ex intellectu, & lumine gloriæ conflatur.

Respondeo, antecedens esse verum de principio *quo* 251 *Respondetur.* proximo adæquato visionis, prout ambit, tam proximitate potentiæ, quam proximum, seu immediatum immediationis virtutis, hoc enim ex habitu, & potentia componitur, habitu concurrente proximè, & immediatè immediatione virtutis, potentia autem proximè, & immediatè immediatione potentiæ; falsum autem de principio *quo* proximo proximitate, & immediatione virtutis; hoc namque non conflatur ex habitu, & intellectu, sed in solum lumine consistit; cum potentia hac immediatione non gaudeat, vt vidimus §. præcedenti.

Ad 1. probationem antecedentis. Ad primam probationem antecedentis, quatenus distinctioni traditæ potest obstare, concesso antecedenti, nego consequentiam: ratio autem discriminis est; nam quantitas virtutis respectiuè ad actum naturalem, non est distincta realiter ab essentia potentiæ; & idcirco intellectus v. c. non solum est se ipso immediatum principium talis operationis immediatione potentiæ, sed etiam immediatione virtutis; quia inter essentiam intellectus; & actum naturalem non mediat virtus realiter ab illo distincta, cuius oppositum respectiuè ad supernaturalem actum contingit; & *Ad secundam.* idcirco dispar est ratio respectu actus naturalis, & respectu supernaturalis. Ad secundam, concessa maiori, nego minorem: non enim est idem principium *quo* intellectiuum, & essentia ipsius intellectus, vt in solutione septimi argumenti constabit.

Sexto arguitur in fauorem tertij modi dicendi si nam- 252 *Sextum argumentum contra 4. partem conclusionis,* que ob aliquam rationem intellectus ad visionem concurreret immediatè immediatione potentiæ, maximè, quia inter illam, & actum, non mediat potentia, sed virtus; sed quod non mediet potentia, non sufficit, vt propriè dicatur immediatè, & proximè concurrere: ergo verum tenet ter-

tius

Minor prob. 1. tius modus dicendi contrarium ; & consequenter ruit quarta pars nostræ conclusionis. Probatur minor primo: nam licet entitas media, non sit potentia, sed virtus, intellectus tamen non influit in actum visionis, nisi media prædicta virtute; aliàs incideremus in sententiam Recentiorum §. 3. impugnatam: ergo non potest cum proprietate dici, intellectum immediatè in visionem influere.

Secundo. Secundo; nam si illa ratio sufficeret, sequeretur, posse dici animam rationalem proximè, & immediatè ad intellectionem naturalem concurrere immediatione radicis; at hoc est falsum; nam est implicatio in terminis: ergo idem quod prius. Probatur sequela: ideò concurrit intellectus immediatè per modum potentiæ, quia virtus medians non est potentia, sed virtus; at intellectus medians inter animam, & intellectionem, non est radix, sed potentia: ergo potest verè dici, animam ad intellectionem naturalem concurrere immediatè immediatione radicis, quod videtur, tantum esse ludere terminis, & in adiecto implicare.

253 *Respond. ad primam probationem minoris.* Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: vt propriè dicatur proximè absolutè concurrere, concedo minorem: vt propriè dicatur, proximè concurrere cum addito, nempè, proximitate potentiæ, nego minorem, & consequentiam. Contra quam distinctionem nihil obstat prima probatio minoris.

Ad secundam. Ad secundam, concedo sequelam, & nego minorem; nam licet sit implicatio in terminis, concurrere per modum radicis, & concurrere immediatè absolutè, non tamē implicat in terminis, concurrere per modum radicis, & concurrere immediatè cum addito, scilicet, immediatione per exclusionē radicis intermediæ, nec est ludere terminis asserere intellectum concurrere immediatè immediatione potentiæ, sed est explicare modum concurrendi diuersum, quem habent anima, intellectus, & lumen; nam anima concurrit mediatè mediatione potentiæ, & virtutis, intellectus solum mediatione virtutis; habitus autem luminis, etsi immediatè concurrat, non influit per modum potentiæ, sed per modum virtutis potentiæ, quæ omnia aptissimè nostris terminis explicantur; ac proinde illis vsi, non est terminis inaniter ludere, sed rem optimè, & congruentissimè explicare.

254 *Septimum & vltimum argumentum.* Denique, & magis ad rem contra vltimam partem nostræ conclusionis arguitur: forma supernaturalis medians, non solum est virtus, sed etiam supernaturalis potentia: ergo intellectus non concurrit immediatè immediatione potentiæ, idest, per exclusionem potentiæ mediantis. Antecedens probatur; idem est potentia operatiua, quod principium *quo* proximum operandi: at qualitas medians, est principium *quo* proximum operandi supernaturaliter: ergo est supernaturalis potentia.

Respondetur. Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego maiorem: species namque est principium *quo* proximum intellectionis, & habitus naturalis est principium *quo* proximum operationis naturalis, & qualitas ab intrinseco fluida, in qua auxilium sufficiens aliquando consistit, est principium *quo* proximum operationis supernaturalis; & tamen nec species, nec habitus, nec qualitas ab intrinseco fluida, potentiæ operatiuæ sunt: non ergo sufficit ad rationem potentiæ, esse principium *quo* proximum operandi, sed insuper est necessarium, esse principium *quo* ab intrinseco permanens, per quod excluditur qualitas fluida, non obiectiuè, sed ex parte agentis concurrens, per quod excluditur species; cum necessitate insupplebili, & indifferentia ad benè, vel malè, per quod excluditur habitus, qui, vel non requiritur essentialiter ad operationem, sed potest sine illo operatio elici à potentia, vel saltim non se habet indifferenter ad benè, vel malè, sed determinatè respicit bonum, si virtuosus habitus sit, vel determinatè malum, si sit habitus vitiosus. Et insuper ad rationem potentiæ requiritur, quod non solum sit principium *quo* proximum, sed etiam *quod* immediatum operandi. Vnde intellectus, non solum vt *quo*, sed etiam vt *quod* ad suum actum concurrit, & denominatur intelligens immediatè vt *quod*; habitus autem, etsi sit principium *quo* visionis, non est principium proximum *quod*; aliàs hæc esset vera propositio: *Habitus videt Deum*, quod nullus vnquam concessit; & ideò non est potentia, sed virtus potentiæ.

255 *Opponens primo.* Sed oppones primo, etiam si gratia habitualis non requiratur ad operandum supernaturaliter cum necessitate insupplebili essentialiter, nec indifferenter se habeat ad benè, vel malè operari, nec sit *quod* operans, sed tantum vt *quo* radicaliter, quia tamen est radix facultatum proximarum supernaturalis ordinis, est natura ordinis supernaturalis: ergo quamuis qualitates supernaturales proximè operatiuæ, illas conditiones non habeant, quia tamen sunt principia proxima, quibus operatur intellectus, & voluntas, erunt supernaturales potentiæ. Patet consequentia; non enim potest reddi ratio, cur conditiones illæ requirantur ad rationem potentiæ, & non requirantur ad rationem naturæ.

Secundo; si esset possibilis supernaturalis substantia creata, suas haberet potentias, nempè intellectum, & voluntas prædictæ substantiæ non essent indifferentes ad benè, vel malè operandum; foret enim impeccabilis, vt contra illam sententiam argumentantur Thomistæ: ergo de conceptu potentiæ non est indifferentia illa; & consequenter ex defectu indifferentiæ ad bonum, & malum actum, non rectè à nobis excluditur lumen gloriæ à ratione potentiæ. *Secundo.*

256 *Tertio.* Tertio, dato, quod requiratur indifferentia ad benè, vel malè, sufficiet positiua ad bonum, & permissiua ad malum; at habitus supernaturalis hanc indifferentiam habet: ergo idem quod prius. Probatur maior, non minus est defectibilitas de ratione naturæ creatæ, quam indifferentia ad bonum, & malum de ratione potentiæ; sed vt gratia sit natura creata sufficit permissiua defectibilitas: ergo vt habitus sit potentia; sufficit permissiua indifferentia ad malum. Quarto obijcies; nam iuxta D. Thom. 1. *par. quæst.* 41. *art.* 5. *ad* 1. *Potentia non significat ipsam relationem principij, alioquin esset in genere relationis, sed significat id, quod est principium; non quidem sicut agens dicitur principium, sed sicut id quo agens agit, dicitur principium*. Ergo ex mente D. Thom. non requiritur ad rationem potentiæ vt *quod* ad operationem concurrere, sed sufficit, quod concurrat vt *quo*. *Quarto. ex D. T.*

257 *Quinto.* Denique; nam sequitur ex solutione nostra, non probasse rectè D. Thom. loco allegato *art.* 4. dari in diuinis potentiam respectu actus notionalis; consequens est falsum: ergo & solutio. Probatur sequela; discursus D. Thom. iste est, potentia nihil aliud significat, quam principium alicuius actus; vnde cum Patrem intelligamus vt principium generationis, & Patrem, & Filium vt principium spirationis; necesse est, quod Patri attribuamus potentiam generandi, & Patri, & Filio potentiam spirandi; at si ad rationem potentiæ non sufficeret esse principium *quo* operationis, sed insuper, quod indifferenter ad benè, vel malè se habeat, vel quod vt *quod* ad operationem concurrat, discursus iste non concluderet intentum; cum hæc requisita potentijs generatiuæ, spiratiuæ non competant: ergo ex nostra solutione sequitur, non probasse D. Thom. quod intendebat probare.

258 *Resp. ad 1. obiectionem.* Respondetur ad primam obiectionem, concesso antecedenti, negando consequentiam; ratio autem discriminis venanda est ex rerum diffinitionibus: quia ergo ex definitione naturæ non constat, quod petat indifferentiam, vel determinationem, sed tantum, quod sit principium radicale operatiuum, & hoc saluatur in gratia habituali; fit consequens, quod ei competat ratio naturæ; quamuis indifferentia ad bonum, & malum non gaudeat, nec insupplebiliter ad operandum sit requisita; ratio autem potentiæ non consistit solum in dare facultatem proximam ad operationem. Tùm, quia aliàs species, & qualitates fluidæ potentiæ essent. Tùm etiam, quia alias non differet ab habitu; & ideò quamuis lumen gloriæ det posse proximè operari supernaturaliter, quia non gaudet dictis conditionibus, non est potentia, sed habitus. Ad secundam dicatur; quod sicut illa substantia foret, & non foret creata, ita facultates proximæ illius, forent, & non forent potentiæ. *Ad secundam.* Ad tertiam, nego maiorem; indifferentia namque permissiua mali, etiam competit habitui. Ad maioris probationem constat ex solutione primæ obiectionis. *Ad tertiam.*

259 *Ad quartam.* Ad quartam obiectionem dicatur; potentiam, nec in Deo, nec in creaturis esse agens *quod* absolutè, hoc est, per modum suppositi, quod solum absolutè denominatur *quod* agens; potentiam autem creatam esse agens vt *quod* immediatè, non ex conceptu potentiæ creatæ, & increatæ communi, sed ex conceptu creatæ; eo quod ab operatione, & à termino producto distinguitur; potentia autem increata productiua ad intra, quia à termino producto realiter est indistincta, & ab actione notionali, non potest dici agens *quod* mediatum, nec immediatum.

Ad vltimam obiectionem dicatur; potentiam posse sumi dupliciter: primo generaliter: secundo speciali- *Ad quintam.*

cialiter, prout in genere qualitatis ab alijs speciebus distincta; primo modo sumptu, idem est, quod principium *quo* operandi. Vnde ex eo quod detur in Deo in principium *quo* producendi Filium, & Spiritum Sanctum, rectè concluditur, esse potentiam in Deo. Sumpta secundo modo, non conuertitur cum principio *quo* operandi, sed est inferior ad illud; & consistit in principio operandi, se tenente ex parte agentis, per quod ab specie distinguitur ab intrinseco permanente, quo distinguitur ab auxilio indispensabiliter requisito; & indifferente ad bene, vel male, quo se cernitur ab habitu. Vnde neganda est sequela; nam intentum D. Thom. non erat, probare potentiam in Deo de genere qualitatis ab alijs speciebus huius generis distinctam, sed potentiam sumptam generaliter, prout à relatione distinguitur, & cum principio *quo* operatiuo conuertitur, & hoc suo discursu euidenti illatione probaui.

260 *Instabis primo.* Instabis primo; sequi ex ista solutione, non probasse D. Thom. potentiam, prout distinctam ab habitu in diuinis reperiri; consequens est falsum: ergo & solutio. Probatur sequela; potentia differt ab habitu per indifferentiam ad bene, vel male operandum; non sic probatur *Secundo*, Deo conuenire potentiam: ergo non ostenditur, illi conuenire potentiam, prout ab habitu distinctam. Secundo, nam etiam sequitur, lumen gloriæ esse potentiam proprie, & in rigore acceptam; consequens est contra Nos: ergo idem quod prius. Probatur sequela, potentia generaliter sumpta, pro principio *quo* operandi, est in rigore potentia; aliàs D. Thom. suo discursu non probasset potentiam strictam in Deo; sed lumen gloriæ est principium *quo* proximum, adæquatum visionis beatificæ: ergo est in rigore potentia.

Respondetur ad primam instantiam, negando sequelam: ad probationem distinguo maiorem: est distinctiuum potentiæ sub genere qualitatis contentæ, & hoc genus diuidentis, concedo maiorem: potentiæ excommuni potentiæ conceptu, nego maiorem: & concessa minori, vel nego consequentiam, vel distinguo consequens; potentiam contentam in genere qualitatis, concedo consequentiam: sub communi conceptu potentiæ, nego consequentiam. Ad secundam, nego sequelam: ad probationem distinguo maiorem: potentia extra genus qualitatis existens: concedo maiorem: potentia de genere qualitatis, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: nam cum lumen gloriæ sit potentia de genere qualitatis, vt stricta potentia sit, non sufficit esse principium *quo* proximum, sed insuper desiderantur alia, quæ superius explicuimus, & lumini, alijsque habitibus supernaturalibus non competunt. Et hæc de illa disputatione sufficiant. 261 *Respond. ad 1. instantiam.* *Ad secundam.*

DISPVTATIO XVII.

Vtrum diuina essentia, vel diuinus intellectus possit se ipso vniri cum intellectu creato, vt principium *QVO* ipsum eleuans ad elicientiam visionis?

§. I.

Defenditur vera sententia.

Nu. 1, *Conclusio.* IMPLICAT *prædicta vnio cum intellectu creato*. Ita frequenter Thomistæ disputatione præcedenti relati pro nostra sententia; nec dissentiunt meo iudicio Doctores Societatis; nam licet teneant, posse concursum luminis gloriæ suppleri per auxilium extrinsecum, nullus tamen, quem viderim, docuit, posse diuinam essentiam, aut diuinum intellectum vniri intellectui creato per modum principij *quo* eleuantis illum, potentemque constituentis ad elicientiam visionis.

2 *Probatur primo ex D. Tho.* Quidquid tamen sit de hoc, probatur nostra conclusio primo ex D. Thom. *locis disput. præcedenti relatis*, asserente, esse impossibile, quod voluntas creata eliciat actum charitatis mediante Spiritu Sancto, sine aliqua forma creata illam intrinsece eleuante; vbi D. Thom. loqui de impossibili, non solum de lege ordinaria, sed etiam de potentia absoluta, patet; nam quoties D. Thom. probat impossibilitatem ratione ducente ad implicationem contradictionis, & ad veritatem duarum contradictoriarum, loquitur de impossibili de potentia absoluta; id enim solum negatur omnipotentiæ Dei, ex cuius positione colligitur veritas duarum contradictoriarum; at impossibilitatem amandi voluntatem Deum mediante Spiritu Sancto, sine forma intrinsece inhærente, probat D. Thom. ex eo quod, aliàs verificarentur duæ contradictoriæ, nempè, actum charitatis fore, & non fore voluntarium: ergo sentit, esse impossibile, non solum de lege ordinaria, sed etiam de potentia absoluta. Et consequenter id ipsum est affirmandum de vnione diuinæ essentiæ cum intellectu creato, vt principium *quo* ipsum eleuans, & potentem proximè constituens ad elicientiam visionis.

3 *Secundo probatur ratione.* Secundo probatur ratione: id enim, quo aliquid, vt principio operatur, necessario vnitur vt forma; sed Deus nequit se ipso intellectui vniri vt forma: ergo nec potest esse principium quo intellectus operatur; & consequenter nequit illi vniri vt principium *quo* ipsum eleuans ad eliciendam visionem beatificam. Vtraque consequentia euidenter infertur; præmissæ autem indigent probatione. Maior est D. Thom. 2. *contra Gentes cap. 59. & 1. par. quæst. 76. art. 1.* eamque tradidit Aristoteles 2. *de anima textu 29.* vbi probat, animam vniri corpori vt formam; quia est id, quo viuit, & operatur corpus; principium autem, quo aliquid operatur, ei vnitur tanquam forma. Et probatur ratione D. Thom. vnumquodque enim operatur in quantum est in actu; ergo id quo, vt principio aliquid operatur, constituit illud in actu; & consequenter illi vnitur, vt forma; constituens enim aliquid in actu, vt actus, & forma comparatur ad illud. Deinde; nam operari, sequitur ad esse existentiæ, vt conditionem, & ad esse essentiæ, vt rationem formalem præcontinendi, & consequenter eliciendi operationem: ergo non potest principium *quo* operandi non constituere operans in aliquo esse; cumque non constituat vt materia; hæc namque, non agendi, sed recipiendi est principium, constituere debet vt forma. *Maior probatur ex Aristotele.* *Ex D. Th.* *Ratione;*

4 *Minor probatur etiam ex D. Th.* Minor etiam argumenti facti traditur à D. Thom. 1. *Contra Gentes cap. 27. & 4 Contra Gentes cap. 51.* vbi docet, Deum etsi possit esse forma intellectus in esse intelligibili, non tamen posse esse formam intellectus in esse naturali. Et probatur ratione D. Thom. nam forma in esse naturali, simul cum extremo, cui vnitur, aliquam naturam constituit, ad quod incompletio constituentium requiritur: at diuina essentia vtpotè omnino completa, & perfecta, non potest alicui vniri ad constituendum cum illo aliquam vnam naturam: ergo non potest alteri vniri, vt forma in esse naturali.

5 *Respondebis 1. Contra 1.* Respondebis forte primo, maiorem argumenti esse veram, loquendo ex natura rei, & secundum legem ordinariam; non autem loquendo de potentia absoluta; & priori modo loquutos fuisse Aristotelem, & D. Thom. Sed contra primo; nam implicat contradictionem, quod aliquid actu agat quin præsupponatur continens operationem in actu formali, aut eminentiali; aliàs operaretur, & non operaretur; cum sine præcontinentia, esset impotens operari; sed etiam implicat præcontinentia operationis ratione principij *quo* non vniti vt forma: ergo implicat esse principium *quo* operationis, & quod non vniatur subiecto operanti vt forma;

ma. Probatur minor, præcontinentia operationis in actu formali, aut eminentiali, sequitur, vt supra dixi, & omnibus est per se notum, ad esse existentiæ per modum conditionis; & ad esse entitatiuum, vt ad rationem formalem: ergo implicat esse principium *quo* continentiæ operationis, quin det subiecto operanti, aliquod esse entitatiuum; sed dare esse entitatiuum, implicat absque vnione per veram informationem: ergo implicat præcontinentia operationis ratione principij *quo* non vniti, vt vera forma.

6 *Secundo.* Secundo; nam si principium *quo* operatiuum informationem non peteret, etiam de potentia absoluta, posset Deus vniri, vt principium *quo* radicale operationum animæ rationalis, & vt principium *quo* proximum elicitiuum operationum nostri intellectus; consequens omnino implicat; aliàs posset aliquid intelligere sine anima, & sine intellectu, diuina essentia vnita per modum principij *quo* radicalis, & proximi intellectionis, quod nullus Theologorum asseruit: ergo idem quod prius. Probatur sequela; nam ea sola ratione non potest Deus vniri per modum principij *quo* radicalis, & proximi intelligendi; quia ad istum modum vnionis præexigitur informatio, & constitutio in esse naturali substantiali, & accidentali, quod diuinæ essentiæ repugnat: ergo si ista vnio ad principium *quo* operatiuum necessaria non est, in casu de potentia absoluta, nulla erit repugnantia in hoc, quod diuina essentia vniatur, vt principium *quo* radicale, & proximum viuendi, & intelligendi.

7 *Respondebis.* Respondebis, rationem repugnantiæ, vt intellectio eliciatur, sine anima, & intellectu, non esse illam, quæ assignatur à nobis, sed quia sunt principia vitalia; principium autem vitale debet ab intrinseco in esse, & sine illo operatio nequit existere; quia essentialiter ab illo dependet. *Contra.* Sed contra; nam licet principium vitale *quo* proximum petat, non solum intrinsecè, sed etiam ab intrinseco conuenire; principium autem vitale *quo* radicale non exposcit conuenire ab intrinseco, sed solum intrinsecè, vt constat in anima rationali, quæ est principium *quo* radicale viuendi intellectualiter, quin constituto per ipsam ab intrinseco conueniat, hoc est, ab illo dimanet; at hoc quod est intrinsecè conuenire operanti, etiam est commune principio *quo* non vitali: ergo si potest Deus vniri, vt principium *quo* non vitale operationis absque intrinseca informatione, poterit etiam vniri vt principium *quo* radicale vitale; & consequenter vniri poterit, vt principium *quo* radicale operationum animæ rationalis absque interuentu rationalis animæ. Probatur minor, nam principium *quo* intrinsecè conuenire, ad hoc desideratur, vt det agenti intrinsecam continentiam effectus; sed intrinseca effectus continentia, non solum in agente, sed etiam in non vitali requiritur: ergo principium *quo* intrinsece conuenire, commune est vitali, & non vitali agenti.

8 *Respondebis secundo principali argumento.* Respondebis secundo, maiorem argumenti esse veram de principio *quo* primo aliquid operatur, vt est anima rationalis respectu suarum operationum; non autem de principio *quo*, non primo, sed primum supponente, & illud ad operandum iuuante; hoc namque non petit essentialiter vnionem formæ constituentis in aliquo esse, sed potest absque tali informatione iuuare; & hoc secundo modo Deum se ipso eleuaturum intellectum creatum, in casu de potentia absoluta, in quo sine forma creata intellectum eleuaret ad elicientiam actus visionis beatæ. *Contra 1.* Sed contra primo, nam intellectus non est principium *quo* primum homo instituitur potens intelligere, sed principium *quo* secundum; & tamen implicat, Deum se ipso vniri animæ per modum intellectus ipsam constituentis proximè potentem intelligere, absque præuia vnione, vt forma: ergo maior argumenti facti, *Secundo.* non solum est vera de principio *quo* primo aliud non supponente, sed etiam de principio *quo* secundo supponente allud principium. Secundo, non principium *quo* primum, ideo petit vnionem per modum formæ, quia tribuit primam præcontinentiam effectus; sed etiam principium *quo* secundum tribuit operanti præcontinentiam effectus: ergo etiam petit intrinsecè vniri, vt forma.

9 *Tertio.* Tertio, nam Deus se ipso vnitus intellectui, vt principium *quo* eleuatiuum, & elicitiuum actus visionis, præstare necessario deberet præcontinentiam intrinsecam, talis actus; at præcontinentia intrinseca, siue prima, siue secunda sit, nec esse, neque intelligi potest absque vnione, vt forma intrinseca; ergo quamuis vnio ista non sit vt principium *quo* primum, sed vt principium *quo* secundum, informationem exposcit. Et consequenter diuinæ essentiæ repugnat. Minor ex iam dictis constat: nam talis præcontinentia sequitur ad esse essentiæ, vt ad rationem formalem; ergo implicat, cum intrinseca sit, præstari ab aliquo principio *quo* non dante aliquid esse essentiæ; & consequenter non vnito per veram informationem.

Maior autem probatur, nam Curiel nobis in hac parte contrarius, non concedit intellectui vim partialiter actiuam respectu visionis beatificæ, nec quantitatem virtutis; eo quod ratione sui non præcontinet in actu formali, aut eminentiali intellectionem supernaturalem, sed tantū intellectui concedit coaptationem essentialem. Ita expressè docet prædictus Magister 1. 2. *quæst.* 5. *art.* 5. *dub. vnico* §. 6. *conc.* 1. & 2. at vt intellectus eliciat visionem beatificam, indispensabiliter petitur præcontinentia intrinseca in actu formali, aut eminentiali, visionis eliciendæ; aliàs non procederet ab illo vitaliter: ergo Deus se ipso intellectui vnitus, in casu de potentia absoluta, vt principium *quo* ipsum eleuantes, necessario illi præstare deberet præcontinentiam intrinsecam visionis eliciendæ. 10 *Maior probatur.*

Denique principaliter suadetur conclusio; intellectus ratione sui non habet respectu supernaturalis intellectionis quantitatem virtutis, sed solum coaptationem essentialem, vt expressè docet Curiel loco proximè allegato, & disputatione præcedenti monstrauimus: ergo implicat, quod eliciat visionem beatificam sine aliqua forma creata ipsum eleuante intrinsecè per solam vnionem Dei, vt principij *quo* eleuantis. Probo consequentiam, calor intensus vt *quatuor*, ratione suæ entitatis, seu essentiæ, habet coaptationem essentialem ad producendum calorem intensionis vt *octo*, & solum deficit illi, ad calorem vt *octo* efficiendum, quantitas virtutis, vel gradualis intensio vsque ad *octo*, et expressè docet Curiel loco proximè allegato §. quinto, in prima suppositione; & tamen implicat, calorem intensionis vt *quatuor* reddi proximè potentem ad producendum calorem intensionis vt *octo*, per modum causæ principalis, diuina essentia illi vnita, vt principio *quo* productiuo, sine intensione intrinseca vsque ad octauum gradum caloris: ergo implicat, intellectum ratione sui habentem respectu intellectionis supernaturalis solam essentialem coaptationem, & non quantitatem intensiuam virtutis, reddi proximè potentem ad elicientiam visionis, per diuinam essentiam, vt principium *quo* vnitam, absque superadditione alicuius formæ creatæ ipsum efficientis, & informantis intrinsecè. 11 *Vltimo probatur conclusio.*

Respondebis, negando consequentiam: & rationem discriminis reddes: nam Deus se ipso est lumen gloriæ, & actualis visio; & ideo potest intellectui vniri vice luminis creati, illius effectum supplendo; non autem est Deus se ipso calor, aut calidus; ac proinde vniri nequit cum calore supplendo vices intensionis gradualis ad similem intensionem in altero subiecto producendum. Sed contra primo; nam principium *quo* effectiuum non petit continentiam formalem effectus, sed hanc, vel eminentialem; sed Deus est calidus eminenter, quo circa se solo calorem efficienter producere potest: ergo quamuis non sit calidus formaliter, poterit calori vniri, vt principium *quo* caloris intensioris productiuum; nisi ex alio capite obstet, vel ex eo quod non potest vniri, vt forma, quod ad principium *quo* omnino indispensabiliter est necessarium; & consequenter etiam illi repugnabit vniri, vt principium *quo* visionis effectiuum. Secundo, nam licet Deus formaliter sit lumen increatum, non tamen est formaliter, sed solum eminenter lumen creatum; & tamen in sententia contraria vnitur intellectui per modum principij *quo* creatæ visionis, seu intellectionis: ergo licet non sit formaliter calidus, sed tantum eminenter poterit, si aliud non obstet, vniri alicui subiecto, vt principium *quo* effectiuum caloris. 12 *Respondebis.* *Contra.*

§. II.

Contraria sententia cum suis fundamentis proponitur.

SENTENTIAM nostræ conclusioni contrariam docuere noster Vincentius *reiectione de gratia Christi quæst.* 1. *dicto* 3. *post* 6. *con. folio mihi* 89. Et Curiel *Tractatu de visione Dei* 1. *par. quæst.* 12. *art.* 5. *dub.* 2. vbi docet, Deum se ipso posse intellectui beatorum vniri per modum luminis, pro qua sententia argumentari possumus primo: quia namque Deus est subsistens per essentiam, 13 *Primum argumentum contraria sententia.*

essentiam, potest vniri naturæ creatæ per modum subsistentiæ, & de facto, vt docet fides, vnitus fuit humanitati Christi secundum esse personale Verbi; & quia est per essentiam existens, & suum esse, vniri potest naturæ creatæ sub conceptu existentiæ, ipsam existentem constituendo, & de facto fuit sic vnitum diuinum esse humanitati Christi, vt cum D. Thom. docent nostri Thomistæ *3. p. quæst. 17. art. 2.* Sed Deus est lumen gloriæ per essentiam: ergo potest vniri voluntati nostræ per modum luminis; & consequenter vniri potest illi, vt principium *quo* eliciriuum visionis beatificæ.

14 *Respondetur.* Respondeo, negando causalem maioris vt adæquatam: nam licet vt diuina essentia subsistentem, & existentem possit reddere naturam creatam, requiratur, quod sit per essentiam subsistens, & existens, & sua subsistentia, & existentia; hoc tamen non est adæquata causa, vt ita vniri possit, sed insuper, quia in hoc, quod est, sic vniri, nulla imperfectio importatur; licet autem Deus suum lumen sit; & lumen per essentiam, quia tamen in hoc, quod est per modum luminis vniri, involuitur imperfectio, quam explicuimus nostram confirmantes sententiam, ideo non potest per modum luminis vniri.

15 *Dices.* Sed dices, sicut lumen vt sic nullam in suo conceptu inuoluit imperfectionem, & lumen creatum illam dicit, ita existentia vt sic, nullam dicit imperfectionem, existentia autem creata imperfectionem importat; sed licet existentia creata imperfectionem importet, potest diuina existentia existentem constituere naturam creatam, quin ex hoc aliqua imperfectio sequatur in illa: ergo quamuis lumen creatum imperfectionem importet, poterit nihilominus lumen increatum, & per essentiam absque vlla imperfectione vniri intellectui creato sub conceptu luminis, & illum constituere potentem intelligere.

16 *Respondetur.* Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam; nam licet existentia creata imperfectionem importet; in hoc tamen quod est, esse existentiam creaturæ, per quam constituatur existens, nulla elucet imperfectio; non sic in hoc, quod est esse lumen creaturæ illam constituens intelligentem, aut potentem intelligere, in quo maxima imperfectio importatur. Et ratio differentiæ est; nam de conceptu existentiæ est, vel identitas cum eo, cuius est existentia, vel illius terminatio: existentia namque sub conceptu existentiæ, est terminus naturæ, & quia nulla est imperfectio, vniri cum natura creata per modum termini illius, nulla elucet imperfectio in hoc, quod est esse existentiam creaturæ: de ratione autem luminis, vt dantis posse intelligere, est, vel identitas cum intelligente, vel illius informatio; & quia in identitate cum intellectu creato, & in eius informatione, maxima imperfectio importatur, fit, vt de conceptu luminis intellectus creati, ei dantis posse proximè intelligere, imperfectio maxima sit repugnans intellectui increato.

17 *Instabis.* Instabis, vnio per informationem, non dicit imperfectionem: ergo quamuis de conceptu principij *quo* eleuantis intellectum creatum, sit intrinseca informatio illius, non repugnabit diuinæ essentiæ, aut diuino lumini hæc vnio. Probatur antecedens; si aliqua imperfectio esset, maximè dependentia à subiecto informationis, & à toto constituto, & intrinseca incompletio; sed potest informatio ab istis imperfectionibus vendicata reperiri, vt de prima constat in anima rationali, quæ absque dependentia à toto, & subiecto, illi per informationem vnitur; & de secunda probatur; non enim magis necessaria videtur incompletio, seu partialitas ad constituendum totum aliquod per informationem, quam per terminationem; suppositum autem Verbi simul cum natura humana compositum constituit per terminationem absque ratione partis, & incompletione: ergo de conceptu vnionis per informationem non est aliqua imperfectio.

18 *Respond.* Respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem: de ratione namque formæ vnitæ per informationem, est dependentia à toto, nec anima rationalis ab imperfectione dependentiæ est immunis; nam licet quoad subsistentiam non dependeat à toto composito absolutè, quia potest separata ab illo existere; in statu autem coniunctionis cum corpore, à toto in subsistendo pendet; quia subsistit per subsistentiam totius; dependet etiam ab illo in genere causæ finalis; est etiam de conceptu informationis incompletio, & partialitas; quia forma informans, aliquam naturam constituit, quæ verè totum est, & ex partibus componitur; ac proinde incompletionem, tam in materia, quam in forma supponit; quo circa vnio duarum naturarum in Christo non fuit, nec esse potuit in natura: quia ad hoc incompletio, & partialitas necessaria erat in extremis componentibus; id autem, quod per modum hypostasis terminantis, & personam constituentis vnitur, nec pars est, nec incompletionem petit, etsi incompletionem in natura terminata supponat.

Secundo arguitur, & instatur contra solutionem datam; de facto diuina essentia, vnitur mentibus beatorum per modum principij *quo* intellectionis; & tamen non vnitur illis per modum formæ informantis: ergo de ratione principij *quo* operatiui, non est vniri per modum formæ informantis. Probatur maior; de facto vnitur illis per modum speciei impressæ, vt docet D.Thom. *in hac quæst. 12. art. 2.* at species est intellectui principium *quo* intelligendi: ergo vnitur mentibus beatorum per modum principij *quo* intelligendi. Probatur minor: species in frequentiori Thomistarum sententia concurrit ad intellectionem effectiuè: at non concurrit vt *quod*: ergo concurrit vt principium *quo* intelligendi. 19 *Secundum argumentum.*

Hoc argumentum difficultate caret in illorum sententia, qui speciei impressæ denegant effectiuum, & solum concedunt obiectiuum concursum. Et in aliorum sententia, asserentium, quod licet species impressa accidentalis effectiuè concurrat, quando autem substantialis est, efficientiam respectu intellectionis non habet, vt in substantia Angeli, quæ ad sui cognitionem proprio intellectui deseruit per modum speciei, & diuina essentia mentibus beatorum vt species vnita. Et denique in aliorum iudicio docentium, quod quamuis creata species, siuè substantia sit, siuè accidens, effectiuum ad intellectionem præstet concursum; quando autem increata est, & vnitur intellectui creato, efficientia ad intellectionem non gaudet. 20 *Referuntur sententiæ huius argumenti difficultatem fugientes.*

Quia tamen probabilius est inter D. Thom. Discipulos, omnem speciem, siuè accidentalem, siuè substantialem, siuè creatam, siuè increatam efficienter ad intellectionem concurrere. Ideò hac sententia supposita, ad argumentum factum respondeo, distinguendo maiorem: per modum principij *quo* eleuantis intellectum, & dantis illi virtutem, ratione cuius præcontineat in actu primo visionem beatificam, nego maiorem: per modum principij *quo* iuuantis intellectum ad illam, & ex parte obiecti se tenentis, concedo maiorem: & concessa minori, distinguatur consequens distinctione maioris: nam principium *quo* eleuans, & ex parte potentiæ se tenens, præbet illi intrinsecam præcontinentiam effectus, qua ante carebat, & cum continentia actionis, vel effectus, ad esse essentiæ, vt rationem formalem sequatur, debet vniri per modum formæ in esse naturali; & consequenter per modum formæ informantis; & quia intellectus ratione sui non continet supernaturalem intellectionem, fit, vt lumen hanc præcontinentiam præstans, debeat illum physicè informare; ac proinde, quod diuinæ essentiæ repugnet per modum luminis vniri. Species autem non dat intellectui vires, nec virtutem, aut præcontinentiam intellectionis, sed hac præcontinentia supposita, simul cum intellectu ad intellectionem concurrit, per modum principij cum intellectu ex parte obiecti concurrentis, & intellectum per modum compartialis causæ ad intellectionem iuuantis; & ideò vnionem per modum formæ physicè informantis non petit; & consequenter diuinæ essentiæ munus speciei, & vnio cum intellectu per modum speciei impressæ non repugnat. 21 *Respond.*

Quam doctrinam paucis verbis complexus est D. Th. *3. contra Gentes cap. 51.* vbi de diuina essentia sic habet: *Nec tamen potest esse forma alterius rei secundum esse naturale; sequeretur enim, quod simul, cum aliquo vnita, constitueret vnam naturam, quod esse non potest; cum diuina essentia in se perfecta sit in sui natura; species autem intelligibilis vnita intellectui, non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni diuinæ essentiæ non repugnat.* Quod accipiendum non est de perfectione dante intellectui virtutem, sed de perfectione per modum coadiuuantis, & simul cum intellectu ex parte obiecti concurrentis, & ad intellectionem complentis. Sic etiam accipio doctrinam Ferrariensis *2. Contra Gentes c. 59.* Et *3. Contra Gentes cap. 51. §. Ad primum horum,* vbi docet, non posse Deum vniri per modum principij *quo* primi, aut per modum potentiæ; benè autem per modum principij *quo* complentis, & perficientis. Quæ solutio expressa est Magistri Soto *in 4. dist. 49. q. 2. art. 4.* versu *Vnde ad argumentum proximè factum.* 22 *Doctrina est D. Th.* *Ferrar.* *M. Soto.*

Sed oppones, intellectus beati, prout actuatus lumine gloriæ, non præcontinet vltimam differentiam visio- 23 *Oppones.*

visionis; & vt per diuinam essentiam determinatus præcontinet illam: ergo diuina essentia, vt gerentes munus speciei, est intellectui ratio præcontinendi visionem secundum vltimam differentiam illius; & consequenter non solum est principium *quo* adiuuans intellectum, & ex parte obiecti se tenens, sed etiam est principium *quo* dans virtutem intellectui, absque omni informatione. Probatur maior; si intellectus ratione luminis præcedenter ad vnionem diuinæ essentiæ per modum speciei, contineret vltimam differentiam visionis beatificæ, non concurret ad illam efficienter essentia diuina, vt gerit munus speciei; cum omne prædicatum in beatifica visione repertum, præcontentum supponatur in intellectu ratione luminis gloriæ; & consequenter sit causa adæquata illius in genere causæ efficientis; at in sententia supposita, diuina essentia, prout gerit munus speciei, efficienter ad intellectionem concurrit: ergo intellectionem ante vnionem speciei, non præcontinet ratione luminis vltimam differentiam visionis.

24 *Respond.* Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem, nego sequelam, quæ non conuincitur probatione ibi facta; quando namque duo concurrunt ad aliquem effectum partialiter partialitate causæ, non est necessarium, vt prædicatum aliquod contineatur in vna, quod non contineatur in alia; hoc enim esset confundere partialitatem causæ cum partialitate effectus, sed quoad licet omne prædicatum in vtraque contineatur, sit cum dependentia vnius ab alia in ordine ad causandum effectum; sicuti duo portantes pondus, totum effectum producunt cum dependentia vnius ab alio in portando. Sic igitur in præsenti, intellectus ante determinationem per speciem, præcontinet totam visionem, non tanquam causa totalis, sed partialis partialitate causæ; quia illam continet cum dependentia à concursu effectiuo speciei, hoc exigente visione ob rationem sibi, & omnibus actibus intellectus communem, quod scilicet, petat ab obiecto, & potentia procedere, iuxta illud commune Metaphysicorum proloquium: *ab obiecto, & potentia paritur notitia*.

25 *Tertium argumentum.* Tertio arguitur; potest diuina essentia vniri humanæ naturæ per modum radicis intelligendi, & volendi absque præuia vnione per modum formæ informantis: ergo etiam absque informatione vniri poterit intellectui creato per modum principij *quo* proximi intelligendi. Consequentia est euidens. Antecedens autem probatur; nam de facto fuit vnita humanitati Christi sub conceptu formæ sanctificantis: ergo etiam sub conceptu radicis videndi, & amandi Deum. Patet consequentia; effectus sanctitatis prouenit à natura diuina sub conceptu naturæ, vt supponimus *ex 3. parte quæst. 7.* at natura diuina consistit formaliter in radice virtuali intellectionis, & volitionis, vt probabilius censuimus *supra Tractatu primo Disputatione 4.* ergo fuit illi vnita sub conceptu radicis videndi, & amandi Deum.

26 *Respond.* Hoc argumentum tangit quæstionem difficilem de sanctificatione humanitatis Christi per gratiam vnionis, de qua *3. p. quæst. 7.* quam fusè ibi examinabimus: pro nunc breuiter respondemus, negando antecedens. Ad probationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad cuius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Natura namque diuina sub conceptu naturæ habet duos inadæquatos conceptus, scilicet, radicis vitalis, & sanctitatis, vel duo munia inadæquata, nempè radicis essendi, & sanctificandi; & vnitur sub munere sanctitatis, quia huius est capax humanitas, non autem sub conceptu radicis, aut vitæ radicalis diuinæ, quia huius incapax est; sicut natura, quæ in multorum sententia absque virtuali distinctione est intellectio, intellectus, & species intelligibilis, vnitur mentibus beatorum sub conceptu speciei, & non sub cóceptu intellectionis, & personalitas Verbi, quæ absque virtuali distinctione refert, & constituit hypostasim, vnita fuit humanitati Christi sub conceptu, & munere constituentis personam, & non sub conceptu referentis, ita natura diuina vnita fuit humanitati Christi sub conceptu, & munere sanctitatis, non autem sub conceptu vitæ radicalis. Sed de his fusiùs, dum formam sanctificantem humanitatem Christi examinabimus.

Denique arguitur; stat, intellectum creatum transire de non continente in continentem in actu primo visionem beatificam absque intrinseca sui mutatione: ergo etiam absque informatione intrinseca principij *quo* eleuantis, & dantis continentiam; & consequenter de ratione principij *quo* eleuantis, & dantis præcontinentiam, vnio per informationem non est. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur, & prima ex antecedenti; non enim stat noua intrinseca informatio absque mutatione intrinseca. 27 *Vltimum argumentum.*

Antecedens autem probatur; calor namque ratione sui non præcontinens ignem, ex coniunctione ad ignem redditur præcontinens illum, quin per talem coniunctionem intrinsecè in se mutetur, nec recipiat aliquid intrinsecum; phantasma ex coniunctione ad intellectum agentem, præcontinet species impressas, quas ratione sui non præcontinebat, quin etiam ex tali coniunctione mutetur intrinsecè; virtutes electiuæ ex coniunctione ad charitatem, nulla intrinsecam mutationem recipiunt; & tamen ex illa præcontinentes redduntur attingentiam finis charitatis, quam ratione sui non præcontinebant; anima Christi ex coniunctione ad Verbum, est potens patrare miracula, quæ ratione sui patrare non poterat, quin ex tali coniunctione aliquid recipiat intrinsecum, quod antea non habebat. *Antecedens pro. multiplici parte.*

Ac denique, semen humanum ex se non præcontinens peccatum originale, redditur præcontinens illud, & potens illud causare ex subordinatione ad primi parentis peccatum, quin ex tali subordinatione mutetur intrinsecè; aliàs morbidam illam qualitatem à Theologis reprobatam contra Ariminensem reciperet: ergo stat transitus de non continente intrinsecè effectum in continens illum intrinsecè absque intrinseca mutatione; & consequenter stabit, intellectum creatum transire de continente visionis actum, in intrinsecam continentiam illius, quin intrinsecè mutetur. 28

Respondeo, negando antecedens, nec probatur exemplis adductis: non primo; nam calor ex natura sua subordinatur igni, tanquam virtus illius; vnde agit in virtute ignis intransitiuè, vt inquit Caietanus, non transitiuè, idest, non recipiendo aliquid ab igne, quo potens reddatur, sed per hoc, quod ex propria natura subordinatur igni, tanquam virtus illius; quando autem aliquid ex propria natura subordinatur alteri, vt principalis agenti, non est necessarium, quod recipiat aliquid à se ipso distinctum, vt illius effectum attingat; nec tunc verificatur transitus de non continentia in continentia intrinsecam absque intrinseca mutatione; quamvis namque verum sit, calorem virtute propria non continere ignem, sed in virtute ignis; non tamen est verum, entitatem caloris non continere intrinsecè ignem; illum namque intrinsecè continet, non virtute propria, sed in virtute ignis intransitiuè, vt inquit Caietanus. Per quod ad secundum exemplum patet solutio; phantasma namque se ipso est virtus intellectus agentis ad specierum productionem. De virtutibus electiuis, an aliquid intrinsecum à charitate recipiant, dicendum est *Tract. de Charitate*. 29 *Respond.*

Ad illud autem de anima Christi, dicatur, non patrare miracula ratione diuinitatis, vt formæ, sed ratione specialis motionis assistentis animæ Christi ob exigentiam, non physicam, sed moralem diuinitatis coniunctæ. Semen etiam humanum non est instrumentum physicum causatiuum peccati originalis; cum enim non in aliquo physico, sed in aliquo morali consistat, vt *Tractatu de peccato originali* fusè tradidimus, causam physicam, nec principalem, nec instrumentalem, non postulat, sed tantum moralem, quæ est peccatum Adami, quatenus fuit posterorum, moraliter perseuerans, quia non dimissum à Deo, semine deciso ab Adamo concurrente solum vt conditione respectu traductionis originalis culpæ, & vt causa instrumētalis coniunctionis animæ ad corpus: de quo fusè egimus *loco allegato*. Et hac de ista Disputatione sufficiant. 30 *Reliquis exemplis fit satis.*

DISPVTATIO XVIII.

Vtrùm intellectus creatus possit de potentia absoluta elicere visionem beatificam sine lumine gloriæ creato?

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio.

Nu. 1. *Punctus difficultatis apperitur.*

CONSVLTO sub his terminis difficultatem propono, vt abstineam modò ab illa quæstione, an, videlicet, possit intellectus creatus Deum videre per visionem à solo Deo in ipso causatam merè passiuè se habente intellectu; de qua agemus Tractatu de Beatitudine. Et ab alia, an, scilicet, per ipsam intellectionem increatam intimè intellectui vnitam possit Deum intuitiuè videre, de qua fusè agemus Tractu de Scientia Christi; & partem negantem cum communi Thomistarum sententia defendemus. Quod ergo in præsenti inquirimus, est, an Deus sua vtens absoluta potentia possit facere, quod intellectus creatus elicitiuè ad visionem concurrat, Deumque videat per visionem a se elicitam absque aliqua forma creata ipsum eleuante intrinsecè, eique intrinsecè inhærente.

2 *Prima sententia.* *Scot. Palud. Argent. Carthus. Durand. Vincent.*

In quo omnes Theologi *Disputatione* 16. pro prima sententia relati affirmatiuam tenent sententiam, secuti Scotum *in 4. distinctione 49. quæstione* 11. Paludanum *quæstione prima articulo tertio*. Argentinam *quæstione secunda articulo primo*. Carthusianum *quæstione quarta*. Durandum *quæstione secunda*. Illam probabilem reputauit Vincentius *relectione de Gratia Christi quæstione sexta*. Cum hoc tamen discrimine à Discipuli Scoti, & à Doctoribus Societatis, quod isti solum desiderant simultaneum Dei concursum, vt intellectus de potentia absoluta visionem elicere possit; Vincentius autem aliquid prævium, licet non intrinsecè inhærens ad prædictam elicientiam esse necessarium defendit, vt *Disp. præc.* vidimus.

3 *Secunda sententia.* *Esse de mente D. Tho. probatur.*

Negatiuam sententiam defendunt omnes Thomistæ *Disp.* 16. pro secunda sententia relati; cum discrimine inferius videndo. Quam esse de mente D. Th. rectè ostendunt Recentiores nostri in præsenti, & constat, vt enim vidimus *Disp.* 16. D. Th. totam virtutem proximam agendi in ordine ad visionem beatificam concedit lumini gloriæ, ex quo per consequentiam contrarijs euidentem deducitur, non posse visionem elicere, etiam de potentia absoluta sine lumine gloriæ creato; & 2.2. *q.* 175. *art.* 3. *ad* 2. docet D. Thom. intellectum non posse visionem elicere sine lumine gloriæ, vel per modum habitus, vel per modum dispositionis communicato. Quod autem ibi Angelicus Doctor loquatur, non solum de lege ordinaria, sed etiam de potentia absoluta, constat clare; nam loquitur de raptu miraculoso Pauli, in quo illius intellectum fuisse illustratum lumine gloriæ per modum dispositionis transeuntis docet Angelicus Doctor, & ad istam illustrationem recurrit, vt Deum videre potuerit: ergo sentit, quod nec in casu extraordinario, & miraculoso potest intellectus creatus diuinam essentiam videre absque forma creata illi intrinsecè inhærente.

4 *Respondebis.*

Si dicas, raptum Pauli fuisse miraculosum inadæquatè, scilicet, quoad hoc, quod viator manens viderit diuinam essentiam; non autem fuisse miraculosum adæquatè, & quoad modum eleuationis; nam de facto fuit eleuatus ad Deum videndum, per qualitatem intrinsecam. In contrarium obstat; nam visionem claram Dei transeunter communicari, est miraculum: ergo intellectum eleuari ad illam per qualitatem transeunter communicatam, extraordinarium, & miraculosum est; & consequenter raptus Pauli miraculosus fuit quoad modum, quo fuit eleuatus, vt diuinam essentiam videret; nec amplius est in re manifesta *Contra*

immorandum, pro qua Nobis sufficeret Capreolum, Caietanum, Ferrariensem, aliosque Antiquos Thomistas, non cupiditate innouandi, sed sui, & omnium Magistri vestigijs inhærendi, huic sententiæ adsisse. Procuius explicatione sit.

PRIMA CONCLVSIO. *Implicat intellectum creatum elicere visionem beatificam sine forma creata ipsum eleuante intrinsece*. Hæc conclusio suadetur sic primo: implicat, intellectum visionem elicere, nisi illam in se præcontineat continentia in actu primo; sed hæc continentia implicat absque forma creata ipsum eleuante intrinsecè: ergo implicat sine tali forma visionem elicere. Discursus est euidens. Maior ipsis aduersarijs nota Minor autem probatur; nam intellectus ratione sui non præcontinet visionem beatificam, vt *Disp.* 16. monstrauimus: ergo vt illam in se præcontineat intrinsece, debet intrinsecè immutari per aliquam formam creatam. Patet consequentia; nam transitus de contradictorio in contradictorium per denominationem intrinsecam, omninò implicat absque intrinseca mutatione, & consequenter absque forma intrinseca. 5 *Prima Conclusio.* *Ostenditur primo.*

Hoc argumentum, cui potissimè fidunt Auctores nostræ sententiæ, in varias solutiones oppositos Auctores diuisit. Primo respondent, intellectum ratione sui, vt eleuationem omnem præcedit, præcontinere in se visionem beatificam in actu primo, continentia causæ instrumentalis, licet non principalis: vnde, vt illam eliciat, intrinseca eleuatione non indiget de potentia absoluta. Ita Fasolis *in præsenti dub.* 2. sequutus Suarium. Verum contra solutionem istam, præter illa, quæ *Disput.* 16. opposuimus, in hunc modum obijcio: si intellectus ratione sui instrumentaliter visionem præcontinet, non indigebit lumine gloriæ, vt illam eliciat, adhuc secundum legem ordinariam Dei; consequens est absurdum: ergo & solutio. Probo maiorem: non indiget illo, vt in se præcontineat visionem instrumentaliter; cum id habeat ratione sui, nec vt illam contineat per modum causæ principalis; cum nullum instrumentum petat talem præcontinentiam: ergo ad nihil indigebit illo; & consequenter poterit intellectus videre Deum absque lumine gloriæ de lege ordinaria, quod est omninò absurdum. 6 *Respondebis.* *Contra.*

Dices, indigere lumine gloriæ, vt contineat, & eliciat visionem, vt instrumentum connaturale, quam ratione sui solum elicit, & præcontinet, tanquam instrumentum obedientiale. Sed contra primo: nam, quia natura ratione sui præcontinet formas supernaturales per modum potentiæ passiuæ, ad nihil indiget forma eleuante, vt illas recipiat: ergo si intellectus ratione sui percontinet visionem beatificam per modum instrumentalis causæ, ad nihil indigebit eleuari per lumen, vt illam in se præcontineat, & causet. Contra secundo; nam quia Sacramenta ratione sui obedientialiter in genere causæ instrumentalis, effectus supernaturales præcontinent, non indigent forma eleuante intrinsecè, adhuc de lege ordinaria, vt fatetur Suarez: ergo si intellectus ratione præcontinet instrumentaliter visionem beatificam, ad nullum modum continendi, & causandi visionem, indigebit eleuari per lumen. 7 *Dices.* *Contra.* *Secundo.*

Secundo alij respondent, quod vt aliqua causa ad effectus productionem concurrat, sufficit, quod illum in se præcontineat continentia partiali, & incompleta: nec requiritur completa, & totalis; intellectus autem ratione sui præcontinet visioné beatificã continẽtia incõpleta, & par- 8 *Respondebis.*

tiali, atque adeò absque forma eleuante potest illam causare de potentia absoluta. Iuxta, quam doctrinam distinguunt maiorem, & minorem nostri argumenti, & negant consequentiam.

9 *Contra.* Verum præter ea, quæ *Disp.* 16. contra istos partiales concursus, & partiales continentias opposui, in hunc modum obijcio: implicat, intellectum creatum videre Deum per visionem causatam à se, quin illam causet; nedum vt vitalem, verum etiam vt supernaturalem, vt *Disp.* 16. monstraui, & contrarij fatentur: ergo quin illam in se præcontineat vt supernaturalem; sed intellectus, quamuis demus, quod ratione sui præcontineat visionem sub conceptu vitalis, illam tamen in se ratione sui nequit præcontinere sub conceptu supernaturalis: ergo vt illam vt sic præcontineat, indiget necessario eleuatione facta per lumen. Probo minorem; si intellectus ratione sui contineret visionem vt vitalem, & supernaturalem, contineret illam vt causa secunda totalis, sicut intellectionem naturalem continet tanquam causa totalis in suo ordine; quia illam continet sub omni conceptu; at hoc, nec admittunt, nec admittere possunt Auctores oppositi; aliàs visio supernaturalis non esset, sed connaturalis intellectui creato; ergo illam non continet ratione sui sub conceptu supernaturalis.

10 *Confirmatur.* Explicatur hoc amplius, etsi calor vt quatuor incompletè, & partialiter in se præcontineat calorem vt octo, quatenus continet quatuor gradus caloris; quia tamen non continet alios quatuor, in quibus exceditur, implicat effectiuè causare calorem vt octo, quin prius intrinsecè intendatur vt octo: ergo quamuis demus, intellectum ratione sui continere vitalitatem in visione repertam; quia tamen in se non præcontinet supernaturalitatem illius, implicabit, quod visionem causet vt supernaturalem, quin intrinsecè perficiatur per supernaturalem formam, ratione cuius in se præcontineat supernaturalitatem visionis.

11 *Respondebis.* Respondebis, intellectum creatum ratione suæ entitatis, non solum continere vitalitatem, sed etiam supernaturalitatem visionis vt *quod*, & materialiter, quamuis vt *quo*, & formaliter non contineat, nisi solam vitalitatem; aliàs esset causa partialis partialitate effectus, & non solum partialitate causæ, quod Auctores oppositi negant; & ideò absque forma supernaturali intrinseca potest de potentia absoluta elicere visionem beatificam. Cuius oppositum in calore vt quatuor respectu caloris vt octo opposita de causa contingit; quia nempe, nec materiali, nec formali continentia continet excessum gradualem intensiuum caloris intensi vt octo.

12 *Contra.* Sed contra, vt intellectus constituatur videns Deum per visionem beatificam, debet illam continere, prout supernaturalem continentia formali, sed sic illam ratione sui non continet, vt in solutione tradita admittitur: ergo nisi per formam intrinsecam eleuetur, implicat videre Deum. Consequentia cum minori tenet. Maior autem ostenditur primo: nam continentia competens intellectui respectu visionis, non conuenit illi ratione potentiæ naturalis, sed ratione potentiæ obedientialis actiuæ, vt contrarij Auctores fatentur, & constat; aliàs posset naturaliter videre Deum, quod est contra fidem; sed potentia obedientialis, vt talis, est in ordine ad Deum vt Authorem supernaturalem formaliter; & consequenter respicit formas supernaturales formaliter vt supernaturales; ergo debet præcontinere visionem, vt supernaturalem continentia formali, ad hoc quod per illam videns Deum constituatur. *Maior suadetur primo.*

13 *Secundo.* Secundo probatur maior; intellectus namque non potest videre Deum, quin viuat vita supernaturali formaliter; sed ad hoc non sufficit continentia formalis vitalitatis, & continentia identica supernaturalitatis: ergo debet continere continentia formali supernaturalitatem visionis. Probatur minor; etsi lumen gloriæ agat actu visionis vitali, non viuit per illum in contrariorum sententia; at hoc non alia ratione, nisi quia non continet continentia formali vitalitatem visionis, sed tantum continentia identica: ergo è contra, si intellectus non continet supernaturalitatem visionis formaliter, sed tantum identicè, non viuit vita supernaturali formali, nec potest videre visione vt supernaturali, nisi supernaturalitatem visionis contineat continentia formali.

14 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & vrgetur primo; intellectus denominatur videns à visione vt supernaturali formaliter: ergo effectiuè causat visionem prout formaliter supernaturalem, & consequenter illam prout supernaturalem continere debet continentia formali. Antecedens constat; nam intellectus videt Deum vt obiectum supernaturale: ly *vt* reduplicante rationem *sub qua*; vt sic enim obiectum visionis beatificæ, intellectus autem videt Deum, prout est obiectum visionis; sed videre Deum prout sic præstatur à visione, prout formaliter supernaturali: ergo denominatur videns à visione vt formaliter supernaturali. Consequentia autem probatur; intellectus namque denominatur à visione vt in se recepta, & vt à se causata; cum denominetur ab illa, vt ab actione immanente, & de ratione actionis immanentis sit recipi, & elici à subiecto denominato: ergo denominatur à visione sub ea ratione, qua illam effectiuè causat; & consequenter si denominatur à visione, vt supernaturali formaliter, causat illam prout formaliter supernaturalem. Patet prima consequentia; quia namque denominatur à visione vt in se recepta, recipit visionem sub ea ratione, qua denominatur ab illa; sed denominatur à visione vt à se effecta, & causata: ergo effectiuè causat visionem sub ea ratione, qua ab illa denominatur, & consequenter, si denominatur à visione vt supernaturali formaliter, causat, & continet illam prout formaliter supernaturalem.

15 *Si dicas.* Si dicas; receptionem visionis in intellectu se habere vt rationem formalem ad denominandum ipsum videntem; egressus autem ab intellectu solum vt conditio se habet ad prædictam denominationem, & ideò exigitur receptio visionis sub eandem rationem, sub qua denominationem præstat; efficientia autem non ita. In contrarium obijcio; nam in actione immanente, non solum ingreditur vt ratio formalis ad denominandum vltima differentia, per quam ab actione transeunte distinguitur, *Contra,* sed etiam ratio generica in qua conuenit cum actione transeunte; sed considerata sub conceptu generico non se habet receptio vt ratio formalis; nam ex conceptu generico non recipitur; cum actio transiens non recipiatur in agente in frequentiori sententia: ergo ratio formalis fundandi denominationem prout sic, est egressio ab agente; & consequenter ratio adæquata formalis fundandi denominationem præstitam ab actione immanente, non est receptio sola sed egressio, & receptio.

16 *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo; creatura cum Deo ad effectum simul concurrens non denominatur formaliter ab actione, qua concurrunt, prout est concursus diuinus, vt omnes fatentur; sed non ob aliam causam, nisi quia creatura non efficit illam actionem sub formalitate concursus diuini, ly *sub* dicente rationem formalem *qua*; ergo si intellectus non causat effectiuè visionem, vt supernaturalem formaliter, vt rationem formalem *sub qua*, non denominatur videns ab illa vt supernaturali formaliter. Minor probatur; creatura simultaneè concurrens, effectiuè causat omnem formalitatem actionis, qua Deus concurrit vt *quod*: ergo si non denominatur ab illa sub formalitate concursus diuini, ideò solum est, quia illam effectiuè non causat sub prædicta formalitate, vt ratione *sub qua*.

17 *Respondebis.* Respondebis, non ob hanc rationem non denominari ab actione sub formalitate concursus diuini, sed quia est denominatio physicè influentis; denominatio autem à visione, est denominatio intentionaliter in obiectum tendentis. Sed contra primo, esto ita sit, vtraque forma, vt denominet, petit à principio denominato causari: *Contra 1.* ergo esto vna sit denominatio physicè influentis, & alia denominatio tendentis intentionaliter vtraque vel neutra petit terminare efficientiam sub eadem ratione *sub qua* præbet denominationem. *Secundo.* Secundo, ad denominationem ab actione dante physicum influxum sub aliqua ratione formali, non sufficit, illam rationem efficere vt *quod*, sed petitur illam efficere vt *quo*: ergo pariter ad denominationem ab actione dante intentionalem tendentiam in obiectum sub aliqua formalitate, non sufficiet efficientia illius formalitatis, sed exigetur efficientia sub illa vt ratione *sub qua*.

18 *Secundo. suadetur conclusio.* Secundo principaliter suadetur conclusio; auxilium extrinsecum ponitur à contrarijs in voluntate Dei concurrendi ad visionem simul cum intellectu; at per hanc voluntatem extrinsecam implicat, intellectum reddi potentem ad eliciendam visionem; ergo & absque forma creata ipsum intrinsecè eleuante. Discursus tenet. Maior, contrarios legenti Auctores, constabit. Minor autem ostenditur primo; *Minor suadetur primo.* simultaneus concursus Dei cum intellectu, non dat vires intellectui, sed illa supponit, & simultaneè influit in visionem: ergo voluntas Dei simul cum intellectu concurrendi ad visionem, vires illi non præbet; & consequenter æquè impotens, ac antea remanebit.

19 *Secundo.* Secundo, implicat, intellectum esse potentem respectu visionis, nisi intelligatur subordinatus Deo, vt auctori supernaturali; sed per voluntatem prædictam non subor-

subordinatur intellectus Deo vt supernaturali Auctori: ergo implicat per illam potentem reddi. Maior est certa. Minor probatur; si homo haberet esse, & intellectum à se, & non à Deo Auctore naturali, etiam si egeret voluntate Dei simul cum homine ad intellectionem naturalem concurrendi, vt esset potens ad illam, non diceretur subordinari Deo, vt naturali auctori; sicut vnus extrahentibus nauim, non dicitur potens potentia subordinata alteri; quamuis egeat voluntate alterius, vt absolutè potens dicatur; eo quod ab illo non accepit propriam virtutem; at intellectus, à quo homo in casu extrinseci auxilij dicitur intrinsecè potens, non est à Deo vt supernaturali Auctore: ergo etsi egeat voluntate prædicta, non dicetur per illam subordinari Deo, vt Auctori supernaturali. *Tertio.* Tertio, minor principalis suadetur; impotentia intellectus respectu visionis, est impotentia intrinseca; potentia, quam debet habere, est intrinseca; cum debeat esse potentia agentis vitalis operantis ab intrinseco: ergo implicat à voluntate extrinseca Dei intellectum potentem ad visionem constitui.

20 Ad hoc argumentum, & præcipuè ad vltimam probationem minoris, quæ inter nostros circumfertur communiter, respondere nituntur contrarij, distinguendo duplicem potentiam, alteram completam, alteram incompletam; potentia completa est illa, præter quam nihil aliud ad effectum desideratur; potentia incompleta est illa, quæ indiget alterius concursu ad effectum; & similiter duplicem impotentiam potentiæ contrapositam. Potentia completa, inquiunt ipsi, ad visionem non est adæquatè intrinseca, sed partim intrinseca, quatenus dicit entitatem intrinsecam intellectus, & partim extrinseca, prout scilicet importat voluntatem extrinsecam Dei; potentia autem incompleta, est intellectui intrinseca: asserunt ergo, quod licet voluntas extrinseca Dei non possit intellectui præstare potentiam incompletam, quæ ex parte illius desideratur; posse tamen illum constituere completè potentem; cum denominatio completè potentis ab extrinseco desumatur. Quoad alij alijs terminis explicantes, asserunt, potentiam conditionatam ad visionem debere esse intrinsecam; & competere intellectui ratione sui; potentiam autem absolutam, esse partim intrinsecam, & extrinsecam, nomine potentiæ conditionatæ intelligentes potentiam intellectus ad eliciendam visionem, si Deus suum præstet concursum; nomine vero absolutæ potentiæ, illam, quæ supponit voluntatem diuinam paratam ad suum concursum simultaneum præstandum.

21 *Contra 1.* Verum contra solutionem istam facit in primis secunda minoris probatio, quæ iuxta illam non soluitur. *Secundo.* Deinde, quia ex illa sequitur, non indigere eleuari per lumen, adhuc de lege ordinaria. Patet sequela; quia non indiget lumine vt det illi incompletam, & conditionata potentiam; cum illam habeat intellectus ratione sui, nec vt det illi potentiam completam, & absolutam: quod probo. Nam intellectus actuatus lumine, indiget voluntate diuina ad simultaneum concursum præstandum parata; nec aliter potest, nisi sub conditione, quod offerat illum: ergo adhuc prout sic actuatus, solum habet potentiam incompletam, & conditionatam; cumque istam haberet intellectus ratione sui, superfluit lumen ad illam præstandam.

22 *Tertio.* Tertio, impotentia, quam intellectus habet ratione sui ad visionem, non prouenit solum ex defectu voluntatis diuinæ, sed ex defectu alicuius intrinseci: ergo nequit potens reddi per illam, sed necessario petit aliquid intrinsecum, vt potens reddatur. Consequentia tenet; & antecedens probo: nam si dicta impotentia solum ex defectu voluntatis extrinsecæ prouenirет, omninò connaturaliter tolleretur per illam: ergo necessaria non esset intrinseca qualitas, adhuc de lege ordinaria. *Quarto.* Quarto, & vltimo traditam solutionem impugno; si intellectus ratione sui haberet incompletam, & conditionatam potentiam à contrarijs explicatam, sequeretur, esse ratione sui potentem ad visionem beatificam, sicut ad naturalem intellectionem: consequens est absurditate plenum: ergo & solutio. Probo sequelam; ad intellectionem naturalem solum habet incompletam, & conditionatam potentiam; siquidem indiget voluntate Dei simul concurrendi, & solum potest sub conditione, quod Deus suum concursum simultaneum non neget; at istam habet ad visionem beatificam, vt volunt contrarij: ergo habet eandem.

23 *Confirmatur.* Et vrgetur hoc amplius; sequeretur namque, intellectum ratione sui esse potentem ad visionem beatificam, potentia completa complemento causæ secundæ. Consequens est falsum: ergo idem quod prius; falsitas consequentis exinde colligitur, quod aliàs esset illi debitus simultaneus concursus ad visionem beatificam; sicut alijs causis secundis in suo ordine completis debetur. Sequelam sic probo. Quod causa secunda indigeat concursu causæ primæ, non tollit, quominus sit causa completa in ordine causæ secundæ; aliàs nulla esset causa secunda completa; cum omnes indigeant concursu causæ primæ, & voluntate Dei ad illam parata: ergo etiam, si intellectus ad visionem beatificam indigeat concursu diuino, non tollet, quominus sit causa completa complemento in proprio ordine causæ secundæ.

§. II.

Vberior nostræ conclusionis probatio, & impugnantur partiales concursus.

TERTIO eadem conclusio probatur: si extrinseca Dei assistentia sufficeret, vt intellectus causaret visionem beatificam, sequeretur, de facto lumen gloriæ nullatenus in illam influere; consequens absurdum est: ergo sententia opposita est falsa. Probatur sequela, defecto Deus extrinsecè assistit per suam omnipotentiam, vt auctor supernaturalis in ordine ad causandam visionem: ergo si sufficit hæc assistentia, superfluit influxus luminis, & consequenter non datur. 24 *Tertio suadetur conclusio.*

Dices: de facto Deum assistere per concursum generalem; iste autem generalis concursus non sufficit, vt intellectus cum illo efficiat visionem beatam, sed specialis requiritur, qualis est ille, quo Deus in absentia luminis intellectum creatum eleuaret. Sed contra: nam concursus in vtroque casu paratus, est idem, & in vtroque casu, est supernaturalis, vtpote à Deo vt Auctore supernaturali assistente, & suam omnipotentiam applicante ad concurrendum cum intellectu creato in ordine ad supernaturalem effectum; & solum est differentia, quod in vno casu est debitus conflato ex intellectu, & lumine; in altero, nulli debetur: ergo concursus in vtroque casu paratus, sufficiens est, vt in illum refundatur, illique attribuatur supernaturalitas visionis beatæ; & consequenter sufficiet, vt eleuet intellectum ad elicientiam visionis. 25 *Dices. Contra.*

Respondebis cum Ripalda *lib. 1. de ente supernaturali disp. 34. sect. 3. num. 49.* concursus in vno, & altero casu paratos, non solum differre penes rationem debiti, & indebiti, sed etiam quia concursus in absentia luminis paratus, robustior est illo, quem Deus exhibet cum lumine. Et rationem reddit; quia in absentia luminis in vnum Dei concursum conueniunt concursus duplicis causæ, nempè, concursus causæ vniuersalis, ac primæ, & concursus causæ particularis, qui ad alios actus supernaturales necessarij sunt. Quemadmodum robustiorem præberet concursum ad efficiendam visionem intuitiuam sui, ad quam concurreret per modum obiecti, & per modum causæ primæ, illo, quem exhiberet ad efficiendam visionem sui, solum vt causa prima, concurrente specie creata, si admittatur possibilis, concursu obiectiuo. Item alio concursu efficit Deus ignem cum consortio alterius ignis, & alio efficit solus. Ita in præsenti est dicendum, Deum robustiori concursu influere in visionem beatificam, quando influit sine consortio luminis, illo, quo influit cum consortio luminis; ac proinde ex eo quod concursus, & assistentia extrinseca sufficiant in absentia luminis, non sequitur, concursum à Deo paratum extrinsecè ad concurrendum cum consortio luminis gloriæ, sufficere ad eleuandum intellectum; ac proinde, nec sequitur superfluere concursum luminis. 26 *Respondebis.*

Sed contra; nam Deus concurrens cum intellectu per auxilium extrinsecum, non supplet vices luminis eleuantis intrinsecè: ergo non gerit munus duplicis causæ, vniuersalis nempè, & particularis; & consequenter ex hoc capite non præstat robustiorem concursum, cum extrinsecè eleuat, ac cum eleuat intrinsecè, & extrinsecè simul. Probatur antecedens; ideò Deus se solo producens ignem, gerit munus causæ particularis, & causæ vniuersalis; suppletque vices ignis, aliàs causaturi, quia producit se solo eundem effectum, quem produceret cum consortio ignis; sed Deus extrinsecè tantum eleuans non efficit eandem visionem, quam efficeret cum consortio luminis gloriæ, vt prædictus Auctor, docet *Disp. allegata sectione 7. num. 46.* eo quod visio se ipsa à suis principijs dependet. Vnde infert, repugnare essentialiter visioni medio auxilio extrinseco causatæ esse 27 *Contra.*

ffici per auxilium intrinsecum, & è contra; visio ab auxilio intrinseco effecta, non potest de potentia absoluta efficari medio auxilio extrinseco: ergo Deus extrinsecè eleuans non supplet vices luminis eleuantis intrinsecè. Patet consequentia; non enim potest Deus supplere vices causæ creatæ in ordine ad effectum, cui essentialiter repugnat effici ab illa.

28 *Confirmatur.* Et augetur difficultas; intellectus creatus non est minus impotens, & insufficiens de se, & ex vi propriæ entitatis in ordine ad visionem elicitam media eleuatione intrinseca, quam in ordine ad visionem causatam per eleuationem extrinsecam; cum ad vtramque sit de se potens partialiter, & impotens per modum causæ totalis, & ad illas efficiendas per concursum sibi debitum: ergo non indiget Deo vt robustiori concursu incumbente in ordine ad vnam, quam in ordine ad aliam; imbecilitas enim æqualis, æquali auxilio, vel concursu iuuatur.

29 *Dices.* Dices, quod Deus robustiori concursu in ordine ad vnam, quam in ordine ad aliam incumbat, non esse ob exigentiam, vel indigentiam intellectus creati, sed ex natura vtriusque visionis; nam quæ efficitur medio lumine intrinseco, solum petit Dei concursum vt causæ vniuersalis, & primæ; quæ verò medio extrinseco auxilio causatur petit concursum duplicem Dei, nempè causæ vniuersalis, & causæ particularis. Sed contra primo nam quod peteret duplicem concursum in Deo, seu concursum duplicis causæ, vniuersalis nempè, & particularis, solum posset prouenire, quia Deus in ordine

30 *Contra 1.* ad illam suppleret concursum auxilij eleuantis intrinsecè; sed vices huius non supplet, vt clarè monstrauimus: ergo

Secundo. non petit ex parte Dei concursum duplicis causæ.

Secundo, & explicatur magis vis obiectionis; ideò ignis effectus à Deo solo, petit in illo concursum duplicis causæ; quia connaturaliter petit ab igne vt à causa secunda, & à Deo vt à causa prima effici; sed visio causata à Deo vt se ipso extrinsecè auxiliante, non petit connaturaliter ab intrinseco auxilio procedere tanquam à causa secunda: imò vt prædictus Auctor fatetur, repugnat illi essentialiter effici per auxilium intrinsecum: ergo non petit in Deo concursum duplicis causæ.

31 *Tertio.* Tertiò; non enim est in visione causata per auxilium extrinsecum aliquod prædicatum intrinsecum, ratione cuius petat in Deo concursum duplicis causæ: ergo absque fundamento duplex iste concursus confingitur. Probo antecedens; nam si aliquod esset, maximè prædicatum supernaturalitatis; hoc non: ergo nullum. Probatur minor, supernaturalitas prædictæ visionis sufficienter saluatur per hoc, quod Deus indebitum paret concursum, & vt Auctor supernaturalis concurrat ad illam; sed stat concurrere vt supernaturalis Auctor solo causæ primæ concursu: ergo ex nullo prædicato petit in

Minor prob. 1. Deo duplicis causa concursum; ac proinde nec robustiorem illo, quo influit in visionem causatam mediante qualitate intrinseca. Maior constat ex principijs authorum contrariæ sententiæ, iuxta quæ ad conceptum supernaturalitatis omninò sufficiens censetur ab vno principio indebito, & supernaturali procedere. Minor autem ostenditur primo; Deus vt Auctor naturæ potest indebitum concursum præbere operando vt causa

Secundo. vniuersalis, & prima, vt constat quando ad victoriam grauis tentationis ex motiuo tantùm naturali cum homine lapso concurrit: ergo pariter concurrere poterit, vt Auctor supernaturalis, concursum causæ vniuersalis, & primæ. Secundo probatur, quia non est vnde repugnantia ostendatur in hoc, quod Deus vt causa vniuersalis, & prima non possit in debitum concursum præstare.

32 Quarto probatur conclusio: nam sequitur ex contraria sententia, intrinsecam gratiæ inhærentiam omnino superfluam esse; ac proinde ad operandum benè supernaturaliter, non requiri gratiam inhærentem intrinsecè: consequens nequit admitti: ergo nec sententia. Probatur sequela: cum duo partialiter ad aliquem effectum concurrunt vnum alterum adiuuando, nõ requiritur, vnum alteri inhærere, nec ipsum informare, vt constat in duobus trahentibus, currum, quorum alterum iuuat absque intrinseca informatione: ergo si Deus vt iuuans per gratiam, non dat potentiæ virtutem, sed illius virtutem iuuat, & partialiter cum illa ad actum supernaturalem concurrit, superflua est, & prorsus non necessaria inhærentia intrinseca gratiæ.

33 *Respondebis.* Respondebis, esse quidem superfluam attenta exigentia, vel indigentia potentiæ, non autem attenta exigentia gratiæ habitualis, quæ cùm natura sit in ordine supernaturali, petit vt connaturaliter in actus supernaturales exeat, per formas accidentales permanentes operari; nam cuivis naturæ debentur proprietates permanentes sibi proportionatæ. Sed contra primo; nam saltim sequitur attenta indigentia potentiæ, æque bene illius imbecilitati succurri iuuamine per auxilium extrinsecum, *Contra 1.* atque intrinsecum impertiendo; consequens est falsum: ergo & solutio. Sequela patet ex ipsius solutionis doctrina. Minor probatur; finis à Deo largitore gratiæ intentus in eius distributione, est, subuenire imbecillitati naturæ, iuxta illud Augustini: *Subuentum est infirmitati humanæ*: ergo si æquè benè subuenitur nostræ imbecilitati per extrinsecum auxilium, atque per auxilium intrinsecum, attento fine, quem Deus vt largitor gratiæ intendit, omnino superflua est inhærentia intrinseca gratiæ.

Secundo; nam saltim sequitur, in homine peccatore, in quo gratia habitualis non præcedit, omnino superfluam esse gratiam adiuuantem intrinsecè; consequens non admittitur: ergo idem quod prius. Probatur sequela; in homine peccatore non supponitur gratia habitualis; ergo si solum propter illam exiguntur formæ actuantes intrinsecè, & intrinsecè eleuantes, in homine peccatore, ex nullo capite exigitur gratia intrinseca, & consequenter superfluit. 34 *Secundo.*

Respondebis, in homine peccatore supponi connaturaliter gratiam excitantem: tùm ex parte intellectus: tùm ex parte voluntatis, consistentem in illustratione, & sancta cogitatione intellectus, & pia voluntatis affectione, quæ ex natura sua petunt præter concursum formalem, efficientem etiam in actus salutares præstare in absentia supernaturalium habituum; ac proinde ex isto capite concursus auxilij intrinseci necessarius ex iuxta prouidentiam ordinariam ad actus deliberatos supernaturales. 35 *Respondebis.*

Sed contra primo: nam sequitur in præsentia gratiæ excitantis superfluere concursum habituum; consequens est falsum: ergo & solutio. Patet sequela: nam existente causa sufficiente ad effectum, superfluit concursus alterius; sed in gratia excitante inuenitur sufficiencia effectiua actus supernaturalis deliberati: ergo illa existente superfluit concursus habituum. 36 *Contra 1.*

Secundo: nam licet causa efficiens possit non coexistere effectui coexistentia formali, non tamen potest illi repugnare essentialiter coexistentia cum effectu; sed actui indelibetato voluntatis, in quo consistit gratia excitans ex parte voluntatis se tenens, repugnat essentialiter coexistentia cum actu deliberato circa idem obiectum: ergo nequit esse causa efficiens physica illius. Tertio: nam saltim sequitur, permanentiam habituum fidei, & spei in peccatore fideli, in quo, amissa per peccatum gratia, dictos habitus perseuerare est de fide, diffinitum à Concilio Tridentino, superfluam omnino esse; consequens nequit admitti: ergo idem quod prius. Probatur sequela: concursus prædictorum habituum in actus, ad quos ordinatur, nec petitur à gratia iustificante, siquidem destructa supponitur per peccatum, nec à gratia excitante; cum potius illius effectiuum influxum impediant: ergo ex nullo capite concursus ille debetur, & consequenter superfluit. *Secundo.* *Tertio.*

Si fortè dicatur, gratiam habitualem amissam petere, vt prædicti habitus perseuerent: quia cum illa in essendo mutuam connexionem non habent. In contrarium obstat primò, aliud esse gratiam amissam non petere illorum destructionem, & aliud quod petat illorum perseuerantiam: primum est verum ob rationem assignatam: secundum autem absque fundamento asseritur: ergo solutio tradita nullo fundamento fulcitur. Secundo, nam saltim sequitur, homini credenti in Deum, non tamen ipsum amanti nec sufficienter contrito, superfluè infundi à Deo fidem habitualem; consequens non admittetur: ergo nec solutio tradita. Probatur sequela, homini sic disposito non infundetur gratia habitualis, vt omnes fateri tenentur: ergo nullum est principium, ex quo permanentia habitus infusi exigatur. 37 *Si dicas.* *Contra 1.* *Secundo.*

§. III.

Argumentis in contrarium occurritur.

OBICIVNT primo oppositæ sententiæ Patroni Doctorem Angelicum 1. *par. quæst.* 105. *art.* 2. *in corpore*, illis verbis: *Erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam*; sed Deus medio lumine gloriæ facit quod intellectus eliciat visionem: ergo id præstate 38 *Arg. 1. ex D.Th.*

stare poterit per se ipsum. Et confirmatur: nam ratio, qua D.Thom.probat illam propositionem, est, quia Deus continet perfectionem omnis causæ creatæ; sed Deus continet eminenter perfectionem auxilij intrinseci: ergo se ipso potest efficere, quod facit medio auxilio intrinseco, quod scilicet intellectus in visionem influat. Et *in 4.dist.49.q.2.art.7.* illis verbis: *Miraculosè fieri potest, vt aliquis intellectus non habens nisi dispositiones via, eleuetur ad videndum Deum per essentiam*; at lumen gloriæ, siue permanenter, siue transeunter communicatum, non est dispositio viæ: ergo sentit, posse intellectum sine illo, & sine auxilio intrinseco diuinam essentiam videre.

Alia verba ex D. Tho.

39 *Confirmatur.2.* Confirmatur: nam ibi docet Angelicus Doctor, quod sicut fieri potest miraculosè, quod Virgo pariat: ita & quod intellectus viatoris videat diuinam essentiam; sed ad primum necessaria non est de potentia absoluta intrinseca qualitas; ergo nec ad secundum. Denique *q. 10. de veritate art.11.* distinguens duplicem modum agendi visionem, nempè ab intrinseco, & ab extrinseco, hæc verba subiunxit: *Menti autem nostra in statu via non potest conuenire visio Dei per essentiam secundum primum modum*; ergo sentit, posse mentem viatoris eleuari ad videndum Deum secundum modum agendi ab extrinseco; sed agere media intrinseca qualitate transeunter, est agere ab intrinseco: ergo iuxta D Thom. necessaria non est intrinseca qualitas transiens, vt intellectus creatus eliciat visionem beatificam.

Tertio ex D. Th. verbis.

40 *Respond. ad 1.* Respondeo ad primum, D.Thom. debere intelligi de effectibus causæ creatæ purè efficientis, non autem quando involuitur genus causæ formalis; licet autem demus, auxilium intrinsecum respectu visionis solum concurrere in genere causæ efficientis; ad hoc autem, quod est, potentiam potentem constituere, concurrit vt causa formalis: & quia non potest intellectus visionem elicere, nisi potens ad illam constituatur; hinc est, quod Deus nequeat facere per se ipsum; quod intellectus eliciat visionem. Et quidem eadem ratione probarent, posse Deum facere, quod homo intelligat sine intellectu, imò & quod magis est, quod viuat sine anima.

41 *Ad secundum. Ad confirmationem verborum præcedentium.* Ad secundum respondeo, D.Thom. ibi, & in alijs locis asserentem, posse intellectum sine lumine gloriæ Deum clare videre de potentia absoluta, debere intelligi, sine lumine gloræ habitualiter communicato; non autem sine illo, saltim per modum transeuntis. Ad improbationem huius solutionis dicatur, quod licet lumen gloriæ transeunter communicat, non sit dispositio viæ positiuè, hoc est, ex acta stata viatoris; est tamen dispositio viæ permissiuè, id est, non incompossibilis cum statu viatoris, ad differentiam luminis permanenter communicati, quod cum statu purè viatoris est incompatibile. Nec similitudo cum Virginali partu tenet quoad omnia, sed solum quoad hoc, quod est miraculosè peruenire ad aliquid, quod naturaliter obtineri non potest.

42 *Ad tertium.* Ad tertium dicatur, operari à principio extrinseco, stare tripliciter: primo ab extrinseco, id est, non inhærente, secundo ab extrinseco, id est, à natura non dimanante: tertio ab extrinseco principio, id est, non debito, nec naturæ, nec prouidentiæ generali, quam Deus habet de illa in aliquo statu: quia ergo auxilium intrinsecum facilè transiens ad visionem claram diuinæ essentiæ. nec debetur naturæ, nec generali prouidentiæ illi debitæ intra ordinem gratiæ pro statu viæ: idcirco docuit D.Thom. non conuenire homini viatori videre diuinam essentiam secundum modum operandi ab intrinseco, sed ab extrinseco. Vnde minor subsumpta, sic distinguatur: agere media qualitate intrinseca transeunte, est agere ab intrinseco, distinguo minorem: ab intrinseco inhæsiuè, concedo minorem: ab intrinseco ex debito generalis prouidentiæ Dei intra ordinem gratiæ, nego minorem, & nego consequentiam; & quidem D. Thom. ibidem asseruit, motum violentum esse ab extrinseco, & tamen non semper est ab extrinseco inhæsiuè; cum motus lapidis sursum, ab impulsu lapidi inhærente procedat: non ergo per operari ab extrinseco exclusit inhærentiam principij.

43 *Notatur pro maximi intelligentia solutionis, nostra.* Et nota pro clariori intelligentia nostræ resolutionis: D.Thomam non dixisse visionem beatificam conuenire posse viatori ab extrinseco, sed quod principium visionis ei conuenit ab extrinseco, quod verissimum est. Vnde in eo quod ex illo præmittitur, non dixit dupliciter posse actionem conuenire ab extrinseco, & ab intrinseco, sed ita vt principium actionis sit in agente, sicut in omnibus agentibus naturalibus videmus. Alio modo sic, quod principium illius actionis sit à principio extrinseco, sicut in violentis, & miraculosis: vnde in primo modo per ly *esse in operante*, intelligit esse in illo ab intrinseco, & ex debito illius; siquidem primum modum contraponit secundo, in quo non negat principium esse intrinsecum operanti, sed solum docet ei conuenire ab extrinseco, vt patet in assensu lapidis proiecti sursum, in quo intrinsecè inhæret impulsus, prouenit tamen ab extrinseco, nempè à proijciente. Videatur D. Thom. *q. vnica de Charitate art. 1.* vbi apertissimè nostram docet sententiam, imò & rationes dedit, quibus illam probauimus.

Obijciunt secundo; visionem fieri per auxilium extrinsecum, nec obstat illi in quantum vitali, nec ratione supernaturalitatis: ergo ex nullo capite obstat. Antecedens pro prima parte constat, ex eo quod vitalitati visionis non obstat ab alijs principijs extrinsecis potentiæ procedere, procedit namque à Deo vt simul concurrente, & à diuina essentia, vt gerente munus speciei; cum tamen non informent intellectum intrinsecè: ergo nec obstabit eius vitalitati, quod procedat ab auxilio extrinseco. Pro secunda probatur, supernaturalitas visionis saluatur per hoc, quod ad illam necessario exigatur concursus alicuius principij naturæ non debiti; sed omnipotentia, vt auxilians extrinsecè, est principium naturæ indebitum: ergo cum illo illæsa subsistit supernaturalitas visionis beatificæ. 44 *Arguitur 2.*

Respondeo negando antecedens pro vtraque parte. Ad probationem primæ, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia omnipotentia, vt simul concurrens, & diuina essentia vt species, non dant vires intellectui creato, sed illas supponunt, atque adeò non repugnat vitalitati visionis, ab illis procedere, etsi intrinsecè non informent; at verò auxilium requiritur, vt ratio proxima continendi visionem; cum in intellectu ratione sui non contineatur, vt *Disput.16.* monstraui; eo autem ipso, quod ratio continendi visionem, & dans illi vires, extrinseca sit, non continebitur visio in intellectu creato intrinsecè, & consequenter non poterit ab intrinseco naturæ viuentis procedere, in quo consistit ratio vitalitatis. Ad secundam probationem distinguo, vt *Disp.16,* distinxi: saluatur indebito, & repugnanti modo, concedo antecedens: debito modo, & non repugnante, nego antecedens, & nego consequentiam. Consulite ibi solutionem primi argumenti. 45 *Resp. ad prob. 1. partis.* *Ad 2. partis probationem.*

Obijciunt tertio: alij actus supernaturales possunt procedere, & de facto procedunt ab auxilio extrinseco: ergo nec visioni repugnat. Consequentia tenet, & antecedens probatur primo: illustrationes subitæ intellectus, & piæ affectiones voluntatis, in quibus consistit gratia perueniens, qua homines excitantur, & vocantur ad fidem, non procedunt ab habitu; cum tempore multoties illius existentiam præcedant; nec ab alijs actibus vitalibus indeliberatis, ne detur processus in infinitum, nec à qualitatibus fluidis à solo Deo causatis, quod alibi probatum supponunt: ergo necessario debent ab auxilio extrinseco procedere. 46 *Tertio arguitur. Antecedens probatur 1.*

Secundo antecedens probatur: simplex complacentia ad bonitatem Dei, quæ in instanti iustificationis adulti cum actu charitatis potest existere, non procedit in illo instanti ab habitu charitatis, nec à qualitate fluida auxiliante: ergo procedit ab auxilio extrinseco. Consequentia tenet. Et antecedens pro prima parte constat, ex eo quod non habet connexionem coexistentiæ per se cum charitatis habitu, quod necessarium erat vt ab illo procederet. Pro secunda probatur: quia multi Thomistæ arbitrantur, actum charitatis in instanti iustificationis procedere ab habitu; at si in illo instanti existaret qualitas fluida initians simplicem complacentiam, posset etiam initiare actum charitatis; & consequenter superfluè confugeretur ad habitus: ergo in illo instanti non existit. Probatur minor, eadem species potest deseruire ad actum charitatis, & ad simplicem complacentiam: ergo eadem qualitas poterit etiam vtrumque initiare. 47 *Secundo; Antecedens pro 1. parte constat. Pro 2. probatur.*

Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem aliqui cum Magistro Curiel *1.2. quæst. 111.* concedunt antecedens, & negant consequentiam: sed nescio, an consequenter, & idcirco, nego antecedens: vt Thomistæ communiter negant *loco allegato*, & *Tractatu de Auxilijs*, ponentes pro principio prædictorum actuum indispensabiliter requisito, sufficienti, & efficaci qualitatem à solo Deo causatam; nec video, qua apparentia oppositum possit ostendi. Ad secundam antecedentis probationem, nego antecedens pro secunda parte, ad cuius probationem, admissa Thomistarum sen- 48 *Respondetur.* *Ad 2. antecedentis probationem.*

ten-

bet ex proprijs causis petere per se permanentiam.

59 *Dices.* Dices, quod licet ex parte subiecti, & obiecti non habeat vnde facile transeat, & sit corruptibilis, potest tamen id habere ex parte causæ efficientis, nempè, Dei volentis infundere qualitatem ab intrinseco fluidam. *Contra.* Sed contra, causa efficiens, est extra essentiam rerum, & illas in sua essentia constitutas supponit: ergo licet possit rem ab intrinseco incorruptibilem, de facto corrumpere; non tamen potest facere quod ab intrinseco corruptibilis sit. *Confirmatur.* Explicatur hoc amplius, etsi Deus, qui est primum efficiens rerum, possit facere, quod substantia ex contrarijs non composita, vt cælum, & Angeli, de facto corrumpantur, seu desinant esse, non tamen potest causare substantiam non compositam ex contrarijs, quæ ab intrinseco corruptibilis sit: ergo pariter, quamuis possit efficere, quod qualitas non habens contrarium ex parte subiecti, & satians appetitum ex parte obiecti, corrumpatur de facto, & facile transeat, non tamen poterit facere qualitatem aliquam gaudentem dictis conditionibus, ab intrinseco fluidam, & ab intrinseco corruptibilem.

60 *Tertio suadetur conclusio.* Tertio probatur conclusio; omnes visiones Beatificæ possibiles sunt ab intrinseco permanentes, & incorruptibiles: ergo nulla illarum potest à principio ab intrinseco fluido, & corruptibili efficienter causari. Antecedens constat, ex eo quod, vt probabilior tenet sententia, non sunt possibiles visiones beatificæ diuersæ speciei; si autem esset possibilis aliqua ab intrinseco fluida, & corruptibilis, necessario foret diuersæ speciei ab illa, quæ de facto datur; cum gauderet prædicatis essentialiter distinctis. *Consequentia prob. primo.* Consequentia vero probatur primo; quia omne prædicatum effectui competens, debet in principio effectiuo principali formaliter, aut eminenter contineri; sed permanentia ab intrinseco competens visioni nequit in principio ab intrinseco fluido contineri formaliter, vt notum apparet, nec eminenter; cum qualitas ab intrinseco fluida, sit imperfectior qualitate permanente ab intrinseco: ergo nulla visio beatifica à principio ab intrinseco fluido procedere valet.

61 *Secundo.* Secundo eadem consequentia probatur; quia nullus effectus potest exigere permanere, suo principio destructo: ergo si visio petit ab intrinseco permanentiam diuturnam, nequit à principio illam non exposcente procedere. *Dices.* Si dicas; actus naturales ab intrinseco non permanentes, generant habitum, qui ab intrinseco petit permanentiam: ergo instatur vtraque nostræ consequentiæ probatio. *Respond.* Respondeo, concesso antecedenti negando consequentiam: primo quia habitus non dependet ab actu in fieri, & conseruari, sed solum in fieri; vnde etsi actus transeat, potest habitus perseuerare; visio autem petit procedere à principio, à quo in fieri, & conseruari dependet; ac proinde si ipsa permanens sit petit permanentiam principij. Secundo, quia habitus non recipit permanentiam adhuc proximè ab actibus, sed à naturali potentia; visio autem suam permanentiam nequit à potentia participare, cum permanentia potentiæ naturalis sit, sed necessario illam debet à principio proximo supernaturali recipere.

§. V.

Argumenta diluuntur.

62 *Arg. 1.* CONTRA conclusionem istam arguitur sic primo: præter lumen gloriæ habituale concurrit ad visionem beatificam auxilium efficax in vin Thomistarum; & tamen illud auxilium est ab intrinseco fluidum: ergo non repugnat qualitas aliqua, quæ sit visionis principium ab intrinseco fluida. Minor probatur; si esset qualitas ab intrinseco permanens, necessario esset habitus; cum permanentia habitum constituat, illumque à dispositione distinguat; at auxilium efficax, habitus non est: ergo auxilium ad visionem concurrens, est ab intrinseco fluidum; & consequenter non requiritur habitus luminis gloriæ ex parte visionis beatificæ.

63 *Respond.* Respondeo, quod sicut potentia, etsi permanens sit, non tamen est habitus, & similiter visio beatifica, habitus non est, quamuis permanens sit ab intrinseco: ita similiter auxilium efficax ad visionem exactum, non est habitus, quamuis sit ab intrinseco permanens: & ratio est; quia non quælibet permanentia habitum operatiuum cõstituit, sed solum permanentia alicuius concurrentis per modum principij determinate respicientis bonum, aut malũ, verũ, vel falsum; auxilium autem efficax non concurrit per modum principij, sed per modum applicantis principium.

Argues secundo; actus charitatis, qui est perfecta inclinatio actualis in supernaturalem finem, potest à voluntate procedere, vt eleuata per qualitatem distinctam ab habitu, ab intrinseco fluidam: ergo etiam visio beatifica, etsi sit perfecta attingentia intellectualis obiecti beatifici, procedere poterit ab intellectu eleuato per qualitatem distinctam ab habitu. 64 *Arg. 2.* Ad hoc argumentum quidam ex Thomistis respondent, negando antecedens; etsi de alijs actibus supernaturalibus non recusent concedere, posse indifferenter ab habitu, vel auxilio procedere, parificantes quoad hoc, actum charitatis cum visione beatifica, ob rationem iam insinuatam, quia scilicet, actus charitatis est perfecta inclinatio actualis in supernaturalem finem. *Solutio aliquorum.*

65 *Alij impugnant primo.* Quam solutionem aliqui impugnant primo; habens charitatem intensam *vt quatuor*, eliciens actum intensum *vt octo*, non elicit illum quoad excessum actus supra habitum, ratione habitus: ergo ad illum excessum eleuatur potentia per qualitatem auxiliantem ab intrinseco fluidam. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur; quia ad dictum excessum non potest eleuari potentia per habitum remissum; cum illum nequeat præcontinere, nec per habitum magis intensum; cum intensio habitus, sit præmium actus; principium autem meriti non cadat sub merito: ergo non elicitur ratione habitus.

66 *Secundo.* Secundo, & vrgentius, in instanti in quo aliquis peccat peccato omissionis diligendi Deum, est potens ad ipsum amandum amore supernaturali; alias non peccaret, nec libere omitteret: ergo in illo instanti existit in potentia principium supernaturale illam eleuans, dansque illi sufficientes vires ad eius elicientiam; at in illo instanti non existit habitus charitatis, sicut nec gratia; alias simul in eodem instanti inuenirentur gratia, & peccatum: ergo redditur potentia in illo instanti potens ad eliciendum supernaturalem amorem per qualitatem ab intrinseco fluidam distinctam ab habitu.

67 *Resp. aliqui.* Ad primam obiectionem, docti quidam respondent, habitum cum sit causa æquiuoca, posse in minori intensione intensiorem actum causare, sicut in potentijs, eadem de causa contingit. *Si opponas.* Si illis opponatur; lumen gloriæ in Patria agit totum, quod potest: ergo si in quacumque intensione potest in intensionem actus prorumpere, causabit in omnibus beatis actum sub omni intensione possibili; & consequenter in omnibus æqualem. *Respondent.* Respondent, limitari ab specie repræsentante obiectum cum inæqualitate respectu diuersorum. *Hæc vltima responsio impugnatur primo.* Sed contra primo: nam diuina essentia, quæ est species repræsentat iuxta exigentiam luminis: ergo non potest influxus luminis limitari ex consortio diuinæ essentiæ gerentis munus speciei. *Secundo.* Contra secundo: nam ex prædicto modo dicendi, sequeretur superfluere intensiuum augmentum habituum; consequens non potest admitti: ergo solutio tradita est insufficiens. Sequela probatur: nam augmentum intensiuum habituum, est, vt intensiorem actum eliciant: ergo si habitus in quacumque intensione est sufficiens ad actum quantocumque intensum, superfluit augmentum intensiuum habituum.

68 *Pro solutione supra data potest responderi probabiliter ad 1. impugnationem.* Quidquid tamen sit de istius solutionis doctrina, qui necessitatem habitus charitatis ad elicientiam actus sustinere voluerit, quod satis probabile est; ad primam obiectionem respondeat actum illum intensum causari efficienter à potentia, vt eleuata per habitum intensum, non vt iustificantem, sed vt auxiliantem; nec inconuenit, quod principium physicè effectiuum meriti, sit effectus illius in genere causæ meritoriæ, & moralis; quia non repugnat mutua causalitas in eodem genere causæ sub alterno, & non infimo; genus autem causæ efficientis physicæ, & moralis, non conueniunt in eodem genere infimo, sed solum subalterno causæ efficientis; sicut in sententia apud Thomistas satis communi, gratia est causa physica effectiua, & materialis actus charitatis, qui ad illam disponit; cum tamen causalitas dispositiua materialis sit; quia causare materialiter, vt subiectum *quo* receptiuum, & causare dispositiuè, est diuersus specie modus causandi intra genus causæ materialis.

69 *Si dicas.* Si dicas, gratia quoad primum esse, nequit sub merito cadere, quia est principium meriti; ergo pariter quo ad augmentum non poterit sub merito cadere, si sit principium illius. *Respond.* Respondeo, gratiam quoad primum esse, causare actum meritorium physicè, & moraliter, quia dignitas personæ merentis prouenien̄s à gratia, moraliter concurrit ad meritum; augmentum vero illius, solum concurrit physicè, quia ad maius meritum non

desi-

desideratur maior dignitas in principio merente. Ad secundam dicatur, in instanti in quo quis ommittit amorem Dei peccare; quia licet careat habituali gratia, & charitate, quæ est principium dans sufficientiam ad prædictum actum, caret tamen sua culpa; priuatio namque gratiæ, est pœna peccati; ac proinde, etsi non habeat principium sufficiens, potuit tamen illud habere; cum potuerit non apponere impedimentum gratiæ; & vt omissio actus imputetur ad culpam, sufficit, vel habere principium, vel posse illud habere, non apponendo impedimentum illi; sicut proijciens voluntarie a se Breuiarium, peccaret non recitando, quia licet sine illo recitare non possit, voluntarie tamen illud non habuit. *Ad secundam impugnationem.*

70 *Dices.* Dices; si Deus alicui homini voluntatem auferret in pœnam alicuius peccati, non peccaret postea; non diligendo Deum amore naturali: ergo pariter, si Deus priuet hominem habituali gratia, & charitate, etsi hoc faciat in pœnam peccati, non peccabit non diligendo Deum Auctorem supernaturalem. Patet consequentia; quia ideo in primo casu non peccat, quia caret principio necessario, vt possit elicere naturalem amorem, at in secundo caret gratia habituali, & charitate, quæ iuxta solutionem traditam, necessario, exiguntur, vt quis possit elicere supernaturalem amorem: ergo vel in vtroque, vel in neutro casu imputatur ad culpam, & consequenter, etiam si Deus in pœnam peccati priuet hominem habituali gratia, & charitate, non peccabit omittendo dilectionem Dei Auctoris supernaturalis. *Respond.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: quia caret non voluntariè, concedo maiorum: quia caret vtcumque, nego maiorem. Carentia autem gratiæ in secundo casu, est voluntaria, vt dixi, & idcirco in illo peccat homo non diligendo.

71 *Dices.* Dices, ideò in secundo casu carentia est voluntaria, quia est pœna voluntarij peccati; at etiam in priori, voluntatis carentia, est pœna peccati: ergo etiam est voluntaria carentia voluntatis. *Respond.* Respondeo, distinguendo maiorem: quia est pœna præuisa, & quoad efficaciam pro merita à culpa, concedo maiorem: quia est pœna peccati non præuisa, & quoad sufficientiam solum promerita, nego maiorem; carentia autem voluntatis est pœna peccati solum promerita quoad sufficientiam, non quoad efficaciam; & idcirco non est pœna præuisa; ac proinde, nec voluntaria:

72 *Instabis.* Instabis: ergo si Deus pro pœna peccati promulgaret anihilationem animæ rationalis posset voluntariè peccare in instanti anihilationis animæ; consequens absurdum videtur: ergo & doctrina solutionis. Patet sequela: quia tunc carentia animæ foret voluntaria.

Respond. Respondeo, negando sequalam: quia tunc non maneret humanum suppositum, cui imputaretur culpa, bene tamen in alijs casibus. Vel secundo ad replicam contra solutionem factam dicatur; esse disparem rationem inter voluntatem, & charitatem. Charitas namque solum requiritur vt principium actus; vt autem omissio de facto exerceatur cum libertate, sufficit esse voluntariam carentiam, & principia actus, cuiusest omissio; at vero voluntas, non solum requiritur vt subiectum, & principium amoris; sed etiam vt subiectum, & principium omissionis illius, quæ est alterum libertatis extremum; ac proinde in instanti, in quo non existit, nequit dari de facto libera omissio. *Secundo replica principali resp.*

73 *Secunda, & facilior solutio argumenti principalis.* Secundo, ad principale argumentum facilius respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam; ratio autem discriminis est: quod actus charitatis, & principium ad illum exactum, non petunt determinatè tendere in summum bonum, vt præsens, & clarè propositum, quomodo, & non aliter appetitum satiant; sed abstrahit à præsentia, & absentia illius, quo circa potest esse liber, & necessarius; actus autem liber, eo ipso, quod talis sit, non petit ab intrinseco permanentiam; ac proinde prouenire potest à principio non permanenti; visio autem beatifica cum sit clara visio obiecti beatifici, petit attingere obiectum satians appetitum; ac proinde petit ab intrinseco permanentiam; neque est dabilis visio clara Dei illam ab intrinseco non perens; & consequenter nequit procedere à principio permanentiam non exposcente.

§ Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

Ex dictis in discursu Disputationis huius, & Disputationis 16. colligitur primo: lumen gloriæ comparari ad visionem beatificam vt subiectum *quo* receptiuum; idest, vt ratio recipiendi visionem. Probatur; principium vitale immanens, non solum elicit, sed etiam recipit actum vitalem, vt constat in intellectu, voluntate, & alijs; sed lumen, vt vidimus, est principium vitale *quo* proximum visionis beatificæ: ergo est receptiuum illius, vt subiectum *quo*. 74 *Infertur 1. ex dictis. Probatur.*

Leuia sunt, quæ opponunt contra veritatem illatam Moderniores quidam, & ex dictis soluta; quo circa illa omitto, & solum objicio: actus charitatis non recipit habitum vt subiectum *quo* receptiuum: ergo nec visio recipit sic lumen. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur: omissio libera amoris, & amor respiciunt idem subiectum; sed omissio peccaminosa amoris non comparatur ad charitatem vt ad subiectum *quo*: ergo nec actus charitatis. Respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicatur: quod quando priuatio, & forma sunt diuersi ordinis, sufficit, quod habeant idem subiectum *quod*, non autem requiri, quod respiciant idem subiectum *quo*. *Si objicias. Respondetur.*

Secundo colligitur; lumen concurrere dispositiuè ad vnionem diuinæ essentiæ cum intellectu per modum speciei. Probatur, id dicitur dispositiuè ad aliquam formam concurrere, quod subiectum proportionat, & aptat vt vniatur cum illa; sed lumen reddit intellectum aptum, vt diuina essentia cum illo vniatur per modum speciei: ergo concurrit dispositiuè ad prædictam vnionem. Discursus tenet. Maior est certa, & minor probatur: sola potentia potens proximè visionem elicere, est aptum subiectum vnionis diuinæ essentiæ vt gerentis munus speciei; sicut sola potentia potens proximè intelligere hominem, est subiectum aptum vnionis formalis speciei repræsentantis hominem; quod circa materialiter solum vniri poterit cum subiecto proximè non potente cognitionem elicere; sed lumen gloriæ dat intellectui facultatem proximum eliciendi visionem, vt constat ex dictis: ergo reddit intellectum aptum vt diuina essentia cum illo vniatur per modum speciei; & consequenter dispositiuè ad prædictam vnionem concurrit. Nec refert si objicias, ad formam non inhærentem non prærequiritur aliqua dispositio; at diuina essentia mentibus beatorum absque inhæsione vnitur; ergo ad illius vnionem nulla exigitur dispositio. Respondetur namque, negando maiorem: nec video, qua vrgenti ratione possit probari, cum tamen deberet validissimè ostendi, vt ab expressa D. Thomæ sententia recederemus. 75 *Infertur secundo. Probatur. Si objicias. Secundo.*

Colligitur tertio contra Gabrielem Vazquez, lumen gloriæ non exercere munus speciei in ordine ad visionem beatificam. In quo cum Thomistis, cæteri Societatis Doctores conueniunt, nullo excepto, quem viderim, præter Alarcon. Et probatur: species concurrit ex parte obiecti, & vires ex parte potentiæ requisitas supponit; at lumen gloriæ, neque ex parte obiecti concurrit, nec vires proximas ad visionem in potentia intellectiua supponit, sed potentiam proximam constituit, tanquam virtus illius, vt probatum relinquo: ergo non exercet munus speciei. Confirmatur hoc amplius, habitus fidei non habet rationem speciei respectu proprij obiecti, nec scientia infusa in ordine ad suum; non nisi quia se tenent ex parte potentiæ, vt illi dantes vires: ergo nec lumen gloriæ habebit rationem speciei in ordine ad visionem beatificam eadem ratione. Videantur quæ diximus *Tomo Secundo in Tertiam Partem Disputatione 37. §. secundo.* 76 *Infertur tertio. Probatur. Confirmatur.*

DISPVTATIO XIX.

Vtrùm de potentia Dei absoluta posit videri diuina essentia, non visis attributis, seu personis?

§. I.

Relatis sententijs, prima conclusio statuitur.

Nu. 1. *Apperitur sensus difficultatis.* QVOD de facto, omnia quæ competunt Deo necessario, attributa nempè, & relationes, à vidente diuinam essentiam videantur, est concors Theologorum sententia, & merito quidem; colligitur namque ex illis verbis 1. Ioannis cap. 3. *Cum apparuerit similes ei erimus, quid videmus eum sicuti est.* Deus autem sicuti est, formaliter est omnia, quæ necessario competunt ipsi; ac proinde eo ipso, quod, sicut est, videatur, omnia illa videntur. Et ex illis verbis Christi ad Philippum: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem;* vbi aperte indicatur, nec Patrem sine Filio, nec Filium sine Patre videri. *Ioan. 1. cap. 3.*

2 *Prima sententia.* In eo autem, quod in titulo Disputationis proponitur, in tres sententias diuiduntur Theologi. Prima absolutè affirmat, posse Dei essentiam videri, quin attributa ex vi eiusdem visionis videantur, & vnam personam sine alia posse videri, attenta Dei absoluta potentia. Ita Scotus *in 1. dist. 1. quæst. 2.* Paludanus *in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 3. num. 19.* Fasolis *in 1. dist. 1. quæst. 1* Ochamus *in 4. dist. 49. propositione 20.* Salas 1. 2. *tom. 1. tract. 2. disp. 4. sect. 2.* quos refert, & sequitur Pater Granados 1. *par. tract. 5. disp. 5. num. 6.* *Scot. Palud. Fasolis. Ochamus Salas. Granad.*

Secunda. Secunda per extremum affirmat, hoc esse impossibile, etiam de potentia absoluta. Illam amplectuntur Discipuli D. Thom. *in præsenti.* Mag. Soto *in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 3.* Molina *in hac quæst. art. 8. disp. 4.* Vazquez *disputatione 48.* Suarez *lib. 2. cap. 22.* Et ferè communiter PP. Societatis. *M. Sot. Molina. Vazquez. Suar.*

3 *Tertia.* Tertia distinguit inter visionem quidditatiuam, & intuitiuam non quidditatiuam, asseritque, visione quidditatiua, & intuitiua non posse videri essentiam sine attributis, & personalitatibus, nec è contra; benè tamen visione intuitiua non quidditatiua. Hanc sententiam sequitur Alarcon *tract. 5. disp. 5. num. 6.* deserens in hac parte Magistrum suum Vazquez, fortè quia in illa viam tritam, & veram Thomistarum aggreditur. Sed pro veritatis explicatione sit. *Alarc.*

4 *Prima conclusio.* PRIMA CONCLVSIO. *Implicat videri diuinam essentiam visione intuitiua, & quidditatiua, non visis attributis, & relationibus.* Hæc est de mente omnium Thomistarum. Et probatur: implicat videri aliquid quidditatiuè; secundum quod est in se, non visis prædicatis, quæ illi quidditatiuè competunt, prout est in se; at de quidditate diuinæ essentiæ, prout in se, sunt attributa, & relationes: ergo implicat in terminis, diuinam essentiam quidditatiuè, prout est in se videri illis non visis. Discursus tenet. Maior est certa; alias quidditatiuè videretur, & non videretur quidditatiuè. Minorem suppono ex his, quæ ab omnibus ferè Theologis contra Scotum docetur 1. *par. quæst.* 28. scilicet, attributa, & relationes esse de quidditate diuinæ essentiæ, prout in se, nec ab illa reali aliqua, seu formali distinctione secerni. Et confirmatur, rem cognosci, secundum quod est in se, est esse in cognoscente, prout est in se; at essentia diuina, prout in se, claudit essentialiter attributa, & relationes: ergo etiam in cognitione essentiæ prout in se, attributa, & relationes debent importari. *Probatur. Cōfirmatur.*

5 *Respondebis.* Respondebis, discursum nostrum euidentem esse, si cognitio sit quidditatiua adæquata, secus vero si inadæquata sit. Sed contra, implicat in terminis videri aliquid, secundum quod est in se, & inadæquatè videri: ergo solutio est nulla. Consequentia tenet, & antecedens probo: implicat aliquid quidditatiuè videri, prout in se; & videri sine aliquo illi essentiali, secundum quod est in se: ergo implicat videri quidditatiuè prout in se, & inadæquatè videri. Consequentia tenet; quia videri aliquid inadæquatè, est videri sine aliquo sibi essentiali. Et antecedens probo; implicat videri cum aliquo opposito, prout in se, & videri prout in se; vt si illud, quod est album videretur prout est nigrum: ergo pariter, implicabit videri aliquid, prout in se, & videri sine aliquo essentiali sibi prout in se. Antecedens est certum, & consequentiam probo: quia non magis repugnat rei, prout in se, affirmatio oppositi, quam negatio alicuius illi essentialis: ergo si repugnat videri prout in se, cum affirmatione oppositi, repugnabit pariter videri prout in se, cum negatione prædicati essentialis. *Contra.*

6 *Dices.* Dices, consequens esse verum, si videatur sine aliquo essentiali negatiuè, idest, si negetur de aliquo prædicatum essentiale illi, prout est in se, secus vero si præcissiuè solum sine illo videatur: & hoc secundo modo in præsenti contingere. Sed contra, simplex apprehensio alicuius rei cum prædicato opposito, etiam si affirmatio non sit, nequit esse cognitio rei, prout in se: ergo pariter simplex cognitio rei sine prædicato sibi essentiali, quamuis sit præcissiua, & non negatiua, nequibit esse cognitio illius, prout in se. *Contra.*

§. II.

De visione intuitiua, non quidditatiua.

7 *Secunda conclusio.* SECVNDA CONCLVSIO. *Implicat videri diuinam essentiam cognitione intuitiua, non quidditatiua, non visis attributis, & relationibus.* Hanc statuo contra tertiam sententiam, quam ostendo sic primo: implicat cognitio intuitiua diuinæ essentiæ, quæ non sit quidditatiua illius: ergo implicabit cognosci cognitione intuitiua, non visis attributis, & relationibus. Consequentia tenet ex probatione primæ conclusionis: & antecedens probo: implicat species, quæ sit talis cognitionis principium: ergo implicat talis cognitio intuitiua, non quidditatiua. Probatur antecedens, quia vel illa species esset creata, vel ipsa diuina essentia? non primum, vt ostendimus supra *Disputatione* 11. nec etiam secundum, quod sic ostendo: implicat quod diuina essentia vnita per modum speciei, sit principium cognitionis abstractiuæ sui: ergo implicabit etiam, quod sit principium cognitionis intuitiuæ, non quidditatiuæ. Consequentia videtur bona; nam ideò nequit esse principium cognitionis abstractiuæ sui, quia repræsentat se ipsam, vt exercitè existentem; sed etiam repræsentat existentiam exercitam, vt sibi essentialem, & includentem alia prædicata essentialia: ergo nequibit esse principium cognitionis existentiæ suæ non attingentis quidditatiuè alia prædicata essentialia. *Prob. 1.*

8 *Antecedens probatur 1.* Antecedens autem suadetur sic primo; cognitio abstractiua tendit ad obiectum, vel vt possibile, vel vt existens existentia signata; sed diuina essentia nequit se ipsam, vt sic, repræsentare: ergo nec esse poterit prædictæ cognitionis principium. Secundo, cognitio orta à principio, prout in se, debet terminari ad illud, prout in se; at eo ipso quod diuina essentia vniatur per modum speciei vnitur, vt existens, existentia exercita, & prout est in se: ergo cognitio, quæ oritur ab illa, debet ad eandem, prout vt in se, terminari, & consequenter non abstractiuè. *Secundo.*

9 Secundo Suadetur conclusio ex admissis à contraria sententia,

Secundo. ostenditur conclusio. sententia, ex eo non potest diuina essentia quidditatiuè attingi, non visis attributis, quia cognitio quidditatiua tendit in essentiam diuinam, prout in se; si namque non attingeretur, prout in se, oppositum contingere posset; sed etiam cognitio intuitiua non quidditatiua tendit in essentiam diuinam prout in se: ergo non potest intuitiuè attingi, non visis intuitiuè attributis. Tertio, *Tertio.* quia communicatio naturæ diuinæ terminatur ad illam, prout in re; implicat communicari naturam, non communicatis omnibus, quæ sunt communicabilia: ergo visione intuitiua tendente ad diuinam essentiam, prout in re, implicat naturam videri, quin videantur omnia visibilia; at attributa, & relationes possunt videri ex vi eiusdem visionis: ergo necessario videntur à vidente naturam.

10 *Dices.* Dices, communicationem præcissiuam non esse, & idcirco repugnare communicationem naturæ sine attributis, cognitionem autem intuitiuam esse præcissiuam.

Contra 1. Sed contra primo: idcirco, communicatio præcissiua non est, quia terminatur ad naturam diuinam, prout *Secundo.* in se; sed etiam notitia intuitiua terminatur ad illam, prout in se: ergo præcissiua non erit. Secundo, communicatio naturæ non est communicatione relationum, quia quoad communicari opponuntur: ergo si communicari nequit natura, non communicatis attributis, non ideò erit, quia communicatio præcissiua non est, sed quia communicatio terminatur ad illam prout in se, & aliàs attributa, & natura quoad communicari non opponuntur; at relationes, attributa, & natura quoad intuitiuè attingi non opponuntur; & aliàs intuitiua notitia naturæ terminatur ad illam prout in se: ergo implicat videri naturam non visis attributis, & relationibus.

11 *Vltimo prob. conclusio.* Denique suadetur conclusio; si diuina essentia posset intuitiuè videri, non visis attributis, posset etiam videri intuitiuè Deus, vt est auctor naturæ, non viso vt supernaturali auctore. Consequens est falsum; aliàs esset possibilis ex viribus naturæ intuitiua cognitio, quod nullus Theologorum admisit: ergo implicat talis cognitio intuitiua essentiam, & non attributa, & relationes attingens. Probo sequelam; ideò potest abstractiuè cognosci Deus, vt est auctor naturæ, quin cognoscatur vt supernaturalis, quia cognitio abstractiua præcissiua est; sed etiam in contraria sententia, intuitiua cognitio potest vnam perfectionem præscindere ab alia: ergo poterit terminari ad Deum, vt auctorem naturæ, quin attingat illum vt supernaturalem.

§ III.

Argumentis occurritur.

12 *Obijcies primo.* Obijcies primo contra vtramque conclusionem; non minus identificantur cum diuina essentia continentiæ creaturarum in particulari, quam attributa; sed stat videri diuinam essentiam, non visis continentijs creaturarum in particulari: ergo, & videri poterit, attributis non visis. Consequentia tenet. Maior est certa, & minor probatur; continentiæ creaturarum in particulari videri non poterunt, non visis creaturis in particulari; at videri non possunt à vidente Deum creaturæ omnes possibiles in particularis, vt supponimus: ergo nec omnes continentiæ illarum in particulari. Probatur maior, idcirco videri non potest omnipotentia, non viso possibili vt sic, quia cum illo habet necessariam connexionem; sed etiam continentiæ possibilium sub rationibus particularibus necessario connectuntur cum illis: ergo videri non poterunt illis non visis. Huic argumento faciemus satis *Disput. sequenti*; pro nunc scire sufficiat, multum probare. Probat namque, nedum de potentia absoluta, verum etiam de lege ordinaria, & de facto videri posse essentiam, attributis non visis; sicut etiam continentiæ creaturarum in particulari possunt non videri de lege ordinaria, iuxta intentum arguentis.

13 *Huic argumento respondebitur disp. sequenti.*

14 *Obijcies Secundo.* Obijcies secundo: communicatio diuinæ naturæ ad intra, est communicatio illius prout in se; & tamen est communicatio inadæquata illius, non communicans relationem paternitatis, v. c. sibi identificatam: ergo etsi visio quidditatiua Dei terminetur ad illam prout in se, stabit esse inadæquatam, & terminari ad essentiam, quin ad attributa, & relationes illis identificata terminetur. Confirmatur hoc amplius, vnio humanitatis ad *Confirmatur.* Verbum recipit transcendentaliter, vt extremum sui, personalitatem Verbi prout in se; & tamen non terminaturad personam Patris: ergo, pariter transcendentalis respectu visionis terminari poterit ad personam Verbi, prout in se, quin attingat Patris personam, & consequenter vna persona sine alia poterit videri.

Respondeo ad argumentum, concessa maiori, & minori, negando consequentiam: quia essentia, & paternitas non conueniunt in ratione communicabilis; imo vt sic opponuntur, at vero quoad videri non opponuntur, imo necessario connectuntur. Et instatur manifeste argumentum sub hac forma illud proponendo; implicat actionem communicatiuam naturæ terminari ad relationem Patris, illam communicando: ergo implicabit etiam notitiam intuitiuam naturæ ad illam relationem terminari. Antecedens est verum, & consequens falsum: sicuti ergo non tenet quoad hoc, ita nec quoad illud, quod intendit probare. 15 *Respond.*

Ad confirmationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam; quia quoad videri habent necessariam connexionem; secus vero quoad terminare. Et insto argumentum euidenter, ni fallor; relatio creata producitur, quin eadem actio ad correlatiuum terminetur: ergo cognosci poterit quidditatiuè, quin correlatiuum cognoscatur. Antecedens est certum; consequens autem contra omnes Metaphysicos, non alia de causa, nisi, quia quoad produci ex vi eiusdem actionis, non connectuntur; benè autem quoad cognosci quæ doctrina admittitur ab Auctore pro tertia sententia relato. Inconsequenter tamen, si namque vt ipse fatetur, paternitas diuina videri non potest, quin videatur filiatio, à fortiori nec essentia sine attributis poterit videri. Tum, quia vrgentius militat ratio. Tum, quia argumentum factum, quo ipse conuincitur, æquè procedit de relatione paternitatis comparata cum filiatione, ac de essentia cum attributis. 16 *Ad confirmationem.*

Obijcies tertio, Angelus superior intuitiuè, & quidditatiuè, & imò & comprehensiuè inferiorem cognoscit, & consequenter ipsum cognoscit secundum quod est in se; & tamen non cognoscit obedientialem potentiam, quæ cum substantia visa est identificata: ergo stat aliquid intuitiuè quidditatiuè videri, non viso aliquo prædicato sibi identificato formaliter; ac proinde euertitur fundamentum nostrum; & conclusio falsitatis conuincitur. 17 *Obijcies tertio.*

Nec vim argumenti effugiet, qui dicat, potentiam obedientialem ad supernaturalia dona recipienda, non identificari formaliter cum substantia creata. Tùm, quia probabilior est in Schola Thomistica opposita sententia concedens identitatem formalem potentiæ obedientialis cum substantia creata. Tùm etiam, quia ad minus est necessario cum illa connexa; hæc autem connexio idem quoad videri vel non videri præstat, ac formalis identitas, vt in possibilibus ad omnipotentiam comparatis licet videre: ergo subsistit vis argumenti. *Si dicas. Contra 1. Secundo.*

Nec sufficit, si dicatur secundo, videri obedientialem potentiam, nec ex hoc inferri supernaturalia lumine naturali cognosci: quia non sunt terminus primarius, sed secundarius talis potentiæ, ad quam naturales formæ vt primarius terminus comparantur. Non, inquam sufficit, ad minus namque sunt primarius terminus illius potentiæ, etsi non secundum suam entitatem, bene tamen vt obedientialis formaliter: ergo nequibit prædicta potentia sub hac reduplicatione cognosci, nisi supernaturalia eodem lumine attingantur. 18 *Si dicas Secundo. Contra.*

Si dicas, illam reduplicationem fieri supra secundarium conceptum, & sic nihil mirum, quod cognosci possit non cognitis supernaturalibus donis. Obstat in contra, quod in sententia communiori Thomistis, omnipotentia non est ab intellectu, & voluntate diuina distincta, sed idem attributum cum aliquo illorum; & consequenter reduplicatio omnipotentiæ, prout creatutas connotat, est reduplicatio secundarij conceptus alicuius ex illis attributis; & tamen in eorundem sententia, repugnat omnipotentiam videri, non cognitis possibilibus, saltim in communi: ergo quod formalitas potentiæ obedientialis, prout ad supernaturalia comparatur, sit secundarius quidam conceptus potentiæ naturalis, non tolit quo minus nequeat prout sic videri absque eo quod ex vi eiusdem luminis supernaturalia attingantur. 19 *Respondebis. Contra.*

Ad hoc argumentum omissis, impugnatis solutionibus, respondeo, concessa maiori, & minori, distinguendo consequens: non viso aliquo stante sub eadem ratione visibilis, nego consequentiam: non cadente sub eadem ratione visibilis, concedo consequentiam; & quia obedientialis potentia, vtpote supernaturalis, saltim connexiuè, non cadit sub eadem ratione 20 *Respond. ad argumentum.*

cognoscibilis

cognoscibilis cum naturalibus perfectionibus; consequens fit, vt istæ possint intuitiuè, & quidditatiuè videri, illa non visa. Vnde, quando asserimus, obiectum cognitum, prout est in se, debere videri secundum omnia sibi identificata formaliter, debet intelligi, secundum omnia cadentia sub eadem ratione cognoscibilis. Et quidem argumentum hoc, si quid probaret, multum conuinceret, posse scilicet Deum, nedum quidditatiuè, verum etiam comprehensiuè attingi, non cognitis attributis, & relationibus, vt illud consideranti constabit: sicuti ergo, quando in definitione comprehensionis asseritur, quod debet cognoscere obiectum, quantum cognoscibile est, intelligi debet, quoad ea, quæ cadunt sub eadem ratione cognoscibilis: Ita quando asserimus de visione intuitiua quidditatiua, debere attingere omnia identificata formaliter, cū eadem limitatione est accipiēdum.

21 *Si opponas.* Si opponas, multo magis adæquari petit comprehensio cum obiecto suo, quam intuitiua quidditatiua cognitio: ergo sicut stat, vt in casu posito contingit, comprehensio obiecti illud non adæquans secundum quod est in se, stabit etiam visio rel prout in se inadæquata. Respondeo, distinguendo consequens: inadæquata respectu obiecti secundum ea, quæ sub eadem ratione cognoscibilis cadunt, nego consequentiam; secundum aliqua sub eadem ratione cognoscibilis non comprehensa, concedo consequentiam. *Respond.*

22 *Dices. Respond.* Dices respectu visionis quidditatiuæ inadæquatæ non starent sub eadem ratione perfectiones non visæ: ergo solutio est nulla. Respondeo, vel negando suppositum, vel dicendo, quod starent, & non starent; starent ea ratione, qua est intuitiua quidditatiua, & alias attributa omnia gaudent eadem prorsus immaterialitate, quæ est ratio cognoscibilitatis; & non starent ex ea ratione, qua inadæquata asseritur, quæ est manifesta implicatio.

23 *Arg 4.* Obijcies quarto; obiectum visionis intuitiuæ Dei, ante attributa, & relationes saluatur: ergo stat, dari notitiam intuitiuam diuinæ naturæ non attingentem illa expressè. Probatur antecedens; obiectum prædictæ notitiæ est Deus vt existens; at Deus vt existens antevertit vtrumque; attributa quidem, quia existentia immediatè conuenit naturæ; & relationes, quia Deus vt existens est communis tribus personis; communia autem sunt priora proprijs, seu notionalibus: ergo verum est antecedens.

Respond. Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: secundum omnia sibi essentialia, prout existens est, concedo maiorem: secundum ea, quæ præcisè explicat, prout à nobis imperfectè cognoscitur, nego maiorem: & sub eadem distinctione, concessa, & negata minori, nego consequentiam; anteuertentia namque existentiæ ad relationes conuenit Deo comparato ad imperfectum, & confusum conceptum, quem viatores formamus de illo, non vero comparato ad intuitiuam, & claram notitiam.

Obijcies quinto; ratio coloris, & ratio qualitatis à parte rei sunt identificatæ; & tamen stat intuitiuè videri rationem coloris, non visa ratione qualitatis, imo de facto visiua potentia attingit rationem coloris, quin rationem qualitatis attingat: ergo euertitur nostrum fundamentum. Si dicas; rationem qualitatis, etsi cum ratione coloris sit identificata, non tamen contineri sub eadem ratione visibilis, & idcirco videri posse colorem, non visa qualitate, vt dicebamus soluendo tertiam obiectionem. In contrarium arguitur; quando à longe obijcitur aliquod lucidum, coloratum intuitiuè videtur sub ratione colorati, non tamen videtur vt album, vel nigrum; & tamen album, & nigrum continentur sub eadem ratione visibilis cum colorato: ergo solutio ruit. 24 *Arg. 5.* *Si dicas,* *Contra insurgit.*

Dices, quod licet album, & nigrum contineantur sub eadem ratione visibilis absolutè, non tamen sub eadem ratione visibilis per speciem immissam ab obiecto in tali distantia constituto. Sed contra: ergo iam stat, duo inter se identificata, non connecti necessario quoad repræsentari per speciem; & consequenter poterunt diuinæ formalitates inter se præscindi, quamuis à parte rei sint identificata, & vnam sine altera per speciem aliquam repræsentari. Respondeo, iuxta solutionem traditam vsque ad vltimam replicam, ad quam ex dictis facilè responderur, non posse dari speciem aliquam intuitiuè repræsentantem, aliquam formalitatem diuinam, nisi ipsammet formalitatem Dei; qualibet autem diuina perfectio omnes diuinas perfectiones repræsentat, & omnes sub eadem ratione repræsentabilis per increatam speciem continentur. 25 *Si respondeatur. Contra insurgunt.* *Respond.*

Ex dictis colligitur, non posse de potentia absoluta vnam personam sine alia videri. Probatur; non potest videri vna persona, quin videatur diuina natura sibi identificata; hæc nequit videri, quin videantur omnes personæ ob identitatem, quam habet cum illis: ergo de primo ad vltimum non potest vna persona sine alia videri. 26 *Infertur*

DISPVTATIO XX.

Vtrùm beati videant creaturas in diuina essentia, vt in obiecto prius cognito?

§ I.

Relatis sententijs verior eligitur.

Nu. 1. *Prima sentētia. Vazquez. Herice.* IN hac Disputatione tres versantur sententiæ. Prima negatiua, quam tenet, & acriter defendit. Vazquez *disp.* 50. pro illa referens Ochamum, Maiorem, Bonauenturam, Paludanum, & alios, de cuius fide dubitauit Herice *disp.* 51. *cap.* 1. molestissime ferens, quod ita iniquè (sic loquitur Herice) contenderit Vazquez in suam sententiam Angelicum Doctorem adducere. Vazquium sequuntur Alarcon, & Becanus. Secunda concedit creaturas possibiles cognosci à beatis ex vi eiusdem visionis in diuina essentia, vt in obiecto prius cognito: id tamen de existentibus negat; hanc tenet Durandus *in* 3. *dist.* 14 *q.* 2. *& in* 4. *dist.* 49 *q.* 3. quam sequitur nouissimè Herice *disput.* 51. *&* 52. *Secunda.* *Durand.*

2 *Tertia. Molina. Suar. Valent. Machin. Fasolis. Granad. Nostra conclusio.* Tertia, & vera sententia, tam de possibilibus, quam de existentibus affirmat, in diuina essentia, vt in obiecto prius cognito videri: ita omnes Thomistæ in præsenti. Ex alienis Molina *disp.* 2. *ante medium*. Suarez *lib.* 2 *de attributis negatiuis cap.* 25. *&* 27. Valentia *punct.* 6. Machin. *disp.* 19. Fasolis circa istum articulum *à dub.* 4. *vsque ad* 20. Granados *tract.* 6. *disp.* 1. per plures sectiones. Estque communis apud Modernos, quam sententiam pro conclusione statuo:

Et omissis multis auctoritatibus, quibus illam valide confirmant Auctores relati, quoad primam partem ostendo sic primo. Causa perfectè continens effectum, est sufficiens medium, vt in illa cognita cognoscatur effectus; sed Deus perfectissimè continet creaturas, vt illarum causa: ergo in illo cognito poterunt creaturæ cognosci. Huic argumento respondent Auctores contrarij, veram esse maiorem: quando causa ad effectum refertur relatione aliqua reali, Deus autem, etsi perfectissimè contineat creaturas, non refertur ad illas relatione reali. 3 *Prob. i quoad 1. partem.* *Respōdēt contrarij.*

Verum contra solutionem istam oppono sic primo. Ratio cur causa manifestat effectum vt cognita, non est ordo realis, sed realis continentia; at diuina essentia perfectissimè continet creaturas vt illarum causa: ergo quamuis ad illas non referatur realiter, poterit illas manifestare vt cognita, & in illa vt in obiecto cognito cognosci poterunt. Consequentia tenet: minor est certa: & maior ostenditur primo. Ratio cur causa prædicto modo manifestat effectum, non est id, quod imperfectionem dicit, in illa, sed id quod perfectionis est; at quod causa realiter respiciat effectum, non ad perfectionem, sed ad imperfectionem causæ reducitur; quo circa Deus, vtpotè perfectissima causa, non respicit creaturas per rea- 4 *Contra 1.* *Maior ostenditur primo.*

lem respectum: ergo ratio cur causa dicto modo manifestat effectum, non est realis ordo, sed continentia realis.
5 *Secundo.* Secundo probatur maior: causa manifestans effectum, vt cognita, non manifestat illum vt effectus illius, sed vt eius causa; aliàs cognitio effectus per causam non esset cognitio à priori, sed à posteriori; at causa sub ea ratione, qua dicit realem respectum ad effectum, non est causa, sed effectus: ergo non manifestat effectum ratione realis ordinis, sed ratione realis continentiæ. Discursus tenet: maior est certa: & minor probatur; respectus realis transcendentalis, est respectus dependentiæ: ergo respicies transcendentaliter, in quantum tale, est dependens; at dependens in quantum tale, non est causa, sed effectus: ergo causa prout dicens transcendentalem ordinem ad effectum, non est formaliter causa, sed effectus illius, licet in alio genere causæ.

6 *Contra 2.* Secundo principaliter impugnatur solutio: vnum extremum cum alio necessario connexum sufficienter ducit in eius cognitionem, vt obiectum cognitum, etsi ad illud non dicat ordinem realem; sed omnipotentia diuina, & scientia simplicis intelligentiæ Dei, habent necessariam connexionem cum creaturis possibilibus: ergo in illis vt cognitis poterunt cognosci creaturæ possibiles. Illatio tenet: maior est certa, id enim ipsum præstare potest necessaria connexio, quod realis respectus. Minor autem, in qua offendunt contrarij, probatur: implicat vis productiua alicuius absque termino producibili, sicut & vis intellectiua absque obiecto intelligibili, & appetitiua absque obiecto appetibili: ergo implicat omnipotentiam conuenire Deo absque possibilitate creaturarum; & consequenter omnipotentia Dei cum creaturarum possibilitate est connexa.

7 *Dices.* Dices; omnipotentiam non esse vim productiuam creaturarum absolutè, sed solum sub conditione non repugnantiæ illarum; benè autem potest intelligi potentia productiua alicuius sub conditione quod non repugnet, etiam si absolutè repugnet, sicut de facto est potentia in Deo ad productionem chimeræ, si non repugnet quamuis de facto repugnet chimera. Sed contra primo: nam potentia productiua termini absolutè existens sub conditione non repugnantiæ termini absolutè repugnantis, est omnino chimerica, & fictitia: ergo & solutio tradita. Probo antecedens: fictitia est, & chimerica, & omnino impossibilis actualis productio sub
Contra 1. conditione non repugnantiæ termini absolutè repugnantis: ergo fictitia, & chimerica erit potentia productiua sub conditione non repugnantiæ termini absolutè repugnantis. Antecedens ex ipsis terminis apertè constat: consequentia verò probatur: quia non minus connectitur potentia productiua cum producibili, quam actualis productio cum termino à se producto.

8 *Secundo.* Contra secundo: conditionatum transit in absolutum purificata conditione: ergo quando conditionis purificatio est necessaria, transitus de conditionato in absolutum necessarius erit; at quod creaturæ, quæ de facto possibiles sunt non repugnent, est conditio ita necessaria, vt oppositum implicet: ergo quod Deus habeat vim productiuam illarum absolutam erit ita necessarium, vt oppositum implicet. Tunc vltra; sed potentia productiua absoluta, necessario connectitur cum producibili absolutè: ergo quod omnipotentia diuina cum possibilibus connectatur, est omnino necessarium. Tertio, quia ad
Tertio. minus admittunt contrarij, omnipotentiam cum creaturis connecti sub conditione, quod non repugnent; at totum hoc obiectum cum hac conditione est quid creatum: ergo admittunt necessariam connexionem omnipotentiæ cum aliqua veritate creata absque vlla imperfectione; & consequenter instatur manifestè argumentum, cui totaliter fidunt, nempè, imperfectionem maximam esse, perfectiones diuinas cum veritatibus creatis necessario connecti.

9 *Secundo suadetur conclusio.* Secundo principaliter suadetur conclusio. Creaturæ possibiles sunt cognoscibiles ex vi essentiæ diuinæ, vt cognitæ per modum obiecti: ergo de facto sic cognoscuntur. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur sic primo. Si non essent in illa vt in obiecto cognito co-
Antecedens probatur 1. gnoscibiles, sequeretur, Deum de facto comprehendi à Beatis. Consequens est absurdum: ergo sunt ita cognoscibiles. Probo sequelam: tunc obiectum aliquod comprehenditur, quando cognoscitur quantum cognoscibile est; at si creaturæ non sint cognoscibiles in essentia diuina, vt in obiecto cognito, & ex vi cognitionis illius, cognoscetur de facto à Beatis quantum petit cognosci: ergo de facto ab illis comprehendetur. Probo minorem; de facto cognoscitur quoad omnia, quæ formaliter necessario competunt Deo; aliàs creaturæ possibiles, in sententia opposita, non sunt cognoscibiles ex vi cognitionis illius, nec cum illo vt obiecto cognoscibili habent connexionem: ergo de facto à Beatis cognoscitur quantum petit cognosci.

Secundo primum antecedens probatur. Si non essent 10 *Secundo.*
creaturæ, cognoscibiles in diuina essentia ratione connexionis, quam habet cum illis, maior beatitudinis essentialis perfectio non argueretur ex cognitione plurium ex possibilibus: consequens est falsum; cum non sit aliud caput vnde colligatur: ergo sunt cognoscibiles in essentia. Probo sequelam; quia creaturæ existentes non cognoscuntur in essentia diuina ratione connexionis necessariæ cum illis; sed ratione reuelationis, plurium existentium cognitio non arguit excessum in beatitudine essentiali: cum possit contingere, vt aliquis non ita sanctus plura existentia cognoscat, quam alius, a quo in sanctitate exceditur, vt si plura ad eius statum spectent: ergo si possibilia non cognoscantur in diuina essentia ratione connexionis necessariæ cum illis, ex plurium possibilium cognitione non colligetur excessus in essentiali beatitudine.

Denique primum antecedens probatur; de facto 11 *Tertio.*
Deus cognoscit omnes creaturas possibiles in essentia sua, vt in obiecto cognito: ergo aliquæ illarum cognoscibiles erunt ab intellectu beati in illa vt in obiecto cognito, & ex vi cognitionis illius. Consequentia est euidens; nam si diuina essentia comprehensa à Deo repræsentat illi vt obiectum cognitum omnia possibilia, cognita quidditatiuè ab intellectu beati, poterit ei aliqua ex illis vt obiectum cognitum manifestare. Antecedens autem, etsi à Vazquio, & sequacibus negetur, multis à Thomistis conuincitur *in hac 1. par. q. 14.* & pro nunc breuiter ostenditur primo: nam eo ordine diuina *Antecedens ostenditur 1.*
cognitio termi natur ad essentiam diuinam, & creaturas, quo ab essentia diuina, vt gerente munus speciei repræsentantur; at diuina essentiæ, vt species impressa nequit repræsentare immediatè creaturas; cum non habeat proportionem cum illis, sed immediatè repræsentat se ipsam, & mediatè se ipsa creaturas: ergo pariter diuina cognitio. Secundo probatur; defectus realis ordinis ad creaturas non tollit, quominus diuina essen- *Secundo.*
tia repræsentet creaturas, vt species impressa, & expressa; cum fateatur Vazquez, Deum in se ipso, vt in specie impressa cognoscere creaturas: ergo nec obstabit, quominus illas vt obiectum cognitum manifestet intellectui diuino, & consequenter in illa vt in obiecto cognito creaturas cognoscit.

Et ex his probata manet secunda pars conclusionis 12 *Secunda pars conclusionis probatur.*
nostræ; ideò namque, vt fatetur Durandus, & sequitur Herice, Deus in se ipso, vt in obiecto cognito, cognoscit creaturas possibiles, quia perfectè illas continet tanquam illarum causa; sed etiam perfectè continet creaturas existentes sub esse actuali tanquam illarum causa: ergo cognosci poterunt in diuina essentia vt in obiecto cognito, & ex vi eiusdem cognitionis.

Respondent, diuinam essentiam ratione omnipotentiæ 13 *Respondebis.*
necessario connecti cum creaturarum possibilitate, & idcirco in illa posse creaturas vt in obiecto cognito attingi: cæterum cum futuris, aut existentibus, nulla Dei perfectio necessario connectitur; quo circa cognosci nequeunt in diuina essentia vt in obiecto cognito. Sed contra, & in primis ad hominem contra P. Herice Ipse namque disp. 51. citata, in argumentorum solutione fatetur, posse Dei essentiam, & omnipotentiam cognosci, nulla *Contra et ad hominem contra P. Herice 1.*
cognita creatura possibili: ergo in ratione obiecti cogniti non connectitur necessario cum creaturis possibilibus. Tenet consequentia; nam sicut id connectitur cum alio in genere entis, quod nequit subsistere sine illo; ita id cum Deo in ratione obiecti connectitur necessario, quod sine illo cognito cognosci non potest. Tunc vltra, hoc non obstante, fatetur Herice, manifestare creaturas possibiles, vt obiectum cognitum: ergo etiam si diuina essentia in ratione entis cum creaturis existentibus non connectatur, poterit illas repræsentare.

Secundo, nam in eiusdem auctoris sententia, Dei co- 14 *Secundo.*
gnitio formaliter repræsentat creaturas absque necessaria connexione cum illis: ergo & diuina essentia illas obiectiuè manifestare poterit, etsi cum illis necessario non connectatur. Tertio; quia ex solutione data solum col- *Tertio.*
ligitur, creaturas possibiles necessario repræsentare, futuras autem, aut existentes non necessario, sed libere: ergo idem quod prius. Probatur antecedens, necessaria continentia creaturarum vt possibilium, fundat necessariam repræsentationem illarum per modum obie-
cti:

ctit ergo libera continentia earundem vt existentium fundare potest liberam manifestationem illarum per modum obiecti.

15 *Quarto impugnatur dicta solutio.* Denique impugnatur solutio: etsi omnipotentia diuina absolute sumpta per modum actus primi, non inferat existentiam, aut futuritionem creaturarum, adiuncto tamen diuino decreto ita necessario illam infert, ac absolute sumpta infert illarum possibilitatem: ergo sicuti in illa, prout in actu primo cognoscuntur creaturæ possibiles, vt in obiecto cognito, ita in illa vt per liberum decretum determinata cognosci poterunt creaturæ existentes, aut futuræ.

§. II.

Duobus argumentis contra primam partem conclusionis occurritur.

16 *Arguit primo cõtra primã partẽ conclusionis. Respondetur.* Contra primam partem nostræ conclusionis obijciunt Authores contrarij primo Causa non relata realiter ad effectum, nec illi similis, nequit vt cognita ducere in cognitionem effectus; sed diuina essentia, & omnipotentia diuina non dicunt realem ordinem ad creaturas, nec illi assimilantur: ergo in illis nequeunt cognosci creaturæ possibiles vt in obiecto cognito. Respondetur negando maiorem, quam contrarij non probant, sed nec probare possunt, vt namque causa cognita manifestet effectum, sufficit illum in se continere, & cum illo connecti; omnipotentia autem diuina, etsi realem ordinem ad creaturas non dicat, illas tamen perfectissime continet, & cum illis necessario connectitur; ac proinde in illa possunt cognosci, & de facto cognoscuntur creaturæ, vt in obiecto cognito; & quidem mirum est, quod Angelus in sua essentia proprietates suas cognoscat, vt in obiecto cognito, & quod in omnipotentia perfectiori modo continente creaturas non possint creaturæ cognosci.

17 *Oppones primo.* Verum contra solutionem istam, vt illius veritas magis innotescat, oppones sic primo: si omnipotentia cum creaturis possibilibus, necessario connecteretur, dependeret ab illis; at ab illis est omnino independens: ergo nequit cum illis necessario connecti. Discursus tenet, minor est certa, & maior ostenditur primo: vnum dependere ab alio in nullo alio consistit, quam in hoc quod sine illo nequeat subsistere; at qui eo ipso, quod omni potentia diuina necessario connectatur cum possibilibus, nequit sine illis subsistere: ergo ab illis pendebit. *Secundo.* Secundo illa mutuo dependent quæ posita se ponunt, & ablata, se auferunt; sed eo ipso, quod connectatur omnipotentia cum possibilibus, ita contingit: ergo mutuo dependent.

18 *Respondetur ad 1.* Respondeo negando sequelam: ad illius primam probationem distinguo maiorem: quod sine illo nequit subsistere ratione subordinationis ad illud, concedo maiorem: ratione continentiæ illius per modum causæ, nego maiorem, & distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam: quod namque omnipotentia sine possibilibus nequeat subsistere, non prouenit ex subordinatione omnipotentiæ ad possibilia, sed potius è contra ex subordinatione possibilium ad omnipotentiam; & quia illa continet tanquam illorum causa: implicat autem contineri effectum in causa absque effectus possibilitate; & quidem in diuinis, Pater nequit sine filio subsistere, nec filius sine Patre; & tamen, nec Pater à Filio, nec Filius à Patre dependet; & in creatis vnum relatiuum nequit sine alio existere, à quo tamen non pendet, cum relatiua sint simul cognitione, & natura.

19 *Ad secũdum.* Ad secundam probationem, distinguo maiorem: si se ponant, & auferant à priori, concedo maiorem: si vnum à priori, & aliud à posteriori, nego maiorem, & distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam: quia possibilitas creaturarum non infert existentiam omnipotentiæ illatione à priori, tanquam causa omnipotentiæ, sed solum à posteriori tanquam eius effectus; sicuti ex risibilitate rationalitatem colligimus; omnipotentia autem infert creaturarum possibilitatem tanquam illius causa.

20 *Si dicas. Respond.* Si dicas, creaturarum possibilitas infert omnipotentiam vt obiectum illius: ergo à priori. Respondeo, distinguendo antecedens: tanquam obiectum, ad quod omnipotentia ordinetur, & propter quod sit tanquam propter finem, nego antecedens: tanquam obiectum, ad quod omnipotentia non ordinatur, sed potius ipsum est propter omnipotentiam, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia tunc solum obiectum est causa potentiæ, quando potentia ad ipsum ordinatur.

Obijcies secundo, si omnipotentia necessario connecteretur cum possibilibus, ex destructione possibilitatis cuiuscumque possibilis, sequeretur destructio omnipotentiæ; at hoc est impossibile: ergo & connexio. Discursus tenet, sequela est legitima, & minor suadetur sic primo. Ex destructione minus necessarij non sequitur destructio magis necessarij; sed omnipotentia est magis necessaria, quam possibilitas creaturarum; cum habeat necessitatem essendi à se, possibilia vero non à se, sed ab alio: ergo destructio alicuius possibilis, omnipotentiæ destructionem non infert. 21 *Obijcies secundo. Minor ostẽditur primo.*

Secundo, si ex ablatione possibilitatis hominis, v. c. sequeretur ablatio omnipotentiæ, sequeretur etiam ex destructione illius destructio omnium possibilium, etiam supernaturalium: at hoc est impossibile: ergo & destructio omnipotentiæ ex possibilium destructione. Sequela est nota; ablata namque omnipotentia aufertur omnia possibilia: ergo si ex destructione possibilitatis hominis sequeretur destructio omnipotentiæ, sequeretur etiam destructio possibilitatis omnium, etiam supernaturalium. Falsitas autem consequentis probatur; quia alias homo secundum suum esse naturale exposceret possibilitatem supernaturalium; ac perconsequens, non posset comprehendi ab Angelo lumine naturæ; cum nequeat aliquid comprehendi, non cognito illo, cum quo necessario connectitur: Angelus autem nequeat lumine naturæ supernaturalia cognoscere; at hæc omnia sunt falsa: ergo & id ex quo sequuntur. 22 *Secundo.*

Tertio; omnipotentia Dei consistit in potentia ad omne non implicans; sed adhuc reddito impossibili homine, maneret in Deo potentia ad quidquid non implicat: ergo integra, & adæquata subsisteret omnipotentia. Denique minor principalis suadetur; sic comparantur ad omnipotentiam diuina possibilia in particulari, sicuti ad visiuam potentiam particularia colorata; sed ex eo quod redderetur impossibilis particularis color, albedo v. c. non sequeretur non esse, seu destructio potentiæ visiuæ: ergo idem de omnipotentia. Maior certa videtur. Minor autem constat: quia maneret color in communi, à quo specificatur potentia visiua: ergo maneret potentia visiua eiusdem rationis. 23 *Tertio. Quarto.*

Respondeo, concedendo sequelam, & negando minorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: si minus necessarium sit necessario connexum cum magis necessario, nego maiorem: si non ita contingat, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: quia licet creaturæ possibiles non sint ita necessariæ ac omnipotentia; sunt tamen necessario cum illa connexæ, & è contra; quod autem inter magis, & minus necessarium possit interuenire necessaria connexio, manifestè constat in essentia hominis, & illius passionibus, inter quæ interuenit necessaria mutua connexio; cum tamen essentia magis necessaria sit, quam passiones. 24 *Respond. ad primũ.*

Ad secundam minoris probationem, distinguo consequens: sequeretur per illationem immediatam, nego sequelam: per mediatam illationem, concedo sequelam, & nego minorem; nec ex hoc sequitur; hominem secundum esse naturale connecti cum supernaturalibus, aut illorum possibilitatem exposcere: quia homo secundum suum esse naturale formaliter, solum petit omnipotentiam, vt productiuam sui, quod autem sit supernaturalium productiua, hoc est, quid materiale respectu exigentiæ hominis secundum suum esse naturale. 25 *Ad secũdam.*

Dices; homo secundum suum esse naturale necessario connectitur cum omnipotentia Dei, vt infinita est; at omnipotentia vt infinita, etiam supernaturalium productiua: ergo connectitur connexione formali cum illa prout sic; & consequenter cum supernaturalibus. Distinguo maiorem; vt est infinita intensiuè in modo producendi hominem, concedo maiorem: secundum adæquatam extensionem suæ infinitatis, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. 26 *Dices. Respond.*

Ad tertiam probationem minoris, distinguo maiorem: consistit in potentia ad omne non implicans in quauis suppositione conficta, nego maiorem: ad omne non implicans modo, concedo maiorem, & distinguo minorem: maneret potentia ad non implicans pro tunc, transeat minor: ad non implicans, quod modo non implicat, nego minorem, & consequentiam: quia cum omnipotentia diuina, quæ de facto datur, sit potentia ad omne, quod modo 27 *Ad tertiã*

25 modo non implicat, & modo non implicet homo, est potentia ad hominem; si autem homo redderetur implicans, non esset potentia productiua hominis; & *Ratio ex ba de-ctiua.* consequenter variaretur intrinsecè. Ex quo licet obiter colligo; tunc non remansuram, ne e istam omnipotentiam, nec aliam: non istam, quia auferretur ab illa aliquod prædicatum intrinsecum; & consequenter tota destrueretur: non aliam; quia implicat alia ab ista distincta; sicut implicat alius Deus distinctus a vero Deo, qui de facto datur.

26 *Ad vltimam.* Ad vltimam probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, distinguo antecedens: maneret color in communi cum eadem amplitudine, nego antecedens: sine illa, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia reddita impossibili albedine, iam color in communi non posset ad albedinem contrahi; & consequenter non maneret cum illa amplitudine, quam habet modò, & cum qua specificat visiuam potentiam. Nec ex hoc sequitur, specificationem visiuæ potentiæ desumendam esse a coloribus particularibus; quia non se habent, vt specificantes, sed solum vt species contrahentes colorem specificantem; nec ex illorum impossibilitate sequeretur immediatè destructio potentiæ visiuæ, quæ de facto datur, sed solum mediatè, quatenus ex destructione possibilitatis albedinis, sequitur variatio in ratione communi coloris, quæ per albedinem est contrahibilis.

29 *Arg. 2. Sequela prob.* Secundo principaliter arguunt argumento, cui potissimè fidunt, quia sequitur ex nostra sententia, quemlibet beatum de facto omnia possibilia videre; consequens est falsum: ergo & sententia. Probatur sequela sic primo; si diuina essentia vt obiectum cognitum manifestaret creaturas possibiles, necessario, & non liberè mani-*Secundo.* festaret illas: ergo cuilibet beato manifestaret omnes. Secundo, nulla formalitas diuinæ essentiæ, quæ est obiectum primarium, latere potest aliquem beatum, sed omnes cognoscunt omnia, quæ formaliter competunt Deo: ergo si diuina essentia cognita manifestat creaturas, cognita adæquatè, quantum ad omnia, quæ formaliter habet manifestabit necessario intellectui beati omnes creaturas.

30 *Tertio.* Tertio; cognita omnipotentia Dei, non potest, in nostra sententia, non cognosci necessario ratio entis creati sub communi conceptu possibilis: ergo necessario etiam debent cognosci omnia possibilia in particulari. Patet consequentia; nam primum necessario contingit, quia omnipotentia Dei necessario connectitur cum ente creabili sub hac generali ratione; sed etiam necessario connectitur omnipotentia diuina, vt continens hominem cum hominis possibilitate, vt fateri tenemur: ergo non poterit omnipotentia diuina cognosci, non cognito homine in particulari, & sic de alijs.

31 *Si dicas, Contra.* Si forte dicatur; beatum visa essentia diuina non videre omnipotentiam, vt continentem hominem. In contrarium obstat, quod omnipotentia vt continens hominem est prædicatum necessario competens Deo: ergo non potest prout sic non videri à vidente essentiam, *Si iterum dicas. Contra.* iuxta dicta Disputatione præcedenti. Si dicas; videri quoad id, quod importat in recto dicta continentia, non autem quoad obliquum, & terminum. In contrarium arguunt, non potest videri omnipotentia secundum id, quod dicit in recto, non cognito obliquo, nempè ente producibili vt sic; quia necessario cum illo connectitur; sed etiam continentia actiua hominis competens Deo secundum id, quod dicit in recto, necessario connectitur cum homine in obliquo importato: ergo non poterit cognosci secundum id, quod dicit in recto, non cognito obliquo, videlicet homine.

32 *Resp. ad 1. probationem.* Ad hoc argumentum respondetur, negando sequelam. Ad cuius primam probationem dicatur; essentiam diuinam manifestare necessario creaturas, iuxta capacitatem intellectus actuati lumine gloriæ; & quia lumen creatum non est capax videndi in Verbo omnes creaturas possibiles, sed plures, vel pauciores iuxta maiorem, vel minorem intensionem sui; idcirco essentia diuina non manifestat omnes in actu secundo, etsi quantum est de se, possit illas manifestare, vt de facto manifestat intellectui diuino; & quidem si diuina essentia per modum speciei, non repræsentat omnes, sed aliquas intellectui beatis, quia repræsentat iuxta luminis actiuitatem; cur id ipsum præstare non poterit manifestatione obiectiua, & eadem ratione?

33 *Ad secundam.* Ad secundam probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: si cognoscantur formalitates omnes diuinæ adæquate intensiuè, concedo consequentiam; si solum extensiuè, non verò intensiuè, nego consequentiam: intellectus autem Beati, etsi videat omnes formalitates formaliter existentes in Deo; non tamen videt illas omni intensione, qua petunt videri, & idcirco, vt sic visæ non manifestant obiectiuè omnia possibilia.

34 *Instat Vazquez.* Sed instat Vazquez, quod diuina essentia magis, vel minus intenso lumine videatur, non dicit diuersitatem ex parte obiecti primarij visi; sed solum in modo videndi: ergo ex parte obiecti primarij tot formalitates videntur medio lumine intenso, ac medio lumine remisso; at in nostra sententia, essentia visa manifestat creaturas: ergo visa quoad omnia, quæ formaliter dicit, manifestabit omnia, quæ eminenter continet; & consequenter omnia à quolibet beato videbuntur, siuè habeat intensum, siuè remissum lumen.

35 *Respondetur.* Respondeo, concessa prima consequentia, & minori subsumpta, negando vltimam consequentiam; quia licet ex parte obiecti primarij idem videatur ab omnibus; quia tamen diuerso modo quoad intensionem, & claritatem videtur, idcirco non eodem modo omnibus beatis manifestat creaturas, nec easdem omnibus manifestat; quia essentia non manifestat, nisi iuxta modum, quo attingitur; sicut idem principium clariori, & intensiori modo visum, erit ratio videndi plures cõclusiones, quam si non ita clarè, nec intensè videatur.

36 *Instatur hoc argumentum.* Et in isto argumentum in sententia opposita; ipsi namque admittunt, creaturas videri in diuina essentia causaliter, idest, cognitionem, qua beati vident creaturas, causari à cognitione, qua intuentur Deum. Inquiro; si omnes Beati ex parte obiecti primò attacti per visionem beatificam vident omnes perfectiones, & formalitates formaliter existentes in ipso; cur cognito vnius causat cognitionem plurium creaturarum ex possibilibus, quam alterius cognitio? Certè nulla alia ratio poterit assignari, nisi quia licet easdem perfectiones omnes videant in obiecto primario; non tamen omnes eodem modo, sed magis, vel minus intensè: id ipsum respondeo in nostra sententia.

37 *Ad 3. probationem.* Ad tertiam probationem, benè ibi vsque ad vltimam replicam, ad quam respondeo, distinguendo maiorem: quia necessario cum illo connectitur connexione formali, idest tanquam cum obiecto primario, concedo maiorem: quia quomodolibet cum illo connectitur, nego maiorem, & distinguo minorem: continentia actiua hominis connectitur cum homine connexione formali tanquam cum obiecto primario, nego minorem: materiali, idest, tanquam cum materiali obiecto, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque sicut potentia visiua connectitur cum visibili vt sic, & cum tali, vel tali visibili, cum illo formaliter, tanquam cum primario obiecto, cum particularibus vero, tanquam cum obiectis materialiter sub primo contentis, & vt quidditatiuè cognoscatur, sufficit cognoscere rationem communem visibilis; non autem requiritur, quod cognoscantur particularia obiecta: ita in diuina omnipotentia contingit, quæ quia eadem indiuisibili continentia formaliter, & virtualiter, continet hominem, equum, & alias creaturas, vt stant sub ratione communi creabilis, formaliter connectitur cum ratione communi; cum particularibus vero solum materialiter; & idcirco non potest quidditatiuè cognosci, non cognita ratione communi creabilis, benè autem non cognitis creaturis in particulari.

38 *Instabis primo.* Sed instabis primo; sequitur ex hac solutione, omnipotentiam diuinam comprehendi posse, non cognitis ex vi illius creaturis in particulari; consequens est falsum; alias de facto à beatis comprehenderetur: ergo & solutio. Probatur sequela; quia intellectus creatus non connectitur connexione formali cum intellectionibus possibilibus in particulari, de facto comprehenditur ab Angelo, non cognitis in illo, & ex illo omnibus intellectionibus possibilibus in particulari: ergo si omnipotentia diuina non connectitur connexione formali cum possibilibus in particulari, poterit comprehendi, quin in illa, & ex illa cognoscantur possibilia in particulari.

39 *Respond.* Respondeo, negando sequelam. Ad cuius probationem, nego causalem; sed idcirco id in intellectu creato contingit, quia non continentur in illo intellectiones possibiles tanquam in causa adæquata, & completa; cum intellectus ad quamlibet intellectionem indigeat per speciem compleri; at vero creaturæ possibiles secundum peculiares rationes continentur in omnipotentia diuina, tanquam in causa adæquata, & completa, & idcirco non potest comprehensiuè attingi, non

non cognitis in illa, & ex illa creaturis possibilibus in particulari.

40 *Si dicas.* Si dicas: ergo in omnipotentia diuina non poterunt cognosci actus vitales. Patet consequentia; quia non continentur in illa tanquam in causa adæquata; cum se sola nequeat illos causare absque concursu potentiæ vitalis creatæ. *Respond.* Respondeo, negando sequelam; quia etsi requiratur concursus potentiæ vitalis creatæ; hæc tamen in omnipotentia diuina perfectissimè continetur. *Instabis.* Instabis secundo; omnipotentia diuina non causat creaturas possibiles in communi, sed particulares rationes possibilium: ergo non connectitur cum ratione communi creabilis connexione formali, sed cum particularibus rationibus possibilium.

41 *Respond.* Respondeo, distinguendo antecedens: non causat rationem illam communem exercite vt *quod*, concedo antecedens: vt *quo*, nego antecedens, & nego consequentiam; quia connexio formalis non est cum terminis causatis vt *quod*, sed solum cum termino *quo*, idest, cum illo ratione cuius illius causalitas ad particularia terminatur in exercitio; sicut licet potentia visiua non videat vt *quod* colorem in communi, sed particulares colores, quia tamen istos videt ratione colorati in communi, non ab illis, sed à ratione colorati in communi specificatur.

§. III.

Circa tertium argumentum examinantur variæ solutiones, & vera traditur.

42 *Arg. 3.* TERTIO arguunt, vrgendo magis argumentum factum; non est maior ratio, cur istæ potius creaturæ videantur, quam illæ, si semel videntur ex vi essentiæ diuinæ prius cognitæ: ergo vel omnes videntur, quod nos non admittimus, vel nulla dicto modo videtur. Consequentia tenet. Antecedens autem probare contendunt impugnando omnes rationes, quæ assignari solent.

43 *Prima solutio.* Huic argumento multipliciter occurrunt Auctores nostram defensantes sententiam. Quidam respondent, hoc prouenire ex voluntate Dei volentis vnire suam essentiam intellectui beati, vt est repræsentatiua istius creaturæ, potius quam alterius. Ita Magister Bañez, & Zumel in præsenti.

Contra 1. Hic tamen modus dicendi non placet: primo; quia licet diuina voluntas sit remota causa huius diuersitatis, causa tamen proxima esse non potest: ergo prædictus modus dicendi, vel est falsus, si ad diuinam voluntatem, vt adæquatam causam recurrat vel diminutus; siquidem causam proximam non assignat. Probo antecedens; diuersitas attingendi has potius quam illas creaturas, prouenit à visione beatifica, vt à causa formali: ergo à principijs proximis illius debet prouenire, vt à causis efficientibus proximis; at diuina voluntas non est proxima causa visionis ex parte intellectus, sed lumen gloriæ, & ex parte obiecti diuina essentia, vt exercens munus speciei: ergo ad hæc principia debet recurri, vt ad causam proximam extrinsecam huius diuersitatis.

44 *Secundo.* Secundo, quia ex illo sequitur, posse vnum intellectum absque lumine perfectiori plures creaturas in diuina essentia videre, quam alius; consequens est contra D.Tho. *art.6. præcedenti*, asserentem, illum plures creaturas videre, qui plus participat de lumine gloriæ: ergo & prædictus modus, quem impugnamus. Probo sequelam; nam in isto modo dicendi adæquata ratio diuersitatis prouenit à voluntate Dei vniente diuinam essentiam, vt est repræsentatiua huius potius, quam illius creaturæ: ergo absque vlla inæqualitate, seu diuersitate in lumine gloriæ videri poterunt perfectiores.

45 *Modus dicendi P. Arrubal reijcitur.* Ex quibus falsitatis conuincitur modus dicendi Arrubalis *disp. 26. cap 4.* asserentis, totam rationem videndi has potius creaturas, quam illas desumendam esse ex diuina essentia diuersimode concurrente ex parte obiecti, vt determinantis obiectiuè ad has creaturas; potius quam ad illas. Qui modus dicendi, exinde conuincitur, quod intellectus plures creaturas videns ex vi diuinæ essentiæ per modum obiecti, perfectius videt diuinam essentiam; sed perfectior visio non potest, nisi a perfectiori lumine prouenire: ergo adæquata causa huius diuersitatis nequit ex diuina essentia obiectiue concurrente desumi. *Minor probatur primo.* Maior cum consequentia tenet. Minor autem præterquam quod est D. Thom. expressa *art.6. citato* probatur. Tùm, quia visio beatifica est effectus luminis gloriæ in genere causæ efficientis: ergo nequit crescere visio in perfectione, nisi à perfectiori lumine procedat.

46 *Secundo.* Tum etiam, quia lumen remissum non est potens intrinsecè ad visionem ipso intensiorem, & perfectiorem; aliàs illi esset debitus concursus obiectiuus diuinæ essentiæ per modum speciei ad visionem ipso intensiorem: ergo debet in perfectione augeri, vt sit principium perfectioris visionis. *Tertio.* Tum denique ab exemplo ex naturalibus desumpto; habitus naturalis ex vi primæ demonstrationis genitus, nequit ad secundam extendi, nisi intendatur, & intrinsecè perficiatur: ergo pariter habitus infusus, quale est lumen gloriæ, esse non poterit principium videndi plures, & perfectiores creaturas in diuina essentia, nisi intrinsecè augeatur, & intrinsecè perficiatur.

47 *Tertio alij respondent.* Tertio alij respondent; diuersitatem istam reducendam esse ad diuersam luminis indiuiduationem, eo quod vnum indiuiduale lumen est alio perfectius, non verò ad maiorem luminis intensionem; nec ad hoc, quod istæ potius, quam illæ creaturæ lateant, vel pateant in sinu omnipotentiæ Dei, ita Suarez vbi *supra cap.26.* *Contra I.* Cæterum iste dicendi modus impugnatur sic primo: quia duo lumina numero diuersa possunt esse principia videndi easdem creaturas: ergo indiuiduatio diuersa luminis, non est ratio videndi diuersas creaturas; & consequenter, nec cur istæ potius, quam illæ videantur. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur; quia possunt duo beati in beatitudine essentiali esse æquales: ergo easdem creaturas poterit vterque videre, non eodem numero lumine: ergo indiuidualiter diuerso. *Secundo.* Secundo, idem lumen numero, si intendatur magis, vt fieri potest, perfectius penetrabit diuinam essentiam; & consequenter plures creaturas videbit in illa: ergo ratio plures, vel pauciores videndi, non est diuersa indiuiduatio, sed vel maior, vel minor luminis intensio.

48 *Pro vera solutione notatur primo.* His igitur omissis, antequam solutionem, quam veriorem reputo, explicem, aduerto eadem prorsus difficultate Auctores contrarios vrgeri; ipsi namque fatentur, creaturas possibiles videri in diuina essentia, & ex vi cognitionis illius causaliter, quamuis non formaliter, idest, cognitionem essentiæ diuinæ esse causam cognitionis rerum, & idcirco saluari eas in Verbo videri: inquiro ergo ab illis, cur cognitio beatifica istius petit causare cognitionem harum creaturarum, & cognitio beatifica alterius petit causare cognitionem aliarum creaturarum, cum quælibet ex his cognitionibus ad omnia terminetur, quæ formaliter competunt Deo? Rationem, quam reddiderint, reddam & ego loquendo de cognitione creaturarum in Verbo formaliter.

49 *Notatur secundo.* Aduerto secundo; aliud esse inquirere, quæ sit ratio videndi plures, vel pauciores creaturas? Aliud vero, quæ sit ratio; cur si plures, vel pauciores videntur, cur sint istæ, vel illæ? v.c. cur supposito, quod lumen intensum, vt octo, extendatur ad centum creaturas, & intensum, vt quatuor, ad quinquaginta, cur illæ centum, vel istæ quinquaginta sint homo, equus, &c. & non Leo, Formica? &c. *Tertio.* Animaduerto tertio; sermonem posse fieri, vel de existentibus, vel de possibilibus.

50 *Resp. ad argumentum.* His ita præmissis, ad argumentum factum respondeo; rationem cur has creaturas existentes potius, quam alias videat intellectus beati, esse, quia hæ potius, quam illæ ad eius statum pertinent. Rationem cur plures, vel pauciores ex possibilibus cognoscat, esse tanquam causam formalem, maiorem, vel minorem intensionem visionis, vt effectiuam, maiorem, vel minorem luminis intensionem, & vt obiectiuam diuinam essentiam, vt vnitam per modum speciei. Rationem denique, cur inter illas plures, vel pauciores istæ determinatæ præ alijs videantur, ad solam diuinam essentiam reducendam esse vt voluntariè vnitam per modum speciei repræsentantis has potius quam illas.

51 *Prior pars resolutionis prob. & secunda.* Prior pars est D.Tho. expressa *q.8. de Veritate art. 4. ad 12. argumentum*, & ex dicendis Disputatione sequenti constabit. Secunda probatur; ratio videndi plures, vel pauciores, est maior, vel minor penetratio diuinæ essentiæ cognitæ primario; sed ratio maioris, vel minoris penetrationis, est visionis intensio per modum causæ formalis; & maior, vel minor luminis intensio, vt principium efficiens, & diuina essentia, vt concurrens perfectiori, vel imperfectiori modo obiectiuè: ergo hæc omnia in proprio genere ad istam diuersitatem concurrunt. Maior ex dictis constat, & expresse traditur à Doctore Angelico *loco allegato de Veritate in corpore, in 4. dist.49.q.2 art.5. ad 4. in præsenti art. 6. in fine corporis.* Minor etiam est D. Tho. *S.THO.* expressa *art. præcedenti circa finem corporis*, illis verbis:

bis: *In tantum intellectus creatus diuinam essentiam perfectius, vel minus perfectè cognoscit, in quantum maiori, vel minori lumine gloriæ perfunditur.* Et constat ex dictis contra P. Arrubal: ergo minor est vera.

52 *Tertia pars probatur.* Tertiam denique partem, quam expressè tenent Noster Nazarius *in præsenti art. 6. controuers. 3. § 4. sciendum in fine,* sic probo; ratio videndi has potius, quam illas, prouenire nequit ex maiori luminis intensione: ergo prouenit ex diuina essentia obiectiuè determinante potius ad istas, quam ad illas. Consequentia tenet. Antecedens autem probatur. Maior luminis intensio, vel est ratio videndi has potius, quam illas, quia perfectiores illis, vel quia imperfectiores; neutro ex his modis: ergo ex maiori luminis intensione dicta diuersitas non desumitur.

53 *Minor prob. 1.* Minor probatur primo: quia quodcumque illorum dicatur, sequitur, quodvis lumen intensum esse rationem videndi infinitas creaturas possibiles; hoc est falsum: ergo & minor. Probatur sequela: nam infra quamlibet perfectiorem creaturam, sunt possibiles infinitæ minus perfectæ, & supra quamlibet minus perfectam, sunt possibiles infinitæ perfectiores: ergo si maior luminis intensio est ratio videndi perfectiores, quia latentiores, erit ratio videndi infinitas minus perfectas, quia minus latentes; & si est ratio videndi minus perfectam, quia latentiorem, erit etiam ratio videndi infinitas possibiles magis perfectas, quia minus latentes.

54 *Secundo.* Secundo illa minor probatur: quia in primis, maior perfectio creaturæ non exposcit maiorem intensionem in lumine; cùm habitualis gratia, quæ est perfectior qualibet substantia naturali creabili, in probabiliori sententia, per quodlibet lumen quantumvis remissum videatur. *Tertio.* Tertio: non est ratio assignabilis, cur minor perfectio creaturæ possibilis maiorem luminis intensionem exposcat, quam creatura magis perfecta: ergo ex neutro capite potest prouenire, quod maior luminis intensio ad has potius, quam ad illas determinet.

55 *Dices.* Dices: rationem cur lumen intensius ad has potius, quam ad illas determinet, non esse, quia perfectiores sunt, sed quia magis, vel minus latentes. *Contra 1.* Sed contra primo: nam ratio cur istæ creaturæ sint magis, vel minus latentes, quam aliæ, necessario debet esse vel quia perfectiores sunt, vel quia minus perfectæ: ergo reddeunt inconuenientia posita.

Secundo. Secundo: ratio cur diuina essentia manifestat creaturas vt cognita, & creaturæ sunt manifestabiles in illa, prout sic, est connexio quam diuina essentia habet cum illis; sed cum omnibus creaturis possibilibus consideratis in particulari æqualiter connectitur: ergo omnes sunt æquè manifestabiles, nec vna alia latentior ex natura rei.

56 *Contra istam resolutionē insurges primo.* Verum contra resolutionem istam objicies primo: maior luminis intensio non est ratio plura videndi, sed idem videndi modo perfectiori, & clariori: ergo secunda pars nostræ resolutionis est falsa. *Antecedens probatur 1.* Probatur antecedens dupliciter: primo maior intensio qualitatis physicæ, v.c. albedinis sumitur penes ordinem ad eandem partem subiecti: ergo maior intensio qualitatis intentionalis respicientis obiectum, debet desumi penes ordinem ad idem obiectum. *Secundo.* Secundo; quod intensiori modo diligatur Deus, vel credatur Trinitatis mysterium, non est ratio diligendi plura, vel plura credendi, sed idem modo perfectiori: ergo pariter, quod Deus intensiori modo videatur, non erit ratio plura videndi in ipso, sed videndi idem modo clariori. *Tertio.* Tertio; maior intensio habitus scientifici non est ratio attingendi plures conclusiones; hoc enim non ex intensione, sed ex maiori extensione habitus prouenit: ergo maior luminis intensio non erit ratio videndi plura in Deo, sed idem clariori, & perfectiori modo.

57 *Resp. ad 1. probationem.* Respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: penès ordinem ad idem obiectum primarium, concedo consequentiam: ad idem obiectum secundarium, nego consequentiam; & quia lumen non primario, sed secundario respicit creaturas, idcirco maior intensio illius saluatur penès ordinem ad diuinam essentiam perfectiori modo visam, non penès ordinem ad easdem creaturas. *Ad secundam.* Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam. Et ratio discriminis est, quod creaturas, etsi diligamus in ordine ad Deum, non tamen diligimus illas in Deo tanquam in causa, & obiecto prius dilecto; nec credimus veritates creatas in veritatibus increatis tanquam in causa; & idcirco intensiori modo diligere, & credere Deum, non est ratio diligendi, & credendi plura obiecta creata; lumen autem gloriæ attingit creaturas in diuina essentia tanquam in causa, & ex vi cognitionis illius; eo autem ipso, quod clariori modo causa videatur, plures effectus patent in illa.

58 *Ad tertiā.* Ad tertiam eadem solutione respondeo, concesso antecedenti, nego consequentiam, eadem ratione: quia scilicet, habitus scientificus, v.c. Logicæ, non attingit conclusiones secundario in principijs primario cognitis ex vi eiusdem actus, sed primario tendit in conclusiones; & idcirco maior illius intensio non est ratio attingendi plures conclusiones, sed easdem perfectiori modo; secus in nostro casu, opposita de causa contingit.

59 *Objicies Secundo.* Objicies secundo; habitus attingens aliquam rationem formalem, potens est attingere omnia obiecta materialia sub illa contenta; sed lumen gloriæ quantumcumque remissum attingit diuinam essentiam: ergo erit potens, quātum est de se, ad attingendas omnes creaturas, quæ vt materialia obiecta continentur sub illa, si diuina essentia cum intellectu vniatur vt illa repræsentans. *Si respondeas.* Si respondeatur; habitū attingentē aliquā rationem formalem, posse attingere omnia obiecta materialiter sub illa contenta, si intendatur magis, non autem si in eadem intensione persistat.

60 *Contra 1.* In contrarium obstat sic primo: idem habitus fidei attingens primo veritatem increatam Dei, est potens ad attingendas omnes veritates creatas sub illo contentas in quacumque intensione: ergo idem in lumine gloriæ continget. *Secundo.* Secundo, eadem visiua potentia, quæ potest coloratum, lucidum attingere, est etiam potens inuariata manens intrinsecè, sola facta variatione in speciebus, omnia materialia obiecta videre; at lumen gloriæ seruat modum potentiæ: ergo idem quod prius. *Respond. & instatur.* Respondeo iuxta assignatam solutionem, cuius veritas constat in scientijs naturalibus, quæ vt ad plures conclusiones extendantur indigent intrinsecè perfici, quamuis sub eadem ratione formali contineantur omnes.

61 *Ad 1. impugnationem.* Ad primam impugnationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; & ratio discriminis habetur ex dictis; fides namque non attingit veritates creatas in veritate increata Dei tanquam in causa, nec ex vi maioris penetrationis illius; & idcirco non indiget maiori intensione, vt plures veritates attingat; lumen autem gloriæ attingit obiecta creata in diuina essentia tanquam in causa; & quia causa magis penetratur, quanto plures effectus cognoscuntur in illa, & ex illa, hinc fit, quod ad plures effectus cognoscendos requiratur intensior visio; visio autem intensior petit maiorem luminis intensionem; sicuti intensior calefactio postulat intensior calorem.

62 *Ad secūdam.* Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam, & ratio discriminis est duplex: prima, quod potentia visiua non attingit materialia obiecta in primario vt in causa, quæ iam ex dictis constat. Secunda, quod naturales potentiæ non sunt capaces intensionis, & remissionis, & idcirco eadem manens intensiuè inuariata, potest omnia videre; lumen autem, cum habitus sit, capax est intensionis, & illam exposcit, vt influat in visionem intensiorem, qualis exigitur ad plura videnda.

63 *Arg. 3.* Objicies tertio, per quemlibet gradum luminis intensi vt *octo* v.c. videntur omnes creaturæ, quæ per tale lumen videntur: ergo etiam si dictum lumen remittatur & fiat vt *sex*, videbuntur per illud eadem creaturæ, quæ videbantur antea. Antecedens constans videtur; quia non sunt assignabiles creaturæ correspondentes vni, & alteri gradui: ergo per quemlibet omnes videntur. Consequentia vero probatur: nam si gradus vt *sex* erat ratio videndi anteactentum creaturas, quamuis duo gradus, quibus prædictum lumen erat intensum vsque ad *octo* tollantur, erit etiam ratio illos videndi.

Respond. Respondeo, omisso antecedenti, negando consequentiam, & insto argumentum: vnus trahens currum cū alio, totum currum trahit, & tamen non valet: ergo separatus ab alio illum trahere potest: ita ergo in præsenti, quamuis per vnum gradum simul cum alijs omnes illæ creaturæ videantur, non rectè sequitur, quod per illum, alijs destructis, omnes possent videri.

64 *Arg. 4. contra 2. partē conclusionis.* Denique contra secundam partem nostræ resolutionis oppones Doctorem Angelicum *quæst. 8. de Veritate art. 4. ad 2. argumentum,* asserentem, rationē cur per lumen magis intensum, hæ potius, quam illæ creaturæ videantur, esse, quia sunt magis, vel minus latentes in omnipotentia diuina: ergo falso asserimus, adæquatā rationē, illas potius, quā illas vidēdi esse, quod diuina essentia voluntariè has potius repræsentet, quā illas. *Cōfirmatur.* Et confirmabis; ideò maior intensio luminis est ratio videndi plures creaturas, quia quo plures videntur, magis penetratur omnipotentia Dei; sed etiam quo perfectior creatura videtur, magis penetratur diuina omni-

omnipotentia: ergo maior luminis intensio erit ratio videndi perfectiores creaturas.

65 *Respond.* Respondeo explicando antecedens: quia sunt magis, vel minus latentes in actu primo, & ex natura rei, nego antecedens: quia sunt magis, vel minus latentes in actu secundo ratione voluntariæ repræsentationis istarum præ alijs, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque fateor, creaturas aliquas esse in diuina essentia latentiores alijs; cæterum hoc non ex natura rei, sed solum ex voluntaria diuinæ essentiæ repræsentatione prouenit; nec aliud Angelicus Doctor intendit. Ad confirmationem, concessa maiori, nego minorem: quia cum quælibet creatura, siuè perfectior, siuè imperfectior sit, *Ad confirmationem.* æquè cum omnipotentia diuina connectatur, ac alia, æquè omnes in illa cognoscibiles sunt; ac per consequens nulla illarum ad sui cognitionem desiderat perfectiorem penetrationem diuinæ omnipotentiæ.

§. Vltimus.

Vltimum argumentum contra secundam partem conclusionis diluitur, & aliqua inferuntur ex dictis.

66 *Argumentum vltimo.* DENIQVE contra secundam partem nostræ conclusionis obijciunt. Essentia diuina non connectitur necessario cum creaturis futuris, aut existentibus: ergo nequeunt in illa cognosci vt in obiecto prius cognito. Si respondeatur; connecti cum illis diuinam essentiam, seu omnipotentiam diuinam, non prout in actu primo, benè *Si respondeatur.* autem vt per decretum liberum determinatam; ac proinde in illa prout sic determinata posse cognosci. In contrarium obijciunt sic primo: decretum liberum Dei nihil addit supra perfectiones necessarias Dei: ergo si perfectio- *Obijciunt primo.* nes, quæ necessaria competunt Deo, non connectuntur necessario cum creaturis futuris, nec decretum liberum Dei secundum intrinseca, necessario connectetur cum illis.

67 *Secundo.* Secundo: decretum liberum nequit esse medium cognoscendi futura secundum id, quod in obliquo importat, nec secundum id, quod dicit in recto: ergo nullo modo. Consequentia tenet. Antecedens autem quoad priorem partem constat ex eo quod id, quod decretum liberum dicit in obliquo, sunt ipsa futura: ergo prout sit nequit esse medium cognoscendi natura, nisi velimus, futura ipsa esse medium ad cognitionem sui. Quoad secundam probatur, quoad id quod decretum liberum dicit in recto, non connectitur necessario cum creaturis futuris; aliàs deficientibus futuris, necessario deficeret diuinum decretum quoad id quod importat in recto; ac proinde aliqua perfectio posset Deo deficere, quod est absurdum: ergo prout sic nequit esse medium cognoscendi creaturas futuras, aut existentes.

68 *Tertio.* Tertio, si decretum liberum Dei esset medium cognoscendi creaturas existentes respectu intellectus beati, etiam esset ratio illas cognoscendi intellectui diuino; at hoc est falsum: ergo & illud. Sequela constat, & minor probatur; quia si scientia visionis Dei haberet pro medio diuinum decretum ad voluntatem spectans, sequeretur, differre attributaliter à scientia diuina simplicis intelligentiæ; consequens est falsum: ergo & quod decretum sit intellectui diuino ratio cognoscendi creaturas. Probatur sequela, scientia simplicis intelligentiæ Dei cognoscit creaturas possibiles in omnipotentia tanquam in medio; at omnipotentia virtualiter differt à diuino decreto: ergo haberent media, & motiua virtualiter attribualiter diuersa; & consequenter ipsæ scientiæ inter se attribualiter differrent; cum distinctio cognitionis scientificæ, ex medio, seu motiuo sumatur.

69 *Solutio Granados.* Ad hoc argumentum respondet Granados *loco vbi supra sect. 7. num. 40.* concesso antecedenti, negando consequentiam; nec quidquam obest, inquit ipse, quod omnipotentia diuina, prout in actu primo considerata cum creaturis existentibus non connectatur necessario, quominus in illa prout sic cognoscantur, quod probat à simili; essentia namque Dei non minus licere cum suis liberis decretis connectitur, quam cum creaturis existentibus; at hoc non obstante cognoscuntur à beatis decreta Dei libera in diuina essentia secundum se, vt in obiecto prius cognito: ergo pariter non obstante, quod omnipotentia diuina prout in actu primo cum creaturis existentibus non sit necessario connexa, poterunt in illa prout sic cognosci tanquam in obiecto prius cognito. Consequentia cum maiori tenet, & minor probatur, quia in communi sententia decreta libera Dei cognoscuntur in diuina essentia; at non cognoscuntur in illa vt per decreta determinata, aliàs non esset diuina essentia medium prius cognitum: ergo cognoscuntur in illa secundum se, & absolutè sumpta.

Hæc tamen solutio non placet, & missis alijs multis, quibus à Thomistis reijcitur *1. p. quæst. 14. art. 13.* loquendo 70 *Contra* in simili de cognitione Dei respectu futurorum, breuiter impugnatur; in medio namque indifferenti ad duo extrema, nequit vnum determinatè cognosci; at omnipotentia diuina prout in actu primo, anteuertens libera decreta, est omnino indifferens ad existentiam creaturarum, & non existentiam illarum: ergo in illa prout sic non possunt creaturæ existentes cognosci.

Nec vrget ratio, qua mouetur Granados; respondetur 71 *Ad motiuum respondetur.* namque, negando minorem, nam decreta libera quoad id, quod important in recto, non cognoscuntur in diuina essentia tanquam in causa, & medio prius cognito, sed cognoscuntur ratione essentiæ diuinæ, eo modo, quo aliæ perfectiones necessariæ cognoscuntur ratione illius, quia scilicet diuina essentia, cum sit primum obiectum visionis beatificæ, est ratio cognoscendi omnia alia, quæ formaliter existunt in Deo, eo modo quo color, qui specificat potentiam visiuam, est ratio videndi album, nigrum, & alia particularia colorata; vt autem isto modo diuina essentia sit ratio cognoscendi decreta libera, non oportet, vt cum illis necessario connectatur; cæterum respectu creaturarum est medium prius cognitum, & vt sic manifestet creaturas, debet necessario cum illis connecti.

Quare ad argumentum respondeo iuxta traditam solu- 72 tionem, cuius impugnationes attingunt celebrem illam difficultatem de constitutiuo actus liberi Dei agitari solitam *1. p. quæst. 19.* modò breuiter ad primum respondeo, quod licet actus liber Dei non addat supra actum necessarium *Respondetur ad 1. obiectionem.* nouam perfectionem, addit tamen nouam, & liberam terminationem, quæ infallibiliter infert rerum futuritionem; est namque infallibilis consequentia, Deus efficaciter decreuit Anti Christi existentiam: ergo Anti Christus erit.

Ad secundum dicatur, esse medium secundum id, 73 quod dicit in recto, nec ex hoc sequitur potuisse Deo deficere aliquam perfectionem, sed solum potuisse deficere *Ad secundam.* nouam, & liberam terminationem, & denominationem; quomodo autem possint stare hæc duo, quod videlicet deficere possit denominatio liberè volentis quoad denominationem, & terminationem, quin deficiat aliqua diuina perfectio, non est præsentis loci examinare, loco allegato, à nobis late discutitur. Ad tertium respondeo, quod *Ad tertiam.* quia decretum liberum, & omnipotentia diuina in eadem ratione summæ actualitatis conueniunt, consequens sit, quod non sufficiant attributaliter distinguere scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ, etsi decretum, & omnipotentia attributaliter distinguantur, quia scientiarum distinctio ex diuersa actualitate debet desumi.

Ex dictis in discursu disputationis colligitur primo, non posse quidditatiuè diuinam omnipotentiam videri, 74 *Infertur primo ex dictis.* non cognitis creaturis possibilibus sub communi ratione possibilium, seu non repugnantium. Probatur, non potest diuina omnipotentia cognosci quidditatiuè, nisi cognoscatur posse producere, quidquid non implicat: ergo nequit quidditatiuè cognoscatur ratio possibilis, seu non implicantis ex parte creaturarum.

Colligo secundo, posse dari de potentia absoluta aliquam visionem beatificam, ita remissam, vt per illam 75 *Secundo.* nulla creatura in particulari videatur. Probatur creaturæ possibiles in particulari non cognoscuntur per visionem beatificam ex ea ratione, qua præcise est quidditatiua cognitio, quia ex hoc capite solum petit cognoscere rationem communem possibilis; possibilia autem in particularis cognoscit ratione intensionis maioris, vel minoris: ergo poterit dari aliqua, quæ ita remissa sit, vt solum attingat rationem communem possibilis, nulla creatura visa in particulari.

Colligo tertio, creaturas possibiles videri à beatis vt in obiecto prius cognito, non solum in omnipotentia 76 diuina, sed etiam in scientia simplicis intelligentiæ, in actu simplicis complacentiæ, si datur, in misericordia, iustitia, & alijs, quæ concernunt creaturas. Probatur, in omnipotentia diuina ideo possunt cognosci, quia necessario cum illis connectitur; sed etiam perfectiones adductæ necessario connectuntur cum creaturis possibilibus; ergo poterunt in illis cognosci, vt in obiecto cognito prius.

DISPV-

DISPVTATIO XXI.

Quas creaturas videant Beati de facto in Verbo?

§. I.

Quæ certa sunt præmittuntur.

Nu. 1. *Supponitur primo.* DVo sunt in hac parte apud omnes Theologos certa; primum est, beatos omnes non videre omnia possibilia de facto, etsi non desint, qui id esse possibile de potentia absoluta defendant, cuius oppositum peritiores Theologi docent; id autem in quo omnes conueniunt, manifeste probatur, ex eo quod, aliàs omnes beati in beatitudine essentiali æquales essent; quod est contra fidem. Sequela probatur: quia omnes viderent idem ex parte obiecti primarij, & secundarij: ergo æqualiter penetrarent diuinam essentiam, & consequenter adæquarentur in beatitudine essentiali.

2 *Si dicas. Cōtra 1.* Si forte dicatur, posse adhuc in æqualitatem subsistere per hoc, quod inæquales sint in modo videndi creaturas cum maiori, scilicet claritate, etsi omnes omnia possibilia cognoscant. In contrarium obstat, tum primo quod omnes Sancti PP. & Theologi omnes inæqualitatem essentialis beatitudinis reducunt non ad solum modum videndi diuersum, sed etiam ad hoc, quod plura, vel pauciora ex creaturis in primario obiecto cognoscant: *Secundo.* ergo non saluatur inæqualitas in beatitudine essentiali, prout debet saluari. Secundo, quia qui cognoscit obiectum aliquod, & in illo omnia, quæ eminenter continet summa claritate possibili tale obiectum cognoscit: ergo non stat inæqualitas in modo attingendi clariori, si omnes beati omnia possibilia cognoscant.

3 *Supponitur 2. Probatur primo. Secundo.* Secundo apud omnes est certum, nullum beatum, præter Christum Dominum, omnes creaturas præteritas, existentes, & futuras cognoscere. Tum, quia ea omnia cognoscere, est prærogatiua Christi specialis vt cum D. Thom. docent omnes Theologi 3. p. *quæst.* 10. *art.* 2. ergo nulli beatorum debet concedi. Tum etiam, ex illis verbis Christi Domini Matthæi 24. cap. *De die illa, & hora nemo scit, nec Angeli cælorum, nisi solus Pater*; in quibus diem iudicij omnibus esse ignotum, asseritur: ergo nullus beatus omnia præterita, præsentia, & futura cognoscit.

4 *Opponit Suarez.* Et quamuis Suarez 3 *p. quæst* 10. *art.* 2. *in fine*, sequutus Caietanum affirmet, ex hoc loco efficaciter non deduci, iudicij diem omnibus occultari, motus ex eo quod *Marci* 13. idem Christus Dominus dicat: *De die illa, vel hora nemo scit, nec Angeli in cælo, nec filius, nisi Pater*; in quibus verbis, dies iudicij ipsi filio hominis occultus asseritur; cum tamen sit certum, nedum vt Deum, verum etiam vt hominem Christum Dominum diem illum cognoscere ergo pariter ex verbis prædictis, non colligitur efficaciter, beatis Angelis occultari.

5 *Respond. & firmatur secunda ratio.* Verius tamen alij ex verbis prædictis nostrum suppositum efficaciter concludi fatentur, ex eo quod illa verba ad Angelos relata absque vlla limitatione accipiuntur à PP. cum tamen prout ad Christum Dominum referantur, explicentur ab omnibus, vt notum supponentibus diem illum, etiam vt hominem cognouisse: ergo signum manifestum est, omnes Ecclesiæ PP. verba prædicta, vt de Angelis dicuntur, tanquam in toto rigore verissima accipere.

6 *Beatissima Virgo non cognouit diē iudicij. primo probatur. Secundo.* An autem Beatissima Virgo diem illum cognouerit, non desunt, qui affirmant; oppositum tamen cum alijs asserimus. Tum, quia à generali regula non debet ab aliquo proprio cerebro exceptio fieri absque fundamento in scriptura, Concilijs, & PP. cum tamen ad istam exceptionem faciendam nullum ex dictis fundamentis appareat. Tum etiam, quia si magna Beatissimæ Virginis excellentia, & sanctitas dictam exceptionem fundare sufficiat, sufficeret etiam ad asserendum cognouisse omnia, quæ Deus cognouit scientia visionis, quæ solum Christum Dominum agnouisse, est communis Theologorum consensus.

Si obijcias; quilibet Beatus cognoscit omnia decreta libera Dei: ergo cognoscit etiam omnia præterita, præsentia, & futura. Consequentia tenet; antecedens autem probatur: decreta libera in veriori sententia consistunt in aliquo intrinseco formaliter existente in Deo identificato cum actu necessario; at nihil formaliter competens Deo, potest latere intellectum videntem diuinam essentiam, iuxta dicta in præsenti *art. disp.* 19 ergo quilibet omnia libera decreta cognoscit. 7 *Obijcies.*

Dices, cognosci quoad id quod perfectionis dicunt, non vero sub conceptu terminationis liberæ ad tale obiectum. Sed contra sub conceptu terminationis secundum id, quod dicit terminatio in recto, sunt aliquid formaliter competens Deo, & cum actu necessario identificatum: ergo videns Deum necessario videt decreta libera, etiam sub conceptu terminationis liberæ; vel euanescunt omnia, quæ asseruimus disputatione allegata. 8 *Si respondeatur. Contra insurges.*

Respondeo primo, cognosci ab omnibus decreta libera sub conceptu terminationis consideratæ quoad id, quod importat in recto, non autem cognosci obiecta, circa quæ libera decreta versantur in particulari, sed solum sub conceptu communi liberè voliti, vt supra de possibilibus dicebamus, sed ad hoc, quod talia obiecta sub particulari ratione cognoscantur, est necessaria specialis directio. 9 *Respond. primo.*

Vel secundo respondetur, adhuc sub conceptu terminationis non cognosci, prout denominant Deum liberè volentem creaturas; quia etsi entitatiuè identificentur cum necessarijs, quia tamen Deum liberè volentem denominant, non cognoscuntur necessario à cognoscente diuinam essentiam; de alijs autem perfectionibus dispar est ratio, quia identificatur cum Deo, & aliàs non liberè, sed necessario denominant Deum. 10 *Secundo.*

§. II.

Statuitur prima conclusio.

HIs ita suppositis in re præsenti satis bona dubia, & incerta, dicendum est cum peritioribus Theologis primo. *Beatos omnes visuros in Verbo omnia mysteria nostræ fidei.* Sic Doctor Angelicus 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. & 2. *quæst.* 4. *art.* 3. vbi ait: *Visionem succedere fidei*, sequutus Augustinum *lib.* 20. *de Ciuitate Dei cap.* 21. illis verbis: *Quid videbimus nisi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes.* Et omissis multis sacræ Paginæ testimonijs, quibus illam moderniores confirmant, breuiter hac ratione suadetur: beatitudo nostra satiabit omne rationabile desiderium Beatorum, hoc namque ad illius perfectionem spectat; sed fideles rationabiliter cupiunt, clarè in patria videre, quæ in via sub fidei caligine obscurè crediderunt: ergo hoc desiderium per visionem ipsam satiabitur, & consequenter ad omnia nostræ fidei mysteria secundario extendetur. 11 *Prima conclusio. Probatur. primo ex D. Th. & August. Secundo ratione.*

Si opponas primo, sequi ex nostra sententia, omnes Beatos in cognitione mysteriorum fidei æquales futuros; cum omnes omnia nostræ fidei mysteria cognoscant: consequens autem derogare videtur inæqualitati beatitudinis essentialis, quæ in cognitione mysteriorum fidei debet explicari: ergo Beati omnes non vident in Verbo omnia fidei mysteria. Respondeo primo, concedendo sequelam: nam cum æqualitate quoad hoc stare poterit ipsorum inæqualitas penes cognitionem aliarum creaturarum ex possibilibus. Secundo respondeo, negando sequelam: quia etiam si omnes omnia mysteria nostræ fidei cognoscant, potest nihilominus saluari in æqua- 12 *Si opponas. Respondetur 1. Secundo.*

æqualitas penes hoc, quod de eisdem mysterijs plures rationes, seu habitudines vnus cognoscat, quam alius minori beatitudine gaudens.

13 *Si oppo-nas 2.* Si opponas secundo, vnum ex his, quæ quilibet Beatus per fidem cognoscit, est beatitudinis futuritio, ipsiusque perpetuitas, si bene in hac vita operetur; at nullus illorum suam beatitudinem in Verbo cognoscit ex vi visionis Verbi: ergo non cognoscunt in Verbo omnia, quæ per fidem crediderunt in via. Probatur minor dupliciter; primo, quia nulla cognitio potest supra se ipsam reflecti; aliàs à se ipsa speciem desumeret, quod est impossibile; sicuti & quod idem à se ipso dependeat: ergo nequit beatus propriam beatitudinem in Verbo cognoscere. Secundo, si Beatus ex vi visionis diuinæ essentiæ suam beatitudinem, & illius futuram permanentiam cognosceret, sequeretur beatitudini repugnare de potentia absoluta desinere esse; consequens est absurdum: ergo & talis cognitio. Probatur sequela. visio beatifica est infallibilis metaphysicè, idest, nulla potentia potest falsificari: ergo si ipsa sui perpetuam durationem cognosceret, implicaret omnino desinere esse. Patet consequentia, quia eo ipso quod desineret esse, falsa redderetur.

Minor probatur primo. *Secundo.*

14 *Respondetur ad 1. obiectionem.* Respondeo concessa maiori, negando minorem. Ad cuius primam probationem, distinguendo antecedens: primario, concedo antecedens; secundario, nego antecedens, & nego consequentiam; nec ex hoc sequitur, à se ipsa speciem desumere, quia specificatio non à secundario, sed à primario obiecto desumitur. *Ad secundam minoris probationem quædam solutio proponitur, & defenditur.* Secunda minoris probatio, adeò difficilis cuidam Recentiori apparuit, vt illa conuictus asserere ausus fuerit, non repugnare de potentia absoluta visionem beatificam falsificari, idem a fortiori de habitu fidei, & alijs supernaturalibus habitibus asserens. Cuius sententiæ falsitatem communis Theologorum sententia testatur.

15 *Alia solutio.* Alij ita conuicti, visionem beatificam se ipsam, & sui perpetuitatem non cognoscere affirmant, immerito tamen, cum idem argumentum in actu fidei, quo quis beatitudinis perpetuitatem credit soluere teneantur. *Respond.* Quare ad illam respondeo, negando sequelam; ad eius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: sed solummodo sequitur, non posse anichilari ex suppositione decreti diuini liberi, quo decreuerit illam suæ naturæ relinquere.

16 *Dices.* Dices, ipsa visio beatifica essentialiter est cognitio suæ perpetuitatis in nostra sententia: ergo si repugnat illi falsitas de potentia absoluta, repugnabit illi anichilatio absolutè, & non solum ex suppositione decreti liberi. *Respond.* Respondeo, visionem beatificam solum essentialiter petere cognoscere fore perpetuam, si suæ relinquatur naturæ, quod autem absolutè perpetuè sit duratura, non petit essentialiter, idest, de se ipsa cognoscere, sed solum ex suppositione decreti liberi, quo Deus decreuit, illam relinquere suæ naturæ, nec concursum conseruatiuum debitum visioni suspendere.

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

17 *Secunda conclusio.* DICENDUM secundo. *Omnes beatos de facto videre in Verbo omnia genera, & species, quæ de facto fuerunt producta, non autem omnia indiuidua.* Ita quoad primam partem Doctor Angelicus 1. *p. quæst.* 12. *art.* 8. *ad* 4. 3. *Contra Gentes cap.* 59. *quæst.* 8. *de veritate art.* 4. *ad* 1. Et cum ipso communiter Theologi. *Probatur ratione præcedentis conclusionis.* Et probatur ratione, qua præcedens conclusio fuit confirmata: beatitudo nostra essentialis debet omnem nostram anxietatem adimere, & omne rationabile desiderium explere; at omnes viatores anxiè, & rationabiliter desiderant omnia genera, & species, quæ ad ordinem vniuersi spectant, conoscere: ergo omnia illa in Verbo ex vi eiusdem visionis cognoscunt.

18 *Dices. Contra.* Dices, sufficere quod illa cognoscat ex vi alterius cognitionis. Sed contra, potest id fieri ex vi eiusdem visionis, qua intuentur Verbum, nec huius aliqua repugnantia adducetur, & aliàs hoc ad maiorem beatitudinis excellentiam spectat, quam si pluribus cognitionibus fiat: ergo ex vi eiusdem cognitionis prædicta obiecta videntur.

19 *Secundo, probatur prima pars conclusionis.* Secundo probatur, lumen naturale intellectus Angelici exposcit omnia spectantia ad ordinem vniuersi cognoscere: ergo id à fortiori beatificum lumen cuiuscumque beati desiderat; cum sit illo perfectius. Secunda pars eiusdem conclusionis probatur, quia omnia indiuidua corruptibilia cognoscere non appetit intellectus noster: ergo sufficienter illius desiderium expletur per cognitionem generum, & specierum. *Secunda pars conclusionis probatur.*

Si opponas primo, sequi ex hac conclusione, omnia possibilia cognosci à Beatis in Verbo, cum ad illa omnia cognoscenda naturaliter inclinetur noster intellectus; consequens est falsum: ergo & conclusio. Respondeo negando sequelam, quia licet naturali capacitate remota intellectus noster ad omnia illa cognoscenda inclinetur, non tamen proximè, nec per desiderium rationabile elicitum, de quo in ratione nostra sumus loquuti. 20 *Si opponas 1. Respond.*

Si opponas secundo, sequi ex hac conclusione, omnes adultos visuros fore aliqua ex possibilibus, quæ non fuerunt producta; consequens videtur absque fundamento affirmari: ergo & assertum nostrum. Patet sequela, omnes adulti excedere debent in beatitudine essentiali paruulos omnes, qui in gratia Baptismali decedunt, & consequenter debent plura ex possibilibus, quam illi videre: ergo si paruuli omnia ad ordinem vniuersi spectantia videbunt, debent adulti aliqua ex possibilibus, quæ ad ordinem vniuersi non spectant, cognoscere. 21 *Si opponas 2.*

Respondeo primo, admittendo sequelam, nec video quid inconuenientis in consequenti possit inueniri; fundamentum autem esse poterit ratio, qua conclusionem nostram, & communem probauimus. Vel secundo responderi potest, negando sequelam, quia excessus ille subsistere poterit per hoc, quod licet omnes omnia ad ordinem vniuersi spectantia cognoscant, vnus tamen, qui potiori beatitudine gaudet, quam alius, plures ordines, & rationes in eiusdem cognoscat. 22 *Respond. primo. Secundo.*

§. IV.

Tertia conclusio statuitur.

DICENDUM est tertio. *Omnes Beatos visuros in Verbo indiuidua omnia ad ipsorum statum spectantia.* Ita D. Tho. 3. *p. quæst.* 10. *art.* 2. Et cum illo Theologi communiter. Vnde anima Christi omnia præterita, præsentia, & futura cognoscit, quia omnia spectant ad statum illius, vt est vniuersalis Redemptor; & supremus Iudex. Summus etiam Pontifex, Ecclesiæ successus in Verbo videbit; & quilibet religionis fundator successus suæ religionis, & indiuidua omnia ipsam profitentia in Verbo cognoscet; Angelus custos indiuidua suæ curæ commissa; & omnes sancti aduocatos proprios, ipsorumque preces ad ipsos fundendas in Verbo cognoscunt. 23 *Tertia conclusio.*

Conclusionem istam limitat Magister Soto ad præcipuos euentus, non ad omnes adhuc minutissimos *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 3. *art.* 3. *concl.* 10. quem merito sequuntur Moderniores communiter. Illam sic intellectam suadet ratio, qua duas præcedentes probauimus, quia videlicet rationabiliter quisque desiderat hæc omnia cognoscere, & consequenter ad cuiusque beatitudinem spectat, ea omnia per ipsam videre, cum debeat omne rationabile desiderium satiare. Et insuper illa verba Concilij Senonensis in decretis fidei decreto 13. vbi vt probet preces nostras à Beatis videri, ait: *In diuinitatis speculo innotescere illis quidquid eorum intersit.* 24 *Hanc conclusionem limitat Soto, & Suadet primo. Confirmatur.*

Sed oppones primo, sequi ex hac conclusione, aliquando minus beatum plura in Verbo cognoscere, quam magis beatum, vt si ad statum minus beati v. c. religionis fundatoris plura indiuidua spectent, quam ad statum magis; consequens est falsum: ergo & conclusio. Respondet aliqui, in casu quo lumen beatificum ob sui remissionem non potest omnia ad statum beati spectantia videre, illa tunc non visurum in Verbo ex vi eiusdem cognitionis, sed per cognitionem distinctam à visione beatifica; isto autem modo plura minus beatum cognoscere, non est inconueniens; cum ex illo non colligatur excessus in beatitudine essentiali. 25 *Oppones primo. Si respondeatur cum aliquibus.*

Verum ista solutio non placet; tum quia nimis limitat verba Senonensis Concilij, nec illa verificat in rigore, quem petunt. Tum etiam, quia ad minus beatitudo essentialis minus beati in tali casu exposcit, plura ex vi alterius cognitionis videre, quam beatitudo magis beati, quod non minus inconueniens apparet, quam ex vi eiusdem beatitudinis plura videre. Tum denique, quia iam ratio nostra, & communis, qua conclusionem positam confirmauimus, qua etiam vtuntur Auctores prædicti, omnino euanescit. 26 *Contra 1. Secundo. Tertio.*

Quare ad argumentum factum respondeo, quod cognoscere plura existentia in Verbo ex vi reuelationis, non arguit excessum in beatitudine essentiali, sed solum illum arguit plura cognoscere ex possibilibus, quæ cognoscuntur ex vi maioris penetrationis essentiæ, & omnipotentiæ diuinæ; 27 *Respond.*

diuinæ; in casu autem posito ille minus beatus cognoscet illa plura, non vt possibilia ex vi penetrationis maioris essentiæ diuinæ, sed vt existentia ex vi reuelationis. Nec inconuenit Beatum aliqua vt existentia cognoscere, & non vt possibilia, quidditatiua cognitione, quando ad id non habet lumen sufficiens. *Aliter potest responderi.* Aliter solet ad argumentum factum occurri. Videantur Moderni, & præcipuè Magister Sancto Thoma *in præsenti disputatione 15. articulo sexto in solutione ad primum.*

28 *Oppones secundo.* Oppones secundo; quidquid beati vident in Verbo non successiuè, sed statim cognoscunt; at aliquando Angeli beati ignorantiam habent circa euentus aliquos futuros erga illos, qui sunt suæ curæ commissis; cum ex Danielis 10. cap. constet inter se ipsos Angelos pugnasse, quæ pugna ex eo nascitur, quod non illis notum, quid circa futuros euentus disposuerit diuina sapientia: ergo non cognoscunt in Verbo omnes euentus futuros in particulari spectantes ad ipsos.

29 *Respondetur.* Ad hoc argumentum omissis alijs modis dicendi, respondeo cum Caietano, Soto, Bañez, Zumel, Sancto Thoma, Granados, & alijs necessarium non esse, omnes euentus in particulari à principio beatitudinis statim videre, sed sufficit, si præcipuos euentus statim à principio in Verbo cognoscant; & omnia indiuidua ad illorum statum spectantia, minus autem præcipuos euentus successiuè extra Verbum cognoscere possunt. Quam solutionem insinuat Angelicus Doctor *secunda secundæ quæstione 83. art. 11. ad secundum:* illis verbis: *Petunt id, quod æstimant eorum orationibus implendum secundum Dei voluntatem.*

30 *Si obijcias.* Si obijcias: verba illa Diui Thomæ *tertia parte quæstione decima art. 2. Nulli beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant.* Quæ verba explicari debere vniuersaliter de omnibus, adhuc minutissimis in particulari, probatur; nam ex illis colligit, Christum Dominum omnia præterita, præsentia, & futura cognoscere, non solum omnia indiuidua subsistentia, sed etiam omnes cogitationes, & particulares euentus, quia omnia ista spectant ad statum Christi Domini vt Iudicis supremi: ergo in illis verbis vniuersaliter debet intelligi, quantum ad omnia in particulari considerata; aliàs illatio non esset legitima, sed solum inferre deberet, Christum omnia ad ipsum spectantia debere cognoscere cum limitatione prædicta.

31 *Respond.* Respondeo ex hoc, quod omnes beati omnia ad suum statum spectantia debeant cognoscere, saltim in generali, & confusè, rectè colligi, Christum Dominum omnia ad ipsum spectantia in Verbo cognoscere; quod autem non in generali, sed in particulari adhuc minutissima in Verbo cognoscat, inferri per consequentiam materialem, ex eo quod Christum Dominum decet modus perfectissimus cognitionis; ac si ita argueret Angelicus Doctor: omnes beati in Verbo cognoscunt omnia ad ipsum spectantia modo sibi debito, & decente; sed ad Christum Dominum pertinent omnia, quæ sunt, fuerunt, & erunt: ergo debet illa in Verbo cognoscere modo sibi debito; at Christo Domino est debitus modus perfectissimus cognoscendi; qui est omnia in particulari cognoscere: ergo isto modo omnia cognoscit.

32 *Si dicas.* Si dicas; visio beatifica Christi Domini, & nostra sunt eiusdem speciei: ergo non debetur modus perfectior vni, quam alteri. *Respondetur.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia ratione talis subiecti, & maioris dignitatis illius, potest alicui cognitioni modus aliquis perfectior deberi, quando talis modus speciem cognitionis non variat, qualiter in præsenti contingit.

§. Vltimus.

Declaratur modus, quo visio erga sua obiecta versatur.

33 *Vltima conclusio S. Tho.* DICENDVM est vltimo: *Omnia, quæ beati vident in Verbo, à principio, & non successiuè videre.* Ita Diuus Thomas *infra articulo decimo. Secunda secundæ quæstione 83. articulo 4. ad secundum. Tertia parte quæstione decima, articulo secundo. Quæstione octaua de Veritate, articulo duodecimo. Et in quarto distinctione 45. quæstione tertia articulo primo,* & alibi sæpè. Ipsum communiter sequuntur Theologi. *Prob. 1.* Et suadetur primo ex verbis Parentis Augustini relatis à Diuo Thoma *infra articulo decimo in argumento: Sed contra: Non erunt volubiles nostræ cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.* In quibus omnem successionem à beatitudine essentiali Augustinus excludit.

Si forte dicatur, ex verbis prædictis solum inferri in beatitudine essentiali non dari plures cogitationes, ex quarum vna veniatur ad aliam, non autem excludi successionem ex parte obiectorum. 34 *Si respondeatur.*

In contrarium obstat: tùm primò, non verificari posteriora verba Augustini, scilicet, *Omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus*, in quibus supra vnitatem visionis beatificæ simultatem addidit; at in hac solutione, etsi vnitas visionis saluetur, non tamen saluatur simultas interminatione ad obiectum: ergo dicta interpretatio non congruit. Secundo, quia non stat, visionem beatificam terminari ad nouum obiectum, quin ipsa varietur; at nequit variari, quin corrumpatur, vt constat in alijs actibus, qui eo ipso, quod aliquam variationem recipiant, statim corrumpuntur, nec cum vnitate numerica augmentum recipiunt: ergo adhuc respectu eiusdem cognitionis beatificæ repugnat successio in attingendis obiectis. *Contra 1. Secundo.*

Secundo suadetur conclusio ratione Diui Thomæ: visionem beatificam simul à principio omnia sua obiecta intueri, est possibile; & aliàs est maximè congruum statui beatifico: ergo simul à principio illa omnia intuetur. Consequentia tenet. Minor constat; cum idcirco modus prædictus Christo Domino concedatur ab omnibus, quia est perfectior, & maximè concedens statui beatifico. 35 *Secundo probatur conclusio.*

Maior autem probatur. Tùm primo, quia ex illo nullum sequitur inconueniens. Secundo; quia visio beatifica mensuratur æternitate partecipata, vt communiter docetur à Theologis *supra quæstione decima*. Tertio; quia intellectum nostrum non cognoscere plura simul, prouenit ex eo, quod illa diuersis speciebus cognoscit: vnde omnia, quæ per vnam speciem cognoscit, simul potest attingere; at visio beatifica omnia sua obiecta mediante vna specie cognoscit, nempè diuina essentia vnita per modum speciei: ergo omnia illa potest simul à principio absque vlla successione cognoscere. *Maior prob. 1. Secundo. Tertio.*

Contrarium huius docuit Molina *in præsenti artic. disputatione 6. propè principium*, leuiter conuictus ex eo quod, si omnia, quæ beati vident in Verbo, simul à principio viderent, sequeretur Beato Petro esse notum Iudicij diem; consequens est falsum: ergo & assertum nostrum. Probatur sequela primo; quia si Beatus Petrus iam nunc conspiceret totum Ecclesiæ Militantis decursum, vtpote ad illius statum ratione principatus, quem in Ecclesia obtinet spectantem, quanam ratione potest negari illum à principio suæ beatitudinis scire, quando futura sit dies Iudicij? Secundo; nam si beati omnes à principio suæ beatitudinis vident omnes preces ad ipsos fundendas; videbunt etiam preces, quas ad ipsos homines fundent in igne extremæ conflagrationis positi: ergo diem Iudicij cognoscant. 36 *Arguit Molina in contra. Sequela prob. 1. Secundo.*

Respondeo, negando sequelam. Ad cuius primam probationem dicatur, quod etsi omnes alios euentus in particulari cognoscerent, imo & euentum, quem Ecclesia in extrema Iudicij die obtinebit, circumstantiam tamen temporis, quando scilicet hæc erunt, non cognoscit, quia diem istum omnibus occultari, est reuelatum; atque adeò non sequitur iudicij diem ipsi esse notum. 37 *Respond.*

Ad secundam respondeo primo: non videre à principio omnes preces in particulari ad ipsos fundendas, vt paulò ante dicebam; ac proinde non sequitur, preces in extrema die fundendas statim à principio in Verbo cognoscere. *Ad secundam sequelæ probationem respondetur primo.*

Secundo, quod etsi preces omnes in particulari statim à principio cognoscerent, exinde non sequitur, diem Iudicij in particulari cognoscere; quia benè possunt preces tunc fundendas in particulari beati cognoscere, quin diem illum vt extremum, & vltimum cognoscant. Circa alios articulos sufficit littera Diui Thomæ videre. Et hæc de ista Disputatione, & toto Tractatu. 38 *Secundo.*

DISPV-

TRACTATVS TERTIVS.

DE SCIENTIA DEI.

De Quo Diuus Thomas in primo dist. 35. Ad Annibaldum in eadem distinctione. Quæstione secunda de Veritate. Primo Contra Gentes à cap. 44. vsque ad 59. Et in hac prima parte quæst. 14. vbi post quam Diuus Thomas à quæstione prima vsque ad quæst. 13. egerat de his, quæ ad Dei substantiam, & illius esse pertinent, à quæst. 14. incipit considerare illa, quæ spectant ad operationem ipsius.

Et quia operatio, quædam est, quæ manet in operante; quædam verò, quæ procedit in exteriorem effectum, & hæc illam præsupponit in agente intellectuali, prius actiones Dei immanentes considerat, acturus postea, à quæst. 25. de diuina omnipotentia, quæ est principium operationis ad extra.

Operationes autem immanentes sunt actus voluntatis, & intellectus, & quia actus voluntatis supponit actum intellectus, in creaturis quidem realiter, in Deo autem per rationem; ideò prius de his, quæ ad intellectum spectant, & postea de actibus voluntatis tractationem instituit. Igitur in hac quæstione agit de scientia diuina, cuius existentiam demonstrat in primo articulo.

Et quia scientia, sicut quæuis operatio speciem summit à termino, vel obiecto primario, ideò in secundo, & tertio articulo primarium diuinæ scientiæ obiectum examinat. In quarto, identitatem scientiæ cum Dei substantia demonstrat.

Ab articulo quinto, & deinceps vsque ad artic. 16. ad obiecta secundario diuinæ scientiæ, tùm libera, & contingentia; tùm etiam necessaria, considerationem extendit, variasque illius conditiones, proprietatesque meditatur, adeò profundè, & exactè, vt ferè nihil intactum reliquerit.

Nos autem Tractatum istum ad Scientiam Dei, & obiecta necessaria restringimus, acturi in speciali tractatu de scientia conditionatorum contingentium. Sit igitur.

DISPVTATIO XXII.

An ratio, qua D. Thomas probat existentiam Scientiæ in Deo, sit efficax?

§. I.

Statuitur catholica veritas.

Nu. 1. *Deū de est dari in Deo scientiam perfectissimam.*

DEVM esse naturæ intellectualis, in illoque dari scientiam sumptam pro cognitione certa, & euidenti, libera ab omni illa imperfectione, cum qua in creaturis inuenitur involuta, veritas Catholica est, adeoque rationi naturali conformis, vt nemo, qui verum Deitatis conceptum formauerit, à Deo certam sui, & rerum omnium cognitionem excluserit: vnde Aristoteles 12. metaphysicæ cap. 4. de Deo

Est etiam rationi naturali conforme.

loquens, sic ait: *Sinè enim nihil intelligat; sed ita se habeat vt dormiens, quidnam præcellens erit?* Non potens cognitionis carentiam cum Dei præcellentia compositam mente concipere. Et infert: *Seipsum ergo intelligit si est quidem, quod optimum est*, non valens cum negatione cognitionis sui, Dei supremam, optimamque perfectionem coniungere. *Quæ veritas*, inquit D. Thomas 1. Con-

S. THO. tra Gentes cap. 44. *Tantùm apud homines inualuit, vt ab intelligendo imponerent nomen Dei: nam Theos, quod secundum Græcos, Deum significat, dicitur à Theaste, quod est considerare, vel videre.*

Vndè, & optimè Salvianus lib. 4. de prouidentia ad illa Psalmistæ verba: *Non videbit Dominus, nec intelliget*

2 *Deus Iacob*, sic ait: *Ad quos vtique illud referri potest,*

Saluianus. *dixit insipiens in corde suo, non est Deus: nam, qui nihil à Deo aspici affirmant, propè est, vt cui aspectum adimunt, & substantiam tollant, & quasi dicunt omninò nihil cernere omninò nihil esse*; quibus verbis pro eodem reputat à Deo cognitionem adimere, & illius esse negare.

Constat primo ex Scriptura, in qua passim Deo scien- 3

tia attribuitur. Iob 9. de Deo dicitur: *Sapiens corde est, & fortis robore*. Et cap. 12. *Apud ipsum est fortitudo, & sapientia*. Psalm. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*. Ad Romanos 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Quibus locis, & alibi sæpè scientia in Deo constituitur; ac per consequens sine fidei detrimento de Deo nequit negari. *Probat. 1. ex Scriptura. Psalm. 138. Ad Roman. 10.*

Respondebis primo, allegata testimonia esse non in

sensu formali, sed in causali accipienda, ita vt Deo 4

scientia attribuatur, non quia in illo sit formaliter, sed quia causat scientiam in nobis. Ita Antiqui quidam Theologi, quos sine nomine refert D. Thom. *quæst. 2. de Veritate art. 2.* Quam solutionem refellit D. Thomas primò: nam ex illa sequeretur prædicari posse de Deo quidquid causat in creaturis; consequens est falsum; aliàs diceretur Deum moueri, quia causat motum in nobis, & mori, quia etiam est mortis causa: ergo non eà solum ratione dicitur cognoscens, & sciens, quia causat scientiam, & cognitionem creatam. Secundo, quia ea, quæ prædicantur de causis, & causatis per prius inueniuntur in causis, quam in causatis, sicut calor per prius invenitur in igni calorem causante in aere, quam in aere calorem recipiente ab illo; sed scientia, & cogni- *Respondebis 1. Contra arguitur D. Tho. Primo. Secundo.*

gni.

gnitio prædicantur de Deo, & creaturis: ergo per prius reperiuntur in Deo, nec de ipso prædicantur, ex eo quod illas causat in creaturis, sed potius è contra ex hoc de creaturis dicuntur, quia prius inueniuntur in Deo.

5 *Respondebis.* Si dicas: Deum causare motum, mortem, & discursum in nobis; & tamen motus, mors, & discursus non insunt in illo formaliter: ergo pariter causare scientiam, quin in illo formaliter reperiatur. In contrarium obstat: nam doctrina D. Thom. non procedit de illis perfectionibus, *Contra.* quæ solum conueniunt causatis, sed de illis, quæ de causis, & causatis dicuntur, de quibus verum est dicere prius causis, quam effectibus inesse: motus autem, discursus, & mors solis effectibus adscribuntur, scientia verò de causa prima, & creaturis prædicatur: ergo quamuis motus, discursus, & mors non prius dicantur de Deo, illa in creaturis causante, male infertur idem de scientia, & cognitione dicendum.

6 *Tertiò impugnatur solutio à Recentioribus.* Deinde potest prædicta euasio impugnari: si nam Deus non esset cognoscens *formalitèr*, non posset esse *eminentèr* cognoscens: sed absque ratione cognoscitiui *eminentèr*, & *formalitèr*, non posset Deus in creaturis cognitionem causare: ergo nisi esset cognoscitiuus, & cognoscens *formalitèr*, non posset causare cognitionem in creaturis; ac per consequens non potest esse sciens, & cognoscens *causalitèr*, quin etiam sit *formalitèr* cognoscens, & sciens. Illatio, & subillatio tenent. Minor est certa: nam causa perfectè talis, qualis necessario est Deus, non potest causare aliquid, quod non contineat in se *eminentèr*, vel *formaliter*, cum omnis perfecto effectus aliquo ex prædictis modis præcontineri oporteat in causa: ergo si Deus non esset *eminentèr* cognoscens, non posset cognitionem causare. Maior autem probatur; vt enim perfectio effectus *eminentèr* contineatur in causa, debet assignari in illa alia eminentior perfectio, ratione cuius *eminenter* contineatur; sed nulla est perfectio eminentior natura cognoscitiua: ergo si Deus non esset cognoscitiuus *formalitèr*, non posset continere *eminentèr* cognitionem.

7 *Illorum impugnatio non viget.* Hoc tamen argumentum, quo vtuntur Recentiores quidam contra Antiquorum doctrinam, parum vrgere videtur: nam quævis diuina perfectio, vtpotè in propria linea infinita, est maior in ratione perfectionis natura cognoscitiua creata, non solum *identicè* ratione identitatis cum cognitione diuina, sed etiam *formalitèr*, & ratione illius, quod explicat; & tamen non omnis perfectio diuina est cognoscitiua formaliter secundum id, quod in propria linea importat: ergo perfectio non cognoscitiua *formalitèr*, excedit naturam cognoscitiuam creatam; ac proinde ex defectu excessus in perfectione non probatur naturam cognoscitiuam creatam, non posse *eminentèr* contineri in diuina perfectione, quamuis Deus non esset naturæ cognoscitiuæ *formalitèr*.

8 *Confirmatur.* Explicatur, & augetur difficultas: quod Deus infinitè excedat omnem naturam, & perfectionem creatam, habet ex conceptu entis *à se* communi per transcendentiam formalem omnibus attributis diuinis: ergo omnis perfectio Dei ratione sui vt in propria linea *formalitèr*, quamuis *formalitèr* cognoscitiua non sit, excedit naturam intellectiuam creatam: ac proinde malè infertur Deum non contenturum *eminentèr* perfectionem naturæ intellectiuæ creatæ, si cognoscitiuus non esset, excederet perfectionem talis naturæ.

9 *Respondebis.* Respondebis secundo cum alijs, quos ibidem refert D. Thomas, Deo attribui cognitionem ob quandam similitudinem proportionis, sicut illi attribuitur ira, dicitur enim iratus in quantum facit effectus similes irato in quantum scilicet punit, qui est effectus iræ in nobis: ita Deus dicitur sciens, quia facit effectum similem effectui scientis; sicut enim opera scientis procedunt ex determinatis principijs ad determinatos fines, ita opera naturæ, quæ fiunt virtute, & operatione diuina.

10 *Contra illam arguit D. Tho. 1.* Quam solutionem reijcit Angelicus Doctor quia iuxta illam, Deus solum *metaphoricè* diceretur sciens, sicut *metaphoricè* solum dicitur iratus, quod dictis Dionysij, & aliorum Sanctorum repugnat. Cuius impugnationis efficacia in eo posita est: nam verba Sacræ Scripturæ accipienda sunt iuxta SS PP. intelligentiam, sed verba allegata non in sensu metaphorico, sed in proprio, & rigoroso à PP. explicantur. ergo sic accipi debent. *Secundo reijcitur.* Secundo reijcitur: nam verba Sacræ Scripturæ sunt in rigoroso sensu accipienda, nisi absurdum aliquod inferatur ex illo, vt ex Augustino docent communiter Theologi; aliàs nihil firmum Scriptura haberemus: sed ex eo quod allegata testimonia non in metaphorico, sed in rigoroso sensu accipiantur, nihil sequitur absurdi, vt ex argumentorum solutione constabit: ergo sunt in rigoroso sensu accipienda.

11 *Vltimo vtraque solutio reijcitur.* Denique contra vtramque solutionem obijcio: si namque verba Scripturæ, quibus Deo scientia adscribitur, liceret interpretari in sensu metaphorico, aut causali, nullius perfectionis existentia in Deo formalis posset ex Scriptura colligi; consequens est falsum, alias omnem perfectionem possemus negare Deo absque Scripturæ detrimento: ergo nulla ex datis interpretationibus potest subsistere. Patet sequela: nullum adest fundamentum ad interpretanda allegata testimonia in aliquo ex illis sensibus, quod pari efficacia non militet ad sic interpretanda alia quæuis testimonia Deo attribuentia quamcumque aliam perfectionem: ergo si illa liceret interpretari in sensu causali, vel metaphorico, omnia alia poterunt in eisdem sensibus accipi: ac proinde non poterit ex Scriptura probari, formalis existentia alicuius perfectionis in Deo.

12 *Deinde prob. 1. ratione.* Deinde extant pro hac veritate plura argumenta à ratione. Primum est: nam Deus est naturæ viuentis; cum in hoc conceptu nulla imperfectio inueniatur; sed non vita vegetatiua, vel sensitiua, quæ in suis conceptibus involuunt imperfectionem: ergo vita intellectiua sed non vita intellectiua in actu primo realiter ab actu secundo distincto, & ab illo separabili; cum iste modus viuendi sit realiter potentialis; ac per consequens imperfectus: ergo vita intellectiua identificata cum actuali intellectione; & consequenter intelligit, & cognoscit. *Confirmatur.* Quod amplius vrgeri potest: nam Deo debet attribui supremus gradus viuendi; sed supremus gradus vitæ, est vita intellectualis identificata realiter cum actuali intellectione: ergo Deo est attribuenda actualis intellectio.

13 *Prob. 2.* Secundo probatur ratione: nam Deus est agens non à casu; cum *casualitèr* agere sit imperfectus modus agendi: ergo est agens propter finem; non enim est assignabile medium inter agere à casu, & agere propter finem præstitutum ab alio, qualiter agit natura: aliàs ab alio in agendo penderet, nempè à præstituente finem; cum primo agenti omnis dependentia repugnet: ergo agit propter finem præstitutum à se: sed finis media cognitione proponitur, & præstituitur: ergo Deus cognoscit finem. *Confirmatur.* Quod amplius confirmari potest: nam Deo, vtpotè perfectissimo agenti, concedi debet perfectissimus modus agendi; sed operari ad extra, non *necessario*, sed *liberè* est modus agendi perfectior, quam *naturaliter*, & *necessario* operari; cum necessitari à bonitate creata, maxima imperfectio sit: ergo Deus operatur non *necessario*, sed *liberè*; sed operari *liberè* est operari ex electione, quæ cum actus voluntatis sit, necessario actum intellectus, & consequenter naturam intellectualem supponit: ergo Deus est naturæ intellectualis.

14 *Tertio probatur conclusio.* Tertia ratio est: omnis perfectio *simpliciter* simplex conuenit formaliter Deo; sed intellectio est huiusmodi: ergo in Deo formaliter reperitur. Maior est certa, aliàs summè perfectus non esset. Minor autem probatur: nam perfectio *simpliciter* simplex, est illa, *qua in vnoquoque melior est ipsa, quam non ipsa*, vt diffiniuit Anselmus in *Monologio cap.* 14. id est, quam formaliter habere magis conuenit cuius individuo entis, quam aliam ipsi repugnantem, vt explicuit Caietanus *de ente, & essentia cap.* 2. sed cognitio, aut intellectualis, & cognoscitiua natura, talis conditionis est, vt melius sit illam habere, quam aliam quamuis perfectionem, quæ cum illa non compatiatur. ergo est perfectio *simpliciter* simplex. *Confirmatur.* Confirmatur: Deo, vtpotè enti perfectissimo, conuenit omnis perfectio, quæ in suo conceptu formali nullam dicit imperfectionem: sed scientia, cognitio, vel intellectualis, & cognoscitiua natura, est perfectio, vt per se notum apparet, nec in suo conceptu formali imperfectionem importat: ergo Deus est naturæ intellectualis, & in ipso formaliter reperitur scientifica, id est euidens, & certa cognitio.

15 *Opponas primo.* Si opponas primo: scientia est qualitas, & per discursum habetur, sed ratio qualitatis, & discursus, imperfectionem important: ergo scientia importat imperfectionem; & consequenter non reperitur in Deo. *Respond.* Respondeo, rationem qualitatis conuenire scientiæ ex conceptu creatæ, rationem discursus, ex conceptu scientiæ humanæ; neutram autem rationem ex conceptu formalissimo, ex quo solum petit esse perceptionem certam, & euidentem sui obiecti, in quo nulla imperfectio importatur, sed perfectio *simpliciter*.

Si opponas secundo: intelligere, iuxta Aristotelem 3. de

16 *Opponet secundo.* 3. *de anima*, consistit in pati; sed passio imperfectionem dicit, Deoque repugnat ratione summæ actualitatis, & puritatis: ergo illi non conuenit intellectio. Respondeo, Aristotelem loqui non de intelligere vt sic, sed de intelligere nostro, quod consistit in pati non *formaliter*, *Respond.* sed *antecedenter*, quatenus intellectus humanus, quia de se est pura potentia, indiget præuiè ad intellectionem actuari, & determinari speciebus obiectorum, quæ ratio in diuino intellectu non militat ob purissimam actualitatem.

17 *Opponet tertio.* Si opponas tertio, intelligere est motus, vel actio vitalis; sed Deo repugnat actio vitalis, vel motus: ergo etiam intellectio. Probatur minor, de ratione actionis vitalis est egredi à principio vitali; sed omnis egressio repugnat perfectionibus diuinis; & consequenter omne egrediens, Deo conuenire non potest: ergo actio, aut motus vitalis non potest Deo conuenire. Respondeo, concessa maiori, *largè* loquendo de motu ex modo signifi- *Respond.* candi, negando minorem: ad probationem, distinguo maiorem: egressu reali, formali, vel virtuali, concedo maiorem: egressu reali formali determinatè, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: sicut enim perfectionibus diuinis non repugnat virtualis radicatio, benè tamen realis formalis, vt constat in attributis, quæ *virtualiter* radicantur in essentia; ita nec illis virtualis realis egressus repugnat, benè tamen realis formalis; de ratione autem actus vitalis, vt sic, ex conceptu abstrahente à creato, & increato, non est egressus realis formalis determinatè, sed disiunctim formalis, aut virtualis, sicut de conceptu naturæ abstrahentis à creata, & increata, est radicatio non determinatè formalis, sed vel formalis, vel virtualis.

18 *Instabis.* Instabis: non minus est de ratione actionis vitalis egredi ab alio, quam de ratione relationis esse ad aliud; sed relationi reali non sufficit *ad* virtuale, sed necessariò petit formale: ergo actioni vitali non sufficiet virtualitèr egredi, sed necessariò petet formalem egressum. Minor est certa, aliàs præter relationes reales personales possent admitti in Deo relationes reales, quibus mutuo se respicerent perfectiones absolutæ virtualiter distinctæ. Maior autem constat: nam sicut diffinitur relatio per *respicere terminum*, ita diffinitur actio per *esse à principio*: ergo non minus est de ratione actionis, quod sit ab alio, quam de ratione relationis esse ad aliud.

19 *Respond.* Respondeo, negando maiorem: nam licet actio diffiniatur per *esse ab alio*, & relatio per *esse ad aliud*, communis tamen Doctorum interpretatio *esse ab alio* in diffinitione actionis sumpsit in sensu formali, vel virtuali; *ad* autem in relatione, penes respectum determinatè formalem: & ratio est, quia de actione, & natura, quæ est principium actionis, eodem modo phylosophandum est, natura autem diffinitur per esse principium formale, vel virtuale, aliàs conceptus naturæ non reperiretur in Deo: ergo actio diffiniri debet per *esse ab alio* egressione, non determinatè formali, sed disiunctim formali, vel virtuali, in *ad* autem relationis nulla est ratio, vt sumatur disiunctim penes respectum formalem, aut virtualem, & ideo, diffinitur relatio per esse ad aliud *formaliter*.

§. II.

Ratio Diui Thomæ proponitur.

20 *Punctus principalis difficultatis proponitur.* SVPPOSITO ergo esse in Deo naturam cognoscitiuam, actualemque cognitionem, quod in discrimen vertimus est, an hæc veritas rectè, & efficaciter probetur à D. Thoma, ex Dei immaterialitate, & an ratio, quæ ex immaterialitate probat Dei intellectualitatem sit efficax demonstratio? Qua in re negatiuam sententiam tenuere quidam, quos sine nomine refert Capreolus *in* 1. *dist.* 35. *art.* 2. asserentes ex immaterialitate non inferri *Prima sententia. Capreol.* à priori intellectualitatem, sed tantum à posteriori, & à signo, quatenus ex negatione materiæ, & potentialitatis, colligitur nobilitas entis, cui nobilis operatio debetur, & consequentèr cognitio. Pro illa etiam referuntur *Ochan. Gabriel. Aureol.* Ochan, & Gabriel *in* 1. *dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 1. & Aureolus *in eadem dist. art.* 2. Cæterum ille Auctor etsi contra rationem D. Thomæ argumenta proponat, positione tertia eiusdem articuli probat rectè ex immaterialitate intellectualitatem probari, sumendo immaterialitatem, non pro carentia materiæ, sed pro carentia quantitatis corporeæ, & concludit, implicare substantiam immaterialem, quæ non sit cognoscitiua. Ex Recentioribus eidem *Auersa.* sententiæ adhæsit Raphael de Auersa *quæst.* 14. *de scientia Dei sect.* 1. *vers. sed quamuis assumptum illud*, vbi docet, rationem D. Thomæ demonstratiuam non esse, sed ex probabilibus tantum principijs procedere.

Secunda sententia docet, rationem D. Thom. inferentem intellectualitatem diuinam ex eius immaterialitate efficacem, & demonstratiuam esse. Ita Antiquiores Thomistæ, Capreolus *in* 1. *dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 2. Hispalensis *in eadem distinct.* Ferrara 1. *Contra Gentes cap.* 44. Caietanus *in hac quæst. art.* 1. Bañez, & Zumel *in comm(«ne.* Cornejo *dub.* 2. *& sequentibus*, Nazarius *controuersia* 1. Illustrissimus Arauio *dub.* 1. Magister S. Thoma *disp.* 15. *art.* 1. Ripa, Zanardus, Biescas, Serra, & alij discipuli D. Thomæ *in hac quæst art.* 1. Tenent etiam ex PP. Societatis Molina *in præsenti in commento* 1. *art.* 1. Granadus *controuer.* 2. *tract.* 1. *disp.* 1. Fasolis *dub.* 1. *&* 2. Herice *tract.* 1. *disp.* 1. *cap.* 3. Suarez *tom.* 2. *metaphysica disput.* 35. *sect.* 3. *num.* 18. quos alij Recentiores sequuntur. 21 *Secunda. Capreol. Hispal. Ferrara. Caietanus Bañez. Zumel. Cornejo. Nazar. Arauio. M. S. T. Ripa. Zanard. Biescas. Serra. Molina. Granad. Fasolus. Herice. Suarez.*

Quæ sententia non aliter est probanda, nisi rationem D. Thomæ explicando, & obiectionibus in contrarium occurrendo. Ratio ergo D. Thomæ sic proponitur: immaterialitas est ratio cur aliquid cognoscitiuum sit; sed Deus est summè immaterialis: ergo summe cognoscitiuus; & consequenter intelligens: nam suprema omnium cognitio, est intellectio. Consequentia tenet, minor est certa: nam immaterialitas sumitur, vel pro exclusione materiæ, vel pro exclusione potentialitatis, vel pro eleuatione supra materiam, & non immersione in illa: Deus autem: cum sit actus purus, materiam, & potentialitatem omnem excludit, & supra omnem conditionem materiæ eleuatur. 22 *Ratio D. Tho. proponitur.*

Maior autem ostenditur primo: vt enim docet Phylosophus *lib.* 2. *de anima textu* 124. plantæ non cognoscunt, quia materiales sunt; sensus autem cognoscitiuus est, quia est receptiuus specierum sine materia; & consequenter aliqualiter immaterialis, idest materiæ conditionem excedens: intellectus etiam humanus est magis cognoscitiuus, quia magis immaterialis, idest magis separatus à materia, & magis immixtus illi, vt docetur 3. *de anima textu* 4. Ac denique Angelus quia in immaterialitate superat animam rationalem, vtpote, nec dependens à materia, nec illam potens informare, illam etiam in cognoscendo excedit: ergo immaterialitas est ratio, cur aliquid cognoscitiuum sit. 23 *Maior probatur primo.*

Secundo probatur: immaterialitas est ratio, cur aliquid sit intelligibile in actu, vt enim docet D. Thomas 1. *Contra Gentes cap.* 44. ex hoc formæ sunt intellectæ in actu, quod sunt sine materia, id est per hoc quod abstrahuntur à conditionibus materialibus, cum quibus ad extrema inueniuntur; sed intelligibile in actu, fit vnum cum intellectu intelligente in actu: ergo immaterialitas etiam est ratio intelligibilitatis actiuæ, & ex hoc aliquid intellectiuum, vel cognoscitiuum erit, quod separatur à materia; & consequenter ex eo quod immateriale est. 24 *Secundo.*

Tertio; nam in hoc cognoscentia à non cognoscentibus differunt, quod hæc nihil habent, nisi formam suam tantum, illa verò præter formam propriam nata sunt habere in se, etiam formam rei alterius per speciem repræsentatiuam illius; sed capacitas habendi formas aliarum rerum conuenit ratione immaterialitatis: ergo immaterialitas est ratio actiuæ cognoscibilitatis. Maior constat: nam species rei cognitæ est in cognoscente, & per illam fit intellectus in actu, species autem *repræsentatiuè* continet formam, aut naturam obiecti: ergo cognoscens natum est habere in se formam rei, quam potest cognoscere; vnde Phylosophus *lib* 3. *de anima textu* 37. docuit, animam esse quodammodo omnia, quia omnium est cognoscitiua. Minor autem probatur: capacitas habendi non solum formam propriam, sed etiam alterius rei, est amplitudo, & illimitatio quædam; sed immaterialitas est ratio amplitudinis, & illimitationis in forma: ergo immaterialitas est ratio illius capacitatis. Maior constat ex terminis: minor autem probatur: coarctatio formæ, & illius limitatio prouenit à materia, & consequenter materialitas est ratio coarctationis formæ: ergo immaterialitas est ratio amplitudinis, & illimitationis; & consequenter est ratio capacitatis habendi formas aliarum rerum, per quam capacitatem cognoscentia, à non cognoscentibus differunt. 25 *Tertio.*

Dices, materiam esse rationem coarctationis entitatiuæ, & indiuidualis, non vero coarctationis specificæ; stat autem materiam limitare indiuidualiter, & non inducere coarctationem intelligibilem: nam differentia specifica indiuiduat Angelum, & tamen relinquit in illo ampli- 26 *Respondebis.*

amplitudinem, ratione cuius continet in ſe formas aliarum rerum in eſſe intelligibili, & materia indiuiduat animam rationalem, quin coarctet illam, vt non poſſit omnia *intelligibilitèr* fieri.

27 *Contra.* Sed contra: materia adæquans, & comprehendens formam, non ſolum *indiuidualitèr*, & *entitatiuè* illam limitat, ſed etiam coarctat, ne poſſit aliorum forma in ſe *repræſentatiuè* recipere: ergo coarctatio impediens intellectualitatem actiuam prouenit ratione materiæ; & conſequenter amplitudo, ratione cuius poteſt natura cognoſcẽs alia à ſe *intelligibilitèr* fieri, oritur ex formæ immaterialitate. Antecedens probatur: materiam adæquare, & comprehendere formam, eſt quod forma non excedat conditionem materiæ, nec ſupra illam eleuetur in agendo, aut in recipiendo; ſed eo ipſo quod forma non excedat conditionem materiæ, nec ſupra illam eleuetur, non poteſt aliorum formas *repræſentatiuè* recipere, nec alia à ſe *intelligibilitèr* fieri, in quo differunt cognoſcentia à non cognoſcentibus: ergo materia adæquans, & comprehendens formam, coarctat illam non ſolum *indiuidualitèr*, ſed etiam *intelligibilitèr*, aut *cognoſcibilitèr* cognoſcibilitate actiua.

28 *Maior probatur.* Maior probatur, & explicatur ſimul: non enim dicitur materiam adæquare formam, aut comprehendere, quia ſit tantæ perfectionis, ac forma; cum enim forma actus ſit, & materia pura potentia, non poteſt formam in perfectione adæquare, ſed dicitur comprehendere formam, quia forma in operando non ſe extendit vltra illas operationes, in quas poſſunt qualitates, quæ ſunt diſpoſitiones generales materiæ, vt calor, & frigus, ſiccitas, & humiditas, grauitas, & leuitas; nec in recipiendo excedit conditionem materiæ, ſed recipit materialiter, & entitatiuo modo, qui eſt proprius modus recipiendi materiæ. Minor etiam probatur: materia non eſt capax recipiendi formam *repræſentatiue*, & *intentionalitèr*, ſed tantum *entitatiuè*, & *materialiter*: ergo eo ipſo quod forma non excedat conditionem materiæ, non poteſt aliorum formas *repræſentatiuè* recipere, nec fieri alia à ſe *intentionalitèr*, & *intelligibilitèr*. Videatur D. Thomas *quæſt. de ſpiritualibus creaturis art. 2. in corp.* Et 2. *Contra Gentes cap. 68. ad finem*, vbi fusè explicat quid ſit formam eſſe immerſam materiæ, & in quo conſiſtat, quod eius conditionem excedat, & per omnes formas elementorum, mixtorum, viuentium vita vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua diſcurrit.

29 *Ratio D. Th. in forma proponitur.* Et iuxta illius doctrinam ratio, qua in præſenti vtitur, ſic poteſt formari: quod aliquid ſit cognoſcitiuum habet, quia immateriale eſt, ideſt, quia materiæ conditionem excedit, & ſupra illam eleuatur; ſed Deus ſummmè immaterialis eſt, ſummèque ſupra omnem conditionem materię eleuatus: ergo eſt ſumme cognoſcitiuus; ſuprema autem inter omnes naturas cognoſcitiuas eſt natura intellectiua ſibi identificans actualem intellectionem; & conſequentèr Deus eſt naturæ intellectiuæ actualiter intelligens.

§. III.

Primum argumentum proponitur, & examinatur, an intelligens ſit res intellecta?

30 *Arg. 1.* ARGVITVR primo: etiam non cognoſcentia præter propriam formam, aliorum formas recipiunt: ergo differentia à D. Thoma ſtatuta inter cognoſcentia, & non cognoſcentia eſt falſa; & conſequentèr ex falſo fundamento diſcurrit, ac proinde non demonſtratiuè. Antecedens probatur: aqua recipit in ſe calorem; calor autem non eſt propria forma aquæ; aer etiam in ſe recipit ſpecies intentionales viſibiles: ergo non viuentia, apta ſunt in ſe recipere, non ſolum proprias formas, ſed etiam formas aliorum.

31 *Prima ſolutio.* Huic argumento variè occurritur ab auctoribus noſtræ ſententiæ. Prima ſolutio eſt: cognoſcentia recipere in ſe aliorum formas, ſcilicet, ſpecies intentionales per identitatem cum illis, taliter, quod intellectus actuatus ſpecie lapidis identificatur cum lapide, & cum ſpecie repræſentatiua illius, non quidem in eſse naturali, & entitatiuo, ſed in eſſe inteligibili, & intentionali; at vero non cognoſcentia non recipiunt formas aliorum per identitatem cum formis, nec cum illis à quibus tales formas recipiunt; aqua enim in ſe recipiens calorem ab igne, nec identificatur cum igne, nec cum calore recepto; aer etiam, quamuis in ſe recipiat ſpecies intẽtionales, non tamen ita, vt cum illis identificetur in eſſe intentionali, & repræſentatiuo, quia eſt incapax cognitionis. Ita PP. Salmanticenſes vbi *ſupra diſp. 2. dub. 2.* referentes Capreolum, Caietanum, Ferrarienſem, & alios, Recentiores Thomiſtas.

Hanc tamen doctrinam ſemper iudicaui difficilem, nec credo Antiquiores Thomiſtas fuiſſe in eo ſenſu loquutos. Primo: nam quæ poſſunt realiter ſeparari, maximè ſeparatione mutua, realitèr inter ſe diſtinguuntur; quod enim idem à ſe ipſo realitèr ſeparetur, non minus inintelligibile eſt, quam quod idem à ſe ipſo realitèr producatur; ſed intellectus, & ſpecies intelligibiles poſſunt realitèr ſeparari ſeparatione mutua, ſaltim de potentia abſoluta; poteſt namque ſpecies lapidis, v.g. extra intellectum produci, & non mutua de lege ordinaria, & ex natura rei; intellectus namque naturaliter poteſt ſine ſpecie lapidis exiſtere, & multoties illa carebit: ergo intellectus intelligens lapidem non fit lapis per identitatem, cum lapide, nec cum ſpecie repræſentatiua illius, etiam in eſſe intelligibili. 32 *Contra 1.*

Quod amplius vrgetur: manente principio diſtinctionis, perſeuerat diſtinctio; ſed in intellectu, & ſpecie coniunctis manet principium illa ſeparata diſtinguens: ergo in illis coniunctis, & vnitis, realis ſubſiſtit diſtinctio. Maior, & conſequentia probatione non indigent. Minor autem probatur: manet integra entitas intellectus, & entitas, & intelligibilitas ſpeciei; ſed principium illa ſeparata diſtinguens eſt propria entitas vtriuſque, non enim diſtinguuntur per aliquid ſuperadditum: ergo in ſpecie, & intellectu vnitis manet diſtinctionis principium. 33 *Confirmatur.*

Secundo facit contra eandem doctrinam: vt enim relati Auctores fatentur, ſpecies prout in genere entis, per ſe primo educitur de potentia intellectus; prout tamen in genere intelligibilis, licet per ſe primo non educatur, coeducitur tamen; ſed non ſolum eductum de potentia ſubiecti, ſed etiam ex eadem potentia coeductum, petit realitèr à ſubiecto eductionis diſtingui: ergo ſpecies in vtroque genere realitèr ab intellectu diſtinguitur. Probo minorem: non ſolum productum, ſed etiam comproductum, à principio productiuo diſtinguitur realitèr; nihil enim poteſt à ſe ipſo produci per ſe primo, nec comproduci ad alterius productionem: ergo non ſolum per ſe primo eductum de potentia ſubiecti, ſed etiam coeductum, realiter diſtinguitur à ſubiecto eductionis. 34 *Secundo.*

Tertio: nam eſſe intelligibile ſpeciei, realiter identificatur cum illius entitate; ſed entitas ſpeciei realitèr diſtinguitur ab entitate intellectus: ergo eſſe intelligibile ſpeciei realitèr ab intellectu diſtinguitur. Patet conſequentia: nam in creatis, quæ realitèr identificantur vni tertio, realitèr etiam identificantur inter ſe: ergo ſi intellectus, & entitas ſpeciei non identificantur realitèr, nequeunt realitèr identificari cum eſſe intelligibili, quod inuenitur in ſpecie; & conſequenter cum hoc eſſe intelligibile, ſit realitèr identificatum cum entitate ſpeciei, non poteſt identificari realitèr cum entitate intellectus. 35 *Tertio.* Quarto: nam diuina eſſentia vnitur mentibus beatorum vt ſpecies, vt cum D. Thoma *ſupra q. 12. art. 2.* docent omnes eius diſcipuli; & frequentius alij Theologi; ſed intellectus beati non poteſt realitèr identificari cum Deo: ergo intellectus actu intelligens non poteſt realitèr identificari cum ſpecie intelligibili. *Quarto.*

Dices, intellectum creatum non poſſe cum Deo, aut illius perfectionibus identitatem realem in linea entis ſortiri, bene tamen in linea intelligibili. 36 *Reſpondebis.* Sed contra primo: nam realis identitas in genere entis repugnat intellectui creato cum diuinis perfectionibus, propter infinitam diſtantiam, quæ inter Deum, & creaturam in genere entis verſatur; ſed etiam Deus conſideratus in linea intelligibili, infinitè diſtat ab intellectu creato, ſiuè conſideretur in genere entis, ſiuè in genere intelligibili: ergo etiam in hoc genere repugnat intellectui creato realis identitas cum Deo. *Contra 1.* Secundo: non ſolum repugnat enti creato conuenientia ſpecifica cum Deo in genere entis, ſed etiam in genere intelligibili, qua ratione *ſupra quæſt. 12. art. 2.* impoſſibilis probatur ſpecies impreſſa quidditatiua Dei: ergo identitas realis cum Deo repugnat enti creto, non ſolum in genere entis, ſed etiam in genere intelligibili. *Secundo.*

37 *Tertio reijcitur ex D. Tho.* Tertio tradita ſolutio reijcitur ex D. Thoma 3. *Contra Gentes cap. 51.* vbi de diuina eſſentia loquens, ſic ait: *Nec tamen poteſt eſſe forma alicuius rei ſecundum eſſe naturale. ſequeretur enim quod ſimul cum aliquo vnita conſtitueret vnam naturam, quod eſſe non poteſt, cum eſſentia diuina in ſe perfecta ſit in ſui natura, ſpecies autem intelligibilis*

illis vnita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni diuinæ essentiæ non repugnat. Ex quibus verbis tale argumentum deducitur: maior est vnitas identitatis, quam realis compositionis; sed repugnat diuinæ essentiæ vniri cum ente creato ad vnam naturam constituendam vnitate compositionis: ergo repugnat illi vniri cum ente creato ad constituendum vnum per identitatem; sed non repugnat vniri per modum speciei cum intellectu creato: ergo species non vnitur per identitatem cum intellectu.

38 *Aliter ponderatur doctrina D. Thom.* Vel aliter ex eadem doctrina argumentor: repugnat diuinæ essentiæ esse formam secundum esse naturale, quia non potest vnam naturam cum ente creato constituere; non autem repugnat esse formam intelligibilem, quia talis forma non est ad constituendam naturam, sed vt intellectum ad intelligendum perficiat, quod diuinæ essentiæ non repugnat, ita D. Thom. verbis nuper allegatis; sed si deberet intellectum perficere per identitatem realem cum illo, restaret D. Thomæ explicandum, cur hæc vnio non repugnaret essentiæ diuinæ cum intellectu creato: ergo ne trunca maneat Angelici Præceptoris doctrina, asserendum est sensisse speciem non perficere intellectum per realem identitatem, sed per realem determinationem, coadiuuando ad intelligendum, in quo modo vnionis nulla repugnantia inuenitur.

39 *Deinde impugnatur solutio ex D. Thom.* Deinde tradita solutio impugnatur ex eodem D. Thoma *lib. 4. sententiar. dist. 49. quæst. 2. art. 1. ad 10.* quod ita procedebat: *In rebus separatis à materia, idem est intelligens, & quod intelligitur, vt patet in 3 de anima; sed Deus est maximè à materia separatus, cum ergo intellectus, qui est creatus, non possit ad hoc pertingere vt fiat essentia increata, non poterit esse quod intellectus Deum per essentiam videat.* Cui argumento concedens, cum substantiæ separatæ se intelligunt idem esse intelligens, & quod intelligitur, hæc verba subiungit: *Secundum autem quod intelligit res alias, intellectum in actu fit vnum cum intellectu in actu, in quantum forma intellecti fit forma intellectus in quantum est intellectus in actu, non quod sit ipsamet essentia intellectus, vt Auicena probat in 6. de naturalibus, quia essentia intellectus manet vna sub duabus formis secundum quod intelligit res duas successiuè, ad modum quo materia prima manet vna sub diuersis formis: vnde etiam commentator in 3. de anima comparat intellectum possibilem quantum ad hoc materiæ primæ, & sic nullo modo sequitur, quod intellectus noster videns Deum, fiat ipsa essentia diuina, sed quod ipsa essentia diuina comparatur ad ipsum quasi perfectio, & forma.*

Ex quibus verbis sic traditam solutionem impugno: argumentum contendebat, non posse Deum per essentiam videri ab intellectu creato, quia intelligens, & res

40 *Ponderatur D. T. doctrina.* intellecta sunt idem; intellectus autem creatus non potest adhoc pertingere vt sit essentia increata, quod argumentum non soluit D. Thomas distinctione illa de identitate in esse intelligibili, & non in esse rei, sed alia de identitate quoad formam, per quam res intellecta, & intellectus constituuntur in actu; at si D. Thomas sentiret intelligens realiter cum re intellecta, vel cum specie intelligibili identificari, adhibita hac distinctione facile argumento occurreret: ergo huiuscemodi identitas ad mentem D. Thomæ non est.

41 *Confirmatur 1.* Quod amplius vrgetur: vt enim docet D. Thomas, intellectus noster videns Deum, nullo modo fit diuina essentia; sed si fieret diuina essentia in esse intelligibili per realem identitatem, intellectus videns Deum aliquo modo fieret essentia diuina; identitas enim in esse intelligibili, aliquis modus identitatis est: ergo iuxta D. Thomam diuina essentia vnita mentibus beatorum vt forma, nec in esse intelligibili identificatur cum illis.

42 *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo: ex hoc quod intellectus videat Deum per essentiam, tantum sequitur, quod diuina essentia comparetur ad ipsum, vt perfectio, & forma; sed forma in quantum talis, realiter à subiecto distinguitur, & perfectio a perfectibili: ergo essentia diuina vt species, realiter distinguitur à nostro intellectu. *Confirmatur 3.* Denique confirmatur, & solutio, qua occurri solet, reijcitur: in eo sensu negat D. Thomas identitatem essentiæ diuinæ cum intellectu beati, in quo adstruit ipsum informare, & perficere; sed solum perficit, & informat intellectum creatum in linea, & genere intelligibili: ergo etiam in hoc genere, negat identitatem diuinæ essentiæ, vt gerentis munus speciei cum intellectu creato.

43 *Vltimo reijcitur solutio* Denique principaliter contra Recentiorem doctrinam arguitur ex D. Thoma loco nuper allegato in corpore, *ex eodem D. Tho.* vbi docens, diuinam essentiam esse formam, qua beati constituuntur in actu ad videndum Deum, quia quacumque alia informaretur intellectus noster, non posset per eam duci in essentiam diuinam; subiungit: *Quod quidem non debet intelligi quasi diuina essentia sit vera forma intellectus nostri, vel quod ex ea, & intellectu nostro efficiatur vnum simpliciter, sicut in naturalibus ex materia naturali, & forma, sed quia proportio diuinæ essentiæ ad intellectum nostrum est sicut proportio formæ ad materiam.* Et paucis interpositis addit: *Sicut enim ex forma naturali, qua aliquid habet esse, & materia efficitur vnum ens simpliciter, ita ex forma, qua intellectus intelligit, & ipso intellectu fit vnum in intelligendo.* Hæc D. Thomas. Ex quibus verbis tale argumentum deducitur. Ex intellectu, & re intellecta, vel specie intelligibili, non fit vnum *simpliciter*, sicut ex materia, & forma naturali, sed vnum *secundum quid*, id est, vnum principium adæquatum intelligendi; sed si intellectus per identitatem fieret res intellecta, ex illis fieret vnum *simpliciter*, imo maiori vnitate, quam ex materia, & forma naturali; cum vnitas identitatis maior sit vnitate compositionis: ergo intellectus non identificatur realiter cum obiecto intellecto, nec cum specie in genere intelligibili.

44 *Confirmatur.* Confirmatur ex eodem D. Tho. *in 2. dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad 3.* illis verbis: *Oportet, quod hæc species, quæ est intellecta in actu, perficiat intellectum in potentia, ex quorum coniunctione efficitur vnum perfectum, quod est intellectus in actu, sicut ex anima, & corpore efficitur vnum quod est homo habens operationes humanas: vnde sicut anima non est aliud ab homine, ita intellectum in actu non est aliud ab intellectu intelligente actu, sed idem, non tamen ita quod species illa fiat substantia intellectus, vel pars eius nisi formalis, sicut n. & anima sit corpus.*

45 *Ponderantur verba D. Tho. primo.* Quæ verba sic pondero primo: ex coniunctione speciei, & intellectus efficitur vnum, sicut ex anima, & corpore efficitur homo habens operationes humanas, sed ex anima, & corpore non fit vnum per identitatem, sed per compositionem: ergo ex specie, & intellectu non per identitatem, sed per compositionem fit vnum. *Secundo.* Secundo: sicut anima non est aliud ab homine, ita species, quæ est intellecta in actu non est aliud ab intellectu intelligente in actu; sed alietas, quæ negatur animæ ab homine, non est alietas opposita identitati, sed alietas opposita inclusioni; anima enim in homine clauditur, sicut pars in toto: ergo alietas, quæ negatur speciei ab intellectu intelligente actu, non identitati, sed inclusioni opponitur; & consequenter sicut anima realiter ab homine differt, includitur tamen in illo, tanquam pars eius formalis, ita species differt realiter ab intellectu vt in actu, in illo tamen includitur. *Tertio.* Tertio: species non est idem cum intellectu intelligente in actu, nisi tanquam pars formalis; sed pars formalis realiter a toto distinguitur: ergo species distinguitur realiter ab intellectu intelligente in actu.

46 *Respondebis 1. Contra 1.* Nec sufficit communis euasio, quod scilicet loquatur Diuus Thomas de specie sumpta entitatiuè, non autem in linea, & genere intelligibili. Reijcitur enim primo: nam D. Thomas non in sensu identico, & materiali, sed in formali semper est accipiendus, nisi aliud expressè constet, quod in præsenti non accidit; nusquam enim expressè docuit oppositum, nempè, identitatem realem speciei cum intellectu. *Secundo.* Secundo: nam loquitur de specie, vt ex illa, & intellectu fit vnum ad intelligendum, non autem fit vnum ad intelligendum ex illa sumpta entitatiuè, sed prout est in genere intelligibili: ergo loquitur de specie vt in hoc genere existit.

47 *Tertio.* Tertio: sermo Diui Thomæ vniuersalis est, & extensus ad diuinam essentiam vt gerentem munus speciei in intellectu beati; sed diuina essentia non est forma intellectus in genere entis, sed tantum in genere intelligibili: ergo loquitur de specie vt in genere intelligibili. *Quarto.* Denique: quia aliàs Diuus Thomas diminutè processisset, explicans vnitatem resultantem ex intellectu, & specie sumpta entitatiuè, & inexplicatam relinquens vnitatem resultantem ex illa, & intellectu in genere intelligibili, quæ præcipuè intendebatur; hoc admittendum non est: ergo nec tradita interpretatio.

48 *Respondetur 2. ex Ferrariensis.* Ex his manet impugnata sententia Ferrariensis *1. Contra Gentes cap. 44.* Asserentis, rem intellectam dupliciter sumi posse: primo pro specie impressa, quæ dicitur res intellecta quia est ratio, qua obiectum redditur intelligibile: secundo pro obiecto intellecto: & in prima acceptione intellectum non fieri rem intellectam; non enim fit ipsa species intelligibilis, sed ab illa distinguitur

GODOY in 1. p. Tom. 1.

realiter, benè tamen in secunda: intellectus namque media specie continente in se formam, naturam, vel essentiam obiecti, fit identice res intellecta.

49 *Reijcitur primo.* Quæ doctrina ex dictis reijcitur primo: nam iuxta D. Thomam eatenus solum est verum, intelligens actu esse intellectum in actu, quatenus eadem forma vtrumque constituitur in actu intelligens quidem ad intelligendum, obiectum autem, vt intelligatur; sed in hoc nulla importatur identitas intellectus, nec cum specie, nec cum obiecto speciei, sed tantum quod vna, & eadem sit forma vtrumque constituens: ergo intelligens in actu non est idem realiter, etiam cum obiecto intellecto. Secundo: nam intelligens, proximus comparatur cum specie, quam cum obiecto: ergo si cum illa realem identitatem non obtinet, nec illam cum obiecto sortitur. Tertio: nam intellectus ratione sui non est idem cum obiecto, sed si identitatem habet cum *Secundo.* illo, id euenit ratione speciei; sed ratione alicuius realiter non identificati, non potest realis identitas inter extrema *Tertio.* consurgere: ergo si intellectus non est idem realiter cum specie, nequit esse idem realiter cum obiecto per speciem repræsentato.

50 *Quarto.* Quarto: nam ideò non identificatur cum specie, quia per illam determinatur, & informatur realiter; sed etiam determinatur, & realiter informatur obiectiuè per obiectum: ergo non est idem realiter cum illo. Quinto: nam (teste Ferrara) eadem est natura in specie, & in obiecto, cum hoc tamen discrimine, quod *Quinto.* in specie est modo immateriali, intentionali, & intelligibili; in obiecto autem modo naturali, & materiali, sed identitas, si quæ esset intellectus cum obiecto, non poterat esse cum illo suo modo immateriali, & naturali, sed sub modo immateriali, & intelligibili: ergo negata identitate intellectus cum specie impressa esse in intelligibili, à fortiori est neganda identitas cum obiecto speciei. Denique: *Sexto.* nam in visione beatifica species est ipsa res intellecta: ergo si intellectus non identificatur cum specie, nec cum obiecto intellecto identificari potest.

§. IV.

Argumentis Recentiorum occurritur.

51 *Arg. 1.* ARGVVNT Primo: vt enim docet Aristoteles 3. *de Anima textu* 37. & 38. anima est quodammodo omnia intelligibilia, & sensibilia, quia omnia cognoscere potest per sensum, vel intellectum. Ex qua doctrina commune axioma fuit sumptum, nempè, *intelligens in actu, esse intellectum in actu*; sed non potest verificari animam esse quodammodo omnia, nec intelligens esse quodammodo rem intellectam, nisi realis intercedat identitas, quando enim forma non identificatur cum illo, cui vnitur, non potest dici illam fieri, vel esse, qua propter materia vnita formæ, non dicitur illam fieri, nec ignis calori vnitus potest dici fieri, aut esse aliquo modo calorem: ergo iuxta Aristotelem intellectus actu intelligens, idem est realiter cum specie in esse intelligibili, & cum obiecto intellecto.

52 *Resp. 1.* Cui argumento respondetur ex dictis primo: animam prout in potentia non esse obiecta intelligibilia, sed prout constituta in actu ad intelligendum, & adhuc prout sic non esse intelligibilia identicè, sed formaliter constitutiuè, quatenus speciebus intelligibilibus, quæ sunt obiectorum formæ, quibus constituuntur intelligibilia in actu, anima etiam constituitur in actu ad intelligendum. Iuxta quam doctrinam, quæ est expressa D. Thomæ *locis nuper allegatis*, admissa maiori, minor argumenti est negando; vt enim *ibi* docet D. Thomas, anima non est aliud ab homine; & consequenter aliqua ratione est homo, non identicè, sed constitutiuè formaliter, & in hoc eodem sensu asserit speciem esse intellectum, vt in actu intelligentia, nempè, tanquam pars formalis, quia scilicet est forma, illum in actu constituens, si autem forma constituens aliquomodo dicitur constitutum per ipsam, scilicet, in sensu causali formali, etiam constitutum per formam dici potest ipsa forma, in sensu, nempè, non identico, sed causali formali, quia per illam constituitur, & in hoc sensu dicitur, animam posse omnia fieri, quia omnium formis potest actuari, & in actu ad intelligendum constitui.

53 *Resp. 2.* Vel secundo responderi potest; animam esse posse quodammodo omnia, & intellectum actu intelligentem esse rem actu intellectam identicè, non pro subiracto, ita vt intellectus ipse fiat res ipsa intellecta, sed ex parte formæ vtrumque constituentis in actu, quia nempè, eadem est forma vtriusque; nam per eandem speciem intelligibilem, per quam obiectum redditur intelligibile in actu, intellectus constituitur in actu ad intelligendum. Quæ explicatio eisdem verbis traditur à D. Tho. *in* 4. *Sentent. dist.* 49. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 10.

Obstat tamen contra vtramque explicationem Commentatoris doctrina 3. *de Anima*, vbi docet, ex intellectu, & re intellecta fieri magis vnum, quam ex materia, & forma, quia (inquit) *Ex materia, & forma fit vnum tertium distinctum ab vtroque, ex intellectu verò, & intelligibili, non fit vnum, sed intellectus fit ipsum intelligibile*; sed si intellectus non identificaretur cum intelligibili, ex vtroque non fieret magis vnum, quam ex materia, & forma, & ex illis fiere vnum, & vnum non fieret aliud; ergo iuxta Aueroem intellectus fit obiectum intelligibile, & species intellecta per realem identitatem. Probatur minor: sola vnitas identitatis potest excedere vnitatem compositionis resultantem ex materia, & forma, potestque obstare resultantiæ vnius tertij, & sufficere vt vnum fiat aliud; ergo si intellectus non fiat obiectum intelligibile per realem identitatem, non fiet ex illis magis vnum, quam ex materia, & forma, resultabitque vnum tertium ab vtroque extremo distinctum, & vnum non fiet aliud. 54 *Secundo arg. & replicatur contra solutionem.*

Non desunt, qui Commentatoris doctrinam in hac parte contemnant, & deserendam existiment, nec mirandum (inquiunt) cum in alijs multis errauerit Commentator. Hoc tamen non est argumentum soluere, sed difficultati succumbere; nec enim, quia Commentator in aliquibus errauerit, semper deserendus est; aliàs Aristotelis doctrina nullius esset auctoritatis habenda; cum errauerit aliquando, & quidem si probata antiquitas contemnatur, noua inuenta in lucem edere facile vnicuique erit. 55 *Aliquorum solutio. Reijcitur.*

Vnde his Auctoribus omissis, aliter est argumento facto occurrendum: primò, asserendo intelligi, idem esse, non positiuè, ita vt ex communi conceptu vnionis inter intellectum, & rem intellectam hæc identitas petatur, sed permissiuè, quia nempè in aliquo inferiori inuenitur; cum scilicet natura spiritualis se per se ipsam intelligit; tunc enim intelligens actu, est idem cum re intellecta, & cum specie intelligibili, vt constat in Angelo se ipsum intelligente; cum enim substantia Angeli sit intelligens actiuè, fit obiectum, & fit species, verificatur in illo, intelligens, obiectum intellectum, & speciem intelligibilem, esse omninò vnum, & idem. Et iuxta hanc explicationem sensus doctrinæ Commentatoris erit, ex intellectu, & re intellecta fieri magis vnum, quam ex materia, & forma, non semper, & positiuè, sed quandoque, & permissiuè ratione communi prædictæ vnionis attenta, quia in aliquo inferiori, intelligens est ipsummet intellectum, & species intelligibilis, materia autem nunquam est forma. 56 *Ad arg. resp. 1.*

Et ne ex proprio cerebro, & sine fundamento loqui videamur, accipite doctrinam Diui Thomæ *in* 1. *distinctione* 35. *quæstione prima articulo primo ad tertium*, ibi: *Scientiam est ergo, quod in omni intellectu aliqualiter est idem intelligens, & intellectum, & in quibusdam, etiam aliqualiter differt; in aliquibus verò, sunt omninò idem*: Ergo omnimoda identitas intelligentis, & obiecti intellecti, est quidem à communi ratione Intelligentis, & rei intellectæ permissa, non tamen positiuè exacta. *Et in quarto distinctione* 49. *quæstione secunda articulo primo ad* 10. explicans Philosophum 3. *de anima textu* 26 asserentem in rebus separatis a materia, idem esse intelligens, & quod intelligitur, asserit intelligendum esse, quando substantia se ipsam intelligit; tunc enim sunt omninò idem, sicque Commentatorem intellexisse Aristotelem; non autem quando alia à se intelligit, tunc enim solum sunt idem ex parte formæ, quia nempè ab eadem forma obiectum constituitur in actu, vt intelligatur, intellectusque vt intelligat. 57 *Explicatio commentatoris ex D. T. confirmatur.*

Secundo responderi potest, doctrinam Commentatoris veram esse, loquendo de intellectu vt in actu, & intelligibili in actu, non ex parte subiectorum, sed ex parte formæ, sic namque verum est, intellectum fieri rem intellectam, & ex intellectu, & re intellecta fieri magis vnum, quam ex materia, & forma, quia forma constituens obiectum intelligibile in actu, & intellectum in actu ad intelligendum, est omninò vna, & eadem scilicet, species intelligibilis, quæ abstracta à conditionibus materialibus, constituit obiectum intelligibile, & vnita intellectui, illum constituit in actu ad intelligendum, non tamen ex parte substracti, scilicet entitatis intellectus, & naturæ obiectiuè intellectæ, hæc namque non identificantur realiter. Quæ 58 *Secunda respond.* 59

doctri-

doctrina est expressa Diui Thomæ *loco nupèr allegato.*

Et quidem, qnod aliquo ex prædictis modis Commentator sit explicandus à Discipulis Diui Thomæ constat, quia aliàs ex intellectu, & re intellecta fieret vnum simpliciter contra Diuum Thomam *in quarto distinctione 49. quæstione secunda articulo primo in corpore*, cuius verba supra adduximus. Patet: nam ex materia, & forma fit vnum simpliciter; sed vnitas secundum quid, non potest esse maior vnitate simpliciter: ergo si ex intellectu, & re intellecta fit vniuersaliter magis vnum quam ex materia, & forma, vniuersaliter ex illis coniunctis, resultabit vnum simpliciter.

60 *Arg. 2.* Tertio sic arguunt: species vt in esse intelligibili, vnitur cum intellectu; sed non per inhærentiam: ergo per identitatem. Maior est certa; consequentia nota videtur, quia in forma accidentali vnita, non datur medium inter inhærentiam, & identitatem. *Minor probatur primo.* Minor probatur primo; quia vnio in esse intelligibili est eleuatior, & immaterialior vnione eiusdem speciei in esse entitatiuo; sed hæc est per inhærentiam: ergo illa per inhærentiam non est. *Secundo.* Secundo: nam forma inhærens indiuiduatur à subiecto inhæsionis; sed species vt in esse intelligibili, non indiuiduatur ab intellectu, cui vnitur, sed si repræsentat naturam vniuersalem, est vniuersalis, si indiuiduum naturæ, est in esse intelligibili, & repræsentatiuo indiuidua: ergo non vnitur intellectui per inhærentiam.

61 *Respond.* Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam: nam inter vniri per inhærentiam, & per identitatem, datur medium, nempè, vniri per intelligibilem determinationem intelligibiliter determinando intellectum, ipsumque complendo, & coadiuuando in ordine ad intellectionem; ideò vnio speciei considerata in esse intelligibili, eleuatior, & immaterialior est, nec prout sic petit ab intellectu indiuiduari, licet ipsum esse intelligibile sumptum identicè intellectui realiter inhæreat, & ab illo indiuiduetur, cum species accidens sit.

62 *Responsiobis.* Sed dices: vniri purè terminando, aut determinando intrinsecè, solum potest formæ increatæ, & infinitæ in linea intelligibili conuenire; sed species creata, non est in genere intelligibili infinita: ergo non potest vniri purè determinando absque inhærentia, vel identitate cum intellectu, cui vnitur. Probatur maior: sola subsistentia infinita potest vniri sub pura ratione termini absque intrinseca informatione: ergo sola species in esse intelligibili infinita, potest vniri purè terminatiuè.

63 *Respond.* Respondeo, distinguendo maiorem: puritate excludente inhærentiam identicam, & formalem, transeat maior: puritate excludente solum inhærentiam formalem in linea, & genere intelligibili cum inhærentia identica in genere, & linea entis, & nego minorem: & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris: nam licet vniri intellectui alieno purè terminando per exclusionem inhærentiæ in vtroque genere, scilicet entis, & intelligibilis, solum possit formæ infinitæ competere; vniri tamen purè terminatiuè in genere intelligibili, exigendo præuiam inhærentiam in genere; & linea entis in eadem entitate non repugnat formæ intelligibili finitæ, & sic vnitur species accidentalis cum intellecto creato. *Instatur argumentum.* Nec video cur petat infinitatem vniri per puram terminationem, & illam non petat vnio per identitatem. Et quidem in sententia sic arguentium diuina essentia, vt species, vnitur cum intellectu beati, & vt sic vniatur infinitatem exposcit, quia vnitur absque præuia inhærentia; cum tamen species creata vt vnitur per identitatem non petat infinitatem non, quia præsupponit identicam inhærentiam: ergo id ipsum Nos dicemus de vnione per puram terminationem.

64 *Vltimo arguitur.* Denique arguunt: habens in se quidditatem, v.c. hominis in esse intelligibili, est in esse intelligibili homo, & idem de alijs obiectis; sed intellectus intelligens hominem, habet in se quidditatem homini in esse intelligibili: ergo est homo in esse intelligibili. Illatio tenet. Minor patet, recipit enim in se speciem hominis, species autem hominis est eiusdem quidditatis, vel magis ipsa quidditas obiecti repræsentati in alio modo essendi, nempè intentionali, & intelligibili: ergo habet in se quidditatem hominis in esse intelligibili. Maior autem probatur: habens quidditatem hominis in esse naturali, est homo in esse naturali: ergo habens quidditatem hominis in esse intelligibili, est in esse intelligibili homo.

65 *Respond.* Respondeo, concedendo consequentiam; nemo

enim negat, intelligentem hominem esse hominem in esse intelligibili, in eo autem difficultas versatur, quid, nempè, sit esse intelligibiliter hominem; Nos cum Diuo Thoma dicimus, consistere in eo quod intellectus actuetur, determineturque specie repræsentatiua hominis, & per illam compleatur, & constituatur in actu ad intelligendum hominem, & quod ab eadem specie homo intelligibilis in actu proximè constituatur, non autem in eo quod intellectus realiter identificetur cum specie repræsentatiua hominis, nec cum ipso homine, etiam in esse intelligibili.

Sed oppones primò; habens quidditatem hominis in esse naturali, est per identitatem homo in illo esse: ergo habens quidditatem hominis in esse intelligibili, est identicè homo in esse intelligibili; & consequenter identificatur cum homine, & cum specie repræsentatiua illius in prædicto genere. 66 *Replicabis 1.*

Secundo: nam intellectus, aut natura intellectualis est sufficiens principium effectiuum, & specificatiuum propriæ operationis; aliàs perfectè intellectiua non esset; sed nisi identificetur cum specie repræsentante hominem, & cum ipso homine in esse intelligibili, non erit in se sufficiens suæ operationis principium: ergo identificatur realiter cum illis. Probatur minor: intellectio specificatur ab obiecto, & ab illo vt in specie contento effectiuè procedit, vt suppono ex frequentiori sententia: ergo si natura intelligens non identificatur cum specie, & cum obiecto per illam repræsentato, non erit sufficiens intellectionis principium. *Secundo.*

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; disparitas autem est: nam homo in concreto, idem est realiter, & substantialiter, ac habens hominis quidditatem, & ideò per identitatem prædicatur de illo; quidditas autem hominis vt in esse intentionali continetur in specie, non communicatur substantialiter, & per identitatem intellectui, sed accidentaliter, & per realem obiectiuam determinationem, & ideo non prædicatur per identitatem homo in esse intelligibili de intellectu in se habente formam, in qua intelligibiliter continetur. 67 *Ad 1. replicam respondetur.*

Et insto argumentum: si namque de intelligente hominem prædicatur, esse identicè hominem, de intelligente quidditatem hominis in abstracto, prædicabitur esse identicè, non hominem in concreto, sed humanitatem in abstracto; & tamen de habente quidditatem hominis non prædicatur identicè humanitas, & hæc enim est falsa: *homo est humanitas*, sicut ista: *animal est animalitas*, vt communiter docetur in Logica: ergo tenentur recognoscere discrimen inter vtrumque genus prædicationis; & consequenter minus benè argumentantur ex vno genere ad aliud. 68 *Instatur argumentum.*

Ad secundam, vel nego maiorem, vel claritatis gratia distinguo: est sufficiens principium in suo ordine, concedo maiorem: est sufficiens absolutè, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: cum enim cognitio patet à potentia, & obiecto procedere; neutrum ex illis est sufficiens principium absolutè, sed tantum in suo ordine. Et insto argumentum in volitione, cuius principium effectiuum in sententia Caietani non est sola voluntas, sed etiam bonum apprehensum, & in omnium sententia bonum apprehensum est principium specificans volitionem, quin ex hoc colligatur voluntatem debere cum bono identificari. 69 *Ad secundam.* *Instatur argumentum.*

Maneat ergo firmum, non ideò intelligens actu esse intellectum in actu, quia intellectus identificetur cum re intellecta, vel cum specie, quæ est forma, & similitudo illius; sed quia ex vtroque fit vnum intellectionis principium, sicut ex actu, & potentia, nec illud primum requiri ad saluandam efficaciam rationis D. Thomæ in præsenti. Quod præter loca supra ex D. Thoma allegata, inuenio expressè traditum ab Angelico Doctore *in hac 1. p. q. 55. art. 1. ad 2.* illis verbis: *Ad secundam dicendum; quod sicut sensus in actu est sensibile in actu, vt dicitur in 2. de anima, non ita quod ipsa vis sensitiua sit ipsa similitudo sensibilis, quæ est in sensu, sed quia ex vtroque fit vnum, sicut ex actu, & potentia: ita & intellectus in actu dicitur esse intellectum in actu, non quod substantia intellectus sit ipsa similitudo, per quam intelligit, sed quia illa similitudo est forma eius.* Quo nihil clariùs pro nostra sententia esse potest, nec aliud, meo iudicio, voluere Capreolus, Caietanus, Ferrara, & alij ex Discipulis D. Thomæ in contrarium allegati, nisi tantùm, quod intelligens in actu, est intellectum in actu identicè ex parte formæ, quia nempè, ab eadem forma intellectus constituitur in actu ad intelligendum, & obiectum intelligibile in actu, vt intelligatur. 70 *Resolutio tradita explicatur, & auctoritate alia D. Tho. confirmatur.*

71 *Instabis adhuc.* Adhuc tamen potest contra doctrinam istam instari: sequitur namque ex illa non aliter actu intelligens esse intellectum in actu, quo actu volens est volitum in actu; consequens est falsum: ergo & tradita doctrina. Minor constat; omnes enim Metaphysici, & Theologi in hoc discrimen statuunt inter intellectum, & voluntatem, quod quia intellectio fit per assimilationem, intellectus fit res intellecta, voluntas autem non fit res volita, nec trahit ad se obiectum volitum ratione similitudinis, sed in illud, prout est in se ipso, inclinatur. Sequela autem probatur: ideò iuxta a Nobis dicta, intelligens in actu est intellectum in actu, quia ab eadem forma, nempè ab specie intelligibili, intellectus constituitur in actu ad intelligendum, & obiectum in actu vt intelligatur; sed etiam ab eadem bonitate apprehensa, voluntas constituitur in actu ad volendum, & obiectum in actu vt terminet volitionem: ergo eodem modo volens in actu est volitum in actu, quo intelligens in actu est intellectum in actu.

72 *Respond.* Respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem: bonitas namque apprehensa non constituit voluntatem in actu, nec cum illa efficienter ad volitionem concurrit, sed solum obiectiuè determinat ad volendum, & terminat volitionem apprehensione bonitatis, vt conditione tantùm se habente.

73 *Vrgebis.* Quod si dicas; probabilem esse Caietani sententiam, quæ docet bonum apprehensum efficienter ad volitionem concurrere, sicut obiectum in specie efficienter causat cognitionem. *Respond.* Respondeo; hac sententia admissa, concedendo sequelam, nec in hoc stat inter intellectum, & voluntatem discrimen, sed in alio, nempe, quod intellectus constitutus in actu per obiectum prout in specie intelligit trahendo ad se obiectum, & producendo Verbum simile obiecto vt in specie; voluntas autem nec obiectum ad se trahit, nec terminum similem obiecto producit, sed fertur per inclinationem in bonum prout in se ipso.

§. IV.

Examinantur alii modi dicendi ad principale argumentum.

74 *Secunda responsio alij principali argumento.* SECVNDO alij principali argumento respondent, distinguendo antecedens; illudque concedunt de formis accidentalibus, negant autem de substantialibus, & negant consequentiam: cognoscentia namque non solum recipiunt formas accidentales aliarum rerum, sed etiam formas, quidditatesque substantiales: intellectus namque quando hominis quidditatem intelligit, recipit in se ipso quidditatem substantialem hominis, non sub modo essendi naturali, sed sub modo essendi intentionali, & intelligibili; cæterum non cognoscentia solum sunt apta præter formam propriam substantialem recipere in se ipsis alienas formas accidentales, aqua v.c. calorem, lignum frigiditatem, & aer species intentionales: & in hoc stat discrimen à D. Thoma statutum inter cognoscentia, & non cognoscentia. *Syluius.* Ita Syluius *in præsenti q.14. art.1.* ex Ferrara *1. Contra Gentes cap.44.*

75 *Reijcitur primo.* Hæc tamen solutio, etsi vera sit quoad aliquid, non tamen euacuat argumenti difficultatem: quod probo; nam discrimen à D.Thom. statutum inter cognoscentia, & non cognoscentia, non solum intelligitur de perfectè cognoscentibus, qualia sunt intellectiua, sed de omni cognoscente perfecto, vel imperfecto; sed cognoscens imperfectum cognitione, scilicet sensitiua, non est capax recipiendi in se ipso alienas formas substantiales, sed tantum accidentales: ergo tradita solutio non tollit vim argumenti, nec ad mentem D Th. esse potest. Maior est certa; nam doctrina tradita à D. Thom. & differentia statuta inter naturas cognoscitiuas, & non cognoscitiuas, non est limitata ad solam intellectualem naturam, sed vniuersalis ad omnem naturam cognoscitiuam; apponit enim exemplum in planta non cognoscente, & in sensu cognoscente; sensus autem non est perfectè cognoscitiuus, sed infimum locum inter omnia cognoscentia tenet sensitiua natura. Minor autem non minus certa videtur: id namque continetur intentionaliter in specie v.c. visibili, quod potest visus percipere; sed visus non potest substantialem quidditatem attingere, sed solum accidentia, nempè lucidum coloratum, quod est obiectum specificatiuum illius: ergo in specie visibili non continetur forma, aut quidditas substantialis in esse intentionali, & cognoscibili, sed tantum forma accidentalis.

Deinde impugnatur: nam intellectus etsi possit formas substantiales recipere, etiam potest recipere formas accidentales rerum, quando nimirum, illarum accidentia considerat; at formas istas accidentales diuersimodè recipit, ac natura non cognoscens recipit aliena accidendia: ergo differentia à D.Th. statuta inter cognoscentia, & non cognoscentia, non explicatur adæquatè, vt debet, per hoc, quod cognoscentia sunt apta in se recipere formas substantiales aliarum rerum, non verò cognoscentia, formas alienas accidentales. 76 *Secundo.*

77 *Tertia aliorum solutio.* Alij respondent, aliud esse recipere alienas formas, aliud verò recipere formas aliarum rerum proprias; non cognoscentia recipiunt alienas formas, non tamen easdem, cum eis, a quibus illas recipiunt: nam aqua v.c. recipiens calorem ab igne, non recipit eundem numero calorem ignis, sed alium omninò diuersum, & idem est in alijs non cognoscentibus; cognoscentia verò apta sunt in se habere formas aliarum rerum easdem specie, & numero cum illis, à quibus recipiunt formas; nam species lapidis v.c. quę in intellectu recipitur, vt constituatur in actu ad intelligendum lapidem, continet in se formam, & naturam lapidis, eandem numero cum illa, quæ in lapide ad extra invenitur, non quidem sub eodem modo essendi scilicet naturali, sed sub alio, nempè intentionali, & intelligibili.

78 *Primum istius solutionis motiuum.* Quod probant primo ex D.Thoma 3. *de Anima lectione* 24. Et 7. *Metaphysicæ lectione* 6. vbi docet speciem rei intellectæ esse quidditatem eius. Et 4. *Contra Gentes cap.* 14. vbi docet, Verbum nostri intellectus ex ipsa re intellecta habere vt intelligibiliter eandem numero naturam contineat; ergo species residens in intellectu est eiusdem numero naturæ cum natura rei intellectæ non in esse naturali, sed in alio modo essendi, scilicet intelligibili, & intentionali.

79 *Secundū.* Secundo: nam omnis repræsentatio fundatur, vel in continentia eminentiali, vt constat in essentia diuina, quæ repræsentat creaturas, quia illas eminenter continet, vel in dependentia, ob quam effectus suam causam repræsentat, vel in conuenientia formali; sed species repræsentat obiectum, cuius est species, & non ratione continentiæ eminentialis, species enim, quæ est accidens, non continet eminenter substantiam; nec ratione dependentiæ; alias habitus existentes in intellectu seruirent illi vt species: ergo ratione conuenientiæ, & similitudinis in forma repræsentata; sed non ratione conuenientiæ analogicæ, aliàs solum repræsentaret gradum analogicè communem; nec ratione conuenientiæ genericæ, aliàs solum repræsentaret genus; ergo ratione conuenientiæ specificæ, si repræsentat gradum specificum; & consequenter species repræsentans hominem in esse intelligibili est eiusdem speciei cum homine, vel magis ipsa hominis species in esse intelligibili, & intentionali.

80 *Confirmatur 1.* Quod amplius vrgetur; species quidditatiua hominis est in esse intelligibili ipse homo repræsentatus; ergo species repræsentans hunc hominem est in esse intelligibili hic homo; & consequenter hic homo numero est in esse intelligibili idem realiter cum specie repræsentatiua illius in esse intelligibili, & intentionali. *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo: species repræsentans *quidditatiuè* Petrum v. c. secundum gradum specificum, & indiuidualem, est in esse repræsentatiuo, & intelligibili Petrus secundum vtrumque gradum; sed gradus indiuidualis est omninò indiuisibilis, & vlterius incontrahibilis; non enim potest contrahi per differentias formales, vt omnibus est manifestum, nec per differentias materiales; aliàs vltima differentia materialis non esset, nec indiuiduum constitueret, sed potius speciem: ergo est in esse intelligibili, & intentionali idem numero Petrus per speciem repræsentatus.

81 *Confirmatur 3.* Denique confirmatur; species non conueniens in esse intelligibili specificè cum homine, non potest quidditatiuè ipsum repræsentare secundum gradum specificum: ergo species non conueniens indiuidualiter cum hoc homine, non poterit ipsum indiuidualiter repræsentare; sed eo ipso, quod indiuidualiter conueniat cum Petro, est in esse intelligibili idem numero cum Petro: ergo idem numero Petrus, qui existit a parte rei connaturaliter, est intelligibiliter in specie repræsentatiua illius.

82 *Tertium motiuū.* Tandem id ipsum suadetur; Diuus Thomas namque *supra quæst. 12. art. 2.* probat impossibilitatem speciei repræsentantis quidditatiuè Deum, quia species quidditatiua alicuius debet esse eiusdem quidditatis cum illo, vel magis ipsius quidditas in esse repræsentatiuo, & intelligibili; nulla autem forma creata potest in aliquo es-

se reali

se reali vniuocè maximè specificè athomè conuenire cum Deo, vel esse quidditas Dei. Et *infra quaest. 5. art. 1.* ex eo probat, Angelum per suam substantiam non posse alia à se propria cognitione cognoscere, quia substantia Angeli cognoscentis non continet in se alia secundum proprias rationes, nec illis assimilatur: ergo species repraesentans quidditatiuè rem aliquam, debet esse eiusdem quidditatis cum ipsa, vel magis ipsius quidditas; & consequenter discrimen à Diuo Thoma statutum inter cognoscentia, & non cognoscentia in eo positum erit, quod haec recipiunt alienas formas, non tamen aliorum formas easdem in alio esse, sed realiter ab illis distinctas: cognoscentia autem aliorum proprias, & specificas formas apta sunt in se recipere, non sub modo essendi naturali, sed intentionali, & intelligibili, ita vt ipsa quidditas obiecti cogniti, quae in illo est subsmodo naturali, in specie in cognoscente recepta sub modo essendi intelligibili, & intentionali contineatur. Hunc modum dicendi lato calamo, & doctè, vt alia iuenitur PP. Salmanticenses *tract. 3. relato disp. 2. dub. 1.* pro se referentes Capreolum, Caietanum, Ferrariensem, & alios Diui Thomae Discipulos. Salmãt.

83 Si opponatur primo Diuus Thomas *quaest. 8. de Veritate art. 11. ad 3.* illis verbis: *Dicendum, quod inter cognoscens, & cognitum non requiritur similitudo, quae est secundum conuenientiam in natura, sed secundum repraesentationem tantùm; constat enim, quod forma lapidis in anima est longè alterius naturae, quam lapis in materia*: Ergo ex mente Diui Thomae species lapidis non continet eandem naturam lapidis, sed longè diuersam. Respondent, Diuum Thomam loqui de specie lapidis prout in genere entis, in quo certum est esse longè alterius naturae à lapide per ipsam repraesentato; cum quo benè stat, vt eadem species considerata in linea intelligibili, sit eiusdem quidditatis, vel magis ipsa quidditas lapidis repraesentati. Et quidem vtentes hoc argumento illud soluere tenentur; nam licet negent identitatem naturae in specie, & obiecto speciei, similitudinem tamen non negant, nec possunt consequenter ad doctrinam Diui Thom. loco autem in contrarium adducto, non solum negat Diuus Thomas identitatem, sed etiam similitudinem secundum conuenientiam in natura: ergo tenentur argumentum factum in propria sententia soluere.

Si illis obycia-tur primo.

Respon-dent.

84 Et vera intelligentia est, Diuum Thomam nomine similitudinis secundum conuenientiam in natura, quam negat inter speciem, & obiectum, accipere similitudinem in esse entitatiuo, & naturali, quam certum est inter speciem, & obiectum non intercedere, sed solum similitudo in esse intelligibili, & intentionali; ita vt species lapidis contineat intelligibiliter, quod lapis repraesentatus habet in se naturaliter, quam conuenientiam ad identitatem ex parte formae pertingere volunt allegati Auctores.

85 Si opponatur secundo; albedo, & nigredo sunt formae inter se contrariae, nec in gradibus intensis possunt simul in vno subiecto existere; sed species albedinis, & species nigredinis sunt simul in eodem intellectu: ergo species albedinis non est eiusdem quidditatis cum illa, & idem est de specie nigredinis. Respondent praefati Auctores per eandem distinctionem, & concedunt consequentiam de identitate quidditatis sub modo essendi naturali, negant autem de identitate quidditatis sub alio modo essendi, nempè, intelligibili, & intentionali: albedinis namque essentia non contrariatur nigredini sub quocumque modo essendi, sed tantum sub modo essendi naturali, & quia in specie non est quidditas albedinis sub hoc modo, sed sub alio, intelligibili scilicet, & intentionali, fit consequens, vt eadem quidditate sub vtroque statu retenta, oppositio in vtroque non inueniatur.

Si oppo-natur 2.

Respon-dent.

86 Quae doctrina est Diui Thomae *lib. de sensu, & sensato, lect. vltima.* Et 7. *Metaphysica lect. 6. ex Aristotele lib. 2. de Anima textu 121.* Et ratio est in promptu; nam albedo, vt in specie non ordinatur ad esse, sed ad sui cognitionem, & idem est de nigredine: prout tamen subsunt modo essendi naturali ordinantur ad esse, & ad suos effectus formales subiecto communicandos; esse autem albedinis contrariatur effectui formali nigredinis; cognitiones autem non habent contrarietatem, & ideò albedo, & nigredo sub modo essendi naturali opponuntur: secus autem submodo essendi intelligibili, & intentionali.

Sua solu-tionem ex D. Tho. cõfirmãt.

87 Si obbijciatur tertio; species mensuratur ab obiecto; sed mensuratum realiter à mensura distinguitur; cum realiter ab illa dependeat, idem autem à se ipso dependere non possit: ergo species, & obiectum non sunt eiusdem naturae. Respondent, concessa maiori, distinguendo minorem: distinctione reali naturae, vel modi naturae, concedunt minorem: distinctione reali naturae semper, negant minorem, & consequentiam; nam licet idem à se ipso sub eodem modo essendi dependere non possit, idem tamen à se ipso sub diuerso modo essendi, benè potest dependere, vt constat in forma, quae vt in re causatur finaliter à se ipsa, vt apprehensa.

Si illis opponatur 3.

Respõdẽt.

88 Si objjciatur quarto; species refertur ad obiectum relatione reali similitudinis; sed relatio realis similitudinis petit extrema realiter distincta: ergo species, & obiectum realiter inter se distinguuntur. Respondebunt per eandem distinctionem, concedo consequentiam, de specie considerata entitatiuè, & ex parte modi; sic enim est extremum, quod refertur: secus autem de specie sumpta in genere intelligibili, & ex parte naturae, qua in hoc genere constituitur.

Si opponatur 4. Respondebunt.

89 Sed contra hanc solutionem vrget grauiter doctrina Diui Thomae *infra quaest 42. art. 1. ad 4.* vbi negat relationem realem aequalitatis inter diuinas personas, quia essentia, quae fundamentum est aequalitatis, vna & eadem est; in relationibus autem primi ordinis, primum relatum est fundamentum, & ideò ad realitatem relationis non sufficit extremorum distinctio, sed etiam fundamentorum; at fundamentum relationis similitudinis in specie respectu obiecti, non est entitas speciei, in quo genere distinguuntur, nec modus intentionalis, sed natura in esse intelligibili sumpta: ergo si haec est vna, & eadem in specie, & obiecto per illam repraesentato, relatio similitudinis, qua species ad obiectum refertur, realis esse non potest, vel si relatio illa est realis, non est vna, & eadem numero natura in illis, nec species etiam in genere intelligibili est idem cum obiecto repraesentato, adhuc ex parte naturae.

Cõtra ex D. Tho.

90 Huic obiectioni respondent dupliciter. Primo; vt relatio illa sit realis sufficere distinctionem realem modi intentionalis, sub quo est natura in specie à modo naturali, sub quo in obiecto inuenitur; non enim fundat relationem illam natura, vt praescindens à modis, sed prout illis affecta, & modificata, & idcirco sufficit distinctio modi intentionalis à modo naturali, vt natura sub modo intentionali, sub quo in specie continetur realiter referatur ad naturam in obiecto contentam sub modo essendi naturali. Secundo respondent, quod sicut relatio aequalitatis inter diuinas personas non est realis, sed rationis, quia natura est vna in illis, ita relatio similitudinis, qua species ad obiectum refertur, non realis, sed rationis est.

Respõdent primo.

Secundo.

91 Quod si instetur adversus primam solutionem: ergo sufficiet realis relationum personalium distinctio vt natura prout in Patre, realiter referatur ad naturam prout in Filio: & consequenter relatio aequalitatis realis erit inter diuinas personas. Patet consequentia à paritate rationis. Respondent, negando consequentiam, & disparitatem reddunt, nam vt relatio sit realis, requiritur in natura fundante relationem distinctio realis in aliquo pertinente ad lineam naturae, & quia modus intentionalis, sub quo in specie inuenitur natura, & modus naturalis, sub quo in obiecto inuenitur, spectant ad lineam naturae, fit, vt modorum distinctio sufficiat, vt relatio similitudinis in natura fundata sit realis: personalitates autem afficientes naturam diuinam, non pertinent ad lineam naturae, siquidem natura in propria linea completa, in quavis persona inuenitur, quin de qualibet persona praedicentur relationes; & ideò personalitatum distinctio non sufficit, vt relatio aequalitatis in natura fundata sit realis.

Si instetur cõtra 1. solutionem.

Respõdẽt.

92 Si denique contra eandem doctrinam objicias: esse intelligibile speciei est idem realiter cum illius entitate; sed entitas speciei realiter à natura obiecti distinguitur: ergo species, prout in esse intelligibili, aut natura obiecti distinguitur; & consequenter non inuenitur in illis eadem numero natura. Patet consequentia; nam quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se inter extrema creata, ita vt sola natura diuina propter sui infinitatem possit identificari realiter relationibus distinctis: ergo si entitas speciei, & entitas obiecti realiter inter se distinguuntur, nequeunt identificari cum eadem numero natura; & consequenter eadem natura numero nequit esse in specie, & in obiecto speciei.

Si opponatur 5.

93 Respondent, concessis maiori, & minori, negando consequentiam. Ad illius probationem distinguunt antecedens: quae sunt eadem vni tertio sub modo essendi naturali, concedunt antecedens: quae sunt eadem vni tertio, vt praescindenti à modo essendi naturali, & modo essendi natu-

Respõdẽt.

naturali, & modo essendi intentionali, negant antecedens, & consequentiam. Infinitas autem in natura diuina arguitur ex identitate illius, sub modo essendi naturali cum tribus relationibus realiter, etiam in modo essendi naturali distinctis; quod autem natura hominis, v.c. vt præscindit à modo essendi naturali, & intentionali, possit vna numero manens cum vtroque modo identificari non arguit infinitatem in ea; hoc enim à quauis natura etsi limitata exigitur; cum petat, & dare esse, quod illi conuenit, vt identificata cum modo essendi naturali, & esse suæ cognitionis principium, quod in alieno intellectu non potest illi competere, nisi media specie sui, in qua eadem numero intelligibiliter contineatur; & consequenter cum modo intentionali speciei, & cum illius entitate realiter identificetur.

94 Hæc est prædictorum Magistrorum sententia, hæcque tota illorum doctrina quantum potui ex ipsis colligere, & licet illam valde probabilem efficiant, tum magna illorum auctoritas, tum etiam rationum pondera, quibus eruditè illam probant, mihi tamen tanta identitas naturæ in vtroque statu difficilis semper est visa propter argumenta, quæ contra prædictam doctrinam efformari possunt.

§. VI.

Fertur de proposita sententia iudicium, & soluitur principale argumentum.

95 *Contra istã solutionẽ modũq; dicendi, arguitur primo.* CÆTERVM, modus iste dicendi, quem absque dubio satis probabilem reddunt; tum prædictorum Magistrorum auctoritas, quæ apud me magni semper est habita. Tum etiam rationum pondera, quibus ad illum mouentur, si cum rigore, quem præsefert accipiatur, semper mihi difficilis visus est, non enim possum percipere quomodo idem à se ipso specificetur, causetur, & mensuretur, quamuis modos diuersos subinduat, nihil enim repugnantius, quam idem à se ipso causari, & dependere, imo est contra diffinitionem causæ, qua dicitur, *causa est ad quam aliud sequitur*; sed species in esse intelligibili ab obiecto specificatur, mensuratur, & dependet, & natura prout in specie ab obiecto mensuratur: ergo species non est eadem cum obiecto, etiam in genere intelligibili, nec natura prout in specie est eadem cum obiecti natura.

96 *Secundo.* Deinde; nam dato, quod idem sub diuerso modo essendi posset à se ipso *specificatiuè* causari, & *passiuè* mensurari, quod autem idem à se ipso efficienter causetur, inintelligibile est, imo realis principiatio absque causalitate effectiua est vnicum fundamentum multiplicandi, & realiter distinguendi personas diuinas ad inuicem; sed si eadem numero natura identitate, reali distinctioni opposita, esset in obiecto, & in specie, idem à se ipso realiter efficienter procederet: ergo huiusmodi identitas constituenda non est inter speciem, & obiectum. Minor
Minor probatur primo. ostenditur primo; species domus residens in mente Artificis concurrit ad domum ad extra causatam, non solum concursu ideali, sed etiam concursu effectiuo: ergo si eadem numero natura domus est in specie, & in domo ad extra causata, idem efficienter causabitur à se ipso. Secundo; nam si in specie, & in obiecto eadem reperitur natura, etiam in Verbo terminante intellectionem erit
Secundo. eadem natura numero, quæ in specie, & in obiecto inuenitur; sed Verbum intellectionem terminans *effectiuè* ab specie causatur per se primo, prout est in genere entis, & saltim ex consequenti prout est in genere intelligibili: ergo illa identitate concessa, necessario est admittendum idem effici à se ipso.

97 *Confirmatur.* Et augetur difficultas; species namque non est principium *quo* intellectionis, & verbi, vt est in genere entis, sed vt existit in genere intelligibili: ergo natura, vt in specie est principium *quo* intellectus ad productionem Verbi, & natura prout in Verbo est terminus, vt *quo* intellectionis, quatenus Verbum producit; sed principium *quo*, & terminus *quo* productionis solum in diuinis possunt identificari: ergo in Verbo, & in specie non est eadem natura; & consequentèr nec in obiecto, & in specie.

Tertio; nam quod eadem natura creata seruata reali identitate in se ipsa, identificetur realiter extremis rea-
98 *Tertio.* liter distinctis, hucusque inauditum est apud Theologos, & Metaphysicos; sed hoc inconueniens sequitur ex allegata doctrina: ergo defendenda non est. Nec difficultas minuitur distinctione *supra* tradita de natura
Dices. abstrahente à modis physico, & intentionali, sed po-
Contra, tius, ni fallor, augetur; plus enim distant modus physicus, & modus intentionalis, quam duo modi physici, & naturales: ergo si non potest eadem natura creata identificari realiter cum duobus modis physicis realiter inter se distinctis, nec poterit realiter identificari cum modo physico, & modo intentionali. Quod amplius vrgetur; *Confirmatur.*
nam idem à se ipso realiter separatum, & realiter distans existere, est omnino implicatorium; sed natura, v.c. Petri, existit realiter separata à natura in conceptu, vel in specie Petri existente: ergo natura Petri non est identificata realiter cum natura intelligibili in illius specie existente.

Denique; nam licet entitas speciei, & esse intelligi- 99 *Quarto.*
bile ipsius, non conueniant in essentia, sed potius differant genere, sunt tamen identificata realiter: ergo quamuis stare possit generica, vel specifica conuenientia speciei, vt spectantis ad genus intelligibile cum aliquo, à quo specie, vel genere differat eadem species, vt spectans ad lineam entitatiuam, non tamen stare poterit indistinctio realis speciei in genere intelligibili ab illo, à quo in genere entis species realiter distinguatur. Patet consequentia, si essent idem essentialiter, non posset esse in vno genere conuenientia cum aliquo, à quo in genere entis essentialiter distingueretur in genere intelligibili: ergo si identificantur realiter, non poterit in genere intelligibili identificari cum aliquo, à quo differat realiter in genere entitatiuo.

Nec motiua adducta in fauorem præfati modi dicendi 100
conuincunt identitatem realem naturæ in vtroque statu. *Ad 1. motiuum solutionis positum nu. 78. respond.*
Non primum ex Diuo Thoma desumptum; non enim docet D. Thomas speciem esse quidditatem obiecti repræsentati per realem identitatem, sed esse quidditatem obiecti *repræsentatiuè*, ad quod sufficit, vt *repræsentatiuè* quidditatem obiecti contineat, idest, vt eadem prædicata, quæ in obiecto realiter continentur, intellectui repræsententur per speciem. Nec secundum; non enim do- *Ad secundum.*
cet Diuus Thomas esse eandem naturam absque reali distinctione in obiecto, & in specie; sed quod eadem natura, quæ obiecto realiter conuenit, est in specie intelligibiliter, non determinans, an ex illis diuersis modis essendi realiter distinguatur natura; vt autem eadem natura, quæ est realiter in obiecto sit in specie intelligibiliter, sufficit vt realiter sit in specie, quod ibi terminet cognitionem sui prout in obiecto inuenitur.

Nec tertium; fateor enim, speciem repræsentare obie- 101
ctum non ratione continentiæ eminentialis, nec ratione *Ad tertium.*
solius dependentiæ, sed ratione conuenientiæ genericæ, specificæ, vel indiuidualis iuxta differentiam graduum cognitorum media specie, ita vt si repræsentet genus, in genere conueniat cum obiecto repræsentato, si speciem conueniat in specie, si gradum indiuidualem, conueniat cum indiuiduo repræsentato in eodem gradu indiuiduali, non in esse entitatiuo, sed in esse intelligibili; ita vt species in esse intelligibili contineat naturam obiecti cogniti per conuenientiam, & similitudinem cum illa, non autem per identitatem realem.

Nec obstat, quod *supra* obijcitur, nempè, indiuiduum 102
esse vltimo determinatum, & omninò indiuisibile; & *Opponet.*
consequenter non posse dari conuenientiam in gradu indiuiduali absque identitate cum illo. Nam licet verum
sit, quod gradus indiuidualis sit physicè indiuisibilis; & *Respond.*
consequenter non possit in linea entis realiter multiplicari, prout tamen præscindit à modo physico, & reali, & à modo intentionali, & repræsentatiuo, est realiter distinguibilis distinctione ab illis modis causata, eo quod est cum illis coniungibilis per realem identitatem; non autem stare potest, quod natura Petri v.c. identificetur realiter cum modis realiter distinctis, & non distinguatur realiter distinctione ab illis orta: sicut ergo humanitas v.c. est in Petro, & Paulo eadem identitate formali quia licet multiplicetur per principia indiuiduantia, non tamen multiplicatur formaliter penès principia formalia: ita natura indiuidualis Petri est in Petro, & in specie eadem identitate indiuiduali, quia licet multiplicetur realiter per illos modos essendi, non tamen multiplicatur per principia diuersa indiuiduantia: est ergo in Petro & in specie Petri, vel quod idem est in conceptu eadem natura indiuidua, non identitate reali, sed identitate indiuiduali, cui non obstat realis distinctio orta ex modis distinctis essendi physico, & intentionali, quia isti modi non sunt diuersa principia indiuiduantia naturam, sed diuersi modi essendi physicus, & intentionalis, repræsentatiuus, & naturalis.

Per quod ad vltimum argumentum sumptum ex do- 103
ctrina Diui Thomæ *supra quæstione 12. art. 2.* constat solu- *Ad vltimum,*
tio, & hoc solum meo iudicio voluerunt Antiquiores

Tho,

Thomistæ statuentes identitatem naturæ in obiecto, & in specie; non enim loquuntur de identitate opposita distinctioni reali naturæ in vtroque statu, sed tantum de identitate opposita distinctioni naturæ specificæ, cum repræsentatur specificus gradus naturæ; indiuiduali, cum repræsentatur gradus indiuidualis, vnde illorum sententiam sequimur.

104 *Traditur vera solutio argumenti §. 3. propositi.* Et iuxta hanc doctrinam argumento principali §. *tertio* proposito, respondeo distinguendo antecedens: recipiunt aliorum formas, illas indiuidualiter multiplicando, concedo antecedens: easdem indiuidualiter, nego antecedens, & consequentiam. Nam cognoscentia recipiendo in se species intentionales obiectorum, recipiunt ipsorum formas, illas non multiplicando, nec formali, nec indiuiduali formæ multiplicatione, sed easdem specie, & easdem indiuidualiter, licet non easdem realiter. Cui doctrinæ non obstat; quod aer in se recipiat species intentionales: non enim illas recipit in esse repræsentatiuo formaliter, sed tantum in esse entitatiuo, nec vt sibi repræsentent, sed vt medium delatiuum specierum ad potentiam, cui repræsentatiuè vniuntur, & cui repræsentant obiecta.

105 *Replicabis 1.* Sed oppones aduersus nostram resolutionem primo; ideò natura realiter multiplicatur in obiecto, & in specie, quia modi naturalis, & intentionalis, realiter inter se distinguuntur; sed inter modos, non solum realis distinctio intercedit, sed etiam essentialis: ergo natura in specie non solum realiter, sed etiam essentialiter distinguitur à natura obiecti repræsentati.

106 *Secundo,* Secundo; ideo adstruimus realem illam distinctionem, quia natura pro vt in specie realiter ab obiecto causatur, specificatur, & mensuratur; sed hæc ratio, non solum probat realem distinctionem, verum etiam essentialem: ergo tenemur adstruere distinctionem essentialem naturæ in vtroque statu, vel realem distinctionem negare.

Minor probatur primo, Minor ostenditur primo; nam dependentia essentialis vnius ab alio, essentialem petit distinctionem inter illa; sed dependentia mensurati à mensura, est dependentia essentialis; ergo ratio illa si quid probat, conuincit, nedum realem distinctionem, verum etiam essentialem.

Secundo, Secundo, non enim alia de causa vnum indiuiduum non potest ab alio eiusdem naturæ, vt à mensura causari, nisi quia inter illa non datur essentialis distinctio: ergo dependentia mensurati à mensura essentialem petit extremorum distinctionem.

107 *Replicabis 3.* Oppones tertio; non stat, naturam distingui realiter in specie, & in obiecto, & non distingui ad minus indiuidualiter: ergo si natura Petri realiter à natura, vt in specie sui repræsentatiua distinguitur, differt ab illa necessario indiuidualiter. Probatur antecedens; omnis diuisio, vel est per principia formalia, vel per principia materialia; sed natura Petri v. c. diuiditur in naturam speciei, & naturam obiecti per illam repræsentati, si quidem distinguitur realiter per esse in vtroque illo statu: ergo vel per principia formalia, vel per principia materialia, non primum, alias esset diuersa natura essentialiter: ergo secundum; & consequenter est natura indiuidualiter à natura Petri distincta. Patet hæc secunda consequentia; nam distinctio indiuidualis non est aliud, quam distinctio per principia materialia.

108 *Quarto,* Denique; non enim aliunde credimus naturam diuinam esse eandem realiter in tribus personis, nisi quia idem indiuiduum deitatis realiter inuenitur in illis: ergo non stat vnitas indiuidualis absque reali identitate; & consequenter natura Petri, vel est realiter eadem cum natura speciei, aut conceptus Petrum repræsentantis, vel indiuidualiter ab illa distinguitur.

Hæc tamen veritatem Nostræ resolutionis non tollunt.

109 *Ad 1. replicam respondetur.* Ad primam obiectionem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est, quia natura identificatur realiter cum modis essendi physicè, & intentionaliter, non autem essentialiter; & ideo ex reali distinctione modorum, realiter diuersificatur natura, non vero distinguitur essentialiter ex illorum essentiali distinctione, quia vt illam essentialiter distinguerent, necessarium erat, vt non solum inter se essentialiter distinguerentur, sed quod essentiales essent naturæ; sicut albedo, & nigredo essentialiter distinctæ, non distinguunt essentialiter subiectum, quia illi conueniunt accidentaliter, & idem in intuitiuo, & abstractiuo, & in modo libertatis, & modo necessitatis respectu actuum intellectus, & voluntatis contingit; differunt enim inter se realiter, & essentialiter, & non distinguunt essentialiter actus, quia illis non sunt essentiales, bene tamen realiter in sententia asserente cum actibus identificari.

Ad secundam, concessa maiori, nego minorem. Ad 110 *Ad secundam,*
primam probationem, concessa maiori, nego minorem. Nam licet mensuratio passiua ab obiecto essentialis sit modo intentionali speciei, & etiam ipsi speciei, cui essentialis est talis modus, & naturæ, vt subest modo essendi intentionali, ly *vt* reduplicante modum, non tamen est essentialis naturæ in specie contentæ, cui modus intentionalis essentialiter non conuenit. Ex quo solum sequitur, speciem, & modum intentionalem distingui ab obiecto essentialiter, non autem quod natura in specie differat essentialiter à natura obiecti speciei. Et ex his ad secundam minoris probationem constat solutio.

Ad tertiam obiectionem respondeo, negando antecedens. 111 *Ad tertiam* Ad illius probationem dicatur; distinctionem naturæ penès esse naturale, & esse intentionale, esse materialem contrapositiuè ad formalem comparatione naturæ, quia scilicet, non sumitur ex principijs sufficientibus illam variare formaliter, non verò quia sumatur à materia: ratio autem cur ex illis principijs non multiplicetur natura, nec specificè, nec indiuidualiter est; quia non prouenit ex prædicatis physicis contractiuis naturæ, nec contractione formali, nec contractione materiali, sed ex esse physico naturali, & repræsentatiuo intentionali; vt autem natura multiplicaretur formaliter, distinctio prouenire debebat ex prædicatis physicè formalibus; & vt multiplicaretur indiuidualiter ex prædicatis physicis contrahentibus contractione materiali. *Ad quartam.* Ad vltimam obiectionem, distinguo antecedens: quia idem indiuiduum Deitatis invenitur in personis sub modo essendi physico, & naturali, concedo antecedens: sub modo physico, & intentionali, nego antecedens, & consequentiam.

Secundo responderi potest argumento principali abstrahendo ab eo, 112 *Secundo resp. principali argumento,* quod species intentionalis sit formalis, aut virtualis tantum obiecti similitudo, distinguendo antecedens: recipiunt aliorum formas modo naturali, & materiali, concedo antecedens: modo intentionali, immateriali, & repræsentatiuo, nego antecedens, & consequentiam. Nam cognoscentia recipiunt aliorum formas, non solum physicè, & materialiter, in quo cum non cognoscentibus conueniunt, sed etiam modo immateriali, intentionali, & repræsentatiuo, qualiter non recipiuntur in natura non cognoscente; nam licet aer recipiat in se species intentionales, non tamen illas recipit intentionaliter, & repræsentatiuè; non enim aeri repræsentant obiecta, cuius sunt species, sed illas deferunt ad potentias, quibus talia obiecta repræsentant. Per quod ad vtramque antecedentis probationem constat solutio.

Sed dices; speciem esse repræsentatiuè in natura co- 113. *Replicabis.*
gnoscente, id est taliter, quod ipsi repræsentet obiectum, est esse in illa taliter, quod possit percipere obiectum; sed hoc idem est, quod esse cognoscitiuum: ergo ex tali modo essendi, vel recipiendi formas aliarum rerum non probatur ratio cognoscitiui; & consequenter ratio Diui Thomæ probatiua non est. Respondeo, Diuum Thomam, non probare sua ratione differentiam, *Respond.* quæ inter cognoscentia, & non cognoscentia versatur, sed illam vt per se notam supponere; quod autem probat, est talem modum recipiendi formas aliarum rerum modo intentionali, & repræsentatiuo, prouenire ex eo quod sit aliquid immateriale, vt inde colligat Deum, quia summè immaterialis est, esse summè cognoscitiuum, quod autem hoc ex immaterialitate proueniat, probat: nam in quadam illimitatione consistit; illimitatio autem ex immaterialitate prouenit, sicut limitatio ex materia.

Instabis; illimitatio consistit in eo, quod natura co- 114 *Instabis.*
gnoscitiua est capax habendi in se formas aliarum rerum proprias; natura autem non cognoscens solum propriam formam; at nisi species intentionalis contineat in se ipsa formaliter formam obiecti repræsentati in modo essendi diuerso, nempè, intelligibili, & intentionali, non saluatur naturam cognoscitiuam posse habere in se ipsa formas proprias aliarum rerum: ergo nisi species sit forma, & essentia obiecti in prædicto modo essendi, non subsistit illimitatio naturæ cognoscitiuæ præ natura non cognoscente; & consequenter immaterialitas non erit ratio cognoscibilitatis actiuæ. Probatur minor; natura cognoscitiua solum habet in se ipsa species intentionales; sed huiuscemodi species non sunt formæ obiectorum, quæ ab ipsis repræsentantur iuxta hunc modum dicendi: ergo natura cognoscitiua, nec habet in se ipsa, nec est capax in se habendi formas proprias aliarum rerum.

Respon-

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad
115 probationem, concessa maiori, distinguo minorem: non
Respond. sunt formæ obiectorum intrinsecè formaliter per conuenientiam formalem, transeat minor: intrinsecè virtualiter, & formaliter extrinsecè terminatiuè, & repræsentatiuè, nego minorem, & consequentiam. Vt enim illimitatio naturæ cognoscentis subsistat, sufficit, vt species intentionales sint virtualiter obiecta repræsentata, idest, obiectorum virtutes, quibus medijs ad sui intellectionem concurrunt; & formaliter extrinsecè, & repræsentatiuè, idest, repræsentantes quidditates propria obiectorum. Quod patet: nam illimitatio propria naturæ cognoscitiuæ maximè reperitur in Deo; & tamen diuina essentia media qua vt specie Deus creata obiecta cognoscit, non est obiecta creata cognita per similitudinem, aut conuenientiam formalem cum illis; Deus enim cum nullo obiecto creato potest conuenire vniuocè in aliquo prædicato reali, sed solum per continentiam eminentialem intrinsecam obiectorum, & formalem extrinsecam, & terminatiuam, quatenus propria obiectorum prædicata Dei intellectui repræsentat; sufficienter ergo saluatur illimitatio naturæ cognoscitiuæ, quam D. Thomas ex immaterialitate deducit, per hoc quod sit capax habendi in se species intentionales, quæ virtualiter assimilentur intrinsecè obiectis repræsentatis, & repræsentatiuè extrinsecè contineat in se formaliter formas, quidditatesque obiectorum. Quod autem species intentionales non sint formales obiectorum similitudines, sed solum virtuales, vt probabile in via Diui Thomæ supponit Magister Ledesma *de Diuina perfectione q.4. art.4. fol. 245.* vbi refert illam plures Discipulos D. Thomæ tenuisse, licet ipse in oppositam, vt probabiliorem inclinet.
Ledesm.

§. VII.

Cætera argumenta, præter vltimum, diluuntur.

116 SECVNDO principaliter arguitur; datur natura cognoscitiua materialis: ergo immaterialitas ad rationem cognoscitiui, necessaria non est; & consequenter nequit esse ratio cognoscitiui. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur, prima ex antecedenti. Antecedens autem constat; natura namque sensitiua materialis est, & nihilominus tamen est cognoscitiua: ergo datur natura cognoscitiua materialis.
Secundo principaliter arg.

117 Respondeo ex doctrina D. Thomæ *q. de spiritualibus creaturis art. 2. in corpore*, Et 2. *Contra Gentes cap. 68. ad finem*. Immateriale sumi tripliciter. Primo pro excludente coniunctionem cum materia. Secundo pro independente à materia in essendo. Tertio pro excedente conditionem materiæ in agendo, & in recipiendo. Primo modo, natura Angelica est immaterialis, nec enim à materia dependet, nec cum illa potest in compositionem venire. Secundo modo, anima rationalis est immaterialis; licet enim cum materia componat, & ab illa indiuiduetur, est tamen ab illa independens in essendo; potest enim per se subsistere, & de facto subsistit post separationem à corpore. Tertio modo, immaterialis est anima sensitiua, licet enim dependeat à materia in essendo, & idcirco materialis sit, & non immaterialis entitatiuè, recipit species intentionales modo repræsentatiuo, & operatur independenter à qualitatibus, quæ sunt dispositiones materiæ; visio namque non elicitur medio calore, aut frigiditate, siccitate, aut humiditate, quæ sunt dispositiones materiæ; vnde quamuis sit entitatiuè materialis, non tamen est materialis immersiuè, hoc est, totaliter immersa materiæ, sed excedens eius conditionem in recipiendo, & agendo. Quo circa Phylosophus 2. *de anima textu 124.* relatus à D. Tho. *in præsenti art. 1. in corp.* docuit, plantas non cognoscere propter suam materialitatem; sensus autem cognoscitiuus est, quia receptiuus specierum sine materia.
Immaterialitas tripliciter sumitur.

118 Ex quibus argumento respondeo, distinguendo antecedens: datur natura cognoscitiua cognitione perfecta, quæ materialis sit, nego antecedens: cognitione imperfecta, videlicet sensitiua, subdistinguo antecedens: quæ materialis sit entitatiuè, concedo antecedens: immersiuè; idest adæquatè immersa materiæ, & ab illa totaliter comprehensa, nego antecedens, & distinguo consequens: non requiritur immaterialitas ad rationem cognoscitiui perfectè, nego consequentiam: ad rationem cognoscitiui imperfectè, sub distinguo consequens: immaterialitas sumpta pro independentia à materia in essendo, concedo consequentiam: sumpta pro excessu supra conditionem materiæ, & non immersione in illa, nego consequentiam.
Ad argumentum respondetur in forma.

Itaq; ad cognitionem perfectam, qualis est cognitio intellectiua, requiritur principium immateriale entitatiuè, hoc est, independens à materia in essendo, quia cognitio intellectiua isto modo est à materia independens, ad cognitionem imperfectam, qualis est sensitiua, non exigitur principium immateriale in essendo, idest, à materia independens, quia nec ipsa sensatio isto modo immaterialis est: elicitur enim medio principio materiali, & in illo recipitur, sed principium immateriale sumpta immaterialitate pro excessu supra conditionem materiæ, & negatione totalis immersionis in illa.

Sed oppones aduersus istam solutionem primo: dependentia, vel independentia à materia in operando, oritur ex dependentia, vel independentia formæ à materia in essendo: ergo si anima sensitiua dependet à materia in essendo, etiam in operando dependet ab illa; & consequenter adæquatè est illa immersa, nec aliqua ratione supra conditionem materiæ eleuata. Secundo: nam sumpta immaterialitate pro non immersione in materia, forma plantæ immaterialis est; vt enim docet Diuus Thomas *locis nuper allegatis*, solum formæ elementorum sunt totaliter immersæ materiæ: secus autem formæ mixtorum, & multo minus formæ plantarum viuentium; & tamen formæ mixtorum cognoscitiuæ non sunt: ergo immaterialitas sumpta pro negatione immersionis in materia non est sufficiens ad rationem cognoscitiui; & consequenter sic sumpta, ratio cognoscitiui non est. 119
Replicabis 1.
Secundo.

Tertio; eleuatio formæ supra materiam, vel consistit in excessu entitatiuo, quo forma præstat materiæ, vel super illum fundatur; sed nulla est forma, quæ non excedat excessu entitatiuo materiam: ergo nulla est forma, quæ non eleuetur supra conditionem materiæ; & consequenter nulla est forma totaliter immersa materiæ, cuius contrarium supponit Diuus Thomas *locis proximè allegatis*, & requiritur vt illius doctrina subsistat. 120
Tertio.

Quod amplius vrgetur; nulla est forma materialis, quæ medijs accidentibus sensibilibus non valeat immittere speciem sui in potentias sensitiuas exteriores; sed operatio, qua species intentionalis producitur, est supra conditionem materiæ: ergo nulla est forma materialis totaliter immersa materiæ in suis operationibus; & consequenter si immaterialitas sumpta pro non immersione totali in materia, sufficiens est fundare rationem cognoscitiui, nulla erit forma materialis, quæ cognoscitiua non sit.
Confirmatur.

Respondeo ad primam replicam, concedendo antecedens, & primam consequentiam, nempè, animam sensitiuam in omni sua operatione dependere à materia, quod non negat Diuus Thomas; nego autem secundam consequentiam: quod nempè sit totaliter immersa materiæ, & materia illi adæquetur; vt enim docet Diuus Thom. 2. *Contra Gentes cap. 68.* forma, cuius operatio non excedit conditionem materiæ, est totaliter immersa materiæ, & materia illi adæquatur; forma verò, cujus operatio excedit conditionem materiæ, etsi materialis sit entitatiuè, non tamen est omninò materialis, nec totaliter immersa materiæ; excedere autem conditionem materiæ est extendi ad operationes, ad quas non se extendunt qualitates, quæ sunt dispositiones materiæ, nempè, calidum, & frigidum, humidum, & siccum, graue, & leue, & è contra, non excedere conditionem materiæ, est formam non posse in operationem aliquam, ad quam prædictæ qualitates non se extendunt, vt sunt formæ elementorum: quia ergo cognitio sensitiua non completur frigiditate, & calore; licet istæ qualitates ad debitam organi dispositionem requirantur: fit, vt forma sensitiua excedat conditionem materiæ: ac proinde quamuis à materia dependeat, non tamen fit omninò materialis, hoc est totaliter immersa materiæ. 121
Ad 1. replicā respōdetur.

Ad secundam, concessa maiori, & minori, distinguo consequens: ex conceptu communi immaterialitatis, sic sumptæ, concedo consequentiam, ex conceptu talis, ac tantæ immaterialitatis, sic sumptæ, nego consequentiam Vt enim docet D.Tho. *loco proximè allegato*, formæ elementorum sunt omninò materiales, quia non valent, nisi in operationes qualitatum, quæ sunt dispositiones materiæ: formæ autem mixtorum inanimatorum aliqua ratione eleuantur supra conditionem materiæ, & formæ viuentium vita vegetatiua, plus eleuantur; habent enim operationes, quibus quidem deseruiunt qualitates actiuæ, & passiuæ organicæ, sed tamen supra posse huiusce modi qualitatum proprium effectum sortiuntur, in nutriendo, & augendo; anima autem sensitiua plus adhuc supra conditionem materiæ eleuatur: habet namque operationem sentiendi, ad quam nullo modo 122
Ad secundam.

sefex-

se extendunt qualitates actiuæ, & passiuæ, nempè, caliditas, & frigiditas; visio enim, & sensatio suis qualitatibus non complentur, nec illis medijs eliciuntur, licet requirantur ad compositionem organi, per quod sensatio exerceatur; & hæc eleuatio supra conditionem materiæ est, quæ ad imperfectam cognitionem, scilicet, sensitiuam exigitur.

123 *Ad tertiā.* Ad tertiam, distinguo maiorem: in excessu formæ ad materiam generali, & communi omni formæ, nego maiorem: in excessu tanto, ac tali, nempè, fundante eleuationem formæ supra conditionem materiæ explicatam, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam licet omnis forma entitatiuè excedat materiam, ex quo excessu nascitur, vt forma sit radicale operandi principium: secus autem materia, non tamen omnis forma gaudet excessu eleuante supra conditionem materiæ, vt explicatum relinquimus; & consequenter, nec in omni forma inuenitur ille excessus, qui præstat formæ denominationem alicualis immaterialitatis.

124 *Ad cōfirmationē.* Ad confirmationem dicatur: immissionem specierum non esse à formis substantialibus, sed ab accidentibus sensibilibus; species enim visibiles, sunt effectus coloris, vel lucis, aut lucidi colorati: species audibiles, sunt à sono, & sic de alijs alios sensus perficientibus: cuius ratio est; nam species est ab eo quod per se per illam repræsentatur; forma autem substantialis non est obiectum per se repræsentatum ab speciebus visibilibus: substantia namque non sentitur per se, sed per accidens, vnde videmus accidentia in Eucharistia, easdem specificè actiones sensitiuas visus, auditus, & gustus specificare, quas terminarent substantiæ, quarum sunt accidentia coniuncta, cum tamen in Eucharistia substantia panis non inueniatur, nec vini: ergo species sensibiles, siuè ad visum, siuè ad auditum, siuè ad tactum pertinentes, non sunt effectus formarum substantialium; & consequenter illarum eleuationem supra conditionem materiæ non postulant.

125 *Instabis 1. contra resolutionē tradi. tam.* Tria tamen contra resolutionem istam videntur obstare. Primum; nam iuxta solutionem tertiæ obiectionis immaterialitatem entitatiuam formæ consistentem in excessu supra materiam probamus ex eleuatione formæ supra conditionem materiæ in agendo, & recipiendo, in quo ratio cognoscitiui consistit; sed hoc fieri non potest iuxta D. Th. doctrinam: ergo ratio cognoscitiui non consistit in eleuatione formæ supra conditionem materiæ. Probatur minor; D. Tho. probat cognoscitiuum ex immateriali, quod est necessario accipiendum de immaterialitate formæ entitatiua: nam immaterialitas operatiua probatur; & consequenter nequit esse probationis principium; aliàs probaretur idem per idem, quod est inconueniens: ergo immaterialitas entitatiua formæ in excessu supra materiam consistens, non debet, nec potest ex ratione cognoscitiui probari, nisi velimus circulum vitiosum committere.

126 *Secundo.* Secundum; nam in essendo æqualiter omnes formæ à materia dependent: ergo etiam in operando æqualiter dependent ab illa; & consequenter æqualiter sunt illi immersæ. Consequentia tenet ex dictis; cum namque operari consequatur ad esse dependentia, vel independentia in operari, consequi debet ad dependentiam, vel independentiam in esse. Antecedens autem probatur; nulla forma materialis potest connaturaliter existere separata a materia, & omnis potest de potentia absoluta: ergo quoad esse omnes æqualitèr à materia dependent. Tertium est; nam

Tertio. accidens nequit excedere substantiam in perfectione: ergo si forma elementi, v.c. non eleuatur supra conditionem materiæ in agendo, color, & alia accidentia nequeunt supra conditionem materiæ eleuari; & consequenter non poterunt efficienter causare species intentionales sensibiles, cuius contrarium docuimus soluentes confirmationem.

127 *Ad 1. instantiam resp.* Hæc tamen non vrgent, nec veritatem nostræ resolutionis infringunt. Ad primum, distinguo maiorem: probatione à priori, nego maiorem: à posteriori, & à signo, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Non enim est inconueniens essentiam à posteriori demonstrari per proprietates, & rursus proprietates à priori demonstrari per essentiam, nec in hoc modo procedendi circulus vitiosus committitur; vt enim docet D. Tho. 2. *Contra Gentes cap. 68.* cum vnum quodq; operetur, in quantum est in actu, ex consideratione operationum cognoscimus naturas formarum, & quanto forma est nobilior, tanto nobiliores operationes principiat. Ecce vbi D. Tho. à posteriori probat nobilitatem formæ ex nobilitate operationis, & illius perfectionē à priori ostendit ex formæ nobilitate. Et *in eodem cap.* ex independentia intellectionis à corpore, arguit independentiam animæ rationalis à materia, & illius spiritualitatem.

Ad secundum, concesso antecedenti, & prima consequentia, nego secundam. Nam, quod operatio materialis eleuetur supra conditionem materiæ, non est, quod ab illa non dependeat in essendo, visio namque, & omnes aliæ operationes sensitiuæ à materia in essendo dependent, sed est non elici medijs qualitatibus, quæ sunt dispositiones materiæ, vt *superius* explicuimus; vt autem vna operatio ab illis dispositionibus elicitiuè proueniat, & non alia, sufficit excessus illius operationis præ illa, & excessus formæ ad formam, quamuis à materia æqualiter omnes formæ materiales dependeant; sicut inter formas spirituales contingit; omnes enim sunt æquales in negatione dependentiæ à materia (loquor de formis completis) & tamen non omnes æqualis perfectionis operationes eliciunt, quia in perfectione non omnes æquales sunt. 128 *Ad secūdam.*

Ad tertium dicatur; quod licet accidens non possit excedere simpliciter substantiam, cuius est accidens; potest tamen *secundum quid* excedere illam: accidens enim corporeum simplicius est substantia, vtpote carens compositione ex partibus essentialibus, ex quibus substantia corporea coalescit: excessus autem penès producere species sensibiles, non est excessus *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*, cum in alii pluribus accidentia sensibilia efficientia huiuscemodi species, à forma substantiali corporea excedantur. 129 *Ad tertiā.*

Tertio principaliter arguitur: dantur plures formæ immateriales, quæ cognoscitiuæ non sunt: ergo immaterialitas non est ratio à priori virtutis cognoscitiuæ: & consequenter non demonstratur à priori per illam. Antecedens probatur; voluntas namque, illius operationes, & habitus sunt formæ immateriales: & tamen capaces cognoscendi non sunt: ergo dantur formæ immateriales non cognoscitiuæ. 130 *Arg. 3.*

Responderi solet primo: omne immateriale esse cognoscitiuum, vel elicitiuè, & formaliter, vel consecutiuè, & antecedenter; voluntas autem quamuis elicitiuè cognoscitiua non sit, non enim potest cognitionem elicere, est tamen cognoscitiua consecutiuè, & antecedenter, quatenus ad intellectum consequitur, illumque præsupponit, & idem est de habitibus, & actibus, voluntatis, supponunt enim actus intellectus, cum nihil sit volitum, quin præcognitum. 131 *Prima Solutio.*

Quod si argumentum fiat de intellectu nostro agente, est enim immaterialis; & tamen non est intellectiuus elicitiuè; cum nequeat cognitionem elicere, nec consecutiuè; non enim est cur intellectus agens, possibilem præsupponat, & ad illum consequatur: ergo non omnis forma immaterialis est cognoscitiua aliquo ex prædictis modis. Respondebunt, restare alium modum pertinendi ad gradum cognoscitiuum, nempè, causatiuè antecedenter concurrendo ad cognitionem, & isto modo pertinere intellectum agentem; causat enim species medijs, quibus intellectus possibilis ad cognitionis eliciendiam sit potens. 132 *Si opponatur.* 133 *Respondebunt.*

Quæ doctrina vera est, quia tamen argumentum procedit de cognoscitiuo formaliter, vt principio eliciente cognitionem, hoc namque probat Diuus Thomas ex conceptu immaterialitatis, ideò non est omninò sufficiens pro solutione argumenti. Quod potest ita formari; non omnis forma immaterialis est cognoscitiua formaliter, vt patet in formis adductis, quæ quidem immateriales sunt; & tamen non sunt cognoscitiuæ formaliter vt principium *quo* elicitiuum cognitionis: ergo immaterialitas non est ratio cognoscitiui, vt principij *quo* elicitiui cognitionis: & consequenter hoc cognoscitiuum non potest ex immaterialitate probari. 134 *Reijcitur Solutio instantiā de argumentum.*

Secunda huius argumenti solutio, illaque frequentior est, verum esse antecedens de formis accidentalibus; non enim omnis forma immaterialis accidentalis, est intellectiua, aut cognoscitiua formaliter, vt exemplis adductis conuincitur: falsum autem de formis substantialibus; nulla enim datur forma substantialis immaterialis, quæ non sit vt *quo* cognoscitiua formaliter, hoc est, radicaliter elicitiua per modum principij *quo* intellectionis, aut cognitionis, & de hac immaterialitate, doctrina, & ratio D. Th. procedit. Quod si rationem petas, cur non omnis forma accidentalis quamuis sit immaterialis, sit cognoscitiua formaliter? Respondent, rationem esse: nam accidens non quæritur propter se, sed vt deseruiat substantiæ per modum virtutis proximè: cum autem substantia immaterialis, sit radicaliter, non solum intellectiua, 135 *Vera solutio.* 136

ua, sed etiam volitiua; sit consequens, vt petat virtutem proximam ad intelligendum, & hæc apprehensiua, & intellectiua sit per modum virtutis proximæ, & potentiam proximam volitiuam, quæ nec apprehensiua, nec cognoscitiua sit, sed appetitiua, & inclinatiua in obiectum.

137 *Instabis.* Sed dices; personalitates diuinæ, vt distinctæ virtualiter à natura sunt substantia immaterialis, voluntas etiam diuina prout à natura Dei virtualiter distincta, est formaliter substantia immaterialis; cum ratio substantiæ increatæ sit communis, & transcendens omnes Dei perfectiones; & tamen personalitates diuinæ prout à natura distinctæ, non sunt intellectiuæ formaliter, voluntas etiam diuina, vt distincta virtualiter à diuina natura, formaliter intellectiua non est: ergo non omnis forma substantialis immaterialis est intellectiua, aut cognoscitiua formaliter.

138 *Respond.* Respondeo, distinguendo maiorem: sunt substantia primordialis, quæ reperitur in Deo, nego maiorem; substantia supponens virtualiter aliam, & in illa virtualiter radicata, concedo maiorem: & concessa minori, distinguo consequens: non omnis forma substantialis constituens naturam, & obtinens primordialem conceptum substantiæ, nego consequentiam: non constituens naturam, nec obtinens conceptum substantiæ primordialis, & radicalis, concedo consequentiam. Itaque omnis formalitas reperta in Deo, est formaliter substantia; cum accidens esse nequeat; sicut tamen in creatis datur substantialis natura, dantur modi, & proprietates naturæ, quæ formaliter sunt accidentia, ita in Deo primordialis substantia datur, quæ obtinet conceptum naturæ, dantur etiam modi & proprietates virtualiter à natura distinctæ, & in illa virtualiter radicatæ, illa est intellectiua radicaliter formaliter; aliæ autem perfectiones, etsi substantiales sint, quia tamen non sunt prima, & radicalis substantia, quæ reperitur in Deo, sed naturam supponentes, & in illa virtualiter radicatæ, sunt virtualiter propter naturam diuinam, & quasi inseruientes illi; ac proinde inter tales proprietates, solum vna, nempè, intellectus est intellectiuus formaliter per modum potentiæ, scientia, sapientia, & aliæ intellectuales virtutes per modum actus; voluntas autem non est intellectiua formaliter, sed formaliter volitiua, quia illam petit Dei natura, non vt per illam intelligat, sed vt per illam velit, & in obiecta feratur, discurrendo in diuinis perfectionibus, ad modum quo discurrimus in creaturis, se mota omni imperfectione.

139 *Arg 4.* Quarto principaliter arguitur; si materialitas esset ratio actiuæ intellectualitatis, iuxta modum immaterialitatis, esset modus virtutis intellectiuæ, proximè, vel radicalis; sed hoc non ita contingit: ergo immaterialitas non est ratio intellectualitatis. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: si iuxta modum immaterialitatis esset modus intellectualitatis, cum æqualitate immaterialitatis non staret excessus virtutis cognoscitiuæ; sed hoc est falsum: ergo modus virtutis cognoscitiuæ non est iuxta modum immaterialitatis. Probatur minor; omnes Angeli adæquantur in ratione immaterialitatis; & tamen vnus alium excedit in virtute cognoscitiua: ergo stat excessus in vi cognoscitiua, cum æqualitate in ratione immaterialitatis. Illatio tenet. Minor constat; nam Angeli differunt specie in linea essentiæ; & consequenter in linea naturæ cognoscitiuæ, quæ vel est idem cum conceptu essentiæ, vel ad conceptum essentiæ consequitur; ea autem quæ specie differunt non possunt in perfectione adæquari in communi Metaphysicorum doctrina; species namque sunt sicut numeri, vnde sicut non dantur duo numeri specie differentes æquales, ita nec duæ species æqualis perfectionis possibiles sunt. Maior autem probatur; nam immaterialitas consistit in exclusione materiæ, vel independentia ab illa; sed omnes Angeli æquè sunt à materia independentes, & æqualiter excludunt materiam; cum omni Angelo essentialiter repugnet à materia dependere, & cum illa in compositionem vnire: ergo adæquantur in ratione immaterialis.

140 *Respond.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, concessa etiam maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, nego maiorem. Nam licet omnes Angeli adæquentur in termino *à quo* abstractionis à materia, ob rationem in probatione assignatam, non tamen omnes æquantur penès terminum *ad quem*; licet enim omnes Angeli essentialiter materiam excludant, & dependentiam ab illa, est tamen vnus alio actualior, cuius maior actualitas cognoscitur ex minori numero specierum, quo indigent ad cognoscendum; & consequenter vnus magis alio excedit materiam, penès quem excessum maior immaterialitas pensatur.

Quinto arguitur; etsi in creaturis immaterialitas possit esse medium probatiuum à priori virtutis cognoscitiuæ, actualisvè cognitionis, immaterialitas tamen diuina non potest: ergo ratio, qua D. Tho. cognitionem in Deo ex illius immaterialitate probat, demonstratiua non est. Probatur antecedens; medium probatiuum à priori, debet à perfectione per ipsum demonstrata distingui, aliàs idem per idem probaretur, quod ars demonstratiua non sustinet; sed immaterialitas diuina non differt à diuina cognitione, nec à vi cognoscitiua proxima, vel radicali: ergo non potest à priori demonstrari per illam. 141 *Arg. 5.*

Huic argumento respondéri solet primo; quod licet cognitio in Deo non differat virtualiter à natura diuina, nec ab immaterialitate Dei; scientia tamen, prout dicit specialem modum cognoscendi, qua ratione constituit speciale attributum, differt virtualiter ab immaterialitate diuina: vt autem vna perfectio demonstretur à priori per aliam, sufficit virtualis distinctio: ac proinde, quamuis facultas cognoscitiua, aut actualis cognitio absolutè, non demonstretur de Deo per illius immaterialitatem, cognitio tamen scientifica demonstratiuè per immaterialitatem probatur. 142 *Prima aliquorum solutio.* Secundo respondetur ab alijs, cognitionem actualem Dei, ab illius immaterialitate virtualiter distingui: secus autem facultas proxima cognoscitiua, aut vis radicalis: ac proinde illam rectè posse demonstrari: non autem facultas cognoscitiua proxima, vel radicalis. *Secundo respondent alij.*

Tertia solutio est aliorum distinguentium virtualiter vim cognoscitiuam proximam ab essentia, & natura diuina, qui consequenter concedunt, demonstrari posse mediante immaterialitate; vim autem radicalem cognoscendi, nullatenus ab essentia distinguunt: ac proinde negant demonstrari posse de Deo demonstratione à priori. 143 *Tertia solutio.* Quarto alij respondent; essentiam diuinam sub conceptu essentiæ distingui virtualiter adæquatè à natura sub conceptu naturæ, & quia in ratione essentiæ constituitur per immaterialitatem, in ratione autem naturæ per intelligere radicale; rectè demonstratur vis radicaliter intellectiua per diuinam immaterialitatem. *Quarto respondent alij.*

Cæterum contra primam ex his solutionibus faciunt primo verba Diui Thomæ, quibus concludit primum articulum huius quæstionis. *Vnde cum Deus sit in summo immaterialitatis sequitur quod ipse sit in summo cognitionis*: Probat ergo D. Thomas cognitionem absolute, & non solum prout dicit specialem modum cognitionis. Secundo; nam cognitionem scientificam distingui, vel non distingui attributaliter à natura diuina, non est omninò exploratum, nec res certa apud Thomistas, quod autem ratio Diui Thomæ recta, & artificiosa sit, extra controuersiam debet esse apud Diui Thomæ Discipulos: ergo limitanda non est ad distinctionem attributalem scientiæ à natura diuina. Et eodem defectu laborant secunda, & tertia solutio. 144 *Tres 1. solutiones reijciuntur 1. Secundo.*

Vltima reijcitur primo; nam distinctio illa virtualis adæquata inter essentiam sub conceptu essentiæ, & naturam sub conceptu naturæ, maiori, & meliori parti Thomistarum displicet; ergo bonitas rationis D. Thomæ, illi alliganda non est. Secundo; nam si ratio naturæ intellectualis esset virtualiter adæquatè distincta à natura Dei sub conceptu essentiæ, radicaretur in illa; sed hoc admitti non potest: ergo nec virtualis illa adæquata distinctio. Sequela patet; nam ideò attributa radicantur virtualiter in essentia, quia ab illa virtualiter distinguuntur, & Deo ratione essentiæ conueniunt; sed conceptus naturæ iuxta illum modum dicendi, virtualiter adæquatè distinguitur à conceptu essentiæ, & Deo conuenit ratione illius: ergo radicatur virtualiter in illo. 145 *Quarta solutio impugnatur 1. Secundo.*

Minor autem ostenditur primo; si namque in essentia radicatur natura: ergo pro priori ad conceptum naturæ saluatur in essentia conceptus radicis; & consequenter ratio naturæ. Hæc secunda consequentia constat; nam ratio naturæ, idem est, quod ratio radicis. Prima patet, non enim constituitur radix conceptus naturæ per ipsum conceptum naturæ; sicut causa nequit per effectum constitui, nec principium per terminum principiatum: ergo si essentia radicat naturam; intelligitur essentia constituta in ratione radicis pro priori ad conceptum naturæ. 146 *Minor prob. 1.*

Secundo probatur minor; si namque essentia est radix conce- 147 *Secundo.*

conce-

conceptus naturæ, dabitur pro priori ad conceptum naturæ, duplex conceptus virtualiter adæquatè distinctus; consequens admitti non potest; aliàs admittendus erit processus in infinitum, vt consideranti facillimo negotio constabit: ergo ratio naturæ intellectualis non est virtualiter adæquatè distincta à natura sub conceptu essentiæ. Probatur sequela; conceptus essentiæ iuxta illum modum dicendi distinguitur adæquatè virtualiter à conceptu naturæ, quia essentia sumitur per ordinem ad esse; natura autem istum ordinem non explicat, sed connexionem mediatam cum operatione, & immediatam cum principijs proximè operatiuis; sed conceptus radicis virtualis formalitatis naturæ, si in essentia reperitur, non explicat ordinem ad existentiam, sed connexionem immediatam cum conceptu naturæ, & mediatam cum operatione, & proximis principijs illius: ergo distinguetur virtualiter adæquatè à conceptu essentiæ, dabiturque processus in infinitum.

148 *Vera argumenti solutio.* Vnde his omissis solutionibus ad argumentum respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem dicatur: immaterialitatem diuinam adæquatè virtualiter distingui ab intellectu, & intellectione Dei: ac proinde potest esse medium à priori probatiuum prædictarum perfectionum; quia tamen D. Thomas sua ratione non solum demonstrauit intellectum, & intellectionem in Deo, sed etiam Deum esse naturæ intellectualis. Ad antecedentis probationem, distinguo maiorem: distinctione reali, aut virtuali adæquata, vel inadæquata, concedo maiorem: distinctione reali, aut virtuali adæquata, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, loquendo de facultate Dei radicaliter intellectiua, nego consequentiam. Nam licet immaterialitas diuina non distinguitur realiter, nec virtualiter adæquatè à conceptu intellectualitatis, distinguitur tamen ab illo virtualiter inadæquatè; prius enim concipimus diuinam essentiam penès ordinem ad existentiam, & vt excludentem materiam, & omnem potentialitatem, quam illam concipiamus, vt ordinatam ad operandum, vel vt connexam cum operationibus: sicut forma substantialis prius concipitur, vt informans materiam, quam vt principium radicale operationum: & consequenter secundus ille conceptus, quo intelligitur natura diuina, vt connexa cum operationibus, qua ratione intelligitur sub conceptu naturæ, demonstrari potest de Deo per illum alium priorem immaterialitatis conceptum, quo intelligitur in ordine ad esse, & vt excludens materiam.

149 *Replicabis 1.* Sed oppones adversus istam solutionem primo: differentia essentialis non potest demonstrari de constituto per ipsam. Tùm, quia est, quod in illo primo intelligitur. Tùm etiam, quia immediatè illi conuenit. Tùm denique quia lumine principiorum cognoscitur, vt constat in rationali, quod est vltima differentia hominis, & in alijs vltimis differentijs; sed intellectualitas radicalis est vltima differentia, vel quasi differentia naturæ diuinæ illam ab attributis, & alijs formalitatibus diuinis distinguens: ergo demonstrari nequit de Deo demonstratione à priori. Secundo; demonstratio à priori est demonstratio per causam formalem, aut virtualem, sed immaterialitas Dei non est causa, adhuc virtualis, intellectualitatis ipsius: ergo hæc per illam nequit à priori demonstrari. Maior constat ex diffinitione demonstrationis, qua dicitur debere procedere ex prioribus, notionibus, causisque conclusionis.

Minor autem probatur: sicut enim causa formaliter influens realiter, adæquatè petit ab effectu distingui, ita causa virtualis debet distingui adæquatè virtualiter ab effectu virtuali; sed immaterialitas non distinguitur adæquatè virtualiter ab intellectualitate radicali diuina: ergo non est causa virtualis illius.

150 *Ad 1. replicā respondetur.* Respondeo ad primam replicam, distinguendo maiorem: differentia adæquata, concedo maiorem: differentia inadæquata, subdistinguo maiorem: si prima sit inter conceptus inadæquatè constituentes, concedo maiorem: si non prima sit, sed aliam inadæquatam differentiam supponat, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam conceptus radicis intelligendi, & volendi constituens naturam diuinam, non est adæquata differentia, sed inadæquata, aliam differentiam inadæquatam supponens, nempè, rationem entis spiritualis à se, ideoque potest demonstrari de Deo mediante illa priori differentia inadæquata: vnde talis differentia primo, & immediatè conuenit per exclusionem medij prioris constituentis adæquatè; non autem per exclusionem medij prioris inadæquatè solum constituentis. *Ad secundam.* Ad secundam, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, nego maiorem vniuersaliter intellectam: materia namque realiter influit in formam, & hæc realiter causat materiam, & tamen materia, & forma non differunt adæquatè, sed inadæquatè, & partialiter: ergo poterit virtualis causalitas intercedere absque virtuali adæquata distinctione.

Si dicas, veram esse doctrinam solutionis in causis materiali, & formali; falsam autem in causa efficienti, hæc namque adæquatè distinguitur ab effectu, realiter, si causa sit realis, aut virtualiter, si solum virtualiter influat; sed si immaterialitas influit virtualiter in intellectualitatem radicalem, non potest esse nisi in genere causæ efficientis radicantis virtualiter: ergo distingui debet ab illa adæquatè virtualiter. Respondeo, negando minorem: influxus enim effectiuus radicans, est essentiæ in proprietates: intellectualitas autem non est passio essentiæ spiritualis, sed differentia compartialis constitutiua: ac proinde non terminat influxum radicatiuum, sed formalem; ita vt eadem forma spiritualis duplicem habeat inadæquatum effectum, vel quasi effectum formalem præstitum ordine quoddam. Primum in ordine ad esse cum exclusione materiæ. Secundum in ordine ad operari constituendo radicem operationum, & proprietatum ad modum quo forma informans materiam, primo dat esse materiæ, & secundo constituit radicem operationum, vt autem isti duo effectus, vel quasi effectus ordine quoddam præstentur, & vnus sit ratio alterius, non petitur adæquata distinctio, vt in exemplo adducto conspicitur. 151 *Instabis.* *Respond.*

§. VIII.

Diluitur vltimum argumentum, & explicatur, an implicet substantia spiritualis non intellectiua.

DENIQVE arguitur; si immaterialitas substantialis esset ratio intellectualitatis actiuæ, implicaret substantia immaterialis, non intellectiua; sed talis substantia non implicat: ergo immaterialitas non est ratio intellectualitatis. Illatio tenet. Minor probatur; non enim potest implicationis ratio assignari. Maior autem ostenditur primo; quia namque rationalitas est ratio discursiui, & risiui, implicat rationale, non risiuum, & discursiuum; & quia albedo est ratio disgregandi visum, implicat album non disgregatiuum, & sic de alijs: ergo si immaterialitas substantiæ, est ratio intellectualitatis actiuæ, implicabit substantia immaterialis non intellectiua. Secundo: quia namque immaterialitas est ratio intelligibilitatis passiuæ, implicat entitas immaterialis non intelligibilis passiuè: ergo si immaterialitas substantialis, est ratio intellectualitatis, implicabit substantia immaterialis non intellectiua. 152 *Vltimo arguitur.* *Maior probatur primo.* *Secundo.*

Tertio: vt enim immaterialitas sit ratio intellectualitatis, hæc causalis debet esse vera; *quia aliquid est immateriale, est intellectiuum*; sed eo ipso implicat substantia spiritualis non intellectiua: ergo eo ipso, quod immaterialitas sit ratio intellectualitatis, asserendum necessario est, implicare substantiam immaterialem non intellectiuam. Minor probatur: propositio causalis includit vniuersalem de subiecto, supra quod cadit causalitas, vnde, quia hæc propositio est vera; *quia aliquid est rationale, est risibile*, etiam hæc admitti debet vt vera; *omne rationale est risibile*: ergo si hæc est vera; *quia aliquid est immateriale substantialiter, est intellectiuum*; etiam hæc vniuersalis est vera; *omnis substantia immaterialis est intellectiua*; sed cum veritate illius non stat possibilitas substantiæ immaterialis non intellectiuæ; sicut cum illius veritate; *omnis homo est rationalis*, non stat possibilitas hominis non rationalis: ergo eo ipso, quod hæc propositio sit vera; *quia aliquid est immateriale substantialiter, est intellectiuum*, implicat substantia immaterialis non intellectiua. 153 *Tertio.*

Huic argumento responderi potest primo ex doctrina Mag. Sancto Thoma *in solutione 2. difficultatis*, immaterialitatem, quam Diuus Thomas assignat pro ratione virtutis cognoscitiuæ, non accipi pro immaterialitate entitatiua, sed pro eleuatione supra conditionem materiæ in modo recipiendi species intentionali, & immateriali modo; hæc autem eleuatio, & capacitas recipiendi formas sine materia non potest in aliqua natura inueniri, quæ cognoscitiua non sit, vnde pro saluanda efficacia rationis Diui Thomæ, necessarium non est disputare, an de potentia absoluta sit dabilis natura spiritualis non cognoscitiua. Iuxta quam doctrinam, neganda est sequela. 154 *Responderi potest primo.*

155 Sed contra hanc solutionem obstat primo; ideò namque vis intellectiua probatur ex capacitate recipiendi species sine materia, quia hæc capacitas est aliquo modo prior; sed etiam immaterialitas sumpta entitatiuè, est prior capacitate recipiendi species sine materia, & quodammodo fundamentum illius: ergo debet ex illa probari; & ideò aliquid erit capax recipiendi species, modo intentionali, repræsentatiuo, quia in sua entitate est aliquo modo immateriale. Maior constat ex doctrina illius Sapientissimi Magistri. Consequentia tenet. Et minor ostenditur primo; capacitas receptiua specierum pertinet ad conceptum naturæ, immaterialitas entitatiua pertinet ad conceptum essentiæ in substantia intellectuali; sed prior est conceptus essentiæ conceptu naturæ, & quodammodo fundamentum illius: ergo immaterialitas entitatiua, prior est prædicta capacitate. Secundo; non enim alia ratione capacitas receptiua specierum est prior vi cognoscitiua, & medium probatiuum illius, nisi quia prius est species recipere, quam percipere obiectum: sed in substantia intellectuali, prior est ordo ad esse aliquo modo immateriale, quam ordo ad species recipiendas, & prius esse, quam recipere species: ergo immaterialitas entitatiua est prior capacitate receptiua specierum, & medium probatiuum illius.

Contra 1.

Minor probatur primo.

Secundo.

156 Facit secundo; nam distinctiuum cognoscentium à non cognoscentibus, probatur a Diuo Thoma ex immaterialitate; sed distinctiuum est capacitas recipiendi species sine materia, vt constat ex textu articuli: ergo hæc capacitas ex immaterialitate probatur; sed non ex immaterialitate sumpta pro capacitate receptiua huiuscemodi specierum; aliàs idem per idem probaretur: ergo ex immaterialitate entitatiua. Tertio; quia namque coarctatio formæ est per materiam, infert Diuus Thomas amplitudinem in recipiendo non solum propriam formam, sed etiam formas aliorum, quæ est propria naturæ cognoscitiuæ, ex immaterialitate prouenire; sed coarctatio formæ est per materiam sumptam entitatiuè: ergo amplitudo intelligibilis prouenit ex immaterialitate sumpta entitatiuè. Denique; nam si immaterialitas entitatiua, nihil ad vim cognoscitiuam conduceret; sequeretur, posse dari formam entitatiuè materialem perfectè cognoscitiuam; consequens falsissimum est: ergo immaterialitas entitatiua, ad vim cognoscitiuam conducit.

Contra 2.

Tertio.

Quarto.

157 Aliorum solutio est, implicare substantiam immaterialem titulo perfectionis, non intellectiuam; secus autem ex communi conceptu substantiæ immaterialis, vocant substantiam immaterialem titulo perfectionis, illam, quæ ratione immaterialitatis excedit substantias materiales, & asserunt substantiam illo modo immaterialem, implicare, quod intellectiua non sit; eo quod non potest alio titulo substantias materiales excedere, nisi titulo gradus cognoscitiui: ex communi autem ratione substantiæ immaterialis sentiunt, non repugnare absque gradu intellectiuo; nam potest dari de potentia absoluta substantia immaterialis imperfectior materiali; hæc autem intellectiua non esset: ergo non implicat substantia immaterialis non intellectiua ex illo generalissimo conceptu. Maiorem probant primo; nam immaterialitas consistit in negatione materiæ; at negatio materiæ conuenit priuationi, enti rationis, & alijs minus perfectis, quam substantia materialis: ergo est dabilis substantia immaterialis, quæ à materiali, in perfectione excedatur.

Secundo respōdent alij.

Motiuum solutionis.

Maiorem probant primo.

158 Secundo; quia negatio nullam dicit perfectionem: ergo negatio dependentiæ à materia potest conuenire substantiæ imperfectiori substantia materiali. Tertio; non enim est dabilis natura ita imperfecta, qua imperfectior dari non possit: ergo est dabilis substantia imperfectior substantia materiali; sed hæc necessario immaterialis esset: ergo est dabilis substantia immaterialis imperfectior materiali substantia; & consequenter possibilis erit de potentia absoluta, substantia immaterialis non intellectiua; vnde dicunt, rationem Diui Thomæ procedere de immaterialitate titulo perfectionis, & sic rectè inferre, Deum esse naturæ intellectualis.

Secundo. Tertio.

159 Sed contra hunc modum dicendi obstat; vt enim illius Assertores fatentur, implicat substantia spiritualis perfectior substantia materiali, quæ intellectiua non sit; sed implicat substantia spiritualis, quæ non sit perfectior substantia materiali: ergo implicat substantia spiritualis non intellectiua. Minor, in qua est difficultas, probatur; substantia spiritualis conuenit cum materiali in ratione substantiæ; sed illam necessario excedit ex differentia spiritualitatis: ergo substantia spiritualis, necessario excedit materialem. Minor ostenditur primo; spiritualitas, & materialitas; quæ sunt differentiæ diuidentes substantiam, non possunt esse æquales in perfectione; cum essentialiter differant; quæ autem essentialiter differunt adæquari non possunt; vnde communi axiomate fertur, *species esse sicut numeros*; non autem stat duos numeros specie differentes æquari; & consequenter nec duo genera, vel duæ differentiæ genericæ; sed non excedit materialitas spiritualitatem: ergo hæc illam superat in perfectione.

Reijcitur secunda solutio.

Minor probatur primo.

160 Secundo; nam independens à materia in essendo, necessario est perfectius dependente a materia; cum independentia perfectio sit; dependentia autem, & præcipuè à materia, sit maxima imperfectio; sed spiritualitas est differentia independens à materia in essendo; materialitas autem, vel ens materiale, a materia dependet: ergo spiritualitas perfectior est materialitate. Tertio; nam spiritualitas est perfectio simpliciter simplex; cum in suo conceptu formali nullam dicat imperfectionem; vnde in Deo formaliter repetitur; materialitas autem, vel corporeitas, huius conditionis non est, sed pluribus imperfectionibus formaliter inuoluta: ergo idem quod prius.

Secundo.

Tertio.

161 Denique; nam si ob aliquid spiritualitas non excederet corporeitatem, maximè quia in negatione consistit; sed hæc ratio est nulla: ergo excedit. Probo minorem primo; quia falsum est; in negatione consistere, licet explicetur per illam: consistit enim in positiua entitate, cui repugnat dependentia à materia corporali. Secundo; nam exinde sequeretur independentiam à causa efficienti non dicere perfectionem; consequens est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Probatur sequela; independentia à causa efficienti dicit negationem causæ efficientis; sicut independentia a causa materiali negationem causæ materialis: ergo si hæc perfectionem non dicit, quia negatio est, nec independentia à causa efficienti perfectionem importabit. Ex quibus obiter colligo, Recentiores sic opinantes inefficaciter primam partem suæ assertionis probare, nempè, repugnare substantiam spiritualem titulo perfectionis non cognoscitiuam, quia solo isto titulo potest spiritualis substantia excedere materialem. Vt enim ex dictis constat, est alius titulus, nempè, elongationis à materia, & independentiæ ab illa, ex quo possit excessus iste consurgere.

Quarto.

162 Ex his etiam facile illorum fundamento occurritur, negando maiorem. Ad primam probationem, distinguo maiorem: immaterialitas mere negatiua, concedo maiorem: immaterialitas positiua, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Ad secundam, distinguo antecedens: formaliter, concedo antecedens: præsuppositiuè, nego antecedens, & consequentiam. Et istud in negatione dependentiæ a causa efficienti.

Ad fundamentum solutionis respondetur.

Ad 1. probationem maioris.

Ad 2.

163 Ad vltimam probationem dicatur; quod licet non possit dari species ita imperfecta, qua non sit dabilis alia imperfectior, est tamen dabile genus ita imperfectum, vt non possit dari genus imperfectius, sicut in ordine perfectionis contingit; non enim est dabile genus perfectius substantia, nec accidente imperfectius: ex quo solum sequitur, non esse dabilem naturam materialem in specie imperfectam, vt illa alia imperfectior esse non possit, quod totum potest saluari, quin species imperfectior a linea materiæ extrahatur; non tamen quod possit in linea substantiæ dari genus, genere materiali imperfectius. Et quidem eodem argumento probarent, substantiam ex communi conceptu substantiæ non esse perfectiorem accidente, in hunc modum arguendo; non est dabilis natura, qua imperfectior alia non sit possibilis: ergo est possibile ens imperfectius, accidente; sed hoc necessario est substantia: ergo substantia ex communi conceptu non est supra accidens.

Ad 3.

164 Tertio alij absolutè concedunt, possibilem substantiam spiritualem non intellectiuam, ita Ochamus *in 1. dist. 35. quæst. 1.* Gabriel, & Balolus *in eadem dist.* quos plures Recentiores Societatis sequuntur, nec improbabilem censuit Bañez *in præsenti quæst. 10. art. 2.* ex quibus Antiquiores citati rationem Diui Thomæ deserunt, impugnant, que ex illius substantiæ possibilitate. Alij autem vt efficacem defendunt, asserentes, non procedere ex communi ratione substantiæ spiritualis, sed ex peculiari talis immaterialitatis.

Tertio respōdent alij.

165 Quod autem non repugnet de potentia absoluta substantia spiritualis non intellectiua, probant primo; nam potest intelligi ratio substantiæ spiritualis absque vlla connexione cum vi radicali intellectiua: ergo non implicat absque illa. Antecedens probant primo; nam ratio spiritua-

Non repugnare substantiam spiritualem non intellectiuam, probant 1.

Antecedens probatur 1. ſpiritualitatis ſolum dicit penetrabilitatem cum alia re à ſe omninò diuiſa; ſed penetrabilitas etiam vt coniuncta cum prædicato ſubſtantiæ non dicit vim intellectiuam radicalem: ergo ratio ſubſtantiæ ſpiritualis poteſt intelligi abſque vlla connexione cum vi radicali intellectiua. *Secundo.* Secundo; nam ſpiritualitas, vt abſtrahit à ſubſtantia, & accidenti; talem connexionem non dicit, ratio etiam ſubſtantiæ abſtrahens ab ſpirituali, & corporali, connexione cum vi intellectiua non gaudet; in coniunctione autem vtriuſque ex his prædicatis, nulla apparet ratio talem connexionem ſuadens: ergo ſubſtantia ſpiritualis non habet connexionem cum ratione intellectiui. *Secundum motiuũ.* Deinde, & præcipuè mouentur; non enim eſt aſſignabilis vlla ratio implicationis in ſubſtantia ſpirituali non intellectiua, quod probant oppoſita argumenta ſoluendo: ergo talis ſubſtantia non implicat.

166 *Rejicitur 1. fundamentũ resp.* Sed primum fundamentum non vrget, cuius antecedens negatur. *Ad 1. antecedentis probationem.* Ad primam probationem, nego antecedens: ſubſtantia enim corporea ſeparata à quantitate penetrabilis manet, & tamen ſpiritualis non eſt. Si dicatur, eſſe impenetrabilem radicaliter; ſpiritualis autem ſubſtantia etiam radicaliter impenetrabilis eſt. Reſpondetur eſſe impenetrabilem radicaliter, quia eſt radix quantitatis dantis impenetrabilitatem formalem; & conſequenter ſubſtantia ſpiritualis impenetrabilitate radicali carebit, quia repugnat quantitati, & materiæ, quæ quantitatis eſt radix; eo autem ipſo quod repugnet materiæ vt ſic, repugnat principio impedienti cognitionem, & cum cognitione connectitur, vt docent Noſtri Thomiſtæ.

167 *Ad ſecundam.* Secunda antecedentis probatio generaliſſima eſt, & pluribus exemplis inſtatur; & quidem, *non repugnat ens completum non operatiuum*, vt conſtat in pluribus accidentibus completis, quæ operatiua non ſunt, *nec repugnat ſubſtantia non operatiua*, vt conſtat in materia prima: *ergo non repugnat ſubſtantia completa non operatiua*. Conſequentia nulla eſt; talis enim ſubſtantia in communi ſententia repugnat. Similiter iſta conſequentia non valet: *Non repugnat ſupernaturale non intellectiuum, nec repugnat ſubſtantia non intellectiua: ergo non repugnat ſubſtantia ſupernaturalis non intellectiua.* Antecedens enim eſt verum; conſequens autem falſiſſimum; nemo enim etiam ex admittentibus poſſibilitatem ſubſtantiæ ſupernaturalis hucuſque ſomniauit poſſibilem ſubſtantiam ſupernaturalem non intellectiuam: non ergo valet Recentiorum conſequentia, ſingulis ex illis prædicatis non conuenit connexio cum vi intellectiua: ergo coniuncto ex illis non conuenit: ratio autem cur coniuncto ex ſubſtantia, & ſpiritualitate competat connexio cum vi radicaliter intellectiua ex dicendis conſtabit, & ſimul ſecundi fundamenti ſolutio.

168 *Vera argumenti ſolutio.* Quarta ſolutio concedit argumenti ſequelam, & negat minorem: implicat enim ſubſtantia ſpiritualis incapax intelligendi. Ita frequenter Diſcipuli Diui Thomæ, vno, vel altero excepto, illis in hac parte adhæſere grauiores ex PP. Societatis, Noſque eidem ſolutioni libenter acquieſcimus. Tùm, quia frequentior eſt apud Theologos, & Metaphyſicos. Tùm etiam, quia principijs Diui Thomæ conformior. *Probant aliqui 1.* Ratio autem implicationis non vno modo aſſignatur. Nonnulli ſic arguunt: implicat ſubſtantia ſpiritualis non intelligibilis: ergo implicat ſubſtantia ſpiritualis non intellectiua. *Illorũ ratio ineſſicax eſt.* Patet conſequentia; quia immaterialitas eſt ratio actiuæ, & paſſiuæ intelligibilitatis. Hæc tamen ratio, niſi aliunde iuvetur, non ſufficit, inſtatur enim in ſimili; hæc namque conſequentia non valet; *implicat entitas ſpiritualis non intelligibilis: ergo implicat entitas ſpiritualis non intellectiua:* cum antecedens ſit verum, & conſequens falſum, vt conſtat in voluntate, & volitione, quæ ſpirituales, & intelligibiles ſunt, non tamen intellectiuæ. Et ratio diſcriminis eſt; nam licet vtraque immaterialitatem ſequatur, non tamen vtraque ad eandem immaterialitatis perfectionem conſequitur.

169 *Secundo, arguunt alij.* Secundo arguunt alij; implicat ſubſtantia materialis intellectiua: ergo implicat ſubſtantia immaterialis, quæ intellectiua non ſit; ſi namque affirmatio materialitatis tollit vim intellectiuam; negatio materialitatis, illam neceſſario infert. *Ratio iſta nõ vrget.* Sed nec iſta ratio ex terminis bona eſt, nec efficax eſſe poteſt, niſi aliunde roboretur: patitur enim manifeſtam inſtantiam; nam iſta conſequentia non valet; *implicat actio materialis, quæ ſit intellectio: ergo implicat actio immaterialis, quæ intellectio non ſit*: & vtriuſque ratio eſt; nam materia repugnat intellectioni, vnde illam eſſentialiter includens, & materiale adæquatè, nequit eſſe principium intellectionis; non tamen ex inde infertur, materiam eſſentialiter excludens, capax eſſe intellectionis, niſi probetur non poſſe aliunde impediri.

Ratio implicationis frequentior apud Thomiſtas eſt, 170 *Prima ratio implicationis.*
implicat namque ſubſtantia ſpiritualis, quæ capax non ſit recipiendi in ſe formas aliarum rerum proprias; ſed per hanc capacitatem cognoſcentia à non cognoſcentibus differunt: ergo implicat ſubſtantia ſpiritualis non cognoſcitiua; cumque nequeat eſſe cognoſcitiua cognitione ſenſitiua, neceſſario erit cognoſcitiua perfectè, ac per conſequens intellectiua. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur; capacitas recipiendi formas aliarum rerum proprias, prouenit ex illuminatione, vel in illa conſiſtit; ſed implicat ſubſtantia ſpiritualis hac illimitatione non gaudens: ergo implicat ſubſtantia ſpiritualis non prædita prædicta capacitate. Probatur minor, implicat ſubſtantia ſpiritualis non excludens materiam; ſed materia eſt principium limitationis, & coarctationis formæ: ergo implicat ſubſtantia ſpiritualis non excludens principium limitationis, & coarctationis impedientis prædictam capacitatem; & conſequenter implicat ſubſtantia ſpiritualis prædicta illimitatione non gaudens.

Dices; materiam quidem eſſe principium limitationis, 171 *Reſpondebis.*
& coarctationis intelligibilis, non tamen eſſe adæquatum prædictæ coarctationis principium, ſed poſſe aliunde prouenire. *Contra 1.* Sed contra primo; nam Diuus Thomas *in præſenti art. 1.* ex eo quod materia eſt limitationis, & coarctationis principium infert immaterialitatem, quia excludit materiam, eſſe principium illimitationis intelligibilis; ſed ſi materia, vel materialitas non eſſet adæquatum limitationis principium, conſequentia Diui Thomæ eſſet nulla: ergo juxta Diuum Thomam, materia eſt principium adæquatum limitationis intelligibilis, & incapacitatis ad recipiendum formas aliarum rerum proprias. *Secundo.* Secundo; quia materia ſecluſa, non videtur aſſignabile principium ex quo iſta limitatio proueniat in natura ſubſtantiali. *Tertio.* Tertio ab inductione conſtat; videmus namque in omni ſubſtantia, in qua excluſio materiæ inuenitur, reperiri prædictam illimitationem, & è contra in omni forma totaliter materiali, hoc eſt immerſa materiæ, limitatio reperitur: ergo materia eſt adæquatum principium limitationis intelligibilis.

Denique; quia namque Deus eſt eſſentialiter bonus, 172 *Quarto.*
& ex acceſſu ad ipſum conſurgit bonitatis incrementum, & ex receſſu ab illo bonitatis diminutio, colligimus, Deum eſſe adæquatum bonitatis principium; ſed materia eſſentialiter eſt limitata limitatione intelligibili, & quo forma aliqua magis ad materiam accedit, eo creſcit limitatio illa, & quo magis à materia recedit, vel exceſſu perfectionis, vel exceſſu independentiæ, eo magis limitatio minuitur, & illimitatio creſcit, vt conſtat ex diſcurſu Diui Thomæ *in corpore præſentis articuli*: ergo materia eſt adæquatum principium limitationis intelligibilis in natura ſubſtantiali; & conſequenter eo ipſo, quod ſubſtantia excludat materiam, excludit limitationem, & eſt capax recipiendi formas aliarum rerum proprias, perquam capacitatem cognoſcentia à non cognoſcentibus differunt.

Secunda ratio repugnantiæ, qua etiam vtuntur fre- 173 *Secunda ratio.*
quenter Diſcipuli Diui Thomæ, in hunc modum formatur; implicat ſubſtantia ſpiritualis non viuens; ſed vita ſubſtantiæ ſpiritualis neceſſario eſt intellectiua; cum vegetatiua, aut ſenſitiua eſſe nequeat; vt omnibus eſt manifeſtum: ergo implicat ſubſtantia ſpiritualis non viuens vita intellectiua; & conſequenter implicat ſubſtantia ſpiritualis incapax intellectionis. Minor cum conſequentia tenet. Maior autem probatur; implicat ſubſtantia ſpiritualis quæ non ſit perfectior omni ſubſtantia materiali, etiam viuente; ſed ſubſtantia ſpiritualis non viuens, non poſſet eſſe perfectior ſubſtantia materiali viuente: ergo implicat ſubſtantia ſpiritualis non viuens.

Reſpondent contrarij Auctores, negando maiorem. Ad 174 *Reſpõdẽt contrarij.*
probationem, diſtinguunt maiorem: collatione facta generis ad genus, concedunt maiorem: inter differentias generum contractiuas, negant maiorem: & ſub eadem diſtinctione minoris, negant conſequentiam. Nam licet genus ſubſtantiæ ſpiritualis perfectior ſit genere ſubſtantiæ materialis, & conſequenter quæcumque ſpiritualis ſubſtantia, ſit perfectior qualibet materiali, facta comparatione inter genera, poteſt tamen genus ſubſtantiæ materialis contrahi per differentiam excedentem differentiæ contractiuam ſubſtantiæ ſpiritualis, & in tali caſu ſubſtantia materialis ſuperabit ſubſtantiam illam ſpiritualem, collatione facta inter differentias contractiuas, quamuis genericè ab illa excedatur; ſicut actus charitatis inferior

genericè actu fidei, illum specificè superat, & substantia naturalis inferior genericè accidente supernaturali, illud excedit secundum differentiam substantiæ, & ita contingeret in substantia spirituali non viuente; esset enim perfectior genericè substantia materiali viuente, esset tamen specificè inferior; & consequenter ex superioritate substantiæ spiritualis ad omnem materialem substantiam, non sequitur implicare substantiam spiritualem non viuentem.

175 *Contra.* Sed contra: differentiæ contractiuæ substantiæ spiritualis inspectæ in ordine ad esse, necessario excedunt differentias contractiuas substantiæ materialis; sed ratio operatiui sequitur ad conceptum essendi, proportionatur cum illo: ergo necessario superant differentias contrahentes substantiam materialem sub omni consideratione: & consequenter implicat substantia spiritualis non excedens omnem substantiam materialem in consideratione specifica. Illatio est legitima. Minor constat: nam in qualibet natura prior est consideratio in ordine ad existentiam, & posterior in ordine ad operationem, & conceptus iste secundus conuenit ratione primi, & cum illo proportionatur; vnumquodque enim operatur secundum quod est in actu. Maior autem probatur; quo enim aliquid est independentius in esse, eo perfectius est in ordine ad existentiam; sed quævis differentia contractiua substantiæ spiritualis est a materia independens, à qua necessario dependet omnis differentia contrahens materialem substantiam: ergo quævis differentia substantiæ spiritualis inspecta in ordine ad esse, est simpliciter perfectior omni differentia materiali.

176 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & vrgetur primo; quo aliquod ens creatum magis enti primo assimilatur, eo est perfectius absolutè: sed differentia spiritualis magis accedit ad Deum, magisque illi assimilatur, quam differentia materialis: ergo est absolutè perfectior. *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo; nam quod in aliquo excedit, est absolutè perfectius, nisi aliunde resartiatur excessus: sed differentia contrahens substantiam spiritualem, in aliquo excedit omnem differentiam contrahentem substantiam materialem, & aliàs non est vnde iste excessus resartiatur inspectis his differentijs penès ordinem ad esse: ergo est perfectior simpliciter. *Confirmatur 3.* Confirmatur, & vrgetur vltimo, admissa possibilitate substantiæ supernaturalis, omnis differentia, quæ sub illa contineretur, excederet absolutè, & simpliciter, omnem differentiam contentam sub genere substantiæ materialis: ergo pariter omnis differentia contenta sub genere substantiæ spiritualis, necessario excedit simpliciter omnem differentiam contentam sub genere substantiæ materialis.

177 *Tertia implicationis ratio.* Et ex his possumus tertio implicationem ostendere; esto admittatur possibilis supernaturalis substantia creata, implicat tamen substantia supernaturalis non intellectiua supernaturali intellectione: ergo implicat etiam substantia spiritualis naturalis non intellectiua naturali intellectione. Antecedens, nemo, quem viderim, negat. *Consequentia probatur 1.* Consequentia autem probo primo; non enim implicat accidens supernaturale non intellectiuum: & tamen implicat substantia supernaturalis non intellectiua: ergo dispar ratio quoad hoc intercedit inter accidens, & substantiam; & consequenter quamuis detur accidens spirituale non intellectiuum, repugnabit substantia spiritualis, quæ intellectiua non sit.

178 *Secundo probatur.* Secundo; quod enim implicet substantia supernaturalis non intellectiua, non prouenit ex conceptu supernaturalis, nec ex conceptu substantiæ; & tamen prouenit ex coniunctione vtriusque prædicati: ergo pariter, quamuis non implicet substantia spiritualis ex prædicato spiritualitatis, nec ex prædicato substantiæ, implicabit ex coniunctione vtriusque. *Tertio.* Tertio; nam quod implicet substantia supernaturalis non intellectiua, non prouenit ex conceptu supernaturalitatis; si namque materialis esset, quamuis esset supernaturalis, non foret intellectiua: ergo repugnabit etiam substantia spiritualis naturalis non intellectiua, naturali intellectione. *Quarto.* Denique eadem consequentia probatur; non enim est magis proportionata substantia supernaturalis cum intellectione supernaturali, quam substantia spiritualis naturalis cum intellectione naturali: ergo si implicat substantia supernaturalis non intellectiua supernaturaliter, implicat etiam substantia spiritualis naturalis ordinis non intellectiua naturaliter.

§. IX.

Difficilis obiectio diluitur.

SED contra hanc solutionem obstat argumentum difficile: non implicat substantia spiritualis non operatiua operatione spirituali: ergo nec implicat substantia spiritualis, quæ intellectiua non sit. Consequentia est euidens. Antecedens autem probatur; non operatiua materiali operatione: ergo nec implicat substantia spiritualis non operatiua operatione spirituali. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens autem probatur; nam de facto Cœlum Empyreum operatiuum non est, vt docet Diuus Thomas *in 2. dist. 2. q. 2. art. 3.* 179 *Argumentum difficile.*

Huic argumento responderi solet primo, verum esse antecedens de substantia non operatiua proximè; potest enim Deus substantiam producere absque potentijs proximè operatiuis, vel decernere cum substantia, etiam potentijs perfecta, nunquam concurrere ad eius operationes: falsum autem de substantia non operatiua radicaliter; hæc enim omnino implicat, & in hoc sensu accipiunt doctrinam ex Diuo Thoma allegatam, vt negauerit Cœlo Empyreo operationem, & potentiam ad operandum proximè expeditam; non autem, quod sit radicaliter operatiuum. Ex quo solum sequitur, non implicare substantiam spiritualem, quæ nunquam intelligat, vel suspenso potentiarum effluxu, vel negato à Deo concursu; non autem, quæ non sit radicaliter operatiua. 180 *Prima solutio.*

Quam solutionem reijcit Magister Cornejo: sequitur namque ex illa Cœlum Empyreum esse perpetuo violentum; consequens est falsum: ergo & quod Cœlum Empyreum sit radicaliter operatiuum. Probatur sequela; careret perpetuo operatione connaturali, & debita, vtpotè ad quam esset in potentia radicali, imo & proxima; non enim est asserendum carere potentijs proximè operatiuis supposito, quod sit operatiuum radicaliter. Tùm, quia hoc est miraculum, & supra naturam, quod sine maximo fundamento adstruendum non est. Tùm etiam; quia omnia Deus creauit perfecta; carere autem proprietatibus debitis, maxima imperfectio est; sed naturæ potenti in operationem sibi connaturalem, violenter negatur semper actualis operatio: ergo Cœlum Empyreum esset perpetuo violentum. *Confirmatur.* Quod amplius confirmare possumus; quod enim causa naturalis numquam in propriam operationem prorrumpat, miraculosum est; sed si Cœlum Empyreum habeat vim radicaliter operatiuam, est causa naturalis illius: ergo semper illa carere, miraculosum erit, quod sine fundamento affirmabitur. 181

Secundo responderi solet, Diuum Thomam sententiam illam expresse retractasse *1. p. q. 66. art. 3. ad 2. & quodlib. 6. art. 19.* vbi docet, proprium esse Cœlo Empyreo, in quantum est supremum inter omnia corpora, influere sine motu, licet oppositum sibi aliquando placuerit, quod nempè, Cœlum Empyreum careat omni operatione. Sed contra hanc solutionem obijcit etiam Cornejo; nam licet verum sit, D. Thom. mutasse sententiam *nuper* allegatis, ibi tamen sententiam illam fatetur probabilem, etsi in oppositam, vt probabiliorem inclinet: ergo probabile est, posse dari substantiam completam materialem incapacem materialis, & corporeæ operationis; & consequenter sit ex illa ad substantiam spiritualem non intellectiuam efficaciter arguitur, probabile erit iuxta mentem Diui Thomæ, quod prædicta substantia non implicet, & restabit soluere argumentum, quomodo, rectè ex immaterialitate vis cognoscitiua inferatur. 182 *Secundò alij respondent.* *Contra illam opponit M. Cornej.*

Vnde his omissis solutionibus, aliter ipse respondet, concesso antecedenti: negando consequentiam, & rationem discriminis reddit; cum enim Cœlum Empyreum viuens non sit, sed solum intra gradum essendi contineatur, non petit necessario ab intrinseco, nisi illa sine quibus non potest gradus essendi saluari: substantia autem spiritualis est intra gradum vitæ, qui sine operatione possibili nequit saluari. *Reijcitur primo.* Hæc tamen solutio non placet, & reijcitur primo: supponit enim quod probare opus erat, nempè, substantiam immaterialem intra gradum vitæ necessario contineri, cuius oppositum argumentum contendit, probando paritate facta, non repugnare substantiam immaterialem, quæ operatiua non sit; & consequenter, quæ intra gradum vitæ non contineatur. *Secundo.* Secundo; nam dato non repugnare formam substantialem incapacem totius operationis, vnde poterit Magister iste proba- 183 *Tertio respondet Cornej.*

rere-

re repugnatiam formæ spiritualis incapacis, operationis vitalis?

184 *Tertio.* Denique; nam inde probat implicare substantiam immaterialem non viuentem, quia debet necessario excedere in perfectione omnem materialem substantiam, & cum dentur substantiæ corporeæ viuentes, illa debet esse viuens; aliàs nequibit esse perfectior substantia corporea viuente; sed admisso Cœlum Empyreum operatiuum non esse; hæc ratio nullius est efficaciæ: ergo illo admisso, non restat vnde probetur substantiam immaterialem necessario esse viuentem; & consequenter disparitas non subsistit. Probo minorem, admisso Cœlum Empyreum esse incapacem cuiusvis operationis, debet necessario admitti substantiam non operatiuam esse perfectiorem simpliciter substantijs operatiuis; sed hoc dato poterit substantia non viuens esse perfectior simpliciter substantia viuente: ergo illa opinione admissa, non probatur ex excessu substantiæ spiritualis supra substantiam viuentem, debere substantiam spiritualem pertinere ad gradum vitæ.

185 *Cœlum Empyreū est omniū corporum perfectissimum.* Consequentia bona est. Maior constat; nam Cœlum Empyreum est inter corpora perfectissimum, vt docet Diuus Thomas locis *nuper* allegatis, etiam vbi negat, quod operatiuum sit, tenentque omnes Philosophi, & constat ex ordine elementorum, & Cœlorum; quo enim aliquod elementum est maius, & superius, eo perfectius est, vnde terra, quæ est infimum situatione, etiam est infimum in perfectione, aqua superior, & perfectior terra, aer, aqua, & ignis supremum inter elementa locum occupans, est alijs elementis perfectior, qui ordo etiam inter corpora cœlestia seruatur; Cœlum autem Empyreum, est inter Cœlos supremum; & consequenter perfectius; & tamen alij Cœli sunt operatiui: ergo dato Cœlum Empyreum operatiuum non esse, necessario est asserendum, substantiam incapacem operationis, esse perfectiorem simpliciter substantijs operatiuis. Minor etiam probatur; nam sicut viuere, est perfectius, quam non viuere: ita esse operatiuum perfectius quid est, quam vi operatiua carere: ergo si hoc non obstante admittitur substantia incapax operationis perfectior substantia operatiua, necessario debet admitti, posse substantiam incapacem operationis vitalis, esse perfectiorem simpliciter substantia capaci vitæ.

186 *Confirmatur 1.* Et augetur difficultas; sicut enim ad esse in actu spirituali, sequitur spiritualis operatio; ita operatio vt sic, & ex communi conceptu sequitur ad esse in actu, vt constat ex vulgari ex[i]mate ab omnibus acceptato; *vnumquodque operatur secundum quod est in actu*: ergo si hoc non obstante admittitur materialis substantia constituta in actu per suam formam substantialem, cui actualis operatio repugnat, debet etiam necessario admitti possibilis substantia spiritualis constituta in actu per formam spiritualem, cui repugnet spiritualis operatio.

187 *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo; non minus rectè probatur esse operatiuum vt sic ex esse ens in actu, quam esse operatiuum spiritualiter, vel intellectiuum, ex esse in actu per formam spiritualem, vnde Diuus Thomas *infra quæstione 25. articulo primo*, probat in Deo esse potentiam actiuam, quia vnumquodque secundum quod est in actu, est principium actiuum alicuius, & ex eodem principio probat *articulo secundo*, Dei potentiam esse infinitam, quia eius esse, est infinitum: ergo si vt rectè probetur operatiuum spiritualiter, aut intellectiuum ex actualitate formæ immaterialis substantialis est necessarium asserere repugnantiam substantiæ spiritualis non intellectiuæ, vt rectè deducatur ex esse in actu substantiali vis operatiua, vt sic, debet consequenter asseri repugnare substantiam constitutam in actu, cui actualis operatio repugnet, vel è contra, sicut cum non repugnantia huiuscemodi substantiæ compatitur efficacia rationis, qua probatur operatiuum ex esse in actu; cum non repugnantia substantiæ spiritualis non intellectiuæ, stare poterit efficacia rationis Diui Thomæ, qua probat vim intellectiuam ex immaterialitate formæ substantialis, vel ex esse in actu per formam substantialem immaterialem.

188 *Prima solutio posita n. 180. defenditur. S. Tho.* Quare standum est primæ solutioni, quod nempè, Diuus Thomas non negabit Cœlo Empyreo vim operatiuam proximam, vel radicalem, sed tantum actualem influxum. Quod autem ita sit, constat clare ex eodem Diuo Thoma *art. 3. in argumento relato in solutione ad 2.* illis verbis: *Ad secundum dicendum, quod lux Cœli Empirei non est per modum fulgoris irradiantis in alia corpora; & ideò nec etiam illuminationem in alia corpora influit, cuius ratio est; quia cum sit virtuosissimum, & maximum, sine lumine Solis omnia illuminaret.*

Sentit ergo Diuus Thomas, Cœlum Empyreum de se esse virtuosissimum, non tamen de facto influere, quia corpus sine motu non influit, cuius oppositum docuit postea locis vbi *supra* relatis, ex eo quod est supremum inter omnia corpora, & quia supremum infimi attingit infimum supremi, ideò sine motu influit in hæc inferiora quietem, & perpetuitatem. Nec sequitur, fore perpetuo violentum, si habens vim operatiuam proximam, & radicalem, nunquam operaretur de facto; *Impugnationi ibi positæ respond.* nam quod agens naturale non applicatum non agat, non infert in ipso violentiam: applicatio autem agentis corporei ad agendum sine motu esse non potest, *vt ibi* Diuus Thomas censebat; vnde cum hoc Cœlum non moueatur, sed sit in perpetua quiete: fit, vt nunquam operari, non inferret violentiam in ipso.

Si dicas; agenti naturali proximè potenti ad agendum, debetur aliquando applicatio, vt in suam exeat operationem: ergo si Cœlum Empyreum haberet vim actiuam proximam, & radicalem, deberetur illi applicatio; & consequenter, si illa in perpetuum careret, esset perpetuo violentum. Respondeo, verum esse antecedens; quando operatio illi propter se debetur; cum autem non illi propter se quæritur, sed propter alium finem, huiusmodi fine cessante, non debetur applicatio, & quia operationes Cœlorum non quæruntur propter ipsos, sed in ministerium hominum, & vt inferiora corpora conseruentur, & ad hunc finem operatio Cœli Empyrei non fuerit necessaria, in opinione quam Diuus Thomas tenebat: fit, vt illi non fuerit debita applicatio ad operandum, etsi habeat vim operatiuam proximam, & radicalem. 189 *Replicabis.* *Respond.*

Si instes: ergo frustra esset Cœlum Empyreum creatum. Patet consequentia; nam substantia est propter operationem: ergo si operatio ad quam est in Cœlo Empyreo capacitas, necessaria non est, frustra erit substantia Cœli Empyrei creata. Respondeo, negando consequentiam. Vt enim docet D. Thomas *in 4. dist. 48. q. 2. art. 2.* iudicium de corporibus cœlestibus sumi debet secundum ministerium hominum, propter quo principaliter fuerunt creata: quo circa vt ibidem docet, non frustra perseuerant cæteri orbes inferiores, quamuis maneant sine motu, quia per alium modum in ministerium hominis glorificati cedunt. Cum ergo Cœlum Empyreum cedat in beatorum ministerium, vt sedes perptua illorum, fit, vt quamuis influxum in inferiora corpora non præstaret, non frustra creatum esset. 190 *Instabis.*

Sed vrgebis adhuc; saltim enim sequitur frustra fore illi collatam potentiam operatiuam; consequens non admittemus: ergo solutio tradita non subsistit. Probatur sequela; frustra est potentia, quæ numquam ad actum reducitur, quo circa, vt docet D. Thom. 3. *p. q. 9. art. 1.* frustra haberet Christus animam intellectiuam, si non intelligeret secundum illam, quia anima est propter intellectionem. Et vt docet *art. 4.* frustra in anima Christi esset intellectus agens, nisi in illo constituatur scientia ex suo genere acquisita, quia propria operatione careret, ad quam vt ad finem ordinatur; quæ doctrina, etsi de indiuiduis loquendo, possit dubitationem habere; loquendo tamen de speciebus, est indubitanter vera, quod nempè, frustranea censeatur potentia, quæ in specie, cuius est potentia, numquam ad actum reducitur; sed Cœlum Empyreum specie ab alijs Cœlis distinguitur: ergo si potentia illius operatiua nunquam reduceretur ad actum, frustra esset illi concessa. 191 *Vrgebis.*

Respondeo, negando sequelam. Ad illius probationem explico maiorem: si superior finis ad quem conducat, non extet, concedo maiorem: si alium superiorem finem conducat, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam licet potentia illa operatiua nunquam reduceretur ad actum, qui est finis illius proximus; alius tamen superior finis extabat, ob quem fuit Cœlum Empyreum creatum, nempè, homini glorificato inseruire, & ideò non fuisset frustra. 192 *Respond.*

Quæ doctrina est expressa Diui Thomæ *in 4. dist. 48. q. 2. art. 2. ad 3.* quod ita procedebat: *Substantia corporum cœlestium semper erit; sed frustra est ponere aliquid, nisi ponatur illud, propter quod est factum: corpora autem cœlestia ad hoc sunt facta, vt diuidant diem, & noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, & Genesis 1. quod non possunt facere, nisi per motum: ergo motus eorum semper manebit: aliàs frustra illa corpora remanerent.* Cui argumento ita respondet. *Ad tertium dicendum, quod finis, qui ibi assignatur corporibus cœlestibus, est finis proximus, quia est proprius eorum actus, sed iste actus vlterius ordinatur ad alium finem, scilicet, ad ministerium* 193 *Ex D. T. Confirmatur solutionis doctrina.*

rium humanum, vt patet per illud, quod habetur Deuteronomij 4. Ne fortè oculis eleuatis ad cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra Cœli, & errore deceptus adores ea, quæ fecit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis Gentibus, quæ sub cœlo sunt; & ideò magis debet iudicium sumi de corporibus cœlestibus secundum ministerium hominum, quam secundum finem in genere assignatum; corpora autem cœlestia per alium modum in ministerium hominis glorificati cedunt, sicut prius dictum est; & ideò non sequitur, quod frustra remaneant.

194 Sicuti ergo Cœli cum suis potentijs non frustra remanent, quamuis non remaneat motus; & consequenter nec proprius illorum actus, quia cedunt per alium modum in ministerium hominis glorificati, ob quem finem fuerunt facti; ita Cœlum Empyreum cum potentia operatiua non fuisset frustra creatum, quia licet talis potentia non reduceretur ad actum, per alium tamen modum homini glorificato inseruiret, ob quem finem fuit principaliter factum.

195 *Instabis adhuc.* Dices; finis quem restare dicimus, est vt sit sedes beatorum; sed ad istum finem potentia non conducit: ergo potentia ista nullum assequitur finem; & consequenter est frustra. Respondeo, distinguendo minorem: potentia ratione sui, concedo minorem: ratione substantiæ Cœli ad quam necessario consequitur, nego minorem, & consequentiam. Nam licet ad locandum beatorum corpora, non conducat potentia ista operatiua, quia tamen substantia Cœli conducit, & ad illam potentia operatiua consequitur necessario, & sine tali potentia esset substantia Cœli imperfecta: fit, vt potentia conducat ad perficiendam, & complendam substantiam ipsius Cœli: ac proinde quod ratione substantiæ, quam complet ad prædictum finem conducat. *Respond.*

196 *Vrgebis.* Sed vrgebis: nam sequitur ex hac solutione non fore frustra in anima Christi Domini intellectum agentem, quamuis proprio actu in perpetuum priuaretur; consequens est contra Diuum Thomam 3. *p. quæst. 9. art. 4.* ergo & tradita solutio. Probatur sequela: esset in anima Christi in ornamentum, & complementum illius: ergo non fuisset frustraneus, quamuis proprio actu careret.

197 *Respond.* Respondeo, negando sequelam. Ad probationem dicatur; cum finis potentiæ proximus non incomponitur cum fine superiori, ob quem substantia creatur, frustraneam esse potentiam, si fine proximo careat: secus autem, quando finis proximus cum fine superiori incomponitur: finis autem proximus intellectus agentis, qui est illustratio phantasmatum, non componitur cum fine illo superiori, ob quem fuit anima Christi creata, nempè, vt vniretur Verbo; & ideò frustra esset intellectus agens in anima Christi Domini, si fine illo proximo, in perpetuum priuaretur: secus in nostro casu opposita de causa contingit: nam finis ob quem fuit Cœlum Empyreum creatum, est, vt homini glorificato tanquam sedes deseruiret, ad quod necessarium erat, vt quiesceret, & motu careret, & quia sine motu non poterat in inferiora influere: fit, vt influxus iste, qui erat finis proximus potentiæ operatiuæ, cum fine alio superiori incompatibilitatem haberet: ac proinde, quod superiori fine assecuto, non esset frustra potentia, quamuis propria operatione priuata.

§. Vltimus.

Infertur vnum corollarium ex dictis.

198 *Corollarium.* Ex dictis in discursu Disputationis colligo, falsam esse cuiusdam Recentioris sententiam, qui vt rationem Diui Thomæ efficacem, & demonstratiuam esse defendat post reiectos varios modos illam explicandi, censuit non aliter posse illius efficaciam defendi, nisi immateriale in sensu Angelici Præceptoris idem sit, ac perfectum, materiale autem idem, quod essentialiter imperfectum, & recessus à materia, idem quod recessus ab imperfectione: & cum docet, coarctationem formæ esse per materiam, illimitationem autem ex immaterialitate prouenire, sensus sit, limitatio creaturæ ex imperfectione prouenit: illimitatio autem ex perfectione; & cum dicit, *immaterialitas alicuius rei est ratio, vt cognoscitiua sit*; sensus fiat, alicuius rei perfectio est ratio actiuæ cognoscibilitatis. Sic autem terminis Diui Thomæ explicatis rectè, & demonstratiuè ex Dei immaterialitate illius intellectualitatem demonstrat; nam ex summa Dei perfectione efficaciter probatur illius intellectualitas; at summa immaterialitas à D. Tho. pro summa perfectione vsurpatur: ergo ex immaterialitate diuina, prout à D. Thoma accipitur, rectè demonstratur diuina intellectualitas. Hæc in summa Recentioris sententia, quæ nec est ad mentem Diui Thomæ, nec vera.

199 *prima pars probatur 1.* Primum probo primo: nam perfectum, & immateriale non sunt termini synonomi idem re, & ratione significantes; cum plura sint; quibus conuenit esse perfecta, quæ non sunt immaterialia, nec distinctio ista potuit Diuum Thomam latere: ergo si melius probatur intellectiuum ex ratione perfecti, quam ex ratione immaterialis, defectuosè processit; & consequenter hac explicatione vtentes, non tam interpretantur, quam corrigunt Diuum Thomam. Secundo; nam Diuus Thomas probat ex immaterialitate cognoscitiuum in Deo, sumpta immaterialitate, prout specialiter inferente cognoscitiuum præ alijs, quæ sunt in Deo; sed ex ratione summè perfecti, æquè omnes Dei perfectiones probantur, valet enim benè: *Deus est summè perfectus: ergo sapiens: ergo volens: ergo misericors*; & sic de alijs perfectionibus, quæ in suo conceptu non dicunt imperfectionem: ergo non sumpsit immateriale, prout est idem, quod perfectum. *Secundo.*

200 *Tertio.* Tertio; nam Diuus Thomas *primo Contra Gentes cap. 44. art. 4.* probat, Deum esse intellectiuum, quia est immaterialis. Et *art. 5.* id probat, quia summè perfectus est: ac proinde nulla potest illi perfectio sine imperfectione deficere: sed si *immateriale summè*, sumeret pro *summè perfecto*, esset inanis, & frustranea repetitio: ergo non sumpsit immateriale prout est idem ac perfectum. Denique; nam *in corpore huius art.* docet ex Aristotele, plantas cognoscitiuas non esse propter suam materialitatem, hoc est, quia sunt materiales; sed plantæ sunt in suo genere perfectæ, vtpotè quibus nihil deest ex his, quæ ad illarum genus pertinent, qua ratione diffinitur perfectum: ergo immateriale non sumitur à Diuo Thoma prout est idem ac perfectum, nec materiale, prout idem ac imperfectum: ac per consequens præfati Recentiores sententia ad mentem Diui Thomæ non est. *Quarto.*

201 *Quoad 2. partem probatur primo.* Quod autem vera non sit, ostenditur primo ex dictis; nam licet summè perfectum inferat intellectiuum, sicut omnem perfectionem, quæ in suo conceptu imperfectionem non dicit: perfectum autem non infert cognoscitiuum: ergo immateriale sumptum prout est idem, ac perfectum, non est aptum medium ad probandam rationem cognoscitiui. Probo antecedens; plantæ, cui nihil deest ex debitis suæ speciei, conuenit ratio perfecti; & tamen cognoscitiua non est: ergo ratio perfectionis non infert cognoscitiuum. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; perfectum in aliquo genere, vel in aliqua specie illud dicitur, cui nihil deest ex illis, quæ pertinent ad illud genus, vel speciem, si genus perfectionem importet; sed viuens vegetatiuum est genus perfectionem importans, species etiam plantarum suas perfectiones dicunt: ergo planta, cui nihil illorum deest, est perfecta in suo genere.

202 *Dices.* Si dicas: perfectum, vt infert cognoscitiuum, non sumi in hac latitudine, sed vt dicit peculiarem perfectionem. In contrarium obstat; vt enim medium rectè probatiuum sit, debet explicari in illo id ratione cuius cum conclusione connectitur; sed in ratione perfecti non explicatur connexio cum ratione cognoscitiui: ergo ex hac ratione non rectè probatur cognoscitiuum. Deinde; nam illa peculiaris ratio, vel est ratio immaterialis, vel ratio cognoscitiui. Si primum, habemus intentum, quod nempè, non ex perfectione vt sic, sed ex tali perfectione scilicet, ex immaterialitate probatur cognoscitiuum. Si secundum, petitur in probatione principium; probatur enim cognoscitiuum ex tali perfectione, scilicet cognoscitiui, quod est idem per idem probare. *Contra 1.* *Secundo.*

203 *Secundo prob. corollarium, & Recentioris sententia reijcitur.* Secundo principaliter dicta sententia reijcitur; nam licet ex ratione summè perfecti, rectè inferatur in Deo esse summè cognoscitiuum, non tamen à priori probatur; sed ratio Diui Thomæ non est solum bona consequentia Logica, nec à posteriori procedit, sed à priori cognoscitiuum demonstrat, vt Recentior ille fatetur: ergo non procedit ex summè immateriali, sumpto pro summè perfecto. Probatur minor, quod aliquid sit perfectum, probatur ex eo quod illi competant omnia, quæ spectant ad proprium genus, vel speciem; sed prædicatum proprissimum, & constitutiuum Dei est summè cognoscitiuum: ergo Deum esse summè perfectum, probatur à priori, quia est summè cognoscitiuus; & consequenter ex ratione summè perfecti non probatur à priori ratio summè cognoscitiui. Minor cum consequentia tenet.

Maior

204 *Maior probatur primo.* Maior autem ostenditur primo; perfectum in aliquo genere est, cui nihil deest ex pertinentibus ad illud genus; sed diffinitum rectè, & à priori ex sua diffinitione probatur: ergo aliquid esse perfectum, probatur à priori, ex eo quod nihil desit, quod est idem, atque *Secundo.* probari ex eo quod omnia prædicata illi competant, quæ spectant ad tale genus. Secundo; Petrum esse perfectum in specie hominis, si ab aliquo negetur, nequit alio modo probari, nisi quia Petro conueniunt omnia

205 illa prædicata, quæ attinent ad speciem hominis.

Oppones. Si opponas; vt conclusio demonstretur, sufficit, quod præmissæ sint notiores, & rectè inferant conclusionem; sed illæ duæ præmissæ: *ens summè perfectum est summè intellectuale; Deus est ens summè perfectum*, sunt notiores hac propositione: *Deus est summè intellectualis*: ergo hæc *Resp. 1.* propositio, quæ est conclusio Diui Thomæ, rectè ex illis demonstratur. Respondeo primo, prætermissa maiori, negādo minorē. Nam esto demus notius esse, quod sit summè perfectus, quam quod sit intellectiuus, non tamen est notius ens summè perfectum, esse summè intellectiuum, quam Deum summè cognoscitiuum esse, quia licet nomine illo complexo *entis summè perfecti* exprimatur summa perfectio, quam non explicat, sed implicitè importat nomen *Deus*; quia ratio summæ perfectionis non est ratio summæ intellectualitatis, non sequitur notius esse ens summè perfectum, esse summè cognoscitiuum, quam Deum

206 esse summæ intellectiuum.

Resp. 2. Secundo respondeo, negando maiorem intellectam, vt debet intelligi, de demonstratione à priori; procedere namque ex veris, & notioribus quoad nos, etiam conuenit demonstrationi à posteriori: vnde vltra hæc requiritur pro demonstratione à priori, quod præmissæ sint causæ, vel saltim ratio formalis conclusionis, & quia esse perfectum, non est ratio cognoscitiui, imo natura, quæ ad genus cognoscitiuum spectat, à priori probatur, quod perfecta sit; quia cognoscitiua est: fit vt ex illis præmissis non probetur à priori cognoscitiuum in Deo; benè tamen ex immaterialitate summa, idest, ex summa eleuatione supra omnem conditionem materiæ.

207 *Instabis.* Sed opponunt Recentiores, immateriale prout à D. Th. sumitur, inuenitur in omni cognoscitiuo, & si summum sit, infert summè cognoscitiuum; sec immateriale per negationem materiæ, vel per incompositionem ex illa, vel per independentiam ab illa, non inuenitur in omni cognoscitiuo, nec si summum sit, infert summè cognoscitiuum: ergo non sumitur immateriale per exclusionem materiæ, sed prout idem est ac perfectum, in quo sensu in omni cognoscitiuo inuenitur, & si summum sit, infert summè cognoscitiuum. Maior cum consequentia tenet.

208 *Minor pro 1. parte prob.* Minor autem pro prima parte constat; nam bruta sunt cognoscitiua; & tamen sunt composita ex materia, & forma; & consequenter non excludunt materiam, & illorum formæ, vtpotè materiales à materia dependent: ergo immateriale sumptum pro excludente materiam, non *Pro 2. suadetur.* inuenitur in omni cognoscitiuo. Pro secunda parte probatur; nam Angelis conuenit omnimoda exclusio materiæ, omnimoda incompositio ex materia, omnimodaque independentia ab illa; & consequenter sunt immateriales summè, sumpto immateriali per exclusionem materiæ compositionis ex materia, & dependentiæ ab illa; & tamen non sunt summè cognoscitiui: ergo immateriale in summo per exclusiones prædictas, non infert summè cognoscitiuum.

209 *Confirmabis 1.* Quod amplius confirmant primo; nam immateriale prout à Diuo Thoma accipitur, incrementi capax est; sed sumptum per negationem materiæ, non est *Cōfirmabis 2.* capax incrementi: ergo non est, sic sumendum. Vrgent secundo; omnes Angeli adæquantur in negatione materiæ; sed sunt inæquales in immaterialitate, prout *Cōfirmabis 3.* à Diuo Thoma sumpta: ergo non sumitur per exclusionem materiæ. Confirmant, & vrgent tertio; nam vbicatio Angelica, & character Baptismalis sunt immateriales per exclusionem materiæ, & tamen cognoscitiua non sunt: ergo immateriale sumptum per exclusionem materiæ, non infert cognoscitiuum.

210 *Respondetur.* Hoc tamen argumentum non vrget; vt enim ex discursu Disputationis colligitur, immaterialiter, vt probat cognoscitiuum commune ad perfectum, & imperfectum, sumitur per eleuationem supra conditionem materiæ eleuari autem supra conditionem materiæ multipliciter contingit. Primo, supra conditionem materiæ, vt comprehendit formam, quæ eleuatio conuenit formis sensitiuis, vt explicatum relinquimus. Secundo, supra dependentiam à materia, quod conuenit animæ rationali. Tertio, supra materiam vt informabilem, quod conuenit spiritibus Angelicis, qui nec à materia dependent, nec illam informare possunt; sicut anima rationalis, non tamen totaliter eleuantur supra conditionem materiæ, hoc est, supra illius potentialitatem; nam Angeli sunt potentiones penès ordinem ad esse. Quarto, supra omnem conditionem materiæ, hoc est, supra immersionem, supra dependentiam, supra illius informationem, & supra omnem illius potentialitatem, quod solum reperitur in Deo; qui cum sit actus purus, est immaterialis omnibus prædictis modis; & consequenter, est supremè immaterialis, & ideò supremè cognoscitiuus.

Ex quibus ad argumentum, concessa maiori, nego minorem quantum ad vtranq; partem. Ad primam probationem habetur solutio ex dictis; nam licet bruta componantur ex materia prima, & formæ illorum à materia prima dependeant, non tamen comprehenduntur ab illa, vnde dicunt, negationem materiæ, non vt componentis totum, nec vt illorum formas causantis, sed illas adæquantis, & in se comprehendentis. Ad secundam probationem, distinguo primam partem maioris: omnimoda exclusio materiæ, vt causantis, & comparatis componentis, concedo maiorem: omnimoda exclusio materiæ quoad illius conditionem, nempè, potentialitatem, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam licet Angeli non componantur ex materia, nec componant eum materia nec à materia dependeant, cum illa tamen conueniunt in ratione potentialis; non enim sunt actus purus, sed potentialitatem includunt, quæ est materia metaphysica, & in illa cum materia conueniunt, vnde non excludunt omnem eius conditionem; & ideò in tertio gradu immaterialitatis continentur, non tamen attingunt quartum, scilicet eleuationis omnimodæ supra materiam soli Deo conuenientis. 211 *Ad arg. resp. in forma. Ad 1 probationem minoris. Ad secūdam.*

Et ex his ad primam confirmationem, concessa maiori, nego minorem. Nam licet negatio compositionis ex materia, non sit capax incrementi, negatio tamen conditionum materiæ, eleuatioque supra illam, suscipit magis, & minus, vt constat ex dictis. Ad secundam, distinguo maiorem: in negatione materiæ, vt comparatis, vel vt causæ, transeat maior: in negatione conditionum materiæ, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Cum enim inter Angelos non sit æqualitas in ratione actualitatis, nec etiam est æqualitas in negatione potentialitatis; & consequenter non adæquantur in negatione conditionum materiæ, nec in eleuatione supra talem conditionem. 212 *Ad 1. confirmationem. Ad secūdam.*

Ad tertiam confirmationem ex *superius* dictis constat; non enim quodlibet immateriale infert rationem cognoscitiui, sed immateriale substantiale. Et argumentum instatur in sententia Recentiorum; nam etiam vbicatio Angelica, & character Baptismalis sunt in suis lineis perfecta; & tamen cognoscitiua non sunt: ergo immateriale prout est idem, quod perfectum, non infert cognoscitiuum, cuius contrarium affirmant. 213 *Ad tertiā.*

Sed dices; iuxta traditam doctrinam idem est, esse immateriale in Angelis, quod esse actuale, vel esse in actu; sed esse actuale, idem est, quod esse perfectum: ergo idem est esse immateriale, quod esse perfectum; ac per consequens Diuus Thomas immateriale pro perfecto vsurpauit. Maior patet; nam immateriale Angelicum constituitur per exclusionem materiæ physicæ, vt compartis, & vt causæ; sed hæc exclusio illis conuenit, quia sunt formæ, & actus completi: ergo quia sunt actuales; & consequenter idem est esse immateriale in illis, quod esse actuales, vel actus. Minor autem probatur; nam vnumquodq; est perfectum in quantum est in actu: ergo esse in actu idem est, quod esse perfectum. 214 *Instabis.*

Respondeo primo, concessa maiori, distinguendo minorem: quod esse perfectum speciali perfectione repugnante, & excludente materiam, omitto minorem: perfectione generali sine tali repugnantia, nego minorem: & sub eadem distinctione primi, & secundi consequentis, concedo, & nego consequentiam. Nam ex his præmissis solum sequitur, D. Tho. vsurpasse immateriale pro perfecto speciali perfectione excludente, aut negante aliqua ratione materiam, quod inconueniens non est; non autem pro perfecto generali perfectione non explicata per negationem materiæ, quod Recentiores docebant. 215 *Resp. 1.*

Secun-

216 *Resp.2.* Secundo respondeo, concessa maiori de speciali actualitare, nempè, excludente materiam, negando minorem. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: idem est in re, concedo consequentiam: idem est re, & ratione, nego consequentiam. Nam cum esse perfectum probetur per esse in actu, non sunt idem re, & ratione, sed idem realiter cum distinctione rationis. Ex quo non sequitur D. Tho. immateriale pro perfecto vsurpasse, vt hoc nomine significatur. Et hæc de ista Disput. applicanda litteræ Mag. *in* 1. *dist.* 35. §.1. *M. Sent.*

DISPVTATIO XXIII.

An Dei cognitio sit cum proprietate scientia, & in ordine ad quæ obiecta rationem scientiæ sortiatur?

§ I.

Referuntur sententiæ, & prima conclusio statuitur.

Nu. 1. *Proponitur, & explicatur difficultas.* VIso iam esse in Deo scientiam sumptam pro cognitione certa, & euidenti absque vlla imperfectione, quod fidei, & lumini naturali congruere *Disp. praced.* monstrauimus; restat, vt examinemus, an huiusmodi cognitio, propriè scientifica sit, & respectu quorum obiectorum.

Prima sententia. Qua in re prima sententia negat, Deo conuenire scientiam pro-

Vazquez. priè. Hanc tenet Vazquez *tomo* 1. *in* 1. *p. disp.* 85. *cap.* 7. *num.* 48. *& supra disp.* 4. *cap.* 4. *num.* 9. accipiendo ly *propriè* contrapositiuè ad *communiter*; non autem contrapositiuè ad *metaphoricè*; fatetur enim in Deo scientiam absque metaphora reperiri: eo quod quævis notitia euidens, scientia absque metaphora dicitur; quia tamen scientia Dei non distinguitur ab intellectu principiorum, non est propriè scientia contrapositiuè ad *communiter*.

Secunda. Secunda sententia docet, cognitionem Dei rationem scientiæ cum omni proprietate sortiri: ita communiter Theologi cum Diuo Thoma in præsenti, & Scholastici cum Magistro *in* 1. *dist.* 35.

2 Tertia. Sed in ordine ad quæ obiecta Dei cognitio rationem scientiæ sortiatur, non est vna omnium sententia, quidam negant Deo scientiam in stricta acceptione per respectum ad se ipsum, & ad creaturarum essentias, &

Durand. ad res creatas, vt in singulari existentes. Ita Durandus *in* 1. *dist.* 35. *quæst.* 3. *num.* 15 *& quæst* 4. *num.* 6. vbi docet, Dei cognitionem in ordine ad omnia obiecta esse vnam secundum rem, non tamen secundum rationem, & diuersa nomina per respectum ad diuersa obiecta sortiri: in ordine ad prædicata diuina, & ad essentias creatas, vocatur simplex intelligentia; quatenus cognoscit Deum, vt est causa creaturarum, vocatur cognitio principiorum: prout attingit proprietates creaturarum in communi genericè, vel specificè, dicitur scientia: in quantum autem tendit in cognitionem singularium secundum illorum singularitatem, est quasi sensitiua, & experimentalis cognitio. Hanc sententiam quantum ad primam partem tenet Ferrara 1. *Contra Gentes cap.* 25. *proximè ad finem*, vbi negat, demonstrari posse de Deo propria attributa: ac proinde negare tenetur scientiam Deo in stricta acceptione respectu suorum attributorum.

3 *Prima Conclus.* Veram sententiam sequentibus assertionibus explico. Prima sit, Dei cognitio est propriè scientia contrapositiuè ad *metaphoricè*, & contrapositiuè ad *communiter*.

Durand. Ferrara. Bañez. Zumel. Nazar. Albeld. Salmant. Araujo. M. S. T. Hanc tenent frequenter Theologi, Durandus, & Ferrara *vbi supra*, Bañez, & Zumel *in præsenti art.* 1. Nazarius *controuersia* 2. Albelda *disp.* 34. *sect.* 1. Salmanticenses *tract.* 3. *disput.* 1. *dub.* 3. Illustrissimus Araujo *dub.* 2. Mag. Sancto Thoma *quæst.* 14. *disp.* 16 *art.* 3. alijque Recentiores ex Nostris. Et quoad primam partem constat primo ex testimonijs Scripturæ Deo scientiam attribuentibus, quæ non sunt in metaphorico sensu, sed in proprio accipienda; cum ex illo nullum inconueniens sequatur.

Prima pars probatur 1. *Secundo probatur.* Deinde; nam scientia propriè, idest, non metaphoricè talis, nihil est aliud quam certa, & euidens cognitio: sed hæc reperitur in Deo, vt *disp. præced.* monstrauimus, & constat ex eo quod est perfectio absque vlla imperfectione: ergo cognitio scientifica propriè contrapositiuè ad *metaphoricè* est in Deo constituenda.

Quoad secundam partem suadetur conclusio primo ex D. Thoma *in præsenti art.* 1. *ad* 2. quod ita procedebat: *Scientia (cum sit conclusionum) est quædam cognitio ab alio causata, scilicet, ex cognitione principiorum; sed nihil causatum est in Deo: ergo scientia non est in Deo*. Cui argumento respondet D. Thom. tunc cognitionem conclusionum causari ex cognitione principiorum, quando principia, & conclusiones diuersis cognitionibus attinguntur, quod in Deo non contingit, sed vnica cognitione in principia, & conclusiones fertur. Id ipsum docuit *quæst.* 2. *de Scientia Dei art.* 1. *ad* 4. ex quo probatur conclusio. Argumentum Diui Thomæ procedebat de scientia in stricta acceptione; sed talem scientiam non negat, sed potius admittit in Deo, docens non esse de ratione omnis scientiæ ex priori cognitione causari: ergo in Deo est constituenda. Minor constat ex doctrina solutionis. Maiorem autem sic probo; procedit de scientia, quæ est conclusionum; sed scientia sumpta communiter non est tantùm conclusionum; est enim euidens, & certa cognitio, quæ potest ad conclusiones, & principia referri, & ad omnia terminari: ergo argumentum procedit de scientia in stricta acceptione. 4 *Secunda pars probatur* 1. *ex D. T.*

Confirmatur ex eodem D. Tho. *quæst.* 2. *de Scientia Dei art.* 1. *ad* 5. quod ita procedebat: *Omne, quod scitur, scitur per aliquid magis notum; sed Deo non est aliquid magis, & minus notum: ergo scientia in Deo esse non potest*. Cui argumento occurrit D. Thomas dicendo, quod quamuis modo cognitionis attento, non sit Deo aliquid magis, & minus notum, ex parte tamen obiecti est vnum altero notius, quod diuinus intellectus cognoscit, & concludit: *Vnde & quantum ad istum ordinem, qui potest attendi in diuina cognitione ex parte cognitorum, etiam saluatur in Deo ratio scientiæ; ipse enim præcipuè omnia per causam cognoscit*. Ex quibus verbis talis confirmatio deducitur, argumentum procedebat de scientia in stricta acceptione; nam loquendo de scientia communiter pro certa, euidenteque cognitione, falsum est omne quod scitur per aliquid magis notum sciri; principia namque in hac scientiæ acceptione sciuntur; cum tamen nihil notius supponant: per quod cognoscantur; sed in solutione argumenti non negat scientiam sic acceptam in Deo, sed potius illam admittit, docens pro illa sufficere excessum ex parte obiectorum, quod nempè, vnum altero sit notius, quamuis ex parte subiecti omnia æquè sint nota Deo: ergo iuxta Diuum Thomam est in Deo constituenda scientia in stricta, & propria scientiæ acceptione. 5 *Confirmatur* 1. *ex eodem D. Thom.*

Confirmatur, & vrgetur secundo; si Diuus Thomas sentiret non esse in Deo cognitionem scientificam strictè; sed tantum communiter, facilius illis argumentis occurreret adhibita distinctione scientiæ penès istas acceptiones, asserendo, scientiam strictè sumptam petere ex alia cognitione causari, & procedere ex notioribus: secus autem sumptam communiter; at D. Thomas tali distinctione non vtitur: ergo quia sentit cognitionem diuinam rationem scientiæ cum omni proprietate sortiri. 6 *Confirmatur* 2.

Deinde suadetur conclusio hac ratione; cognitio euidens, & certa rei per causam, & quod illius est causa, & quod aliter se habere non potest, est propriè, & strictè scientifica; hæc cognitio Deo conuenit: ergo reperitur in ipso cognitio strictè scientifica. Illatio tenet. Minor est certa; non enim in prædicta cognitione aliqua imper- 7 *Secunda probatur conclusio ratione.*

imperfectio inuoluitur: Maior autem probatur; nam talis cognitio non est artis, quæ erga factibilia versatur modo practico, & factiuo; nec prudentiæ, quæ versatur erga agibilia tradendo agendorum regulas; nec fidei, vel opinionis: nam fides importat obscuritatem, & opinio incertitudinem; nec est luminis principiorum præcisè; nam actus luminis principiorum, nisi simul rationem scientiæ sortiatur, non est, effectus per causam, sed solius causæ cognitio: ergo est cognitio scientifica strictè.

8 *Tertio probatur conclusio.* Tertio probatur conclusio; omnis perfectio, quæ in suo conceptu formali non dicit imperfectionem, conuenit formaliter Deo, vt fatetur communis Theologorum consensus; sed cognitio strictè scientifica, est perfectio nullam in suo conceptu formali includens imperfectionem: ergo in Deo formaliter reperitur.

9 *Respondebis.* Dices; cognitionem scientificam strictè, dicere imperfectionem discursus, quod nempe cognitio conclusionum erga quas scientia versatur, ex cognitione principiorum causetur, quæ imperfectio Deo repugnat. Sed contra primo; vt enim ex Diuo Thoma iam vidimus sibi hanc imperfectionem objiciens, non ideo negauit scientiam in Deo, sed docuit imperfectionem discursus, & quod cognitio scientifica ex priori cognitione causetur, non esse de ratione omnis scientiæ, sed solum de ratione illius, quæ à cognitione principiorum distinguitur; sed cognitio conclusionum in Deo non est realiter distincta à cognitione principiorum: ergo quamuis strictè scientifica sit, non ideò a præcedenti cognitione causabitur, & absque hac imperfectione strictè scientifica erit. *Contra 1.*

10 *Secundo.* Contra secundo; nam esto cognitio luminis principiorum in homine sit composita formaliter; intellectus enim noster in secunda operatione intelligit componendo non tamen colligitur inde vbi non est compositio, non esse strictè, & propriè intellectum principiorum; aliàs, nec in Deo, nec in Angelis esset intellectus principiorum in stricta, & propria acceptione: ergo pariter, licet cognitio scientifica in homine sit discursiua formaliter, & ex præcedenti cognitione causetur, non licebit inde arguere de ratione scientiæ strictæ ex sui communi conceptu esse discursum formalem, & quod ex præsupposita cognitione causetur. Tertio; nam in Angelis reperitur scientia strictè; cum non solum proprias essentias cognoscant, quod præstat intellectu principiorum, sed etiam per suam essentiam, vt causam suas proprietates euidenti, & certa cognitione cognoscant; sed in Angelis non reperitur discursus in frequentiori, & vera Theologorum sententia: ergo imperfectio discursus non est de ratione scientiæ strictæ. *Tertio.*

12 *Quarto. In Deo reperitur virtualis discursus.* Denique; nam licet demus de ratione scientiæ, vt sic, esse aliqualem discursum; non est cur non sufficiat formalis, aut virtualis; sed discursus virtualis non est cur repugnet Deo: ergo ex ratione discursus non repugnat Deo scientia in stricta scientiæ acceptione. Consequentia tenet. Minor constat primo; non enim repugnat perfectionibus diuinis emanatio virtualis, vt patet in attributis, quæ ab essentia virtualiter dimanant: ergo nec virtualis discursus. Secundo; nam in Deo actus vitalis virtualiter à suo principio vitali procedit, volitio etiam diuina virtualiter cognitionem supponit: ergo etiam poterit absque vlla imperfectione vna diuina cognitio, aliam cognitionem virtualiter supponere, & ab illa virtualiter causari.

12 *Maior probatur primo.* Maior autem ostenditur primo; non enim est minus de ratione actus vitalis à suo principio procedere, quam sit de ratione scientiæ à priori cognitione causari, in quo discursus consistit; sed de ratione actus vitalis non est egressus determinatè formalis, sed vel nullus, vel disiunctim formalis, aut virtualis: ergo de ratione scientiæ propriè, & rigorosè acceptæ, non erit realis à priori cognitione causatio, in quo ratio discursus formalis consistit, sed vel nulla, vel disiunctim formalis, aut virtualis: ac proinde vel nullus discursus erit de ratione scientiæ, vel ad summum formalis, aut virtualis.

13 *Secundo.* Secundo, non enim requiritur ad rationem scientiæ strictè, maior ex parte cognitionum causalitas, quam ad rationem scibilis in obiecto inter principia, & conclusiones; sed ad rationem scibilis strictè, sufficit virtualis obiectiua causalitas, vt constat in obiecto Metaphysicæ, & Theologiæ: ergo ad rationem scientiæ strictæ, sufficiet virtualis ex parte cognitionum causalitas; & consequenter virtualis discursus. Minor cum consequentia tenet. Et maiorem probo: nam in diffinitione scientiæ sic dicitur: *scire est rem per causam cognoscere*, per causam ex parte obiecti est communis explicatio: ab Auctore autem contrario extenditur ad causam ex parte cognitionum, ita vt cognitio causæ sit causa cognitionis effectus: ergo non requiritur ad rationem scientiæ maior causalitas cognitionis causæ in cognitionem effectus, quam ad rationem scibilis in obiecto ex parte causæ in effectum.

§. II.

Occurritur argumentis in contra.

14 *Arg. 1.* ARGVITVR primo argumento præcipuo contrariæ sententiæ: de ratione scientiæ strictæ est discursus; sed in Deo discursus non datur: ergo scientia strictè sumpta non reperitur in Deo. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostenditur primo ex diffinitione scientiæ, qua dicitur; *scientia est habitus per demonstrationem acquisitus*; sed demonstratio est discursus; nam vt in illius diffinitione asseritur, procedit ex primis veris, medioque vacantibus, prioribus, notioribus, causisque conclusionis: ergo de ratione scientiæ est discursus. Secundo; nam de ratione scientiæ est id per quod ab intellectu principiorum distinguitur; sed solum ratione discursus distinguitur cognitio scientifica à lumine principiorum; ergo est de ratione scientiæ discursus. *Maior probatur primo.* *Secundo*

15 *Respond. primo.* Respondeo primo ex iam dictis, distinguendo maiorem: discursus formalis, aut virtualis, concedo maiorem: determinatè formalis, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam Deo non est cur virtualis discursus repugnet; hunc autem ad rationem scientiæ sufficere, constat ex dictis, per illumque ab intellectu principiorum distinguitur; nam intellectus principiorum, nec virtualiter ex priori cognitione procedit.

16 *Replicabis 1.* Sed oppones primo; de ratione scientiæ est discursus: ergo de ratione scientiæ formaliter talis, est discursus determinatè formalis. Secundo; de ratione scientiæ est per demonstrationem haberi; sed demonstratio dicit formalem discursum: ergo de ratione scientiæ est formalis discursus. Tertio; virtualis discursus, etiam conuenit intellectui principiorum: ergo vt scientia distinguatur ab illo, petitur discursus formalis. Antecedens probatur; intellectus principiorum in Deo, non solum attingit principia, sed etiam in illis effectus, & conclusiones; aliàs non esset comprehensio principiorum, & idem de intellectu principiorum in Angelis; sed virtualis discursus consistit in attingentia effectus in causa: ergo intellectui principiorum conuenit virtualis discursus. *Secundo.* *Tertio.*

17 *Ad 1 replicam respondetur.* Respondeo ad primam replicam, distinguendo antecedens: discursus determinatè formalis, nego antecedens: formalis, aut virtualis, concedo antecedens, & nego consequentiam: instoque in conceptu naturæ, de cuius ratione est radicare operationes; & tamen datur natura formaliter, absque formali radicatione. Insto etiam in actu vitali, de cuius ratione est egressus à principio vitali; & tamen datur actus vitalis formaliter, absque egressu reali formali; cum egressu tantum virtuali. Et ex his ad secundam replicam constat solutio; sufficit enim ad ad rationem scientiæ formaliter per demonstrationem virtualem haberi. Vel dicatur; diffinitionem illam esse de scientia humana, non autem de scientia vt sic, prout abstrahit ab humana, Angelica, & diuina, in qua generalitate sufficienter diffinitur per hoc, quod sit cognitio rei per causam. *Ad secundam.*

18 *Ad tertiam.* Ad tertiam, nego antecedens. Ad illius probationem, prætermissa maiori, nego minorem; discursus enim virtualis, tunc datur, cum effectus, aut conclusio cognoscitur ex vi causæ; non autem cum solum in causa cognoscitur; intellectus autem principiorum in Deo, etsi in causa cognita effectum attingat, non tamen ex illa ad cognitionem effectus virtualiter procedit, & ideò virtualis discursus non est.

19 *Secundo, resp. argumento principali.* Secundo argumentum respondeo, negando maiorem, vel illam distinguendo: de ratione scientiæ ab intellectu principiorum distinctæ, concedo maiorem: de ratione scientiæ, quæ simul est intellectus principiorum, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Contra quam distinctionem non obstat prima probatio maioris. Nam illa diffinitio est de scientia ab intellectu principiorum distincta. Ad secundam probationem dicatur; de ratione scientiæ vt sic, solum esse id per quod distinguitur à lumine principiorum, quod simul scientia non est; non autem à lumine principiorum, quod simul rationem scientiæ sortitur; nam iuxta hanc solutionem potest cognitio scientifica cum intellectu principiorum identificata inueniri; ab intellectu *Ad 1. probationem maioris. Ad 2.*

autem principiorum, quod simul scientia non est, non distinguitur per rationem discursus, sed per hoc, quod non sistat in principijs, sed etiam conclusiones attingat, & rem per causam cognoscat, ly *per* dicente obiectiuam causalitatem, absque vlla causalitate cognitionis in cognitionem; nam intellectus principiorum, qui simul scientia non est, taliter attingit principia, quod in illis non attingit conclusiones, vnde per hanc attingentiam absque vlla ratione discursus cognitio scientifica à lumine principiorum distinguitur.

20 *Respondebis.* Sed dices; causalitas purè obiectiua conuenit intellectui principiorum, qui simul scientia non est: ergo per istam causalitatem non distinguitur cognitio scientifica ab illo. Antecedens ostenditur primo; tunc enim principia cognoscimus, vt docet Aristoteles *lib. 1. posteriorum cap. 3.* cum terminos cognoscimus, idest, *Antecedens probatur 1.* cum simplici terminorum intuitu, & explicatione, principijs assentimur, v.c. explicatis his terminis *homo*, & *rationalis*, assentimur huic propositioni, *homo est rationalis*; sed termini causæ sunt, saltim materiales principiorum; cum ex illis componantur principia: ergo in obiecto attacto per notitiam principiorum inuenitur causa, & effectus; & consequenter obiectiua *Secundo.* causalitas. Secundo; nam in sententia asserente, primam passionem non esse demonstrabilem de subiecto, hæc propositio, *homo est proximè intellectiuus*, lumine principiorum, quod non est scientia, cognoscitur; & tamen in obiecto istius notitiæ inuenitur causa, & effectus; rationalitas namque causa est potentiæ proximæ intellectiuæ; & consequenter intercedit obiectiua causalitas: ergo in obiecto intellectus principiorum, quod simul scientia non est, intercedit obiectiua causalitas.

22 *Confirmatur.* Explicatur, & augetur difficultas; nam intellectus noster cognoscit hominem esse intellectiuum proximè, quia est rationalis, & tamen, quia cognitio rationalitatis, non est causa cognitionis intellectus; sed vna cognitione vtrumque simul attingit, cognitio huius veritatis non est cognitio scientifica sed tantum luminis principiorum: ergo ad distinguendam cognitionem scientificam à lumine principiorum, quod simul scientia non est, non sufficit obiectiua causalitas, hoc est cognoscere obiectiuè effectum per causam, aut hoc esse causam, & illud effectum esse, sed vlterius requiritur causalitas subiectiua cognitionis causæ in cognitionem effectus.

23 *Respond. Ad 1. antecedentis probationem.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem dicatur, non semper terminos alicuius principij esse causas materiales illius, vt constat in hoc principio, *homo est animal rationale*; cum enim extrema istius propositionis non distinguantur ab homine, non possunt obiectiuè esse causæ materiales illius; & dato, quod aliquando sint causæ materiales principij; cum illi sint essentiales, & intrinsecæ, non sufficit illarum obiectiua causalitas ad rationem obiecti scibilis; propositio namque scibilis debet esse propositio mediata, hoc est, inter cuius subiectum, & prædicatum mediet aliquid, quod sit ratio connexionis vtriusque, ab vtroque extremo distinctum; partes autem constituentes intrinsecè, non mediant inter compositum, & illa, quæ composito attribuuntur, sed includuntur intrinsecè in composito constituto per ipsas.

24 *Ad secundam probationem.* Et ex his ad secundam probationem dicatur, admissa prædicta sententia ad rationem obiecti scibilis non sufficere cognosci per quamlibet causam, sed requiri causam mediantem inter prædicatum, & subiectum, & ab vtroque distinctam, & quia causa primæ passionis homini, v.c. conuenientis, non distinguitur ab homine: fit, vt propositio enuntians primam proprietatem de homine non sit propositio scibilis, sed ad lumen intellectus pertineat, quamuis cognoscatur homo, vt causa talis proprietatis. Et ratio est; quia ad lumen principiorum spectat omnis propositio immediata: ac proinde quando causa talis est, quod immediationem propositionis non tollit, non extrahit talem propositionem ab *Ad confirmationem.* obiecto luminis principiorum, nec illam constituit scibilem. Per quod ad confirmationem constat solutio.

25 *Secundo arguitur.* Secundo arguitur; de ratione scientiæ strictæ est attingere primario conclusiones demonstratas; sed cognitio Dei non attingit per se primo conclusiones demonstratas: ergo non est scientia strictè. Maior constat; nam quæcumque potentia vel virtus, siuè moralis sit, siuè intellectualis, petit per se primo attingere proprium obiectum; sed obiectum scientiæ sunt conclusiones demonstratæ, vel subiectum; vt de illo demonstrantur proprietates: ergo scientia strictè sumpta petit per se primo attingere proprietates demonstratas, vel subiectum, vt de illo demonstrantur. Minor autem probatur, nam diuina cognitio, primo attingit essentiam, & naturam Dei, & in illa attributa, & creaturas, de quo *infra*; sed veritates scibiles, aut demonstrabiles, sunt veritates creatæ; aut illæ quibus attributa enuntiantur de Deo: non autem diuina essentia, hæc namque simplici intuitu, & intellectu principiorum cognoscitur: ergo cognitio diuina non attingit per se primo conclusiones demonstratas, & scibiles.

Prima huius argumenti solutio distinguit maiorem: il- 26 *Prima solutio.* lamque concedit de scientia, quæ tantùm est scientia; negat autem de illa, quæ simul sapientia est, hæc namque non solum conclusiones attingit, sed etiam principia, & in illis conclusiones: scientia autem diuina perfectissima sapientia est, & ideò non oportet, vt primo veritates scibiles attingat, sed potest per se primo erga essentiam, quæ est illarum principium versari. Ita Albelda, Cornejo, & Salmanticenses *vbi supra* relati.

Sed contra primo; nam Theologia nostra est sapien- 27 *Reijcitur primo.* tia, vt communiter docetur *supra quæst. 1. art. 1.* & tamen non attingit primo principia, sed tantùm conclusiones; principia namque ex quibus Theologia procedit sunt reuelata immediatè, & per fidem cognoscuntur, non per Theologiam, quæ innititur, non reuelationi immediatæ, sed mediatæ; aliàs lumen Theologicum non esset à lumine fidei distinctum: ergo scientia Dei ex ratione sapientiæ non habet primo erga principia, & non erga conclusiones versari.

Secundo; nam Metaphysica nostra est sapientia, vt 28 *Secundo.* ex communi sententia suppono; & tamen non attingit per se primo principia, sed conclusiones scibiles: ergo idem quod prius. Probatur minor primo; nam metaphysica per demonstrationem acquiritur; at si versaretur *Minor prob. 1.* immediatè erga principia, non gigneretur per demonstrationem, sed per assensum immediatè principia attingentem, qui demonstratiuus non est: ergo metaphysica non attingit per se primo principia indemonstrabilia, sed veritates mediatas, & demonstrabiles.

Secundo; si metaphysica primo attingeret principia 29 *Secundo.* indemonstrabilia, non distingueretur realiter ab intellectu principiorum; consequens est falsum, & contra communem metahysicorum sententiam, realiter distinguentium in nobis intellectum, sapientiam, vel scientiam, prudentiam, & artem: ergo non versatur primo erga principia indemonstrabilia. Patet sequela; nam intellectus principiorum, per hoc à scientia, vel sapientia distinguitur, quod ille erga veritates immediatas versatur: scientia autem, vel sapientia veritates mediatas attingũt, ista per altissimas causas, illa verò per inferiores: ergo si sapientia per se primo attingit principia indemonstrabilia, non est vnde ab intellectu principiorum possit distingui.

Dices; intellectum principiorum attingere principia secundum se, & absolutè, sapientiam verò illa attin- 30 *Respondebis.* gere, non absolutè, sed vt sunt rationes assentiendi conclusionibus, & per hoc sufficienter distingui. Sed contra primo; nam intellectus principiorum concurrit effi- *Contra 1.* cienter in nobis ad assensum scientificum, ex quo scientia generatur: ergo assensus scientificus procedit ex principijs cognitis per lumen intellectus; sed principia vt cognita absolutè, non causant assensum scientificum, sed cognita, vt continent in se conclusiones: ergo principia indemonstrabilia attinguntur à lumine principiorum, non solum absolutè, sed etiam vt sunt rationes inferendi conclusiones.

Contra secundo; nam sapientia, vel attingit princi- 31 *Contra 2.* pia, vt sunt rationes assentiendi conclusionibus vt *quo* tantum, vel etiam vt *quod*: primum de mente Auctorum traditæ solutionis non; secundum autem est falsum: ergo non subsistit solutio. Minor pro prima parte constat; nam Auctores solutionis specialiter attribuunt sapientiæ erga principia versari; illa autem attingere vt *quo*, specialis sapientiæ non est, sed commune omni cognitioni scientificæ: ergo attingentia principiorum vt *quo* de mente Auctorum traditæ solutionis non est. Pro secunda parte probatur; si namque sapientia creata immediatè attingeret principia vt *quod*, quatenus rationes assentiendi conclusionibus, & simul conclusionibus assensum præberet, esset perfectior intellectu principiorum; consequens est falsum: ergo sapientia non attingit principia, vt sunt rationes assentiendi conclusionibus vt *quod*.

Sequela

Sequela patet ; nam perfectius est principia, & conclusiones attingere, quam solum principia ; at sapientia primum haberet ; intellectus autem principiorum, in illorum sisteret cognitione : ergo sapientia intellectum principiorum excederet. Minor autem probatur ; nam iuxta Aristotelem, & communem Metaphysicorum, & Logicorum sententiam, assensus præmissarum sunt certiores assensu conclusionum, quia illum efficienter causant, sed intellectus principiorum est causa sapientiæ nostræ : ergo est illa perfectior, certior, & euidentior.

32 *Confirmatur.* Quod amplius vigetur ; sic enim comparantur intellectus, & sapientia in ordine naturali, sicut Theologia, & fides, aut lumen gloriæ in ordine supernaturali, & Theologico ; sed fines excedit Theologiam in certitudine, & lumen gloriæ in certitudine, & claritate, & vtrunque in perfectione : ergo intellectus principiorum, perfectione, claritate, & certitudine scientiam, & sapientiam excedit.

33 *Respondebis.* Quod si propter hæc asseratur, per se primo attingere principia, non conuenire scientiæ diuinæ ex conceptu sapientiæ, creatæ, & increatæ communi, sed ex peculiari sapientiæ increatæ. *Contra 1.* In contrarium obstat ; nam iuxta Auctores, quos impugnamus, sapientia increata ab intellectu principiorum virtualiter distinguitur ; sed quia creata sapientia distinguitur realiter à lumine principiorum, non potest primario principia immediata attingere, vt vidimus : ergo sapientia diuina, etiam ex conceptu increatæ, sumpta, vt virtualiter ab intellectu principiorum distincta, non potest primario vt *quod* veritates diuinas immediatas, & prima principia indemonstrabilia attingere, aut erga illa immediatè versari.

34 *Secunda solutio principalis arg.* Secundo potest argumento responderi, veram esse maiorem de scientia, quæ ab intellectu principiorum distinguitur ; falsam autem de scientia, quæ formalitèr, & virtualitèr est intellectus principiorum ; scientia autem diuina non solum est scientia, sed etiam sapientia, & intellectus, & ideo non perit immediate attingere veritates demonstrabiles, sed potest primo, & immediatè erga prima principia, scilicet erga Dei essentiam versari. Quæ solutio videtur Diui Thomæ *in præsenti art. 1. ad 2.*

35 *Contra 1.* Sed contra primo ; scientia, quæ solum est scientia, per se primo attingit conclusiones, intellectus principiorum per se primo attingit principia : ergo scientia, quæ simul est intellectus principiorum per se primo debet attingere principia, & etiam conclusiones. Patet consequentia ; nam scientia ex adiuncta alia formalitate, non potest à suo specificatiuo præscindi ; sed specificatiuum scientiæ strictè sumptæ, sunt conclusiones demonstrabiles : ergo quamuis scientia sit intellectus, non potest non attingere primo, & per se conclusiones.

36 *Contra 2.* Secundo ; diuina cognitio ex attingentia suæ naturæ sub conceptu primario, non sortitur rationem scientiæ strictæ sed intellectus principiorum ; rationem autem scientiæ venatur ex attingentia suorum attributorum ; sed nisi per se primo erga sua attributa versetur, non poterit rationem scientiæ strictè acceptæ sortiri : ergo nisi essentiam suam, & attributa attingat primario, strictè scientia non est, sed tantum intellectus principiorum. Probo minorem ; actui cognitionis, licet possit ex obiecto tantum secundario aliqua denominatio competere, quam non sortiatur ex obiecto primario ; non tamen potest illi conuenire ex obiecto secundario aliqua formalitas, vel specificum prædicatum, sed ratio scientiæ strictæ, si inuenitur in Deo, non est præcisè noua denominatio, sed noua formalitas, vel quasi specificum prædicatum : ergo nisi diuina cognitio primo attingat sua attributa, non potest ex illis rationem scientiæ strictè sumptæ sortiri.

37 *Respond.* Si fortè dicatur ; cognitionem diuinam non attingere essentiam, & attributa ordine obiecti secundarij, & primarij ; sed æquè primo erga essentiam sub primo conceptu essentiæ, & erga attributa versari, & sic obtinere rationem intellectus, & scientiæ.

Contra 1. In contrarium obstat primo ; nam vel attingit attributa, & essentiam prout omnino identificata, vel prout aliqua ratione distincta? Si primum, non potest rationem scientiæ strictè sumptæ sortiri ; si secundum, non manet vna cognitio vnitate virtuali : ergo solutio tradita non subsistit. Minor pro prima parte ex *infra* dicendis constabit. Pro secunda probatur ; distinctio enim virtualis actuum intellectus, aut voluntatis in Deo sumitur ex distinctione obiectorum ; sed si attributa, & essentia terminant cognitionem diuinam prout distincta virtualiter, sunt obiecta distincta : ergo non terminant cognitionem vnam vnitate virtuali, sed duplicem ; & consequenter quælibet suum habebit formale, & primarium obiectum.

98 *Contra 2.* Secundo ; nam nisi diuina essentia sit Deo ratio attingendi attributa, & hæc ratione essentiæ cognoscantur à Deo, non potest scientia strictè in diuino intellectu inueniri ; sed hoc reperiri nequit in Deo, nisi essentia, & attributa, vt aliqua ratione distincta diuino intellectui obijciantur : ergo nec potest saluari absque virtuali distinctione ex parte cognitionis, prout terminatæ ad essentiam, & ad diuina attributa. Patet consequentia ex dictis.

99 *Tertia, & vera solutio.* Tertia huius argumentis solutio ; illaque frequentior concedit maiorem, & negat minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem : omnis diuina cognitio, nego maiorem : aliqua, concedo maiorem : & concessa minori, nego consequentiam. Nam licet cognitio luminis intellectus in Deo per se primo in diuinam essentiam sub primordiali conceptu feratur, cognitio tamen scientifica, non attingit primo diuinam essentiam, sed attributa diuina, & sic potest rationem scientiæ strictè sumptæ sortiri.

40 *Replicabis 1.* Sed contra hanc solutionum obstat primo ; nam essentia sub conceptu essentiæ, & naturæ, est obiectum primarium, & specificatiuum diuini intellectus ; & consequenter debet per se primo attingi ab omni actu, non secundario attinente ad intellectum diuinum ; sed cognitio scientifica, si reperitur in Deo, non est actus secundus intellectus diuini ; sicur nec nostri intellectus cognitio scientifica actus secundus est, sed inter primarios contentus : ergo debet per se primo attingere diuinam essentiam sub conceptu essentiæ, & naturæ.

41 *Secundo* Secundo ; nam ex vi actus, quo primo diuina essentia cognoscitur ab intellectu diuino, etiam cognoscuntur attributa, & creaturæ : ergo actus per se primo attingens attributa superfluit. Consequentia videtur bona ; non enim apparet ad quid necessarius sit. Antecedens autem probatur ; nam actus ille est perfecta comprehensio essentiæ, & naturæ Dei : sed non potest essentia comprehendi non cognitis in illa attributis : ergo ex vi illius actus cognoscuntur attributa. Probatur minor ; vt enim obiectum comprehendatur, debet cognosci in illo, quidquid cognoscibile est ; sed attributa sunt cognoscibilia in essentia : ergo vt hæc comprehendatur, debent ex vi talis actus attributa in essentia cognosci.

42 *Tertio.* Tertio ; nam cognitio attributorum est illorum comprehensio ; sed nequeunt comprehendi attributa, nisi cognoscantur in diuina essentia vt cognita : ergo cognitio attributorum per se primo terminatur ad essentiam. Probatur minor ; non possunt comprehendi attributa, nisi cognoscantur omni modo, quo possunt cognosci ; sed possunt, & petunt cognosci in diuina essentia vt radice attributorum : ergo non comprehenduntur, nisi ita cognoscantur. *Quarto.* Quarto, nam saltim ad obiectum creatum non potest diuina cognitio per se primo terminari, vt ex *infra* dicendis constabit : ergo saltim per respectum ad creaturas non poterit rationem scientiæ cum proprietate sortiri.

43 *Ad 1. & 2. replicam.* Hæc tamen non vrgent. Ad primum constabit *infra* ; cum de obiecto primario intellectus diuini tractemus. Ad secundum, distinguo antecedens : attinguntur attributa ex vi talis actus secundario, & mediatè, concedo antecedens : immediatè, & primario in se ipsis, nego antecedens, & consequentiam. Cum enim attributa sint cognoscibilia in essentia, qua ratione cognoscuntur secundario, & in se ipsis, qua ratione attinguntur primario, debent à Deo vtroque modo cognosci.

44 *Ad tertiam.* Ad tertium, distinguo maiorem ; est illorum comprehensio scientifica, concedo maiorem : in omni genere cognitionis, nego maiorem, & distinguo minorem : comprehensione scientifica, nego minorem : in omni genere cognitionis, transeat minor, & nego consequentiam. Vt enim cognitio attributorum sit illorum scientifica comprehensio, sufficit, quod illa attingat omni modo, quo possunt, & petunt cognosci in linea cognitionis scientificæ : vt autem sic attingantur non est necessarium in diuina essentia cognosci, quia iste modus cognoscendi attributa, quia non est intra lineam scientificæ cognitionis, quæ petit per se primo ad obiectum scibile, & demonstrabile terminari.

45 *Duplici tacitæ obiectioni.* Nec sequitur, talem cognitionem esse priuatiuè imperfectam, sed tantum negatiuè, non enim caret perfectione debita sibi, vt est scientifica cognitio. Nec sequitur, non esse infinitam absolutè : est enim infinita in

linea

linea cognitionis scientificæ, quod sufficit vt infinita absolutè dicatur, quamuis, vt virtualiter ab alijs cognitionibus diuini intellectus distincta, non sit formaliter infinita in omni genere cognitionis, sed tantum identicè, sicut nec diuinus intellectus, vt virtualiter à voluntate distinctus, est infinitus formaliter in ratione potentiæ, sed tantum in specie, vel quasi specie intellectus, & idem de diuina voluntate, quin ex hoc imperfectio priuatiua constituatur in prædictis attributis.

46 *Ad quartam.* Ad vltimam obiectionem, concesso antecedenti, distinguo consequens: rationem scientiæ primario specificatæ à creaturis, concedo consequentiam: secundario ad illas terminatæ, nego consequentiam; non enim est contra rationem scientiæ secundario ad obiectum aliquod terminari: vnde ex hoc, quod scientia Dei non primario sed secundario erga creaturas versetur, non sequitur scientiam strictè non esse, sed tantum non esse illarum primario. Ex his tribus solutionis vltimæ pro nunc acquiesco; quæ autem absolutè sit præferenda, videbimus *infra* obiectum diuinæ cognitionis tractantes.

§. III.

Scientia in Deo respectu suorum attributorum statuitur.

47 *Secunda conclusio.* SECUNDA Conclusio. *Habet Deus scientiam strictam suorum attributorum.* Ita Auctores pro prima conclusione relati, præter Durandum, & Ferrariensem, quibus adhæsit Nazarius *in præsenti art. controu. 2. concl. 1.* docens, scientiam, quam Deus habet de se ipso, non esse propriè formaliter *propter quid*; quia Deus nullam habet causam formalem, aut virtualem in essendo, habere tamen de se ipso longè altiorem cognitionem, quam sit scientia *propter quid*: quia euidens principiorum cognitio altior, est cognione *propter quid* conclusionum: cognitio autem, quam Deus habet de se ipso, est comprehensiua diuinæ essentiæ cognitio; & consequenter altior cognitione scientifica *propter quid*.

48 *Prob. 1. ex D.Th.* Nostra tamen conclusio suadetur primo ex D.Thom. *in hac q. art. 16.* vbi docet, Deum de se ipso habere scientiam speculatiuam tantum, de omnibus verò alijs habet scientiam speculatiuam, & practicam. Nec licet D.Th. explicare de scientia sumpta pro altissima cognitione, non autem de scientia strictè; si namque hæc interpretatio admittatur, eadem poterit explicari cum Deo scientiam de creaturis attribuit & consequenter negantes Deo scienriam strictè, & rigorosè acceptam in nullo Angelico Præceptori obuiam ibunt, quod Thomistæ non admittunt: ergo iuxta Diuum Thomam, Deus de se ipso, hoc est, de attributis suis scientiam habet strictè acceptam.

49 *Secundo probatur.* Secundo suadetur; sapientia namque est perfectissima scientia de rebus iudicans per altissimas causas; sed Deus habet de se ipso, hoc est, de suis attributis sapientiam propriè: ergo habet scientiam propriè, & strictè dictam suorum attributorum. Illatio tenet. Maior est expressa Diui Thomæ 1. 2. q 57. *art. secundo in corpore, & solutione ad primum.* Minor etiam est eiusdem Diui Thomæ ad Roman. 12. lectione 5. explicans illud Pauli: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* ibi: *Habet enim sapientiam de diuinis, & scientiam de rebus creatis.* Ad Collossenses 2. lectione prima. Ad Annibaldum *distinctione 35. q. vnica art. 1. ad tertium.* Et in *1. Sententiarum distinctione 35. quæst. 1. art. 1. ad quintum*, illis verbis: *Sed quia scientia propriè complexorum est, intelligere propriè, est quidditatis rei; ideò Deus dicitur sciens in quantum cognoscit esse suum, & dicitur intelligens in quantum cognoscit naturam suam, quæ tamen non est aliud, quam suum esse, nec magis simplex; & ideò in Deo non est aliud intelligere, quam scire, nisi secundum rationem; sapientia verò non ponit in numero cum scientia, & intellectu, quia omnis sapientia scientia est, sed non conuertitur, quia illa scientia sola sapientia est, quæ causas altissimas considerat, per quas ordinantur, & cognoscuntur omnia sequentia: vnde propriè Deus sapiens dicitur, in quantum se ipsum cognoscit, & intelligens, & sciens secundum quod se, & alia cognoscit.* Ergo iuxta D.Thom. Deus habet de se ipso sapientiam propriè; & consequenter perfectissimam scientiã.

50 *Confirmatur 1.* Confirmatur primo; licet non omnis scientia, sapientia sit, sapientia tamen est perfectissima scientia; sed iuxta Diuum Thomam est in Deo sapientia propriè comparatione sui: ergo propriè habet scientiam suorum attributorum. *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo; vt enim docet Diuus Thomas, Deus dicitur intelligens, in quantum cognoscit suam naturam, & sciens, in quantum cognoscit esse suum; quæ doctrina nequit intelligi de esse essentiæ; hoc namque lumine intellectus cognoscitur, sicuti & natura Dei; cum pertineat ad primarium Dei conceptum, & Metaphysicum constitutiuum, sed vel de esse existentiæ, si ab essentia distinguatur, vel de esse attributorum; at hæc doctrina nequit de scientia communiter explicari: ergo scientia strictè sumpta statuenda est in Deo respectu suorum attributorum.

Probo minorem primo: nam scientia accepta communiter, quæ in altissima cognitione consistit, etiam circa Dei naturam, & quidditatem versatur: sed D.Th. distinguit, conceditque intelligentiam respectu quidditatis diuinæ; respectu autem attributorum, non intelligentiam, sed scientiam: ergo non potest de scientia communiter accepta explicari. 51 *Minor probatur primo.* Secundo probatur minor; scientia ratione distincta à simplici intelligentia, propriè, & strictè rationem scientiæ sortitur; sed vt docet D.Th. verbis *nuper* allegatis, scientia, qua Deus sua attributa cognoscit, ratione distinguitur ab intellectu, vel simplici intelligentia, qua cognoscit suam naturam: ergo est scientia propriè, & strictè. *Secundo probatur minor.*

Nec obstat, Diuum Thomam asserere Deum de creaturis scientiam habere; de se autem habere sapientiam, vt ex hoc inferatur, negasse scientiam in Deo respectu suorum attributorum. 52 *Si opponas. Respond.* Tùm; quia vt ex ipso iam vidimus, Deus sciens dicitur prout cognoscit suum esse, hoc est, attributa sua; intelligens verò prout naturam, & quidditatem propriam cognoscit: ergo attribuens Deo scientiam creaturarum, & sapientiam erga se, non negat scientiam suorum attributorum, ne dicamus in eodem textu sibi ipsi aduersari Angelicum Præceptorem. Tùm etiam, nam germanus sensus prædictæ contra positionis est, Deum de se ipso solum habere sapientiam, quia attributa sua solum per altissima principia cognoscit, quod est de ratione sapientiæ; de creaturis autem sapientiam, & scientiam habet, illam quatenus creaturas per altissimas causas cognoscit; istam verò quatenus easdem per inferiores causas contemplatur, ex quo non licet colligere non habere scientiam strictè suorum attributorum; cum vt ex ipso didicimus sapientia sit perfectissima scientia.

Denique probatur conclusio; si ob aliquam rationem in Deo non esset scientia suorum attributorum, maximè, quia de ratione scientiæ à priori, quam solam in Deo statuimus, est procedere per causam; attributa autem diuina, cum sint entia per essentiam, & à se, causam in essendo non habent; sed hæc ratio est nulla: ergo datur scientia in Deo suorum attributorum. 53 *Vltimo prob. conclusio.*

Maior continet aduersariorum doctrinam. Minor autem sic probatur: ad rationem scientiæ à priori, sufficit procedere per causam virtualem in essendo; sed licet attributa diuina ex ratione entis à se, causam realiter influentem non habeant, habent tamen causam virtualem: ergo ob rationem illam male negatur in Deo scientia suorum attributorum. Maior constat; tùm in nostra Metaphysica, quæ propriè scientia est, & à priori procedit; & tamen veritas, bonitas, & aliæ proprietates, quas demonstrat de ente, non habent causam formaliter influentem, sed solummodo virtualiter. Tùm etiam, in nostra Theologia, quæ propriè, & strictè scientia est, vt cum Diuo Thoma supra *q. 1. art. 2.* docetur frequentius à Theologis, cuius obiectum primarium est Deus, vt docet D. Thomas *in allegata q. art. 7.* & tamen non procedit per causam, quæ realiter influat, sed tantum per causam virtualem in essendo; cum attributa diuina, quæ Theologia demonstrat de Deo, causam realiter influentem non habeant. Tùm denique, quia non potest ratio vrgens in contrarium assignari, cur nempè, virtualis obiectiua causalitas non sufficiat pro ratione obiecti scibilis: ergo de ratione scientiæ non est per causam realiter influentem procedere, sed sufficit, si per causam virtualem procedat.

Minor ex dictis probatur. Tùm, quia si attributa Dei non haberent causam virtualem, vel rationem à priori, Theologia illa demonstrans de Deo, non posset rationem scientiæ sortiri; consequens est falsum: ergo attributa diuina, licet ex ratione entis à se causam realiter influentem non habeant, habent tamen causam virtualem. 54 *Attributa diuina habent causam virtuali per quam demonstrantur* Tùm etiam; nam ad causam virtualem, & virtualem effectum, sufficit virtualis distinctio; attributa autem diuina inter se, & ab essentia virtualiter distinguuntur. Tum denique; quia vnum esse causam virtualem alterius, nihil aliud est, quam taliter inter se comparari,

parari, quod si realis intercederet distinctio, realis etiam influxus, & causatio interueniret; sed attributa diuina, taliter cum natura Dei, & inter se comparantur, quod si adesset realis distinctio omnia ab essentia realiter causarentur, & etiam vnum ab alio; si namque voluntas realiter ab intellectu diuino differret, realiter causaretur ab illo, immutabilitas etiam esset reali causa æternitatis, si realiter ab illa differret: ergo inter diuina attributa comparata cum essentia, & etiam collata inter se; intercedit virtualis causalitas; & consequenter potest vnum demonstrari per aliud, & omnia ratione essentiæ diuinæ.

55 *Responderet contrarij.* Et ex his præclusa manet communis contrariorum euasio, nimirum posse attributa diuina demonstrari per essentiam, & vnum attributum per aliud ab intellectu viatoris distinguente essentiam ab attributis, & attributa inter se, qua distinctione supposita apprehenditur essentia, vt radix attributorum, & vnum attributum, vt ratio alterius cognoscitur: secus autem ab intellectu diuino cognoscente essentiam, & attributa, prout à parte rei sunt absque distinctione inter illa; Deus enim non potest distinctionem istam confingere: ac proinde cum in se essentia non sit causa attributorum, nec vnum sit causa alterius, non potest ab intellectu diuino essentia cognosci tanquam causa attributorum, quod necessarium erat, vt illa attingeret scientifica cognitione.

56 *Reijcitur 1. solutio.* Ex dictis, inquam, hæc communis nostri argumenti solutio manet præclusa, & reijcitur primo; vt enim ex D. Thom. iam vidimus, datur in Deo scientifica attributorum cognitio secundum rationem distincta ab intellectu, seu simplici intelligentia, qua cognoscit suam naturam: sed hæc cognitionum distinctio nequit subsistere in Deo, nisi essentiam suam cognoscat, vt est causa virtualis, aut radix attributorum, & hæc vt in illa radicata virtualiter: ergo quamvis Deus non faciat distinctionem rationis inter essentiam, & attributa, illa tamen tali ordine cognoscit, vt essentiam attingat, vt radicem virtualem; attributa verò, vt in essentia virtualiter radicata, quod sufficit ad rationem scientiæ strictæ.

57 *Secundo.* Secundo; nam quod Deus essentiam, & attributa cognoscat prout in se sunt, non tollit, quin cognoscat essentiam, vt attributorum rationem, seu virtualem radicem; sed hoc sufficit, vt attributa scientifica cognitione cognoscat: ergo sic cognoscit illa. Minor ex dictis habetur. Maior autem sic probatur; vnum esse causam virtualem alterius, est taliter comparari cum illo, quod si realis inter vtrum intercederet distinctio, illud realiter causaret; sed Deus hoc ita cognoscit; cum in hac cognitione nulla intercedat confictio: ergo cognoscit essentiam vt radicem attributorum.

58 *Tertio.* Tertio; nam Metaphysica, non solum in nobis obtinet rationem scientiæ, sed etiam in Angelico intellectu, quod nescio, an aliquis contrariorum negauerit; & tamen Angelicus intellectus non facit distinctionem rationis inter ens, & proprietates, quas de ente demonstratiuè cognoscit; ergo quamuis Deus non distinguat essentiam suam ab attributis formaliter, cognoscet sua attributa cognitione strictè scientifica. Minor probatur; ideò intellectus noster inter ens, & illius proprietates fingit distinctionem rationis, quia non vno, sed pluribus conceptibus ens, & eius proprietates cognoscit; sed Angelus vna cognitione, & vno mentis conceptu cognoscit ens, & illius proprietates: ergo non facit distinctionem rationis inter obiecta prædicta.

59 *Quarto.* Denique tradita solutio reijcitur; etenim absque eo quod intellectus diuinus faciat distinctionem rationis in bonitate diuina, prout est ratio diligendi, & prout est ratio puniendi, atque miserendi, dantur cum proprietate in ipso, non solum virtus charitatis Theologica, sed etiam misericordia, & iustitia, quæ sunt virtutes morales, vt frequenter docent Discipuli D. Th. *infra q. 20. & q. 21.* ergo pariter absque eo quod inter essentiam, & attributa distinguat, dantur cum proprietate in ipso intellectus principiorum, & scientia.

§. IV.

Argumentis in contrarium occurritur.

60 *Arg. 1. ex D. T.* CONTRA istam conclusionem arguitur primo ex Diuo Thoma 1. *Contra Gentes cap. 25. proximè ad finem.* illis verbis: *Ex hoc etiam patet, quod Deus diffiniri non possit, quia omnis diffinitio est ex genere, & differentia: patet etiam, quod non potest demonstratio de ipso fieri, nisi per effectum, quia principium demonstrationis est diffinitio eiusdem, de quo fit demonstratio;* sed de quo potest dari scientia à priori, potest etiam fieri demonstratio; nam id est obiectum scibile de quo demonstratur passiones: ergo de Deo non potest dari scientia à priori; & consequenter Deus de suis attributis scientiam *propter quid* non habet.

61 *Resp. 1.* Respondeo, hoc argumentum non posse sententiæ oppositæ fauere; nam illius Auctores non negant, nos habere scientiam à priori de Deo, cum fateri teneantur Theologiam esse verè, & propriè scientiam: verba autem ex D. Thom. allegata non procedunt de Deo prout à se cognoscibili, sed prout cognoscibili ab intellectu creato, & in hac consideratione solum negat demonstrationem perfectam de Deo, quæ petit tandem reduci ad perfectam, & diffinitiuam cognitionem naturæ subiecti: non autem omnem demonstrationis modum sufficientem ad rationem scientiæ à priori; vt enim docet D. Thom. in hac 1. p. q. 1. art. 7. ad 1: *Licet de Deo non possimus scire, quid est, vtimur tamen eius effectu in hac doctrina, vel natura, vel gratia loco diffinitionis ad ea, quæ de Deo considerantur.* Verba sunt D. Tho. ex quibus non licet inferre scientiam, quam de Deo habemus, esse tantum à posteriori; nam semel natura Dei per effectum descriptiue cognita à priori, illa mediante cognoscuntur Dei proprietates, quia natura Dei est causa virtualis illarum.

62 *Secundo resp.* Vel secundo responderi potest, negasse D. Tho. demonstrationem à priori de Deo per veram, & realem causam; non autem, quæ per causam virtualem procedat, & hæc sufficit ad rationem scientiæ à priori.

63 *Replicabis.* Sed dices; ratio qua D. Thomas negat demonstrationem à priori de Deo, non est quia natura ipsius non sit causa attributorum, sed quia Deus à nobis definiri non potest: principium autem demonstrationis à priori est diffinitio subiecti; at si solum negaret demonstrationem à priori per causam veram, & realem, non deberet pro ratione assignare, quia Deus diffiniri non potest, sed quia illius perfectiones causam habere non possunt: ergo non solum negat illum demonstrationis modum, sed omnem; & consequenter negat scientiam à priori de Deo.

Respond. Respondeo, eo ipso quod aliquid diffiniri propriè non possit, quia non est compositum ex genere, & differentia, non posse habere proprietates realiter à propria natura distinctas: ac proinde nec ab illa dimanantes per realem dimanationem: vnde D. Tho. reddens pro ratione cur de Deo nihil demonstrari possit per causam realem in essendo; quia diffiniri non potest, eo quod non est compositus ex genere, & differentia: radicem assignauit huius impossibilitatis.

64 *Instabis.* Instabis: substantia, qualitas, quantitas, & alia suprema genera habent proprietates realiter dimanantes ab illis, & de ipsis demonstrabiles per causam veram, & realem; & tamen non sunt composita ex genere, & differentia; alias prima genera non essent: ergo carere diffinitione defectu compositionis ex genere, & differentia non est ratio non habendi proprietates per realem dimanationem, & quæ possint demonstrari per veram, & realem causam; & consequenter Diuus Thomas non assignauit radicem huius impossibilitatis.

65 *Respond.* Respondeo, prætermissa maiori, & concessa minori, distinguo consequens: carentia diffinitionis, & compositionis ex genere, & differentia, titulo summæ actualitatis, & supremæ perfectionis, nego consequentiam: titulo potentialitatis, & imperfectionis, transeat consequens. Itaque carentia compositionis ex genere, & differentia, & diffinitionis propriæ, ex duplici capite potest oriri. Primo ex summa actualitate. Secundo ex potentialitate, carere primo modo, fundat carentiam proprietatum realiter differentium à natura subiecti; & consequenter realiter dimanantium ab illo; Secus autem secundus modus carentiæ, & quia Deus caret diffinitione, & compositione ex genere, & differentia, ob summam actualitatem: fit consequens, vt non habeat proprietates realiter à se distinctas, nec realiter dimanantes: ac proinde, neque quæ possint demonstrari per veram, & realem causam, quidquid sit, an prima genera, quæ ob secundum titulum carent diffinitione, & prædicta compositione, habeant proprietates realiter ab ipsis distinctas, & realiter dimanantes, & per veram causam demonstrabilis de ipsis, quod negat Ferrariensis *lib. 1. Contra Gentes cap. 25. versu circa secundum corollarium.*

66 *Secundo arguitur.* Secundo arguitur; scientia *propter quid*, procedit per causam in essendo proprietatum quas attingit; sed diuinæ perfectiones causam in essendo non habent: ergo nequeunt, scientiam *propter quid* terminare; & consequenter

Respond. Deus de se ipso scientiam *propter quid* non habet. Respondeo ex dictis, distinguendo maiorem: per causam in essendo realem, aut virtualem, concedo maiorem: semper realem, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet diuina attributa, quæ scientificè Deus de se ipso cognoscit, causam realiter influentem non habeat, habent tamen causam virtualem, vt explicatum relinquimus, quod sufficere, vt verè demonstrentur de Deo, & scientificè scientia *propter quid* cognoscantur, constat exemplis adductis in Theologia, & Metaphysica.

67 *Replicabis.* Sed obijces: attributa prout in re, causam in essendo non habent; sed Deus illa prout in se ipsis cognoscit: ergo prout cognita à Deo causam in essendo non habent; & consequenter cognitio quam Deus habet de illis, scientia *propter quid* non est. *Respond.* Respondeo, iterum distinguendo maiorem: prout in se non habent causam in essendo realem, concedo maiorem: virtualem, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens: non habent causam realem quatenus cognita à Deo, concedo consequentiam: virtualem, nego consequentiam.

68 *Instabis primo,* Sed oppones aduersus istam solutionem primo: Deus de sua essentia secundum conceptum essentiæ non habet scientiam, sed intelligentiam simplicem; quia sua essentia est ens *à se*, & primum rerum principium; sed etiam diuina attributa sunt entia a se; ratio enim entis *à se* est transcendens per transcendentiam formalem omnes Dei perfectiones: ergo non terminant cognitionem Dei scientificam, sed simplicem intelligentiam.

Secundo, Secundo; attributa à Deo cognosci, vt effectus virtualiter, nihil est aliud, quam cognoscere intellectum nostrum illa apprehendere, vt diuinæ essentiæ effectus; sed hoc non sufficit, vt intellectus diuinus de illis secundum se habeat cognitionem scientificam, sed tantum de illis, vt sunt in nostro intellectu: ergo de illis secundum se non habet scientificam cognitionem. *Tertio,* Tertio; Deus cognoscit sua attributa, vt omninò à sua essentia indistincta; aliàs confingeret distinctionem inter attributa, & essentiam; sed essentia diuina, vt omninò indistincta ab attributis non cognoscitur, vt attributorum causa sub aliqua vera ratione: ergo Deus non cognoscit suam essentiam aliqua ratione, vt causam attributorum.

69 *Resp. ad 1 instantiam.* Respondeo ad primam instantiam, distinguendo cautelam maioris: quia est ens *à se* per exclusionem tam causæ, quam principij virtualis, concedo maiorem: solum per causæ exclusionem, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam attributa, esto sint ens *à se* per exclusionem causæ; non tamen sunt ens *à se* per exclusionem virtualis principij; & ideò terminant scientificam cognitionem. *Ad secundam.* Ad secundam, nego maiorem: sed est cognoscere taliter ad essentiam diuinam se habere, quod si ab illa realiter distinguerentur, realiter causarentur ab illa.

70 *Ad tertiam.* Ad tertiam, distinguo maiorem; ly *omninò* excludente distinctionem realem formalem, concedo maiorem: distinctionem virtualem, nego maiorem; & sub eadem distinctione minoris, distinguo consequens; vt causam per realem formalem influxum, concedo consequentiam: per influxum virtualem, nego consequentiam. Nam causalitas, quæ interuenit est iuxta qualitatem distinctionis; & quia sunt omninò indistincta reali distinctione formali ab essentia, sunt, & cognoscuntur, vt omninò incausata ab essentia reali formali influxu, quia tamen distinguuntur ab essentia virtualiter, etiam virtualiter dimanant, & causantur ab illa.

71 *Vrgebis. Sequela prob. 1.* Sed vrgebis; nam sequitur ex nostra doctrina, Deum efficere distinctionem actualem inter attributa, & essentiam; consequens non admittimus: ergo nec doctrinam traditam. Probatur sequela primo: nam intellectus humanus non concipit essentiam actu ab attributis distingui, sed tantum virtualiter; alias illius conceptio esset falsa, attribuens Deo prædicatum illi repugnans; & tamen distinguit essentiam ab attributis actuali distinctione: ergo si intellectus diuinus concipit essentiam, vt virtualiter ab attributis distinctam, statuit inter illa distinctionem actualem. *Secundo* Secundo probatur sequela; tunc enim actualis distinctio confingitur, quando id, quod non est distinctum, concipitur, ac si esset; sed virtualis distinctio non est reale aliquid existens in Deo; aliàs esset actualis realis distinctio; ergo si intellectus diuinus concipit essentiam, vt virtualiter ab attributis distinctam, concipit distinctionem, quæ non est, ac si esset; & consequenter actualem distinctionem inter essentiam, & attributa confingit.

72 *Tertio,* Tertio probatur sequela; vt Deus scientificè sua attributa cognoscat, est necessarium, quod essentia diuina sit illi ratio cognoscendi attributa, & hæc in essentia, & ex essentia debent cognosci; sed essentiam esse intellectui diuino rationem cognoscendi attributa, & hæc in illa, & ex illa cognosci, est illi obijci, vt actu distincta: ergo non potest Deus sua attributa cognitione scientifica attingere, quin cognoscat illa, vt actu ab essentia distincta; consequenter quin actualem distinctionem inter attributa, & essentiam confingat. Denique probatur sequela; vt Deus sua attributa cognoscat scientifica cognitione, debent attributa cognosci præcisiuè ab essentia, ex vitalis cognitionis; sed cognosci attributa præcisiuè ab essentia hoc est essentia non cognita ex vi cognitionis scientificæ, est cognosci, vt actu distincta ab essentia: ergo non stat cognosci attributa scientificè à Deo, nisi inter illa, & essentiam diuinus intellectus actu distinguat.

Respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem dicatur; intellectum humanum ideò inter essentiam, & attributa, actualem distinctionem efficere, quia licet ex parte obiecti, & in actu signato non attribuat actualem distinctionem immediatè, & per actum directum; cognoscit tamen essentiam vno conceptu, & alio attributa, quibus conceptibus obijciuntur attributa, & essentia, vt actu distincta exercitè, & supra hanc primam, & directam attingentiam essentiæ, & attributorum fundatur alia reflexa, qua Deo attribuimus actualem distinctionem ex vi primæ conceptionis in exercitio formatam. Quæ doctrina est D. Thom. q. 1. *de potentia art.* 1. *ad* 10. intellectus autem diuinus non pluribus, sed vno actu realiter concipit attributa, & essentiam, & ideò quamuis illa vt virtualiter distincta concipiat, actualem distinctionem non format. 73 *Resp. ad 1. probationem sequelæ.*

Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem: virtualis distinctio, non est aliquid reale actu existens in Deo, realitate distinctionis, concedo minorem: realitate entitatis, nego minorem, & consequentiam. Deus enim concipiendo essentiam suam virtualiter ab attributis distingui, nihil concipit, quod non sit; nam virtualis distinctio, etsi non sit actualis realis distinctio, est tamen entitas realis, & distinctio virtualis, quod solum diuinus intellectus cognoscit. 74 *Ad secundam.*

Ad tertiam distinguo maiorem: debet essentia esse ratio virtualis attingendi attributa, & hæc in illa, & ex illa virtualiter cognosci, concedo maiorem: debet esse ratio formalis cognoscendi attributa, & hæc in illa, & ex illa cognosci, ly *in*, & *ex illa* dicendo habitudinem formalem, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam cum scientifica attributorum cognitio solum virtualiter à cognitione essentiæ in re distinguatur, & per nostrum intellectum formaliter, sufficit, vt essentia in re sit virtualis ratio Deo cognoscendi attributa, & per nostrum intellectum concipiatur, vt ratio formalis cognitionis attributorum: sicut ad hoc, quod voluntas, & intellectus in Deo distinguantur in re virtualiter, & formaliter per nostrum intellectum, sufficit, quod in re bonum diuinum virtualiter voluntatem specificet, & non verum diuinum, & per nostrum intellectum concipiatur bonitas, vt formaliter specificans voluntatem, & non veritas diuina. 75 *Ad tertiam.*

Ad vltimam probationem sequelæ, distinguo maiorem: ex vi talis cognitionis sumptæ realiter, nego maiorem, sumptæ virtualiter, & non realiter, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam intellectus noster ideò actu distinguit inter attributa, & essentiam: quia vno actu attingit essentiam, quo sumpto realiter non cognoscit expressè attributa, & è contra entitate actus, quo attributa cognoscit, nō attingit essentiam expressè: in diuino autem intellectu non ita; nam licet actus, quo attributa scientificè attingit, prout virtualiter distincto a cognitione essentiæ, virtualiter non attingat explicitè essentiam, illam tamen attingit realiter formaliter, nempè, cognitione essentiæ, quæ realiter formaliter identificatur cum attributorum scientifica cognitione; & ideò cognitio attributorum non facit distinctionem actualem inter illa, & essentiam, sicut diuina cognitio prout virtualiter à volitione distincta, attingit veritatem diuinam præcisiuè à bonitate, quin actu distinguat veritatem à bonitate; quia eadem cognitio sumpta realiter formaliter bonitatem attingit, nempe, med. a volitione sibi identificata identitate reali formali. 76 *Ad quartam.*

Tertio arguitur: sic comparantur in voluntate electio mediorum, & intentio finis, sicut in intellectu scientia, & lumen principiorum; sed attributa virtualiter ab essentia distingui, non sufficit vt essentia terminet intentionem, & attributa electionem: ergo virtualis attributo, 77 *Arg. 3.*

butorum ab essentia distinctio, non sufficit vt essentia diuina intellectu principiorum cognoscatur à Deo, & attributa cognitione scientifica. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur primo ex D Thom. 1. *Contra Gentes cap. 74. ratione 3. ibi: Principale obiectum diuinæ voluntatis est diuina essentia, cum autem diuina essentia sit Dei intelligere, & omnia alia, quæ in ipso esse dicuntur, manifestum est, quod eodem modo principaliter vult se intelligere, se velle, se esse vnum, & quidquid aliud est huiusmodi:* sed si Deus essentiam suam vellet per intentionem vt finem, & attributa per electionem vt media, non vellet eodem modo principaliter essentiam, & alia, quæ in Deo formaliter repetiuntur, vt per se est manifestum: ergo attributa diuina, non per electionem, sed per intentionem diliguntur à Deo. (*Minor prob. 1.*)

78 Secundo probatur ex eodem D. Thoma *lib. 1. Contra Gentes cap. 88. ratione 3.* illis verbis: *Voluntas est finis, electio autem eorum, quæ ad finem sunt; cum igitur Deus se ipsum tanquam finem velit, & non sicut quæ ad finem sunt, alia verò sicut quæ ad finem sunt, sequitur, quod respectu sui habeat voluntatem tantum; respectu autem aliorum, electionem: electio autem semper per liberum arbitrium fit, Deo igitur liberum arbitrium competit.* Hæc Diuus Thomas, ex quibus aperte constat illa solum Dei electionem terminare, quæ liberè amantur ab ipso; sed attributa non liberè, sed necessario amantur à diuina voluntate: ergo non terminant actum electionis, sed intentionis diuinæ. Tertio; nam obiectum electionis sunt media; attributa autem non sunt media, sed finis: cum sint bona, ratio autem boni eadem est ac ratio finis: ergo non terminant electionem, sed intentionem diuinam. (*Secundo.*) (*Tertio.*)

79 Quarto; nam fini vltimo repugnat terminare electionem; cum nequeat ad aliud à se vt ad finem ordinari; sed attributa sunt bona bonitate vltimi finis; aliàs non essent à se per exclusionem causæ finalis, nec efficientis; cum omne quod finem habet, habeat etiam causam efficientem: ergo electionem non terminant. Denique; nam attributa, & Deus ratione illorum amatur à nobis per actum Theologicæ charitatis: charitas autem, cum electiua virtus non sit, non elicit electionem: ergo à nobis non amantur per actum qui sit electio; & consequenter nec possunt Dei electionem terminare. (*Quarto.*) (*Quinto.*)

80 Hoc argumentum contra nostram, & communem sententiam multis ab hinc annis obieceram; adeoque difficile visum est, vt nonnulli Recentiores propter illud à communi sententia recesserint, immeritò tamen, cum ipsi eadem premantur difficultate; & consequenter illam soluere teneantur, quod patet clarè; ipsi namque, etsi scientiam strictè sumptam respectu suorum attributorum in Dei intellectu inficientur; in nobis tamen scientiam strictè sumptam respectu attributorum admittunt, videlicet nostram Theologiam, quam esse scientiam strictè, Deumque pro obiecto primario habere, & de ipso attributa demonstrare, tenent omnes Discipuli D. Thomæ, & frequentius alij Theologi. En argumentum, vel in nostra voluntate datur attributorum electio, vel non? Si primum: ergo etiam poterit electio attributorum in diuina voluntate absque inconuenienti constitui. Si secundum, sic insurgo; in nostro intellectu datur scientia strictè sumpta terminata ad attributa diuina; & tamen non datur in voluntate nostra electio terminata ad attributa diuina: ergo ex negata electione attributorum, non colligitur negatio scientiæ strictæ terminatæ ad attributa. (*Hoc argumentum etiam contra ipsos sententiam militare, probatur.*)

81 Explicatur difficultas: Recentiores illi negant electionem in voluntate nostra terminata ad attributa diuina; & tamen scientiam strictè sumptam in nostro intellectu ad illa terminatam, non negant: ergo tenentur discrimen inter scientiam, electionemque recognoscere; & consequenter ex eo quod Deus per actum electionis sua attributa non appetat, male inferunt sua attributa non cognoscere cognitione propriè scientifica. (*Confirmatur.*)

82 Ad argumentum responderi potest primo, negando consequentiam, & assignando rationem discriminis; nam electio est de medijs non amatis propter se, sed propter finé; attributa autem diuina: cum infinitæ sint bonitatis, sunt vltimus finis: ac proinde propter se, & non propter aliud amabilia; vnde electionem terminare non possunt, vt autem cognitionem scientificam terminet, sufficit cognosci ratione essentiæ diuinæ, in quo nulla repugnantia inuenitur. (*Ad illud responderi potest primo.*)

83 Sed non satisfacit ista solutio; nam licet ratione assignata discriminis rectè probetur, non posse attributa terminare electionem, quæ purè electio sit, non tamen probatur, non posse terminare electionem, quæ simul sit intentio, hoc est, intentionem intermediam: ergo de hac electione loquendo, restat argumentum soluere. Probo antecedens; licet de ratione puræ electionis sit terminari ad obiectum nullo modo amatum propter se, sed tantum propter aliud, hoc tamen de ratione intentionis intermediæ non est, sed quod illius obiectum ametur propter aliud, quamuis simul propter se diligatur; sed diligi propter aliud, ly *propter* dicente virtualem causalitatem finalem non repugnat attributis: ergo quamuis petant (quia bona intrinsecè sunt) diligi ratione sui, non tamen repugnat illis intentionem, quæ simul electio sit, terminare. Probo minorem; attributa, etsi sint à se per exclusionem causæ finalis realis, non tamen sunt à se per exclusionem finis virtualis; sed esse propter finem virtualem, sufficit, vt ratione illius, & propter illum virtualiter diligantur: ergo sic diligi non repugnat attributis, imo sic diligi postulant. (*Reijcitur ista solutio.*)

84 Et augetur difficultas; licet diuina attributa sint entia à se per exclusionem causæ efficientis realis, quia tamen non sunt à se per exclusionem virtualis principij, sed hoc modo à diuina essentia dimanant, possunt terminare scientificam cognitionem, qua per diuinam essentiam, vt per causam virtualem cognoscuntur; sed etiam quamuis sint à se per exclusionem causæ finalis realis, non tamen sunt à se per exclusionem finis virtualis, sed hoc modo sunt propter diuinam essentiam: ergo possunt diligi propter illam; & consequenter terminare electionem, non quæ purè electio sit, sed quæ sit intentio non vltima, sed intermedia. Consequentia patet à paritate rationis. Maior constat ex dictis. Minor autem probatur primo; non enim est magis de ratione entis increati esse finem vltimum ad alium non ordinatum, quam esse primum principium ab alio efficienter non causatum: ergo si attributa, quamuis entia sint increata, sunt ab alio, nempè, ab essentia, vt principio effectiuo virtuali, erunt etiam ab eadem essentia, vel propter illam, vt finem virtualem. (*Confirmatur.*) (*Minor probatur primo.*)

85 Secundo; nam eo modo, quo aliquid efficienter causatur, etiam causatur finaliter: ergo si attributa habent causam efficientem virtualem, etiam habent causam virtualem finalem. Tertio; nam in creatis, vbi essentia, vel natura realiter à potentijs, alijsvè proprietatibus distinguitur, illas causat realiter efficienter, & finaliter; potentiæ namque realiter à natura distinctæ, realiter ab illa dimanant in genere causæ efficientis, & realiter sunt propter illam in genere causæ finalis: ergo natura diuina, quæ virtualiter ab attributis distinguitur, erit causa virtualis illorum, non solum efficiens, sed etiam finalis. Denique; nam idcirco illa causat efficienter virtualiter, quia ita comparatur essentia cum attributis, quod si ab illis realiter distingueretur, illa realiter efficienter causaret; sed ita etiam comparatur, quod si realis distinctio intercederet, illa realiter finalizaret: ergo est finis virtualis attributorum. (*Secundo probatur.*) (*Tertio.*) (*Quarto.*)

86 Secundo responderi potest, negando iterum consequentiam ob aliam rationem discriminis, nempè, quia de ratione electionis est libertas, vt constat ex Diuo Thoma *lib. 1. Contra Gentes cap. 88.* verbis *superius* adductis, vnde petit pro obiecto aliquid non necessarium ad amati finis existentiam: attributa autem diuina necessaria sunt ad existentiam essentiæ: ac proinde à Deo necessario suam essentiam amante, necessario, & non liberè petunt amari; ac proinde nequeunt terminare electionem; vt autem veritas aliqua demonstretur, non obstat necessaria connexio cum principio, quod demonstratur, imo petitur ista connexio, & sine illa demonstrari non potest; vnde quamuis Dei attributa necessario connectantur cum essentia diuina, possunt demonstrari per illam: ac proinde terminare scientificam cognitionem. (*Secundo responderi potest.*)

87 Hæc tamen solutio, etsi ad veritatem proximius, quam præcedens accedat, non plenè argumento satisfacit; nam licet loquendo de electione sumpta strictè, & adæquatè reddat sufficientem rationem discriminis inter illam, & cognitionem scientificam; loquendo autem de electione inadæquatè pro actu voluntatis respectiuo finis formali, aut virtuali respectu, non assignat sufficiens discrimen; sed vtentes solutione secunda, etiam istum actum relegant à voluntate Dei respectu suorum attributorum: ergo insufficienter argumento facto occurrunt. Probo minorem, negant electionem in Deo terminatam ad attributa, quia sunt bona bonitate vltimis finis; sed hac ratione non solum excluditur electio sumpta adæquatè, sed etiam inadæquatè pro actu respectiuo finis: ergo negant electionem in Deo respectu suorum (*Nec ista solutio placet.*)

sum attributorum, etiam sumptam inadæquate,

88 *Pro vera solutione nota 1.* Vnde his omissis solutionibus, vel ad subijciendam reductis pro solutione argumenti breuiter aduerto primo; electionem sumi dupliciter. Primo, pro electione pura. Secundo, pro electione, qua simul intentio est, & dicitur intentio intermedia, quia terminatur ad finem ratione sui, & simul ratione vlterioris finis. *Nota 2.* Aduerto secundo; adhuc acceptam secundo modo, posse accipi dupliciter; primo strictè, & adæquatè; secundo inadæquatè; & largè; hoc secundo modo nihil aliud importat, quam attingentiam obiecti non sistentem vltimo in illo, sed transeuntem ad aliud, ratione cuius amatur, vel transitu formali, reali, aut solummodo virtuali: in prima autem acceptione petit primo quod non sit necessaria, sed libera, vt docet Diuus Thomas loco *ex Contra Gentes* relato. Et *1.2. quæst. 13. art. 6.* & quod sit eorum, quæ libere aliqua ratione aguntur ab eligente, vt docet idem D. Thomas *vbi proximè art. 4.*

89 *Vera solutio arg. num. 97. posit.* His positis ad argumentum respondeo, attributa diuina non posse terminare electionem puram, benè tamen scientificam cognitionem, propter rationem discrimiois prima solutione traditam, quia nempè, de ratione puræ electionis est, vt obiectum illius, nullatenus propter se ametur, vt docet Diuus Thomas *in hac prima parte quæst. 19. art. 2. ad 2.* quod diuinis attributis repugnat; cum habeant bonitatem infinitam intrinsecam, ratione cuius possunt, & petunt amari: scientia autem stricta non excludit à suo obiecto veritatem intrinsecam, ratione cuius in se ipso cognoscatur, ac proinde loquendo de lectione pura sufficiens discrimen inter illam, & scientiam versatur, vt hæc, & non illa possit erga attributa versari. Nec possunt terminare intentionem intermediam, hoc est, intentionem, quæ simul electio sit, sumpta electione adæquate. Tùm; quia non liberè, sed necessario amari possunt a Deo. Tum etiam: quia attributa nulla ratione à Deo illa amante aguntur, quorum vtrumque electio adæquatè sumpta requirit; & quia nihil horum ad scientiam adæquatè sumptam exigitur, sufficiens ratio discriminis inter electionem adæquatè acceptam, & scientificam cognitionem versatur, vt hac in Deo admittatur respectu suorum attributorum; illa vero à diuina voluntate excludatur: datur autem in Deo electio suorum attributorum sumpta pro actu voluntatis non sistente in proprio obiecto, sed illud propter aliud, vt finem saltim virtualem amante, & sic accepta electione, nullum inter illam, & scientificam cognitionem potest discrimen constitui in ordine ad diuina attributa.

90 *In forma respond.* Vnde in forma ad argumentum factum respondeo, distinguendo maiorem: electio adæquatè sumpta, nego maiorem: sumpta inadæquatè, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet attributa diuina non amentur a Deo amore, qui electio sit adæquatè ob rationes assignatas, amantur tamen amore, qui inadæquate est electio, hoc est, amore non sistente in illis, sed vltiorem finem, non realem, sed virtualem, non realiter, sed virtualiter respiciente, & electio sic sumpta comparatur ad intentionem finis, sicut cognitio scientifica ad intellectum principiorum, & cum intentione finis conuertitur: electio autem sumpta adæquatè, qua ratione dicit comparationem non solum ad finem, sed etiam ad media, electo medio postposita, & libertatem importat, & alia quæ *supra* enumerabamus, non sic comparatur: & ratio est; nam sunt aliqua ita necessaria ad finem, vt sine illis nequeat subsistere, alia sine quibus potest, hæc terminant electionem adæquatè acceptam, illa vero electionem sumptam inadæquatè, accepta vno aut alio modo disiunctim cum intentione, aut amore finis conuertitur; secus autem accepta aliquo ex illis modis determinate.

91 *Ad 1. probationem minoris.* Ad primam minoris probationem quatenus distinctioni traditæ obstare potest, explico, & distinguo maiorem: eodem modo quoad rationem obiecti primarij, & quoad rationem necessitatis, concedo maiorem: eodem modo quoad omnia, nego maiorem, & distinguo minorem: si attributa sua diligeret, vt purè media, vel vt fines intermedios realiter, non diligeret illa eodem modo, concedo minorem: si illa diligat, vt fines intermedios tantum virtualiter, subdistinguo minorem: non vellet illa eodem modo quoad rationem obiecti primarij, & quoad rationem necessitatis, nego minorem: eodem modo quoad omnia, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque Diuus Thomas, ibi solum intendit statuere discrimen inter increatas Dei perfectiones, & perfectiones creatas, quod illas non necessario, sed liberè, non primario, sed secundario diligit diuina voluntas, eo quod sine illis potest bonitas diuina primario amata subsistere, illas verò non liberè, sed necessario, non secundario, sed primario diligit, quod verum est, & in hoc perfectiones attributorum cum perfectione essentiæ æquiparauit; cum quo tamen stat, vt attributa, quatenus ab essentia virtualiter distincta, ratione essentiæ virtualiter amentur; & consequenter, vt fines intermedij, non realiter; non enim habent finem a se realiter distinctum, sed virtualiter: quia essentiam diuinam, vt finem virtualem respiciunt, vt explicatum relinquimus. An autem attributa sint primarium obiectum voluntatis diuinæ, vel solum alicuius actus formaliter existentis in Deo? videbimus, cum obiectum primarium intellectus diuini examinemus.

92 *Ad secundam.* Ad secundam probationem dicatur; Diuum Thomam respectu attributorum, solum negare electionem acceptam adæquatè pro actu libero comparatiuo, & respectiuo realiter finis ex parte obiecti, non autem electionem sumptam inadæquatè pro amore respiciente virtualem finem. *Ad tertiam.* Ad tertiam, distinguo maiorem: obiectum electionis puræ sunt media, concedo maiorem: electionis, quæ simul intentio est, subdistinguo maiorem: media purè media, nego maiorem: media quæ simul rationem finis sortiuntur, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: attributa namque etsi non sint purè media, sed fines, non tamen sunt, prout virtualiter distincta ab essentia fines vltimi realiter, & virtualiter, sed fines vltimi realiter, & virtualiter intermedij; habent enim diuinam essentiam pro fine sui non reali, sed virtuali.

93 *Ad quartam.* Et ex his ad quartam minoris probationem, distinguo maiorem: fini vltimo realiter, & virtualiter, concedo maiorem: fini vltimo realiter, & non vltimo virtualiter, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam attributa, licet virtualiter ab essentia distincta, sint vltimus finis realiter, quia finem realem, hoc est, realiter, finaliter influentem non habent, non tamen sunt vltimus finis virtualiter; habent enim diuinam essentiam pro sui virtuali fine, nec hoc opponitur essentiæ entis increati, sicut nec quod habeat virtuale effectiuum principium, vt constat ex dictis.

94 *Ad 5. probationem.* Ad vltimam probationem dicatur: Deum ratione attributorum prout virtualiter ab essentia distinguntur, diligi per actum secundarium, non per actum primarium charitatis, vt docebimus *Tract. de Charit. art. 5.* licet autem actus omninò primarius charitatis sit intentio; electio autem actus secundarius, bene potest rationem intentionis intermediæ sortiri. Nec sequitur, charitatem esse virtutem electiuam. Tum, quia ad hoc opus erat, vt actus primarius charitatis electivus esset. Tum etiam; quia virtutes electiuæ petunt erga fines realiter intermedios versari: attributa autem non sunt fines realiter intermedij, sed virtualiter tantum.

95 *Arg. 4.* Quarto arguitur; fides prout terminata ad attributa Dei est participatio formalis scientiæ diuinæ, sed prout sic non est scientia strictè: ergo cognitio Dei, vt terminata ad attributa non est strictè, & rigorosè scientia. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; prout sic terminata, est participatio cognitionis diuinæ, non simplicis intelligentiæ, quæ habet pro obiecto essentiam sub primario essentiæ conceptu: ergo cognitionis scientificæ. *Respond.* Respondeo, distinguendo maiorem: scientiæ sub conceptu certitudinis, omitto maiorem: sub conceptu scientiæ, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: & insto; fides namque sub terminatione ad essentiam est participatio simplicis intelligentiæ Dei; & tamen fides non est propriè simplex intelligentia, adhuc sub illa terminatione; non enim innititur veritati immediatæ, nempè, essentiæ diuinæ creditæ, quod ad rationem simplicis intelligentiæ necessarium erat, sed reuelationi extrinsecæ: pariter ergo quamuis fides sit participatio certitudinis scientiæ diuinæ sub terminatione ad attributa, non tamen est participio formalis scientiæ sub conceptu scientiæ, quia innititur extrinsecæ reuelationi, non autem essentiæ, vt radici virtuali attributorum, & obscurè illa cognoscit, quorum vtrumque scientiæ sub concepto scientiæ repugnat.

96 *Quintum arg. & instatur contra dictam solutionem.* Quinto arguitur, & instatur contra hanc solutionem; visio beatifica est participatio formalis scientiæ diuinæ sub conceptu scientiæ; & tamen non est scientia strictè; ergo Dei cognitio non est scientifica strictè. Minor exinde constat; scientia namque petit primario attingere conclusiones demonstratas; visio autem beatifica

non

non illas, sed Dei essentiam per se primo contemplatur. Maior autem suadetur; nam ideò fides non est formalis participatio cognitioni diuinæ, vt scientificæ; quia innititur extrinsecæ reuelationi; non autem causæ, aut radici veritatum demonstrabilium, & quia obscurè veritates illas attingit; sed visio beatifica non obscurè, sed clarè attingit attributa diuina, & creaturas, & diuinam essentiam contemplatur, vt radicem attributorum, & causam creaturarum: ergo est participatio formalis cognitionis Dei sub conceptu scientificæ.

97 *Resp. 1.* Huic argumento in sententia illorum, qui dicunt cognitionem diuinam absque virtuali distinctione sortiri rationem intellectus, & scientiæ, & primario solum essentiam attingere, secundario verò, & attributa, & creaturas, consequenter est occurrendum, concessa maiori, negando minorem. A probationem dicendum; scientiam, quæ solum est scientia debere primario attingere veritates demonstratas, quæ autem simul est intellectus principiorum primariam istam terminationem non petere, sed solum, quod causam cognoscat, & in illa, & ratione illius, effectus, vel conclusiones, & quia totum hoc in visione reperitur: fit consequens, vt sit cognitio scientifica strictè.

98 *Secundo resp.* In aliorum autem sententia, asserente, ad rationem scientiæ strictæ, exigi terminari primario ad veritates mediatas, & demonstrabiles penès ordinem, ad quas primò, & per se rationem scientiæ sortitur, aliter est occurrendum, negando maiorem. Ad illius probationem dicendum; fidem ex illis capitibus rectè excludi à ratione participationis formalis cognitionis Dei sub conceptu scientificæ, restare tamen aliud ex quo visio beatifica excluditur, nempè, quia non per se primo, sed secundo attingit veritates demonstrabiles, cuius oppositum necessarium erat, vt esset formalis participatio cognitionis diuinæ, vt scientificæ.

99 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur; si Deus scientiam strictè de suis attributis haberet, sequeretur, suam cognitionem scientificam attingere cognitione strictè scientifica; consequens est falsum: ergo Deus non habet scientiam strictè de suis attributis. Sequela patet; nam cognitio scientifica est vnum ex diuinis attributis: ergo si alia attributa cognoscit cognitione strictè scientifica, ipsam cognitionem scientificam scientia strictè tali cognoscit. Minor autem probatur; etenim cognitio scientifica petit virtualiter, saltim à suo obiecto, aut veritate demonstrata distingui, non minus quam vitalis actio à principio vitali; *Respond.* sed scientia Dei non potest à se ipsa virtualiter distingui: ergo nec respectu sui sortiri rationem scientiæ. Respondeo, hoc argumentum, si aliquid probat, conuincere, Deum suam cognitionem nulla ratione cognoscere; cum non minus petat cognitio distingui ab obiecto cognito, quam scientia ab obiecto scito. Quod autem neutrum conuincat constabit ex dicendis *infra*, cum de obiecto primario diuinæ cognitionis tractemus.

§. V.

Scientia strictè sumpta in Deo respectu creaturarum statuitur.

100 *Tertia conclusio.* TERTIA CONCLVSIO. *Cognitio diuina rationem scientia cum proprietate sortitur respectu creaturarum secundum illarum essentias, & proprietates, & etiam respectu illarum, vt in singulari existentium.* Ita contra Durandum docent Theologi pro 2 *conclus.* allegati. *Notandū primo.* Ante cuius probationem aduerto primo, inter veritates creatas quasdam esse necessarias; & alias contingentes, istæ sunt necessariæ, *Homo est rationalis, homo est risibilis*; istæ autem, *Petrus existit, currit, legit*, sunt contingentes. *Notandū 2.* Aduerto secundo, ex veritatibus necessarijs quasdam esse immediatas, nempè, inter quarum prædicata, & subiecta, nihil intrinsecum mediat, vt ista: *homo est rationalis*; alias verò esse mediatas, in quibus inter subiectum, & prædicatum aliquid intrinsecum mediat, vt hæc, *homo est risibilis*, mediat enim inter risibilitatem, & hominem admiratiuum. Asserimus ergo contra Durandum, cognitionem diuinam secundum terminationem ad omnes has veritates rationem scientiæ cum proprietate....

101 *Prob. conclusio quo. ad omnes partes.* Conclusio quantum ad omnes partes vnica ratione probatur; etenim cognitio euidens, & certa rei per causam, & quod eius est causa, & quod aliter se habere non potest, est cognitio strictè scientifica; sed Deus habet cognitionem certam, & euidentem essentiæ rerum creatarum, & illarum proprietatum, & contingentium in singulari existentium per causam, certò, & euidenter cognitam: ergo habet scientiam strictam de omnibus his veritatibus. Illatio est in forma. Maior constat ex diffinitione scientiæ ab omnibus acceptara. Minor autem quoad omnes partes indiget probatione, & quoad primam, in qua est maior difficultas, probatur primo; *Minor quoad 1. partem prob. 1.* nam licet essentiæ rerum creatarum non habeant causam creatam, & mediantem intrinsecè inter prædicatum, & subiectum, habent tamen causam increatam; vt enim docet D. Thomas in hac *prima p. q. 2 1. art. 4. in corpore*, hominem esse hominem, est propter diuinam bonitatem: ac proinde bonitas Dei est causa huius finalis. Et vt docet *q. 15. art. 3. ad 2.* eorum quæ neque sunt, neque fuerunt, nec erunt, Deus habet idæam, non secundum quod idæa exemplar significat, bene tamen prout idæa significat rationem; idæa autem sub vtraque ratione causa est idæati.

Deinde; nam essentiæ creatæ essentialiter petunt omnipotentiam, vt causam efficientem; cum essentialiter sint entia non à se, sed ab alio; ens autem ab alio, ab illo essentialiter dependeat. 102 *Secundo prob.* *Tertio.* Denique; nam iuxta Diuum Thomam *in hac q. art. 5. & 6.* Deus veritates creatas cognoscit in se ipso, vt causa, & principio illas continente perfectè; sed cognoscit veritates necessarias immediatas: ergo in se ipso, vt causa illarum; & consequenter veritates istæ immediatæ, & necessariæ causam habent increatam.

Et ex his manet secunda pars eiusdem minoris probata, & insuper constat; nam proprietates creaturarum causantur ab illarum essentijs, effectiuè, & subiectiuè, & finaliter; risibilitas namque v. g. radicatur in essentia hominis, subiectatur in illa, & est propter illam; sed Deus essentias creatas cognoscit, & omnium illarum habitudinem, & connexionem: ergo cognoscit essentias creatas esse causas proprietatum, & proprietates ab illis modis assignatis causari. 103 *Quoad 2. partem prob.*

Et denique tertia pars eiusdem minoris suadetur; nam licet veritates contingentes non habeant causam infallibilem creatam, Deus tamen mediante suo decreto efficaci illarum est causa infallibilis, & essentia sua, vt per liberum decretum determinata est illarum causa exemplaris infalligaliter cum illis connexa: ergo cognoscit has veritates in suo libero decreto, & in se, vt illarum causa exemplari; & consequenter habet certam, & euidentem cognitionem istarum veritatum per causam. *Quoad 3. partem prob. minor.*

Sed contra istam conclusionem obstat primum argumentum Durandi; nam scientia, sapientia, & intellectus principiorum in Deo concipiuntur à nobis ad instar similium perfectionum, quæ in creaturis reperiuntur; sed scientia in nobis non versatur erga essentias creatas, nec erga res in singulari existentes, sed tantum circa proprias passiones in communi consideratas: ergo scientia Dei non versatur erga essentias creatas, nec circa res in singulari existentes, sed tantum erga proprietates, passionesque creaturarum in communi. 104 *Arg. 1. Durandi.*

Respondeo, verum esse perfectiones concipi à nobis in Deo ad instar similium existentium in creaturis, seclusis tamen omnibus imperfectionibus, quibus inuolutæ reperiuntur in illis, quod autem scientia creata non se extendat ad singularia existentia, nec ad essentias creaturarum, oritur ex eo quod intellectus noster non penetrat Deum, vt est causa essentiæ creaturarum, nec certo decreta Dei, ex quibus contingentia certitudinem sortiuntur, quod imperfectionis est, & ideo scientia diuina, quæ est ab omni imperfectione abstrahenda terminari debet, nedum ad proprias passiones, sed etiam ad rerum essentias, & ad contingentia vt in singulari existentia. 105

Secundo arguitur; essentiæ rerum creatarum à nulla causa dependent: ergo nequeunt per causam cognosci, quod necessarium erat, vt terminarent scientificam cognitionem, quæ est cognitio rei per causam. Antecedens probatur; essentiæ rerum creatarum terminare nequeunt actionem productiuam; cum hæc petat rem existentem pro termino; sed dependentia rei à causa, est mediante actione causæ: ergo à nulla causa dependent. 106 *Secundo arg.*

Huic argumento responderi solet primo, quod licet essentiæ creatæ, vt in statu possibilitatis non dependeant à Deo, vt à causa efficiente, dependent tamen ab illo vt à fine, & exemplari, & hoc sufficit, vt per causam scientificè cognoscantur. 107 *Respond. primo.*

Sed contra; nam vel solutio procedit de dependentia, vt exercita, vel de dependentia signata; neutro ex his modis potest discrimen subsistere: ergo nec veritas solutionis. Probatur minor; causa finalis non causat, nisi mouendo efficientem, nec causa exemplaris aliter de facto 108 *Reijcitur solutio.*

influit, nisi artificem dirigendo ad effectus productionem; sed essentiæ creaturarum non dependent dependentia exercita à Deo, vt à causa efficiente, vt tradita solutio supponit: ergo nec à Deo, vt fine, nec vt à causa exemplari exercita dependentia dependent, sed tantum dependentia signata, hoc est, exigendo essentialiter, quod si extra causas ponantur, à Deo finalizentur, & ab ipso exemplariter causentur; sed hoc genere dependentiæ, etiam dependent à Deo, vt à causa efficiente; petunt enim essentialiter, vt extra causas existant, Deum pro causa prima efficienti: ergo nullum est discrimen.

109 *Vera solutio.* Et ex his argumento facto occurritur distinguendo antecedens: dependentia exercita, concedo antecedens: signata, nego antecedens, & consequentiam; sic enim essentialiter dependent à Deo, & in ipso eminenter continentur, vt in causa efficiente, finali, & exemplari. Quod autem hæc dependentia sufficiat, vt terminent scientificam cognitionem patet; nam passiones demonstrantur per essentias; & tamen in statu possibilitatis non dependent ab illis exercitè, cum exercitè non dimanent, in quo illarum dependentia consistit: ergo dependentia signata proprietatum ab essentia, sufficit, vt de illa, & per illam demonstrentur, & scientificè cognoscantur.

110 *Replicabis 1.* Sed oppones primo; nullius creaturæ essentia constituitur per respectum ad Deum, vt ad causam efficientem: ergo nulla creatura dependet ab illo essentialiter in isto genere causæ. *Secundo.* Secundo; nam saltim substantiæ creatæ nequit essentialiter competere dependentia à Deo, vt à causa: ergo essentia substantiæ creatæ non potest cognosci scientificè. Probatur antecedens; vt enim communiter docetur à discipulis Diui Thomæ, substantia creata est absoluta ab omni ordine transcendentali ad aliquid extra se, vnde probant impossibilitatem substantiæ supernaturalis creatæ; sed dependentia à Deo est ordo transcendentalis: ergo nequit essentialiter competere essentiæ substantiæ creatæ. *Tertio.* Tertio; nam demonstratio alicuius rei petit per causas talis rei proprias procedere; sed Deus est causa communis, & vniuersalis omnium: ergo per ipsum, vt causam, non possunt essentiæ rerum creatarum demonstrari.

111 *Ad 1. replicā respōdetur.* Respondeo ad primam replicam, permisso antecedenti, negando consequentiam. Licet enim nulla creatura in particulari per respectum ad Deum, vt causam efficientem constituatur, omnibus tamen creaturis transcendentaliter conuenit ratio entis ab alio, cui essentialis est dependentia à Deo, vt à causa. *Ad secūdam.* Ad secundam, distinguo antecedens: essentialiter constitutiuè, concedo antecedens: transcendentaliter, nego antecedens, & consequentiam: & sic accipienda est communis Thomistarum doctrina, nempè, quod substantiæ ex conceptu substantiæ respectus transcendentalis ad extrinsecum non conuenit, cum quo tamen stat, quod ex conceptu entis ab alio transcendentalem respectum ad Deum, vt causam efficientem, finalem, & exemplarem importet.

112 *Ad tertiā.* Ad tertiam, distinguo maiorem: per causas proprias proprietate rei contentæ, concedo maiorem: proprietate continentis, nego maiorem, & distinguo minorem: est causa communis omnium eminenter continens cuiusvis rei prædicata propriissima, concedo minorem: tantum continens prædicata communia, nego minorem, & consequentiam. Vt enim res aliqua à priori demonstretur, sufficit causa continens prædicata propria ipsius, etsi aliarum rerum prædicata contineat: Deus autem, & si sit causa vniuersalis omnium non continet solum prædicata vniuersalia, sed etiam propria rerum prædicata, ideoque per ipsum tanquam per causam, possunt creaturarum essentiæ à priori demonstrari.

113 *Arg. 3.* Tertio arguitur; si creaturarum proprietates scientificè cognoscuntur à Deo, per illarum essentias erit, à quibus dimanatiuè causantur; sed cognitio terminata ad proprietates per essentias creaturarum in diuino intellectu non datur: ergo nec scientifica proprietatum creaturarum cognitio. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; cognitio effectus per causam terminatur ratione causæ ad effectum; sed cognitio diuina non potest terminari ad proprietates ratione essentiæ creatæ: ergo nec proprietates per essentiam creatam cognoscere. Probatur minor; si cognitio diuina terminaretur ad proprietates ratione essentiæ creatæ, essentia creata esset Deo ratio cognoscendi proprietates; sed hoc concedi non potest; nihil enim creatum potest esse ratio cognoscendi Deo; aliàs esset diuinæ cognitionis motiuum, illamque specificaret, quod principijs Thomistarum non congruit; ergo diuina cognitio nequit terminari ad proprietates ratione essentiæ creatæ.

Huic argumento docti Recentiores ex nostris minoris probatione conuicti, negant maiorem, sentientes, Deum quidem scientificè cognoscere proprietates creaturarum, non tamen per illarum essentias, vt causam, sed quatenus ratione diuinæ essentiæ, vt causæ, tum essentias creatas, tum etiam proprietates cognoscit. 114 *Prima solutio.* Secundo alij respondent, concessa maiori, distinguendo minorem: ex parte cognitionis diuinæ, *Secunda.* concedunt minorem: ex parte rei cognitæ, negant minorem, & consequentiam. Vt enim Deus scientificè cognoscat proprietates creaturarum per illarum essentias vt causas sufficit cognoscere essentias creaturarum esse causas proprietatum, in quo consistit cognoscere proprietates per essentias causalitate obiectiua, quin sit necessarium, quod essentiæ creatæ sint Deo rationes cognoscendi proprietates ex parte diuinæ cognitionis. Contra quam distinctionem non obstat minoris probatio, quæ solum hoc secundum conuincit; non autem primum.

Tertia solutio concedit argumenti maiorem, & negat minorem. 115 *Tertia.* Ad illius probationem, concessa maiori, negat iterum minorem, & ad probationem dicit: cognitionem diuinam meditari posse dupliciter. Primo, secundum terminationem actiuam. Secundo, vt passiuè terminatam, & licet essentia creata nequeat esse ratio terminationis actiuæ cognitionis Dei ad illius proprietates, quia ad hoc necessarium erat, quod diuinam cognitionem moueret, illamque specificaret, potest esse terminatio passiua cognitionis Dei ad essentiam hominis, v.g. esse ratio terminationis passiuæ ad hominis proprietates, & hoc sufficit, vt sit scientifica proprietatum cognitio per essentiam creatam, vt causam: sicut Deum velle dare gloriam propter merita, ly *propter* dicente obiectiuam tantum causalitatem & rationem terminationis passiuæ volitionis Dei ad gloriam; non autem terminationis actiuæ, sufficit, vt Dei volitio, quatenus terminatur ad gloriam sit actus iustitiæ remuneratiuæ.

Quæ omnes solutiones probabiles sunt, loquendo, vt 116 *Omnes istæ solutiones sunt probabiles.* de facto loquimur de cognitione diuina, quæ rationem scientiæ respectu creaturarum sortitur, non vt circa obiectum formale, & primarium, sed tantum materiale, & secundarium: sicut enim hac de causa rationem scientiæ respectu proprietatum sortitur, quin ad illas primario, & formaliter terminetur, sed tantum secundario, & materialiter: ita potest rationem scientiæ proprietatum per essentias creatas sortiri, quin actiuè sumpta ab essentijs creatis ad illarum proprietates moueatur.

Sed melius responderi potest, concessa maiori, negando minorem. 117 *Aliter, & melius respondetur.* Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem: ratione essentiæ creatæ, vt in se, concedo minorem: vt eminenter in diuina essentia contentæ, nego minorem, & consequentiam. Sicut enim decretum executiuum, quod Deus habet circa gloriam adultorum est actus iustitiæ distributiuæ, quamuis non moueatur à meritis prout in se, quia mouetur ab illis, vt eminenter in diuina essentia contentis, vt explicabimus *infra q. 23. art. 4.* & similiter Deus amore amicabili diligit rationales creaturas, quia Dei affectus mouetur ab illarum bonitate, vt eminenter in diuina bonitate contenta, quamuis non moueatur, nec possit ab illa strictè, vt docebimus *Tract. de Charitate*; ita vt Deus scientificè proprietates creaturarum cognoscat per illarum essentias, vt causas, sufficit ex parte obiecti cognoscere essentias creatas esse causas proprietatum, & ex parte actus diuini ab essentijs creatis, non vt in se, sed vt in Dei essentia contentis ad proprietates cognoscendas moueri.

118 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur; cognitio Dei, vt terminata ad creaturas indiuiduas existentes, non est scientifica strictè: ergo falsa est tertia pars conclusionis. Probatur antecedens: non est scientifica strictè, vt terminata ad decreta libera Dei, vt actu existentia: ergo nec vt terminata ad creaturas actu existentes. Consequentia patet. Tùm, quia diuina cognitio terminatur primario ad decreta, secundario verò ad creaturas: ergo si vt primo terminata rationem scientiæ non habet, nec vt secundo terminata ad creaturas rationem scientiæ sortitur. Secundo; quia decreta libera ex suppositione, quod sint, necessario sunt, non minus, imo magis, quam creaturæ existentes: ergo si non obstante hac necessitate ex suppositione, scientificam cognitionem non terminant, pariter nec illam terminant creaturæ, vt actu existentes. Antecedens autem probatur; etenim cognitio scientifica est cognitio rei per causam necessario cum

se co-

re cognita connexam ; sed decreta libera Dei, non possunt per causam cum illis necessario connexam cognosci; nullum enim prædicatum diuinum, quod solum esse potest causa virtualis illorum, est cum eis necessario connexum: ergo decreta libera terminare nequeunt cognitionem strictè scientificam.

Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego antecedens. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem. Nam decreta libera Dei eo modo quo causam habent, hæc cum illis necessario connectitur: licet enim voluntas diuina sumpta absolutè, non connectatur necessario cum decreto libero, prout tamen virtualiter influens, necessario cum illo connectitur; sicut voluntas creata, vt actu influens realiter in actum liberam necessariam habet connexionem cum illo; cum hoc tamen discrimine, quod voluntas creata ab alio constituitur influens actu in proprios actus, nempè, à Deo applicante, & mouente media physica præmotione: voluntas autem diuina a se ipsa, absque aliquo superaddito; aliàs actus purus non esset, si aliquo à se distincto in ratione principij decretorum constitueretur.

119 *Respond.*

§. VI.

Scientia à posteriori excluditur à diuino intellectu.

120 *Vltima conclusio.* VLTIMA CONCLVSIO SIT. *Scientia à posteriori in Deo constituenda non est.* Ita frequenter Discipuli D. Thomæ supponentes potius, quam disputantes quæstionem. Illamque suadeo primo ex D. Tho. *quæst. 2. de Verit. art. 2. ad 2.* illis verbis: *Non quasi essentiam suam ex alijs rebus cognoscens, &c.* Ex quibus verbis tale argumentum deducitur: si in Deo scientia à posteriori daretur, suam essentiam per creaturas cognosceret à posteriori; sed non datur in intellectu diuino cognitio sui per creaturas: ergo scientia à posteriori in ipso constituenda non est. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: si Deus se à posteriori cognosceret per creaturas, suam essentiam ex alijs rebus cognosceret; causa namque tunc à posteriori cognoscitur, cum ex effectibus cognitis innotescit intellectui; sed vt docet D. Tho. Deus non cognoscit se ex creaturis: ergo non cognoscit se per creaturas.

Prob. 1. D. T.

121 *Secundo prob. ex D. Tho.* Secundo id ipsum ostendo ex Angelico Doctore *lib. 1. ad Annibald. dist. 3. quæst. 2. art. 1. in corp.* vbi docet, Beatos non cognoscere Deum per creaturas, & *solut. ad 2.* illis verbis: *Ad secundum de Angelo dicendum, quod quamuis cognoscat diuinam bonitatem relucere in creatura, non tamen ex creatura venit in creatorem, sed è conuerso.* Ex quibus verbis suadetur secundo conclusio: si in Deo scientia à posteriori daretur, se per creaturas cognosceret, à posteriori namque causa per effectum cognoscitur; sed Deus non cognoscit se per creaturas: ergo in illo scientia à posteriori non datur. Probo minorem primo; beati namque, quia Deum vident per essentiam, non cognoscunt Deum per creaturas, vt docet D. Thom. *loco proximè allegato*; sed Deus se per suam essentiam cognoscit: ergo non cognoscit se per creaturas. Secundo probatur minor si Deus se per creaturas cognosceret, se cognosceret ex creaturis; sed non cognoscit se ex creaturis: ergo nec cognoscit se per illas. Maior constat, & minor probatur, Angelus beatus, de quo D. Thom *vbi nupèr* loquebatur, non cognoscit Deum ex creaturis, sed è contra, creaturas cognoscit ex Deo: ergo Deus se ipsum non potest ex creaturis cognoscere.

122 *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur; si Deus se à posteriori cognosceret per creaturas; creaturæ essent Deo ratio cognoscendi se; sed hoc non potest admitti: ergo nec cognitio scientifica à posteriori admitti potest in ipso. Maior constat: nam in scientia à posteriori effectus est intellectui ratio cognoscendi causam: sicut in processu à priori causa est ratio veniendi in cognitionem effectus. Minor autem non minus aperta videtur; si namque effectus creati essent Deo ratio cognoscendi se, Deus se cognosceret ex creaturis; sed hoc admitti non potest: cum à D. Tho. Angelo beato hic modus Deum cognoscendi negetur: ergo creaturæ nequeunt esse Deo ratio cognoscendi se.

123 *Respondebis.* Si fortè dicatur, D. Thom. solum negasse Angelo beato cognitionem Dei ex creaturis, ly *ex* dicente discursum, non vero, si tantum dicat rationem terminationis ex vno in aliud obiectum. Facile hoc effugium præcluditur; nam in eo sensu negat Angelum beatum Deum ex creaturis cognoscere, in quo illi concedit creaturas cognoscere ex Deo, vt constat ex illis verbis: *Non tamen ex creatura venit in creatorem, sed è conuerso*; at cognitio creaturarum ex Deo, quam Angelis beatis attribuit Angelicus Doctor, non est per discursum habita; cum in doctrina Angelici Præceptoris, Angeli non intelligant discurrendo, aut componendo, sed ideò solum ex Deo cognoscunt creaturas, quia Deus cognitus, est illis ratio cognoscendi creaturas: ergo cum negat Deum ex creaturis cognoscere, non solum ab illis relegat cognitionem discursiuam, sed etiam, quod creaturæ sint Angelico intellectui ratio cognoscendi Deum.

Contra.

Tertio suadetur conclusio ex eodem D. Thoma *quæst. 2. de Veritate art. 1. ad 5.* quod ita procedebat: *Omne, quod scitur, scitur per aliquid magis notum; sed Deo non est aliquid magis, & minus notum: ergo in Deo scientia esse non potest.* Cui argumento occurrit D. Thomas dicendo, quod licet ex parte subiecti, & modo cognitionis attento, non sit Deo aliquid magis, & minus notum, ex parte tamen obiecti est vnum altero notius, quod diuinus intellectus cognoscit, & concludit: *Vnde & quantum ad istum ordinem, qui potest attendi in diuina cognitione ex parte cognitorum, etiam saluatur in Deo ratio scientiæ; ipse enim præcipuè omnia per causam cognoscit.* 124 *Tertio probatur ex eodem D. Tho.*

Ex hac doctrina tale argumentum formatur: omne, quod scitur, scitur per aliquid magis vnum notum, vt fatetur Diuus Thomas, dum maiorem argumenti non negat, sed illa admissa, quærit modum, quo possit in Deo verificari, vt in illo scientifica cognitio saluetur: ergo etiam quod scitur à posteriori, scitur per aliquid magis notum. Patet consequentia; nam maior illa, quam Diuus Thomas admittit: cum vniuersalis sit, omnem scientiam comprehendit. Tunc sic; sed in scientia à posteriori non potest intelligi per notius ex parte obiecti, qualiter in scientia à priori à Diuo Thoma explicatur: ergo intelligenda est per notius ex parte subiecti; non enim est assignabile medium; sed vt Diuus Thom. docet, in Deo ex parte subiecti non est dabile magis, & minus notum: ergo in illo scientia à posteriori non datur. 125 *Ponderatur D. T. authoritas.*

Et ex his suadetur conclusio ratione: nam cognitio scientifica à posteriori est cognitio rei per causam, vel ex parte cognitionis, vel ex parte cognoscentis: sed Deus incapax est istius causalitatis: ergo & scientiæ à posteriori. Illatio cum minori tenet. Maior autem constat: vt enim ex Diuo Thoma iam vidimus, omnis scientia petit ex notioribus procedere; at nisi esset cognitio rei per causam aliquo ex prædictis modis, non esset cur postularet ex notioribus procedere, præmissæ namque inde petunt excedere conclusionem, quia sunt causæ conclusionis: ergo scientia à posteriori est cognitio rei per causam ex parte cognoscentis. Secundo; nam scire, diffinitur, quod est *cognoscere rem per causam*; sed in scientia à posteriori verificari non potest per causam ex parte obiecti, vt omnibus est conspicuum, & constat ex eius diffinitione: ergo intelligendum est per causam ex parte cognitionis, & subiecti cognoscentis. 126 *Quarto probatur ratione.*

Respondebis primo, prædictam diffinitionem non esse de scientia vt sic, sed tantum de scientia à priori, vnde ex illa inefficax conficitur argumentum. Sed contra primo; nam scientia, vt abstrahit à scientia à priori, & à scientia à posteriori, est diffinibilis aliqua diffinitione, & credendum est, sic fuisse à Philosopho diffinitam; sed non alia, nisi ea, quam in argumento adduximus: ergo illa diffinitione diffinitur scientia vt sic, quatenus communis est scientiæ, *quia*, & *propter quid*, seu scientiæ à priori, & à posteriori. 127 *Replicabis 1.*

Contra 1.

Secundo; nam alia diffinitio, quæ ex Aristotele communiter circumfertur, nempè, scientia *est habitus per demonstrationem acquisitus*, etiam petit, quod scientifica cognitio sit rei per causam aliquo ex prædictis modis; cum demonstratio ex Philosopho sit, quæ *procedit ex primis, veris, causisque conclusionis*: ergo vel Philosophus scientiam vtrique communem sine diffinitione reliquit, quod incredibile est, vel scientia à posteriori petit procedere aliquo ex prædictis modis. 128 *Secundo.*

Tertio; nam conclusio scitur per id, quod ad eius cognitionem aliqua ratione conducit; sed non stat conducentia, nisi causetur ex illo, vel ex parte rei cognitæ, vel ex parte cognoscentis: ergo stare nequit scientia sine aliqua causalitate medij in rem terminantem scienticam cognitionem: 129 *Tertio.*

Respondebis secundo; sufficere ad rationem scientiæ à poste- 130

Respondebis 2. à posteriori causalitatem virtualem vnius cognitionis in aliam ; hæc autem causalitas non repugnat cognitioni diuinæ , vt *supra* asseuerabamus . *Reijcitur solutio.* Sed contra ; nam in Deo causalitas virtualis vnius cognitionis in aliam sumitur ex causalitate obiectorum , quia nempè , obiectum vnius cognitionis causa est obiecti alterius , nec aliunde prouenire , sicut de diuinis decretis communiter docetur à Theologis , quod scilicet , ordo inter illa sumitur ex ordine inter obiecta ; sed in obiecto scientiæ à posteriori causalitas obiectiua non est , imo potius effectus est medium cognitionis causæ : ergo in Deo ex parte subiecti , nequit esse causalitas virtualis vnius cognitionis in aliam , quod nempè , cognitio effectus sit causa virtualis cognitionis causæ , quod saltim necessarium erat ad rationem scientiæ à posteriori .

131 *Respondebis 3.* Respondebis tertio ; sufficere ad scientiam à posteriori ; effectum esse cognoscenti rationem cognoscendi causam , quin nec ex parte obiecti , nec ex parte subiecti , vel ex parte cognitionum , vlla causalitas intercedat ; nulla autem repugnantia inuenitur , in eo quod effectus à Deo cognitus , sit illi ratio cognoscendi causam , v.g. se ipsum , vt est cum illo connexus , & terminus habitudinis effectus ; ac proinde non repugnat Deo cognitio scientifica à posteriori .

132 *Contra 1.* Sed contra primo ; vt enim vidimus ex Diuo Thoma 1. *ad Annibaldum dist. 3. quæst. 2. art. 1. in corpore , & solutione ad 2.* Etsi beati Deum in creatura cognoscant ; non tamen cognoscunt Deum per creaturam , aut ex illa , sed è contra ex creatore cognoscunt creaturas , quod à fortiori asserendum est de Deo ; sed si creatura posset esse Deo ratio cognoscendi se , necessariò esset dicendum se per creaturam , vel ex creaturis cognoscere : ergo effectus nequit esse intellectui Dei ratio cognoscendi se vt causam: ac proinde incapax est cognitionis scientificæ à posteriori .

133 *Secundo.* Secundo , vt enim effectus sit intellectui ratio cognoscendi causam , necessarium est , vt terminet immediatè cognitionem per exclusionem mediationis causæ prius quam effectus cognitæ ex vi alicuius conceptus in tali cognitione reperti ; sed nulla formalitas , vel conceptus datur in cognitione diuina immediatè ad creaturas terminata , vt constabit ex dicendis infra : ergo nequeunt effectus creati esse Deo ratio cognoscendi se ipsum .

Tertio. Tertio ; nam effectus creati nequeunt esse medium , vel ratio cognitionis Dei perfectæ ; sed tantum imperfectæ cognitionis , nempè , abstractiuæ , & quoad *an est* ; sed Deus non potest se cognoscere imperfectè quo ad *an est* , & abstractiuè : ergo non potest se ipsum in creaturis, ex creaturis, vel ratione creaturarum cognoscere .

134 *Respondebis 1.* Respondebis primo , repugnare quidem Deum se imperfectè imperfectione priuatiua cognoscere ; secus autem cognitione imperfecta negatiuè , cognitio autem Dei abstractiua ratione effectus creati , solum est imperfecta negatiuè ; etenim ex vi talis medij non est cognoscibilis perfectius : ac proinde non est cur repugnet Deo huiuscemodi cognitio . *Contra.* Sed contra ; nam sequitur ex hac solutione , posse Deum se cognoscere opinatiuè, & obscurè , primum innitendo medio cognitionis probabilis , secundum innitendo medio fidei ; consequens admitti non potest : ergo nec solutio tradita . Patet sequela ; licet Deum abstractiuè cognosci , sit absolutè imperfectio priuatiua diuino intellectui repugnans , cognosci tamen abstractiuè ratione effectus creati , est solum negatiua imperfectio , quia creatura ex vi cuius cognoscitur , non potest ducere ex se in Dei cognitionem perfectam , & intuitiuam ; sed medium opinatiuum non potest de se causare , nisi tantum cognitionem incertam , & medium obscurum fidei non potest de se initiare , nisi obscuram cognitionem : ergo cognitio ex vi illorum , solum est negatiuè imperfecta : ac proinde poterit admitti in Deo .

135 *Respondebis 2.* Respondebis secundo ; cognitionem Dei abstractiuam adæquatè imperfectionem Deo repugnantem dicere , quæ tamen abstractiua est ex vno tantum conceptu , & ex alio est intuitiua , & comprehensiua ipsius , nullam dicit imperfectionem , & quia cognitio Dei ex creaturis , non est adæquatè abstractiua , sed solum sub vna terminatione, & sub alia est perfectè comprehensiua ; fit , vt absque vlla imperfectione admitti possit in Deo .

Contra. Sed contra ; nam etiam ex hac solutione sequitur , posse admitti in Deo cognitionem ex vno conceptu , vel terminatione incertam , & pari ratione obscuram ; dummodo ex alio conceptu , & terminatione , perfecta , & comprehensiua sit ; consequens admittendum non est : ergo nec solutio tradita . Probatur sequela ; licet cognitio adæquatè abstractiua Dei sit imperfecta , & diuino intellectui repugnet ; cognitio tamen ex vno conceptu , & terminatione abstractiua , & ex alio intuitiua , imperfectionem non dicit , iuxta solutionem traditam : ergo pariter quamuis cognitio adæquatè incerta , & obscura , imperfectionem Deo repugnantem importet ; cognitio tamen , quæ ex vna terminatione incerta , & obscura sit , & ex alia certa , & clara , imperfectionem Deo repugnantem non dicet .

Respondebis tertio , quod licet creatura non possit intellectui creato esse ratio cognoscendi Deum perfectè , sed tantum imperfectè , & abstractiuè , intellectui tamen diuino incapaci imperfectæ cognitionis , & in cognoscendo infinito , potest esse ratio cognoscendi Deum perfectè . Sed contra ; nam quod aliud perfectè non continet quoad esse , vel quoad cognosci , nulli potest esse ratio adæquatæ , & perfectæ cognitionis: ergo quamuis Deus aliunde perfectè cognoscat se ipsum , nempè in se , & ratione sui , creatura tamen illum imperfectè in repræsentando continens , nequit esse Deo ratio cognoscendi perfectè se ipsum . 137 *Confirmatur.*

Et augetur difficultas ; ex eo namque quod liberum arbitrium creatum acceptum in actu primo , nequeat esse Angelo ipsum comprehendenti medium cognoscendi actus liberos futuros , inferunt frequenter Theologi contra Molinam , nec etiam Deo comprehendenti liberum nostrum arbitrium, posse esse medium in quo , vel rationem cognoscendi eosdem actus , etsi aliunde possit Deus plenissimè tales actus cognoscere : ergo pariter si creatura ab Angelo comprehensa , nequit esse ratio cognoscendi Deum perfectè , nec Deo illam super comprehendenti esse poterit ratio perfectè cognoscendi se ipsum.

§. VII.

Argumentis in contrarium occurritur .

CONTRARIUM huius conclusionis tenet Marcus de la Sera *in præsenti art. dub. 1. in solut. 1. argum.* referuntur etiam M. Petrus Cornejo *tract. 1. disp. 1. dub 2. circa solutionem ad 1.* Et PP. Salmanticenses *tract. 3. de Scientia Dei disp. 3. dub. 1. §. 2. num. 7.* Isti tamen Auctores scientiam à posteriori in diuino intellectui non exprimunt , nec ex illorum doctrina colligitur ; solum enim docent , cognitionem Dei , vt terminatam ad creaturas , quatenus dependentes à Deo ad ipsum indirectè , & quoad *an est* , terminari . Ex quo absque fundamento infertur , scientiam à posteriori in diuina mente admisisse ; nam cognitio causæ , vt indirectè terminata ad effectum, non est scientia à priori : ergo cognitio effectus, vt indirectè solum terminata ad causam , vt terminum connexionis , & dependentiæ effectus , non est scientia à posteriori . 138 *Aliqui Thomistas pro contraria sententia falsò referri, probatur 1.*

Et quidem cognitio principiorum in nobis , prout ad cognitionem conclusionis concurrit , terminatur ad principia , vt talia ; & consequenter in obliquo attingit effectus ; & tamen scientifica cognitio non est : intentio etiam finis , vt talis, in obliquo attingit media , quia ex hoc rationem electionis sortiatur : & electio medij, vt talis, in obliquo attingit finem, quia ex hoc intentio sit, nec rationem vsus sortiatur in ordine ad finem, prout in ordine executiuo est effectus mediorum; pariter ergo cognitio effectus in obliquo , & indirectè solum ad causam terminata , vt terminum dependentiæ, & connexionis effectus, non est scientia causæ à posteriori : ac proinde ex hoc , quod præfati Auctores docuerint , Deum se ipsum in creaturis cognoscere indirectè , & in obliquo , prout est terminus connexionis , & dependentiæ creaturarum ab ipso , perperam infertur , sensisse dari scientiam à posteriori in Deo . Quidquid tamen sit de hoc in fauorem huius sententiæ , quam ex nostris tenuit Serra , & ex alienis , nonnulli Recentiores sequuntur , & contra nostram conclusionem . 139 *Secundo.*

Arguitur primo ; ideò in Deo constituimus scientiam à priori , quia diuinus intellectus cognoscit causam , & effectum , & ordinem inter illa , nempè , causam talis effectus ; sed etiam cognoscit , esse effectum talis causæ : ergo admittere debemus in Deo scientiam causæ à posteriori . Respondeo primo , concessis maiori , & minori , negando consequentiam . Nam idem est , cognoscere causam esse causam effectus , & cognoscere effectum esse effectum talis causæ , vnde cum primum habea- 140 *Arg. 1.* *Resp. 1.*

habeatur per scientiam à priori, non potest secundum ad scientiam à posteriori sufficere.

141 *Resp. 2.* Respondeo secundo, negando iterum consequentiam, & ratio discriminis est: nam cognoscendo essentiam hominis esse causam risibilitatis v. g. saluatur rem per causam cognosci, & minus per magis notum, ad minus ex parte obiecti, quod ad rationem scientiæ sufficere, vidimus ex Diuo Thoma; per hoc autem, quod intellectus cognoscat risibilitatem causari ab essentia hominis, non saluatur causalitas obiectiua effectus in causam; cum potius vt effectus causæ cognoscatur; & aliàs subiectiuæ causalitatis vnius cognitionis in aliam Deum incapacem supponimus: ac proinde nulla saluatur causalitas, quod tamen necessarium erat, vt conceptus scientiæ subsisteret.

142 *Resp. 3.* Tertio respondeo, distinguendo maiorem: ly *quia* rationem adæquatam dicente constituendi scientiam à priori in Deo, nego maiorem: & quia alias causa cognita est Deo ratio cognoscendi in illa effectum, concedo maiorem: & concessa minori nego consequentiam: quia taliter Deus cognoscit effectum in ordine ad causam, & vt dependentem ab illa, quod illius cognitio prius terminatur ad causam, & ex illa transit ad effectum, non tamen è contra, vnde effectus non est Deo ratio cognoscendi causam: ac proinde illam à posteriori non cognoscit per effectum.

143 *Respondebis.* Sed dices, Deus cognoscit scientificè effectus creatos, non solum per suam essentiam vt causam, sed etiam per proprias causas creatas, v. g. risibilitatem scientificè Deus cognoscit per hominis essentiam, vt risibilitatis radicem, quin essentia hominis sit Deo ratio illam cognoscendi, vt plures Discipuli D. Thomæ non improbabiliter docent: ergo quamuis effectus non sit Deo ratio cognoscendi causam, poterit per effectum à posteriori cognoscere causam.

Respond. primo. Respondeo primo, permisso antecedenti, negando consequentiam. Ratio autem discriminis constat *ex 2. solutione*, quia nempè, absque eo quod causa creata sit Deo ratio cognoscendi effectum, saluatur rem per causam ex parte obiecti cognoscere, quod ad rationem scientiæ requiritur; cæterum cum effectus in causam non exerceat in causando causalitatem, nisi intellectui sit ratio, vt veniat in cognitionem effectus nulla interuenit causalitas obiectiua, aut subiectiua: & cum ad rationem scientiæ petatur interuentus alicuius causalitatis, non potest scientia causæ per effectum subsistere.

144 *Secundo Respond.* Vel secundo respondeo iterum prætermisso antecedenti, negando consequentiam. Quia licet causa creata non sit Deo ratio cognoscendi effectum cognitione Dei actiuè considerata; passiuè tamen inspecta, terminatio ad causam est ratio terminationis ad effectum, eo quod causa à Deo prius quam effectus cognoscitur, & hoc ad rationem scientiæ à priori sufficere, plures probabiliter docent: effectus autem non potest esse intellectui diuino ratio cognoscendi causam sumpta Dei cognitione, tam actiuè, quam passiuè: primum; quia diuinæ cognitioni specificatio ab aliquo creato repugnat. Secundum; quia semper cognitio Dei prius ad causam terminatur, quam ad talis causæ effectum, & ideò non potest in vllo sensu causam per effectum cognoscere.

145 *Secundo arguitur, & explicatur contra dicta.* Secundo arguitur, & tradita doctrina impugnatur; Deus in creaturis cognitis, cognoscit se ipsum, vt causa illarum; sed obiectum, in quo aliud cognoscitur, est intelligenti ratio illud cognoscendi, ad minus ex parte obiecti: ergo creaturæ cognitæ à Deo, sunt ei ratio cognoscendi se ipsum, prout causa est, & principium illarum; & consequenter se per creaturas à posteriori cognoscit. Illatio tenet. Minor videtur certa; nam obiectum in quo aliud cognoscitur, primo terminat cognitionem, & ratione illius transit cognitio ad id, quod in illo cognoscitur: ergo obiectum, in quo aliud cognoscitur, est intelligenti ratio cognoscendi illud, ad minus ex parte obiecti. Maior autem ostenditur primo ex Diuo Thoma *quæst. 2. de Verit. art. 2. ad 2.* illis verbis: *Sed in diuina cognitione non est aliquis discursus, vt prius dictum est, quasi per notum in ignotum deueniat; nihilominus tamen ex parte cognoscibilium potest quidam circuitus in illius cognitione inueniri, dum scilicet cognoscens essentiam suam alterius intuetur, in quibus sua essentia simi[li]tudinem videt, & sic quoddammodo ad suam essentiam reddit, non quasi essentiam suam ex rebus alijs cognoscens.* *Maior probatur primo ex D. Tho.*

146 *Confirmatur.* Id ipsum docuit *in 1. dist. 32. q. 2. art. 1. ad 4.* Et *dist. 27. q. 2. ad 4.* ibi: *Nullo modo est concedendum, quod Pater intelligat à Filio, vel quod intelligat in Filio, sicut in obiecto, vel specie, qua cognoscitur, quia hoc poneret Filium habere aliquam rationem principij ad Patrem, sed tamen concedendum est, quod Pater intelligit in Filio, & seipsum, & alia, in quantum videt Filium esse similitudinem suam, & omnium aliorum, sicut principium videtur in eo, cuius est principium, quamuis, & in se ipso videatur; possum enim videre hominem in imagine sua, quamuis ipsum, etiam per se videam, ita & quamuis Pater se ipsum videat in se, & omnia alia, tamen omnia potest videre in Filio, & se ipsum, sicut, & seipsum in creatura videre potest, in quantum ipsum creatura repræsentat, quamuis imperfectè.* Hæc D. Tho. ex quibus apertè constat, Deum in creaturis intelligere se, sicut in obiecto, eo quod ipsum repræsentant.

147 *Secundo prob.* Secundo probatur ex eodem D. Tho. *lib. 1. ad Annibaldum dist. 3. q. 2. art. 1. in corp.* ibi: *sed beati non cognoscunt Deum ex creaturis, qui vident Deum per essentiam, cognoscunt tamen eum in creatura, sicut & Deus se ipsum videt in creatura repræsentatum.* Sentit ergo D. Th. Deum se ipsum in creatura cognoscere. *Tertio.* Tertio probatur; quicumque perfectè intelligit aliquid, intelligit in eo quidquid in eo repræsentatur; ita ad Verbum D. Tho. *1. ad Annibaldum dist. 32. q. 3. art. 2. in 2. argum. Sed contra.* Ex quo infert, Patrem se in Filio intelligere, quia perfectè intelligit Filium, & in illo Pater repræsentatur; sed Deus intelligit perfectè creaturas, & creaturæ repræsentant Deum, vt vestigia, vel imagines: ergo in illis se ipsum intelligit. *Quarto.* Quarto; non enim stat, intelligere aliquid dependens ab alio, & cum illo connexum, non intellecto ex vi eiusdem cognitionis termino dependentiæ, & connexionis extremo; sed creaturæ essentialiter dependent à Deo, & essentialiter connectuntur cum ipso: ergo Deus illas intelligens, se intelligit necessario ex vi eiusdem cognitionis.

148 *Quinto.* Denique; non enim potest comprehensiuè cognosci creatura, quin in illa cognoscatur Deus; sed Deus comprehensiuè cognoscit creaturarum: ergo in illa cognoscit se ipsum. Minor cum consequentia tenet, Maior autem probatur; tunc enim aliquid comprehenditur, cum cognoscitur adæquatè, & tunc adæquatè cognoscitur, cum in illo intelligitur quidquid in illo intelligibile est; sed in creatura est Deus cognoscibilis, Tùm, quia illum repræsentat, vt vestigium, & imago imperfecta. Tùm, quia homo in illa Deum abstractiuè cognoscit. Tùm denique, quia ab illo essentialiter dependet, & cum illo connectitur essentialiter: ergo comprehendi non potest, nisi in illa cognoscatur Deus.

149 *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur; quia namque omnipotentia diuina essentialiter connectitur cum creaturis possibilibus, non potest comprehensiuè cognosci, quin in illa creaturæ possibiles cognoscantur omnes in particulari, vt docent Discipuli Diui Thomæ, & frequentius alij Theologi *supra quæst. 12. art. 5. in hac quæst. art. 5. & infra quæst. 34.* ex quo inferunt Verbum ex cognitione creaturarum possibilium per se quarto modo procedere, quia procedit ex perfecta omnipotentiæ comprehensione; sed creaturæ essentialiter connectuntur cum Deo: ergo comprehendi non possunt, nisi in illis cognoscatur Deus.

150 *Resp. 1. Ad 1. probationem maioris.* Respondeo primo, negando maiorem loquendo de cognitione sui secundum entitatem. Ad primam probationem dicatur, Diuum Thomam loqui de cognitione Dei, non secundum esse formale, sed secundum esse virtuale, hoc est, cognoscendo creaturas cognoscere in illis se ipsum, vt ab illis participatum, non verò quia talis cognitio ex creaturis cognitis terminetur formaliter ad diuinam aliquam intrinsecam formalitatem. *Ad confirmationem.* Et eodem modo accipiendus, & explicandus est Diuus Thomas *loco ex Sententiarijs relato*. Et ex his ad secundam probationem constat solutio, quod nempè, beati cognoscentes creatura, cognoscunt in illis Deum, vt repræsentatum in ipsis, id est, cognoscunt creaturas repræsentare Deum; non autem in creaturis Deum secundum aliquam eius intrinsecam formalitatem cognoscunt. *Ad secundam probationem.*

151 *Solutionem esse de mente D. Tho. probatur.* Et quod sic accipi debeat Diui Thomæ doctrina constat ex his, quæ inter probandam nostram sententiam adduximus; si namque, vel beati, vel Deus ipse in creaturis cognitis cognoscerent Deum, vt creaturis distinctum, necessario esset dicendum creaturam esse beatis rationem cognoscendi Deum, & Deo rationem cognoscendi se ipsum: hoc autem negat Diuus Thomas *1. ad Annibaldum dist. 3.* vt vidimus: ergo cum docet, beatos

beatos in creaturis cognoscere Deum, intelligendus est nō secundum quod Deus à creatura distinguitur, sed secundum quod in creatura virtualiter continetur, & istum modum cognoscendi se in creatura vocat Diuus Thomas circuitum in essentiam suam, non absolutè, sed quoddammodo, quatenus essentiam suam in sua participatione cognoscere, est quoddammodo se ipsum cognoscere.

152 *Replicabis 1.* Sed oppones primo; nam Diuus Thomas probat, Deum se ipsum in creatura cognoscere, quia creatura repræsentat Deum; sed creatura repræsentat Deum, vt à creatura distinctum: ergo sentit cognoscere se in creatura, quatenus ab illa distinctum. Secundo; nam docet, Deum se in creatura cognoscere ad modum quo Pater se cognoscit in Filio à se genito, & in Verbo à se producto; *Secundo.* sed Pater in Verbo, non solum cognoscit se, vt in Verbo continetur, sed etiam se quatenus à Verbo distinctum: ergo Deus in creaturis cognoscit se ipsum, non solum prout in creatura virtualiter continetur, qua ratione non distinguitur ab illa, sed etiam prout à creatura distinctum.

153 *Ad 1. replicam resp.* Respondeo ad primam replicam; creaturam repræsentare dupliciter Deum, & vt ab illa participatum, & vt sui causam, & terminum dependentiæ; Deum tamen non posse in illa, & ex illa cognita se vt causam, & terminum dependentiæ cognoscere ob rationes assignatas, & ideò se vt sic in creatura non cognoscit. *Ad secundam.* Ad secundam explico maiorem: seruata omnimoda paritate, & similitudine, nego maiorem: non omni paritate seruata, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam Verbum perfectè repræsentat Patrem ratione essentiæ, quam accipit ex vi processionis, & ideò potest Pater in Verbo se ipsum cognoscere; creatura autem imperfectè repræsentat Deum, nempè, abstractiuè solum, & quoad *an est*, & quia Deus non est capax imperfectè cognoscendi se ipsum: fit consequens, vt in creatura non se cognoscat, quatenus ab illa distinctum.

154 *Ad tertiā prob. maioris.* Et ex his ad tertiam maioris probationem explico, & distinguo maiorem: iuxta capacitatem intelligentis, concedo maiorem: non attenta, & supposita capacitate, nego maiorem: & concessa minori, vel sub eadem distinctione, concessa, & negata, nego consequentiam: quia in Deo non est capacitas ad cognoscendum se ipsum in creatura, & ex creatura. *Ad quartam.* Ad quartam, concedo consequentiam, nempè, Deum ex vi eiusdem cognitionis, qua cognoscit creaturas, vt à se dependentes, se ipsum, vt terminum dependentiæ cognoscere, non tamen ita vt cognitio illa per creaturas, aut ex creaturis cognitis transeat ad Deum, sed potius è contra, ex se ipso cognito, vt causa creaturarum, & termino dependentiæ cognoscit creaturas, & primum necessarium erat, vt se ipsum in creaturis cognosceret.

155 *Ad quintam.* Ad vltimam, nego maiorem. Ad illius probationem explico, & distinguo secundam partem maioris: in illo, vel in alio eminenter illud continente, concedo maiorem: in illo semper formaliter, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Nam sicut quamuis creatura sit cognoscibilis ratione sui terminatiuè, & motiuè; sic enim cognosci valet ab intellectu creato Deus illam comprehendit, quin ab illa ad eius cognitionem moueatur, quia illius motionis est incapax, & à se illam eminenter continente ad eius cognitionem mouetur, ita quamuis in creatura sit creator cognoscibilis, & intellectus creatus Deum in illa cognoscat, quia tamen Deus non potest se in creatura cognoscere; & aliàs, se vt terminum dependentiæ *Ad confirmationē.* creaturæ, cognoscit in se ipso continente eminenter creaturam: fit consequens, vt creaturam perfectissimè comprehendat, quin se in creatura cognoscat. Per quod ad confirmationem constat solutio.

156 *Instabis.* Sed oppones; Deus est capax cognoscendi se in creatura, vt est causa illius, & terminus dependentiæ, qua creatura dependet ab ipso: ergo non potest comprehendere creaturam, nisi in illa se vt illius est causa cognoscat. *Antecedens probatur 1.* Consequentia tenet. Antecedens autem ostenditur primo; Deus de facto se cognoscit, vt est causa creaturarum, in se ipso, & ratione sui, vt *proximè* dicebamus: ergo etiam potest se ipsum sub hac consideratione in creatura cognoscere. *Secundo.* Secundo; si non se cognosceret sub prædicta ratione in creatura, maximè, quia talis cognitio est abstractiua, & quoad *an est* Dei: ac proinde Deo repugnans, quia imperfecta; sed ex isto capite non repugnat: ergo ex nullo. Maior constat ex dictis. *Minor probatur primo.* Minor autem ostenditur primo; Deus namque creaturas, etsi existentes, non solum intuitiuè, sed etiam abstractiuè cognoscit, vt ex *infra* dicendis constabit: ergo etiam poterit se ipsum, quamuis existentem, abstractiuè cognoscere.

157 *Secundo.* Secundo probatur minor; Deus namque effectus creatos, non solum in se ipso cognoscit, sed etiam in causis creatis, v.g. intellectionem creatam cognoscit, non solum in omnipotentia sua, sed etiam in intellectu creato, quatenus à se comprehenso; sed in intellectu creato non potest creatam intellectionem intuitiuè, comprehensiuè, & perfectè cognoscere, sed solum abstractiuè, & imperfectè; cum intellectus creatus non contineat intellectionem, vt existentem, sed tantum vt possibilem, nec perfectè, & adæquatè, sed inadæquatè, & imperfectè: ergo quamuis cognitio Dei in creatura non sit perfecta, intuitiua, & comprehensiua, sed quo ad *an est*, imperfecta, & abstractiua, poterit nihilominus se ipsum in creatura cognoscere.

158 *Tertio probatur minor.* Denique probatur minor; nam licet cognitioni diuinæ repugnet omnis imperfectio priuatiua, non tamen ei repugnat negatiua imperfectio, vt constat ex dictis, & omnibus est conspicuum, constatque in alijs perfectionibus diuinis; intellectus namque, vt à voluntate distinctus, non est formaliter perfectus perfectione voluntatis, & è contra, nec cognitio scientifica, si ab intellectu principiorum distinguitur, est, prout sic distincta, perfecta formaliter perfectione luminis intellectus; & consequenter est negatiuè imperfecta; sed cognitionem Dei in creatura esse abstractiuam, est tantum negatiua imperfectio; cum ratio intuitionis, & comprehensionis illi ex vitalis medij repugnet: ergo potest Deus se cognoscere in creatura abstractiuè, & quoad *an est*.

159 *Confirmatur.* Et augetur difficultas; licet Deum se cognoscere cognitione adæquatè abstractiua, maxima imperfectio sit diuinæ cognitioni repugnans, se tamen cognoscere cognitione, quæ sub inadæquata terminatione sit abstractiua, & sub alia intuitiua, & comprehensiua, nullam dicit imperfectionem; sed ex eo quod Deus se in creatura cognoscat, tantum infertur cognitio inadæquatè abstractiua, non autem intuitiua, & comprehensiua: ergo nulla in Deo ex tali cognitione colligitur imperfectio.

160 *Respond.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, distinguo antecedens: præcisiuè ab existentia, vt exercita, nego antecedens: sine tali præcisione, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia in *Ad 1. probationem antecedentis.* creatura, & ex vi terminationis ad ipsam, non potest Deus se cognoscere, vt terminus dependentiæ, nisi ex vi illius præscindat ab existentia, vt exercita, in qua præcisione notitia abstractiua consistit, & imperfectio diuino intellectui repugnans.

161 Ad secundam antecedentis probationem, concessa maiori, nego minorem. *Ad secundam.* Ad primam probationem minoris, concesso antecedenti, nego consequentiam. Creatura namque, etsi existens, non existit essentialiter, nec ei est essentialis existentia; vnde cum possit, *Ad 1. probationem minoris.* & petat cognosci quidditatiuè, potest sic à Deo cognosci; & consequenter præcisiuè ab existentia ex vi prædictæ terminationis, Deo tamen essentialiter conuenit existentia, vt exercita, vnde petit cognosci sine præcisione ab illa, & oppositum est imperfectio; ac proinde releganda ab intellectu diuino.

162 Ad secundam probationem minoris, distinguo maiorem: cognoscit effectus creatos in suis causis creatis *Ad 2. probationem minoris.* tanquam in medio adæquato, nego maiorem: vt in medio inadæquato, concedo maiorem; & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Nam licet causa creata non contineat effectum sub omni formalitate: ac per consequens non possit, si solitariè inspiciatur, esse medium ad perfectam cognitionem effectus, associata tamen Deo, qui omnes effectus, & formalitates, plenissimè, & perfectissimè continet, potest perfectæ cognitioni inseruire; sicut etiam, vt Deo subordinata, potest ad sui effectus existentiam secundum omnia prædicata tali effectui debita, physicum concursum præstare.

163 *Quidā obiectioni occurritur.* Nec sequitur, posse etiam effectum creatum esse medium inadæquatum, in quo Deus se ipsum plenissimè comprehendat. Tùm; quia oppositam sententiam non iuuat; Auctores enim illius non adstruunt Dei perfectam cognitionem in effectibus creatis, sed tantum quo ad *an est*, & abstractiuam. Tum etiam; nam quod causa creata, & Deus

& Deus

& Deus sint medium in *quo* adæquatum cognitionis effectuum, qui in creatura continentur, fundatur in eo, quod ex illis adæquata causa talium effectuum coalescit; hæc autem vnitas in creatura, & Deo simul in ordine ad Dei esse, non inuenitur; & consequenter non possunt in ratione medij, in *quo* cognitionis Dei adunari. *Ad 3. probationem minoris.* Ad vltimam probationem minoris, concessa maiori, nego minorem; cum enim omnis diuina formalitas gaudeat summa actualitate, ex qua habet, vt existat, essentialiter petit in sui cognitione non præscindere ab existentia, vt exercita; & consequenter præcisiuè ab illa cognosci, erit priuatiua imperfectio.

164 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur; etenim in Angelo datur cognitio scientifica à posteriori; & tamen cognitio effectus non est causa cognitionis causæ: ergo causalitas vnius cognitionis in aliam non est necessaria ad scientiam à posteriori: ac proinde ex isto capite malè excluditur ab intellectu diuino. Maior constat; nam eadem ratio est de cognitione scientifica à posteriori, ac de cognitione per signum: Angeli autem sunt capaces cognitionis per signum, cum scilicet ex effectu cognito excitantur in cognitionem causæ actualiter non cognitæ; & consequenter in Angelo videtur necessario admittenda cognitio scientifica à posteriori. Minor autem constat; nam *Respond.* si cognitio effectus esset causa cognitionis causæ in Angelico intellectu, daretur in illo discursus; sed Angeli non discurrunt, saltim circa obiecta naturalia: ergo cognitio effectus non influit in cognitionem causæ. Respondeo, prætermissa maiori, distinguendo minorem: cognitio effectus non est causa realis cognitionis causæ in Angelis, concedo minorem: virtualis, nego minorem, & consequentiam. In Deo namque nec virtualis causalitas potest admitti cognitionis effectus in cognitionem causæ ob rationem *supra* factam, & ideò scientia à posteriori in ipso non potest admitti.

165 *Replicabis.* Sed dices; inde inferebamus *supra*, non posse cognitionem effectus esse causam virtualem cognitionis causæ in Deo, quia ordo virtualis sumitur in cognitione ex ordine obiectorum; effectus autem, causa suæ causæ non est; sed hæc ratio non subsistit, admissa scientia à posteriori in Angelo: ergo admittenda est in Deo. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; cognitio effectus est causa virtualis cognitionis causæ in Angelo; & tamen ex parte obiecti talis ordo non inuenitur; effectus enim non est causa suæ causæ in essendo sed potius è contra: ergo stat ordo virtualis in cognitione ex ordine obiectorum non sumptus; & consequenter ratio illa non subsistit.

166 *Respond.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad probationem, concessis maiori, & minori, distinguo consequens: in Angelico intellectu, concedo consequentiam: in intellectu diuino, nego consequentiam. Ratio autē discriminis est, nam intellectus Angelicus non semper existit in actuali causæ consideratione, vnde potest viso effectu in causæ cognitionem excitari, & consequenter potest id quod non est causa alterius in essendo, quatenus ex vno cognito in alterius actualiter non cogniti cognitionem excitatur. Deus autem semper est in actuli rerum omnium comprehensiones; ac proinde nec excitatiuè potest vno cognito ad alterius cognitionem moueri, vnde nisi vnum obiectum sit alterius causa in essendo, non est vnde ordo virtualis in diuina cognitione constitui possit.

167 *Instabis primo.* Sed vrgebis adhuc primo; Angelus non solum alia à se, sed etiam se ipsum potest à posteriori per effectus cognoscere; & tamen semper est in actuali cognitione sui, vt suppono ex *Materia de Angelis*: ergo quamvis Deus semper sit in actu cognitionis suæ essentiæ, poterit se ipsum à posteriori cognoscere, & exerceri causalitas virtualis vnius cognitionis in aliam, absque simili causalitate inter cognitionum obiecta. Maior probatur; alia à se cognoscit à posteriori, quia illorum effectus comprehendit, & consequenter terminum dependentiæ, & connexionis cognoscit; sed etiam comprehendit proprios effectus: ergo cognoscit à posteriori se ipsum à quo tales effectus dependent.

168 *Secundo.* Vrgebis secundo; quamuis Deus sit semper in actuali cognitione sui, non tamen pro omni priori omnem sui formalitatem cognoscit; prius namque diuina cognitio terminatur ad essentiam, quam ad attributa, & ad hæc prius, quam ad proprietates relatiuas: ergo quamuis se vt terminum dependentiæ creaturarum semper cognoscat, poterit tamen sub hac ratione se non cognoscere pro priori ad creaturas, vt cognitas, sed pro posteriori ad illas; & consequenter poterit se ipsum increaturis cognoscere.

Respondeo ad primam instantiam negando maiorem. 169 Angelus namque solum potest à signo aliquid cognoscere *Ad 1. instantiam respond.* rememoratiuè, & excitatiuè, quatenus non existens in actuali cognitione causæ, dum cognoscit effectum excitatur in actualem eius cognitionem, vnde cum supponatur, numquam posse à sui cognitione cessare, quæ cognitio comprehensiua est, & consequenter nihil sui potest Angeli intellectum latere: fit consequens, vt ad sui cognitionem excitari non possit, nec est eadem ratio de alijs; non enim semper est in actuali aliorum cognitione, vnde potest ex effectu cognito ad causæ cognitionem excitari.

Ad secundam, concesso antecedenti, nego conse- 170 quentiam. Nam cum prioritas illa non sit *in quo* etiam *Ad secundam.* rationis, sed tantum *à quo*; Deus autem sit terminus dependentiæ creaturarum, vt causa illarum in essendo, & in cognoscendo: creatura autem nullius diuinæ formalitatis causa esse possit, aliquo ex prædictis modis, vt ostensum relinquimus; consequens fit, vt non possit creatura prius cognosci, quam Deus, vt illius habitudinem terminans.

Sed dices; prius est creaturam respicere Deum, vt 171 causam, quam Deum talem habitudinem terminare; *Vrgebis.* non enim stare potest terminatio respectus, nisi respicientia supposita: ergo prius *à quo* respectus dependentiæ creaturæ cognoscitur, quam Deus, vt talem respe- *Respond.* ctum terminans. Respondeo, negando antecedens; licet enim non stet, Deum terminare respectum creaturæ, nisi detur talis respectus, ex hoc tamen non arguitur dependentia Dei, vt terminantis à creatura, vt respiciente, quod necessarium erat, vt prius *à quo* respectus cognosceretur, quod autem id non sequatur, constat in omnipotentia, quæ non staret repugnante possibilitate creaturarum; & tamen inde non sequitur, omnipotentiam à creaturarum possibilitate dependere.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis in discursu disputationis colligo primo; dari 172 in Deo scientiam strictè suæ intellectualitatis. Quod *Datur in Deo scientia strictè suæ intellectualitatis.* probo, nam inter essentiam diuinam sub conceptu essentiæ, & naturam sub conceptu naturæ, & radicis intelligendi, datur sufficiens distinctio, vt à nobis demonstretur à priori de Deo intellectualitas ratione immaterialitatis, vt superius monstrauimus; sed Deus huiusmodi distinctionem cognoscit, simulque immaterialitatem esse rationem intellectualitatis: ergo hanc per illam cognoscit cognitione strictè scientifica.

Colligo secundo; Deum nec etiam per attributa cogno- 173 scere suam essentiam cognitione scientifica à posteriori. *Deus, nec etiam per attributa, cognoscit suam essentiam cognitione scientifica à posteriori probatur 1.* Quod probo primo; nam attributa non sunt causa virtualis diuinæ essentiæ in essendo, nec etiam in cognoscendo, possunt esse causa virtualis illius ob rationes *supra* factas; sed vt essentia diuina à posteriori per attributa cognosceretur à Deo, deberent esse causa illius in cognoscendo, vt superius arguebamus: ergo Deus suam essentiam non cognoscit per attributa cognitione scientifica à posteriori. Secundo; nam ideo in effectibus creatis Deus se ipsum non cognoscit, quia ad illorum cognitionis perfectissimè; sed etiam diuina essentia pro priori ad attributa, supponitur perfectissimè cognita, vt radix attributorum: ergo Deus non cognoscit suam *Secundo.* essentiam in attributis, aut ratione attributorum, quod necessarium erat, vt illam à posteriori per attributa cognosceret.

Tertio; nam attributa nec vt idem cum essentia, nec vt 174 ab illa virtualiter distincta, possunt esse medium *in quo*, *Tertio.* & ratione cuius essentia cognoscatur: ergo per illa non potest diuina essentia à Deo à posteriori cognosci. Antecedens pro prima parte constat; vt enim vnum cognoscatur per aliud, debent attingi, vt distincta: ergo attributa sumpta, vt idem sunt cum essentia, non possunt esse medium cognitionis essentiæ. Pro secunda parte probatur; attributa namque vt virtualiter ab essentia distincta non adæquant perfectionem essentiæ; & consequenter nequeunt esse medium perfectæ, & adæquatæ cognitionis illius; sed Deus non potest imperfectè suam essentiam cognoscere: ergo nec potest illam cognoscere in attributis, aut ratione attributorum.

Si opponas; nam iuxta D. Thom. *in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 2.* 175 *Opponet.*

art. 2. ad 4. Patet in Verbo à se genito se ipsum, & suam essentiam cognoscit; & tamen propriori ad Verbum supponitur essentia diuina perfectissimè cognita à Patre: ergo quamuis pro priori ad attributa Dei essentia supponatur perfectissimè cognita à Deo, poterit nihil ominus in attributis cognosci: ac proinde dabitur in intellectu diuino scientia à posteriori terminata ad diuinam essentiam ratione attributorum. *Respond.* Respondeo, concessa maiori, & minori, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: nam in Verbo ratio repræsentationis est ratione essentiæ diuinæ, non ratione relationis, & quia diuina essentia se ipsam, & omnia, quæ sunt in Deo perfectissimè repræsentat: fit, vt Pater in Verbo perfectissimè se ipsum, & suam essentiam cognoscat; attributa autem quatenus ab essentia distincta, non possunt illam perfectè repræsentare, vt proximè dicebamus, & ideo in illis non potest diuina essentia ab intellectu diuino cognosci.

176 *Tertium corollarium. Prima pars probatur.* Denique infero; si scientia constituatur in Deo indistincta à lumine principiorum, non esse in intellectu diuino discursum formalem, aut virtualem, sed tantum æquiualentem: si autem virtualiter ab intellectu principiorum distinguitur, virtualem discursum esse in diuino intellectu admittendum. Prima pars corollarij probatur; etenim ad rationem discursus requiritur causalitas vnius cognitionis in aliam, realis quidem ad discursum formalem; virtualis autem ad discursum virtualem: ergo si cognitio principiorum in Deo non est virtualiter distincta à cognitione conclusionum, non erit in diuino intellectu, adhuc virtualis discursus. Poterit tamen dici æquiualenter discurrere, quatenus diuina cognitio cum omnimoda vnitate præstat, quod in nobis fit per multiplicem cognitionem, & per discursum formalem.

Deinde secunda pars eiusdem corollarij probatur; posita namque virtuali distinctione cognitionis principiorum à cognitione conclusionum in Deo, non est cur repugnet virtualis influxus vnius cognitionis in aliam, vt superius arguebamus, imo necessario debet admitti, sicut esset realis influxus, si inter illas cognitiones realis intercederet distinctio; sed discursus virtualis in virtuali causalitate inter cognitiones consistit, sicut discursus formalis realis in reali formali causalitate: ergo admissa in Deo virtuali distinctione inter cognitionem essentiæ, & attributorum, admittendus est in ipso virtualis discursus. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 1. dist.* 35. §. 1. ad illa verba: *Sciendum ergo est quod sapientia, vel scientia Dei.* 177 *Secunda pars probatur.*

DISPVTATIO XXIV.

Quæ formalitates ad intellectum spectantes, sint in Deo constituendæ?

Nu. 1. *Punctus difficultatis aperitur.* INVENIVNTVR in intellectu creato actualis intellectio, potentia realiter intellectiua, habitus supernaturales eleuantes illam ad actus secum improportionatos, habitus naturales iuuantes, & facilitatem ad intelligendum præstantes, & insuper species intelligibiles obiectiuè concurrentes. In examen ergo vocamus, quænam ex his perfectionibus formaliter reperiantur in Deo? Et quidem dari in ipso actualem intellectionem, constat ex dictis, vnde tota difficultas præsentis disputationis in alijs tribus consistit, nempè, in formalitate potentiæ intellectiuæ, speciei intelligibilis, & habitus, quæ ex parte actus primi ad intellectionem concurrunt.

§. I.

Referuntur sententia circa primam partem disputationis.

2 *Non datur in Deo potentia intellectiua realiter separabilis ab actuali intellectione. Nec realiter ab actuali intellectione distincta.* ADVERTO primo, extra controuersiam esse apud Theologos, non dari in Deo potentiam intellectiuam realiter separabilem ab actuali intellectione. Quod patet; nam realis separabilitas actus immanentis non stat absque reali mutabilitate; sed Deus est omnino immutabilis: ergo incapax potentiæ intellectiuæ realiter separabilis ab actuali intellectione. Secundo exploratum est, apud omnes catholicos non dari in Deo potentiam intellectiuam realiter ab actuali intellectione distinctam. Quod patet primo; nam intellectio sic distincta est accidens: Deus autem est incapax accidentis. Secundo; quia ex illa consequeretur realis intrinseca compositio, quod illius summæ simplicitati repugnat. Tertio; quia potentia realiter ab actu distincta, summè actualis non est; in Deo autem, vtpote purissimo actu nulla est constituenda potentia summa actualitate non gaudens.

3 *Nec realiter formaliter in illam influens.* Tertio, apud omnes est certum non dari in Deo potentiam intellectiuam realiter formaliter influentem in intellectionem actualem. Quod patet primo; nam realis influxus absque reali distinctione inter extrema esse nequit; sed non datur in Deo potentia intellectiua realiter ab actuali intellectione distincta: ergo nec realiter influens in illam. Secundo; nam si actualis intellectio realiter procederet ab intellectu diuino, esset verus eius effectus; & consequenter non ens à se, sed ab alio non increata, & infinita perfectio, sed creata, limitata, & finita; sed Deus non potest per formam creatam intelligere; alias ab illa perficeretur, & actuaretur intrinsicè, quod implicat ratione summæ perfectionis, & actualitatis diuinæ: non ergo datur in Deo potentia intellectiua realiter formaliter influens in actum intelligendi.

Denique ex communi Theologorum sententia extra Scholam Scoti suppono, intellectum ab intellectione in Deo non distingui distinctione reali formali: ac proinde nec formali influxu intellectum diuinum in actualem intellectionem influere. Primam partem negat Theodorus Smising. *Tom 1. de Deo vno tract. 3. disp. 2. quæst. 1.* vbi docet, intellectum diuinum ab essentia, & intellectione actuali distingui ex natura rei, quæ distinctio apud Discipulos Scoti realis est, non entitatiua, sed formalis, non tamen audet asserere, intellectum diuinum formaliter in intellectionem influere; imo *solut. ad* 4. distinguens actum primum productiuum, & actum primum operatiuum, docet diuinum intellectum respectu diuinæ intellectionis, non esse actum primum productiuum, sed tantum operatiuum. Id tamen sensisse Scotum *in 2. dist. 25. quæst. vnica* Maiorem *in 1. dist. 36. quæst. 1. art. 2. & dist. 46. quæst. 3. art. 3.* & Villegam *controu. 9. cap. 1.* refert Illustrissimus Araujo. *q. 19. art. 1. dub. 2.* fortè quia existimauit ex distinctione formali reali, inter intellectum, & actualem intellectionem, realem formalem influxum per bonam consequentiam deduci. Verum quidquid sit de mente illorum Auctorum nostra suppositio quoad vtramque partem communis est apud Theologos. 4 *In Deo nō distinguitur intellectus ab intellectione distinctione reali formali.*

Et quoad primam patet; nam ex distinctione formali reali intellectionis ab intellectu diuino sequitur realis formalis ex vtroque compositio; hæc in Deo admittenda non est, nec à Scotistis admittitur: ergo nec prædicta distinctio. Patet sequela primo, si adesset entitatiua distinctio resultaret ex illis compositio realis entitatiua: ergo si distinguuntur distinctione reali formali, realis formalis compositio ex vtroque resultat. Secundo; nam compositio est distinctorum vnio: ergo vnio distinctorum distinctione reali formali, est compositio realis formalis. Quod argumentum fusè prosequemur *Tract. de Trinitate*, impugnando distinctionem realem formalem relationum ab essentia diuina. Deinde secunda pars suppositionis nostræ probatur; nam si intellectus reali formali influxu in intellectionem influeret, hæc ab illo dependeret dependentia reali formali; sed intellectioni diuinæ omnis formalis, realis dependentia repugnat: ergo intellectus diuinus non influit in illam influxu reali formali. 5 *Probatur corollarium. Nec formali influxu in actualem intellectionem influit.*

His positis, prima pars disputationis in hoc puncto consistit, an in Deo saluetur ratio potentiæ, & actus primi, & principij, in ordine ad intellectionem essentialem? Circa quod plures sunt Theologorum sententiæ. Prima negat, intellectui diuino omnem rationem potentiæ, etiam ratione ratiocinata nostra habente fundamentum in re, & solum illam admittit ex modo nostro 6 *Prima sententia.*

Lugo. nostro concipiendi. Hanc tenet Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo uno disp. 16. cap. 4.* pro illa referens Aureolum, & *Ferrar.* Capreolum *in dist. 35. quæst. 1. art. 2.* Ferraram *2. Contra* *Suarez.* *Gentes cap. 10. §. ad euidentiam.* Suarez *disp. 30. metaph. sect. 15. & lib. 11. de Trinit. cap. 5.* *Fasol.* Fasolum in hac *1. p. quæst. 4. art. 2. dubitatione 8.* *Harice.* Et Hærice *tract. 1. disp. 2. cap. 3.* illam etiam defendere tenentur omnes discipuli D. Thom. qui essentiam, & naturam diuinam intellectione actuali metaphysicè constitui, tuentur, quos referunt, & sequuntur *Salmant.* PP. Salmanticenses *Tract. 3. de scientia Dei disp. 4. dub. 2. § 2.*

7 *Secunda sententia.* Secunda sententia negat in Deo potentiam intellectiuam ab intellectione virtualiter distinctam, illam tamen ratione nostra ab intellectione distinctam concedit. Ita Arriaga *disp. 15. sect. 3. sub sect. 2. & sequentibus*, non satis *Arriaga.* explicans, an distinctio ista sit rationis ratiocinatæ, an solum rationis ratiocinantis, alios pro eadem sententia referens. *Tertia sententia.* Tertia concedit, potentiam intellectiuam virtualiter ab actuali intellectione distinctam; & consequenter actum primum virtualem, principiumque virtuale intellectionis diuinæ. Hanc sententiam tenent, quotquot Dei *Capreol.* essentiam per radicem intellectionis metaphysicè, & vir- *Caietan.* tualiter constitui defendunt. Ita Capreolus *in 1. dist. 38. quæst. 4. art. 1.* Caietanus *1. par. quæst. 41. art. 5. & quæst. 1 art. 7.* Illustrissimus Araujo *lib. 12. metaphysica quæst. 1. art. 2. conclus. 3. & in hac quæst. 4. dub. 1. num. 20.* *Araujo.* Tenet etiam Cornejo *tract. 1. art. 4. disp. 1. dub. 4. nu. 29 solutione ad 2. argumentum.* *Cornejo.* Tenent etiam ex PP. Societatis Arrubal, & Granadus relati à Recentioribus *in præsenti.*

§. II.

Virtualis distinctio intellectus ab actuali intellectione probatur.

8 *Notandum.* VT veram sententiam explicem aduerto, me pro eodem vsurpare distinctionem virtualem, ac distinctionem fundamentalem rationis; Antiquiores namque solum agnouere distinctionem realem entitatiuam, distinctionem realem ex natura rei, aut formalem, distinctionem realem modalem, & distinctionem rationis subdiuisam in distinctionem rationis ratiocinantis, quam noster intellectus sine fundamento in re fingit, & distinctionem rationis ratiocinatæ, quam noster intellectus cum fundamento in rebus confingit. An autem præter has distinctiones alia concedenda sit, quam Recentiores appellant distinctionem virtualem intrinsecam parum, aut nihil à Scotistis disidentes, non vacat in præsenti examinare, id præstavimus agentes de essentia, & attributis diuinis. Hac animaduersione posita, sententiam, quam veriorem reputo, tribus assertionibus explico.

9 *Prima conclusio.* PRIMA SIT. *Datur in Deo facultas proximè intellectiua ratione ratiocinata à natura Dei, & ab actuali intellectione distincta.* Conclusionem istam probo primo ex D. Tho. *in 1. dist. 7. q. 1. art. 1. ad secundum*, illis verbis: *Dicendum, quod natura, vel essentia comparatur ad duo, ad* *Prob. 1. ex D. Th.* *habentem, & ad id cuius natura est principium; inter essentiam igitur, & habentem essentiam non cadit aliqua potentia media quantum ad actum ipsius essentia in habentem, qui est esse, sed ipsa essentia dat esse habenti, & iste actus est quasi actus primus, egreditur etiam ab essentia alius actus, qui est etiam actus habentis essentiam, sicut agentis, & essentia sicut principij agendi, & iste actus secundus, & dicitur operatio, & inter essentiam, & talem operationem cadit virtus media differens ab vtroque in creaturis etiam realiter, in Deo ratione tantum, &c.* Hæc D. Thom. Idem docuerat *solut. ad 1. & art. 3. in corp. & q. 1. de Potent. art. 1. ad 14. arg.* Ex quibus verbis tale argumentum conficio: inter actum secundum, qui est operatio, & essentiam mediat virtus, seu potentia ratione distincta ab actu secundo, & essentia, vt expressè docet D. Thom. verbis *proximè* relatis; sed intellectio actualis est operatio, & actus secundus: ergo inter illam, & essentiam diuinam mediat virtus, vel potentia ab vtroque extremo ratione nostra distincta: sed hæc virtus, vel potentia est intellectus, vel facultas proximè intellectiua: ergo constituenda est in Deo facultas *proximè* intellectiua, ratione ab essentia, & ab actuali intellectione distincta.

10 *Responsio.* Si forte dicatur, loqui D. Thom. de distinctione ex modo significandi, & rationis ratiocinantis, non autem ex parte rei significatæ, & conceptæ, & rationis ratiocinatæ. *Contra ex eodem D. Thom.* Contra arguitur, & probatur conclusio secundo ex eodem D. Th. *in 1. Sentent. dist. 22. q. 1. art. 3. ad 4.* illis verbis: *Dicendum, quod differunt nomina attributorum secundum rationem, non tamen, quæ sit solum in ratiocinante, sed quæ fundatur in ipsa re secundum veritatem, & proprietatem rei. Omnia enim huiusmodi dicuntur de Deo, & creaturis, non æquiuocè, sed secundum vnam rationem analogicè; vnde cum in creatura, ratio sapientiæ non sit ratio bonitatis, oportet, quod etiam hoc in Deo sit verum. Sed in hoc differt, quod in Deo idem sunt re; in creaturis autem differunt ratione.* Ita D. Thom. Quod etiam docuit *dist. 2. quæst. 1. art. 2. in corp. & art. 3. in corp.* ibi: *Quantum ad 4. &c. dist. 35. q. 1. art. 1. ad 2. & q. 7. de Potentia art. 6.*

Ex qua doctrina sic tradita solutio reijcitur, & suadetur secunda conclusio; quia sapientia, & bonitas dicuntur de Deo, & creaturis, non æquiuocè, sed analogicè, & in creaturis ratio sapientiæ non est ratio bonitatis, bonitas, & sapientia diuina distinguuntur ratione ratiocinata, hoc est, habente fundamentum, non in sola imperfectione nostri intellectus, sed in ipsa Dei veritate, & perfectione; sed natura intellectiua, facultas intellectiua *proximè*, actualisque intellectio dicuntur de Deo, & creaturis, non æquiuocè, sed analogicè, & in creaturis facultas *proximè* intellectiua, non est natura intellectualis, nec actus intelligendi, sed aliquid ab vtroque extremo distinctum: ergo facultas intellectiua *proximè* in Deo distinguitur ratione ratiocinata habente fundamentum in re ab essentia, vel natura diuina, & ab intellectione actuali. 11 *Secundo probatur conclusio & tradita solutio reijcitur.*

Et ex his suadetur tertio conclusio; quæ namque diffinitione differunt, distinguuntur in creaturis, & in Deo; cum hac tamen differentia, quod in creaturis, differunt quandoque realiter, in Deo autem ratione ratiocinata; sed natura radicaliter intellectiua, facultas ad intelligendum *proximè*, differunt diffinitione: ergo licet in Deo realiter non distinguantur; quia huiusmodi distinctio, Dei infinitati in linea absoluta repugnat, differunt tamen ratione ratiocinata; & consequenter differunt distinctione virtuali, prout à nobis virtualis distinctio vsurpatur. 12 *Tertio probatur conclusio.*

Contra quam doctrinam tria obstare videtur. Primum; etenim essentia, & natura differunt diffinitione, cum illa per ordinem ad esse; hæc autem ad operationem diffiniatur; & tamen virtualiter, aut ratione ratiocinata non differunt; aliàs vt alibi arguebam, primum Dei attributum esset conceptus naturæ: ergo doctrina illa generaliter vera non est: ac proinde ex illa male nostra conclusio probatur. 13 *Opponet cõtra hãc rationem primò.*

Secundum; actus necessarius, & liber differunt diffinitione, & de Deo, & creaturis, non æquiuocè dicuntur, sed secundum conuenientiam analogam, in creaturisque ratio actus necessarij, non est ratio actus liberi; & tamen in Deo non differunt virtualiter, aut ratione ratiocinata: ergo ex eo quod natura intellectiua, actio intelligendi, & proxima ad intelligendum facultas differant diffinitione, & de Deo, & creaturis, non æquiuocè dicantur, sed secundum conuenientiam analogam, in creaturisque distinguantur essentialiter, perperam infertur, distingui virtualiter in Deo, & ratione ratiocinata. Minor, in qua est difficultas, probatur; si actus liber, & necessarius differrent virtualiter in Deo, haberent distinctas essentias, & distinctas quidditates; sed hoc admitti non potest; id namque in quo actus liber à necessario distinguitur potuit deficere Deo; cui tamen nulla essentia, vel quidditas potuit deficere, vt ostendemus *Tract. de Voluntate*: ergo actus necessarius, & liber non differunt virtualiter in Deo. 14 *Secundo.*

Tertium; personalitas, & relatio dicuntur de Deo, & creaturis secundum conuenientiam analogam, & in illis essentialiter, & realiter distinguuntur; & tamen in Deo non differunt virtualiter, nec ratione ratiocinata: ergo ex eo quod facultas *proximè* intellectiua, & natura intellectualis dicantur de Deo, & creaturis secundum conuenientiam analogam, & in creaturis essentialiter distinguantur, non sequitur translata ad Deum retinere virtualem distinctionem. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; si namque personalitas, & relatio distinguerentur in Deo virtualiter, & ratione ratiocinata, personalitas diuina formaliter relatio non esset, sed aliquid absolutum, non solum ex modo significandi, sed etiam ex parte obiecti; ex quo vlterius fieret, personas diuinas non constitui relationibus, sed proprietatibus absolutis; hoc autem admittendum non est, vtpotè communi Theologorum sententiæ contrarium: ergo personalitas, & relatio non differunt virtualiter in Deo, nec ratione ratiocinata. 15 *Tertio.*

Hæc tamen non vrgent, nec veritatem doctrinæ Angelici Præceptoris infringunt. Ad primum respondeo, distinguendo maiorem: diffinitione adæquata, nego maiorem; inadæquata, concedo maiorem: & sub 16 *Ad 1. obiectionem resp.*

eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Vniuersaliter enim est verum, quod quæ diffinitione differunt, distinguuntur etiam ratione iuxta qualitatem differentiæ in diffinitione; ratio autem cur natura, & essentia differant solum diffinitione inadæquata, facultas autem proxima, à natura: & operatione, adæquata diffinitione distinguatur, est, quia natura, & essentia ad eandem lineam pertinent: ac proinde non possunt diffinitione adæquata distingui: facultas autem proxima, licet sit in eadem linea genericè, est in diuersa linea specificè à natura, & operatione; & ideò ab vtraque diffinitione adæquata distinguitur.

17 *Natura, & essentia differunt diffinitione solum inadæquata.* Quod si huius discriminis ratio petatur, ea est; quod vt ex diuersis actibus diuersificentur principia, est necessarium, quod per se formaliter, aut virtualiter ordinentur ad actus, hoc autem est discrimen inter principium radicale operandi, & facultatem proximam operatiuam, quod illud non ordinatur per se ad operandum, nec realiter in creaturis, nec virtualiter in Deo: facultas autem proxima per se ad operationem ordinatur in creaturis ordinatione reali; in Deo autem virtuali; vnde sicut hac ratione, in creaturis principium proximum est in linea accidentis; radicale autem remanet in linea substantiæ, ob eandem rationem in Deo principium radicale operandi, in quo consistit natura, manet in eadem linea cum essentia sub conceptu essentiæ, non solum genericè, sed etiam veluti specificè athomè; principium autem proximum, in quo consistit facultas *proximè* intellectiua, vel volitiua, ad aliam lineam transfertur, & ideo inter naturam sub conceptu naturæ, & essentiam diuinam sub conceptu essentiæ, non est distinctio diffinitiua adæquata, bene tamen inter naturam, & facultatem proximam, quod autem facultas proxima adæquatè virtualiter distinguatur ab actuali operatione: inde prouenit, quia est principium virtuale effectiuum illius: inter principium autem, & id quod est à principio, adæquata distinctio versatur; iuxta qualitatem essendi a principio, nimirum realis, si realis egressio intercedat, aut virtualis, si virtuali egressu egrediatur.

18 *Ad secundam obiectionem.* Ad secundum, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem, nego sequelam: non enim omnis diffinitio est essentialis: ac proinde non omnia, quæ differunt diffinitione, differunt essentialiter, nec distinctione essentiæ ab essentia: differunt ergo actus liber, & necessarius non distinctione essentiæ, sed distinctione terminationis, & diuersi exercitij eiusdem essentiæ, de quo plura *Tract. de Voluntate Dei*, imo nec actus liber, & necessarius in nobis essentialiter differunt, vt frequenter docent Theologi 1.2.q.19. *art.1.* quod si distinguuntur indiuidualiter, & entitatiuè, quod sub lite est apud Theologos, hoc prouenit non ex essentiali conceptu actus necessarij, & liberi, sed ratione limitationis.

19 *Ad tertiam.* Ad tertium, concessis maiori, & minori, nego consequentiam. Ratio autem discriminis est; nam quæ in creaturis ex illarum limitatione proueniunt, in Deo reperiri non possunt, quod autem personalitas, & relatio increatis essentialiter distinguuntur, prouenit ex eo quod personalitas est quid absolutum, quod autem absolutum possit esse incommunicabile; ac proinde constituere personam, prouenit ex limitatione creata: in ente namque infinito sola relatio potest esse incommunicabilis, & ideò personalitas diuina necessario est relatiua: ac per consequens, non potest à relatione essentialiter distingui: in facultate autem intellectiua *proximè*, & natura intellectuali, licet realis distinctio ex limitatione proueniat, distinctio tamen essentialis, ex illorum formalibus conceptibus nascitur, & ideo translata ad Deum retinet distinctionem virtualem, relicta differentia reali.

20 *Instabis.* Sed dices; quod substantia creata indigeat potentijs proximis, etiam distinctis à se, ad operandum, oritur ex eius limitatione: ergo natura diuina se ipsa absque aliquo à se distincto est potens *proximè* intelligere, & consequenter facultas *proximè* intellectiua, nullatenus à natura diuina distinguitur. Probatur antecedens; nascitur ex eo quod principia proxima operatiua sunt in genere accidentis; sed hoc ex limitatione oritur: ergo distinctio principij proximi à radicali in substantia creata ex limitatione oritur. *Confirmatur.* Et augetur difficultas; quod namque potentia *proximè* operatiua distinguatur à substantia creata, prouenit ex eo quod operatio, quam potentia proxima respicit, est actus distinctus ab existentia, quæ est actus essentiæ, & naturæ, & quia operatio creata est in genere accidentis; sed quod operatio sit in genere accidentis, & quod distinguatur ab existentia substantiæ nascitur ex limitatione: ergo distinctio principij proximi à radicali in substantia creata nascitur ex limitatione.

Respondeo, distinguendo antecedens: quod indigeat potentijs proximis à se realiter distinctis, concedo antecedens: à se distinctis diffinitione, & essentia, nego antecedens, & distinguo consequens: absque aliquo à se realiter distincto, concedo consequentiam: virtualiter, ratione, & diffinitione distincto, nego consequentiam. Itaque distinctio realis principij proximi à radicali in creaturis, nascitur ex eo quod principium radicale est substantia: principium autem proximum est in genere accidentis, quod prouenit ex illorum limitatione: quod autem principium proximum gaudeat diffinitione; & consequenter essentia distincta à principio radicali, prouenit ex illorum principijs, & formalibus conceptibus; quia nempè, immediatè comparatur, & formaliter, aut virtualiter specificantur ab actibus realiter, aut virtualiter distinctus, radicale nempè, ab esse, proximū verò ab operatione: ac proinde ad Deum translata, retinent distinctionem virtualem, reali distinctione relicta. Et ex his ad confirmationem dicatur, distinctionem realem operationis ab existentia substantiæ, & quod ista substantia sit, operatio autem in genere accidentis collocetur ex limitatione venire, quod verò diffinitione gaudeant distincta, prouenit ex conceptibus illarum formalibus: ac proinde idem est de principio proximo operatiuo, & radicali dicendum. 21 *Respond.* 22

Sed dices, principium proximum à radicali distinctum, ponitur vt illud iuuet; & consequenter vt suppleat illius insufficientiam, sed egere alterius iuuamine, & insufficientia operatiua, imperfectionem important; & consequenter ex imperfectione nascuntur: ergo distinctio principij proximi a principio radicali, oritur ex imperfectione, vt ex adæquata radice. 23 *Vrgebis.*

Respondeo, distinguendo maiorem: vt suppleat illius insufficientiam, aut realem, aut virtualem, concedo maiorem: realem semper, nego maiorem, & distinguo minorem: egere alterius iuuamine realiter à se distincto, & insufficientia realis, concedo minorem: iuuamine alterius virtualiter distincti, & insufficientia tantum virtualis, nego minorem, & consequentiam; sicut enim indigere operatione realiter ab operante distincta ad operandum, volitione realiter distincta ad volendum, personalitate realiter à natura distincta, vt persona constituatur, & insufficientia realis ad hæc, imperfectionem important, & à Deo relegantur, indigere tamen ad operandum operatione virtualiter ab operante distincta, ad volendum volitione virtualiter distincta a natura, & personalitate virtualiter ab essentia, & natura distincta, vt persona constituatur, & quod natura diuina, vt virtualiter ab attributis, & proprietatibus relatiuis distincta, non sit sufficiens adæquatè se ipsa ad constituendum concreta ex operatione, volitione, & personalitate resultantia, sed indigeat prædicatis virtualiter distinctis, imperfectionis non est: ita in nostro casu asserimus, indigentiam principij proximi realiter a radicali distincti, & insufficientiam realem operatiuam, imperfectionem esse: secus autem indigentiam principij proximi virtualiter distincti, & insufficientiam tantum virtualem. 24 *Respond.*

Contra secundam partem nostræ conclusionis arguitur; illa solum virtualiter distinguuntur in Deo, quibus conuenit cum summa identitate ratione infinitatis constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis; sed facultati proximè intellectiuæ, & actuali intellectioni, non conuenit constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis: ergo virtualiter non distinguuntur. Maior, vt definitio supponitur à Recentioribus, qui hoc argumento vtuntur. Minor autem probatur; constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis, est veritas duarum contradictoriarum, sed de facultate *proximè* intellectiua, & de intellectione actuali non verificantur duæ contradictoriæ: nihil enim affirmari potest de intellectu diuino, quod negetur de actuali intellectione: ergo non conuenit illis constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis. 25 *Contra 2. partem conclusionis arguitur.*

Huic argumento responderi potest primo, permissa maiori, negando minorem. Nam de intellectione actuali diuina verificatur defectibilitas intrinseca terminatiua respectu obiecti secundarij liberi, vel contingentis, quæ tamen de intellectu Dei in actu primo inspecto, negatur; vnde admisso veritatem duarum contradictoriarum esse constitutiuum formale, distinctionis realis in creaturis, & repertam cum identitate in Deo ratione, & titulo infinitatis constituere distinctionem intrinsecam virtualem, saluatur huiusmodi distinctio inter facultatem proximam intelligendi, & actualem intellectionem. 26 *Resp. 1.*

Si op-

27 *Replicabis. 1.* Si opponas primo; actus liber, & necessarius non differunt virtualiter distinctione essentiæ ab essentia, vt *supra* asseuererabamus, & fusiùs docebimus *Tract. de Voluntate Dei*; & tamen actus liber est defectibilis in ratione terminationis intrinsecæ; actus autem necessarius omninò indefectibilis: est ergo quod actualis intellectio diuina sit capax defectibilitatis sub conceptu terminationis ad obiectum secundarium liberum, vel contingens, & huiusmodi capacitas de facultate *proximè* intellectiua negetur, non arguit distinctionem intrinsecam virtualem facultatis proximæ intellectiuæ ab intellectione actuali.

28 *Respond.* Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam. Nam licet defectibilitas terminatiua, aut denominatiua comparatione obiecti secundarij, & negatio illius non arguant distinctionem essentialem; sed tantum distinctum exercitium eiusdem essentiæ specificæ; quod autem vni conueniat capacitas huius defectibilitatis, & alteri repugnantia essentialis illius, arguit essentialem differentiam: sicut libertas, & necessitas in actibus voluntatis creatæ non sunt differentiæ essentiales, si tamen alicui actui ratione suæ essentiæ, & ratione sui obiecti essentialis, vel modi essentialis tendendi repugnaret libertas, essentialiter differret ab actu, qui ratione suæ essentiæ capax esset libertatis; sic autem in præsenti contingit; facultati namque intellectiuæ diuinæ ratione modi, quo fertur in diuinam essentiam, vt scilicet præstantis posse intelligere, repugnat defectibilitas terminatiua respectu obiecti secundarij contingentis: actualis autem intellectio, vt constituens Deum actu intelligentem, est capax illius defectibilitatis: ac proinde inter illa est virtuale, vel essentiale discrimen.

29 *Replicabis 2.* Si opponas secundo: ex doctrina à nobis tradita, ad summum colligi potest distinctio intrinseca virtualis inter intellectionem Dei actualem liberam, vel contingentem, & facultatem *proximè* intellectiuam; non autem quod intellectio Dei necessaria virtualiter distinguatur ab illa; sed nostra sententia de intellectione necessaria procedit: ergo solutio tradita est insufficiens. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur; affirmatio alicuius prædicati, solum id potest ab alio distinguere, quod in esse constituit; nam distinguere in qualibet differentia, siuè essentiali, siuè accidentali, supponit constituere, & in illo veluti fundatur; sed defectibilitas terminatiua respectu obiecti secundarij contingentis, vel liberi, non constituit intellectionem necessariam Dei, sed tantum intellectionem liberam, vel contingentem: ergo non potest intellectionem necessariam à facultate intellectiua distinguere, sed tantum intellectionem liberam, vel contingentem.

30 *Respond.* Respondeo, negando maiorem. Actus enim liber, & necessarius in Deo non differunt essentia, sed exercitio essentiæ, & idem de intellectione libera, & necessaria est dicendum, quod nempè, eadem gaudeant essentia, & solum differant penès exercitium diuersum, & distinctam terminationem: cum ergo intellectio Dei actualis, sumpta secundum essentiam, capax sit terminationis necessariæ, & terminationis defectibilis, huius autem facultas *proximè* intellectiua sit incapax, inferimus de actuali intellectione, & de facultate proxima verificari prædicata contradictoria: ac proinde si hoc est constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis, & quod in Deo cum summa identitate ratione infinitatis distinctionem virtualem constituit, huiusmodi distinctionem inueniri inter actualem intellectionem, & facultatem proximè intellectiuam.

31 *Secundo resp. principali argum. positon. 26.* Secundo responderi potest prætermissa etiam maiori, negando minorem. Nam de potentia intellectiua Dei verificatur Deum constituere potentem proximè intelligere, quod de actuali intellectione negatur, & de actuali intellectione Deum constituere actu intelligentem, quod negatur de potentia intellectiua: vnde si verificari prædicata contradictoria constituit realem distinctionem in creatis, & in Deo virtualem, huiusmodi distinctio intercedit inter actualem intellectionem, & potentiam proximè intellectiuam.

32 *Replicabis. Respond.* Si opponas; de intellectione actuali realiter sumpta, & prout est à parte rei, nihil negatur, quod de potentia intellectiua affirmetur; sed hoc necessarium erat, vt distinctio virtualis subsisteret: ergo talis distinctio inter illa prædicata non datur. Respondeo, negando minorem. Nullus enim ex Auctoribus oppositis negat distinctionem virtualem intrinsecam inter paternitatem, & naturam diuinam; & tamen nihil de essentia affirmatur, quod possit de paternitate prout à parte rei sumpta, negari: vnde, quia hæc est vera: *essentia communicatur Filio*, hæc est etiam vera: *Paternitas, prout à parte rei*, hoc est, secundum aliquod prædicatum à se à parte rei indistinctum, *communicatur Filio*, & idem est de prædicatis proprijs paternitatis respectu essentiæ dicendum, vt fusè ostendemus *Tract. de Trinit. quæst. 28.* ac proinde vt inter actualem intellectionem, & potentiam intellectiuam virtualis distinctio intercedat, necessarium non est, quod aliquod prædicatum de intellectione affirmetur, quod negari possit de facultate *proximè* intellectiua sumpta prout à parte rei, aut è contra.

Tertio respondeo, negando maiorem; quod nempè, ad distinctionem virtualem sit necessarium conuenire prædicatis virtualiter distinctis constitutiuum formale realis distinctionis in creaturis. Cuius falsitatem probo primo: nam constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis est vnum non esse aliud realiter, v. g. Petrus à Paulo distinguitur realiter, quia Petrus non est realiter Paulus; sed hoc nequit conuenire prædicatis virtualiter distinctis in Deo: ergo in ista conuenientia non consistit, nec consistere potest virtualis distinctio. Illatio tenet. Minor est certa; nam essentia, & paternitas diuina virtualiter distinguuntur; & tamen hæc est falsa: *essentia realiter non est paternitas*; & similiter ista est falsa: *Paternitas non est realiter essentia diuina*; aliàs paternitas, & essentia realiter distinguerentur, quæ fuit sententia Gilberti Porretani à Concilijs damnata; cum realis distinctio inter duo in negatione realis vnius de alio consistat: ergo vnum non esse realiter aliud, non conuenit prædicatis diuinis virtualiter distinctis. 33 *Tertio eidè argumento respõdetur.*

Maior autem constat primo; nam vnitas entis consistit in indiuisione in se; esse autem aliquid, quod est idem, ac esse distinctum, consistit in diuisione à quolibet alio; sed diuisio realis à quolibet alio consistit in non esse realiter aliud: ergo constitutiuum formale distinctionis realis vnius entis ab alio, est non esse realiter aliud. Secundo; nam tunc aliqua duo *positiuè* realiter distinguuntur, quando de illis verificatur, *hoc est realiter, & illud est realiter, & hoc realiter non est illud*: ergo formale constitutiuum distinctionis realis inter duo, est negatio realis vnius de alio. 34 *Maior probatur primo. Secundo prob. maior.*

Secundo; si namque distinctio virtualis consisteret in conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis, maximè, quia ad distinctionem virtualem requiritur, quod verificentur de prædicatis virtualiter distinctis prædicata contradictoria; sed ex hoc non sequitur distinctionem virtualem in tali conuenientia consistere: ergo non consistit in illa. Maior constat ex argumento proposito. Minor autem ostenditur primo; nam de animali, & rationali verificantur contradictoria, nempè conuenientia; & non conuenientia; equus namque, & homo conueniunt in ratione animalis; non autem in rationalitate, & distinctio, & non distinctio; homo namque rationalitate ab equo distinguitur, non autem animalitate; & tamen animalitas, & rationalitas non distinguuntur realitèr, imo nec formaliter, aut ex natura rei, vt ex frequentiori, & veriori metaphysicorum sententia cum Angelico Præceptore suppono: ergo ex eo quod ad distinctionem virtualem petatur verificari prædicata contradictoria, aut in tali verificatione consistat, non sequitur virtualem distinctionem consistere in conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis. 35 *Secundo probatur assũptũ. Minor probatur primo.*

Secundo probatur minor; nam de diuina essentia verè affirmatur vniri sub conceptu speciei cum intellectu beati, vt cum D. Thoma *supra q. 12. art. 2.* frequentius docetur à Theologis, & de illa sub conceptu naturæ verè talis vnio negatur. Item diuinitas sub conceptu sanctitatis vnitur humanitati Christi formaliter, vt suppono ex communi Theologorum sententia *3. parte quæstione septima art. primo*, quæ vnio de diuinitate sub conceptu naturæ, & vitæ actualis, aut radicalis negatur, ac denique filiatio Diuini Verbi sub conceptu subsistentiæ, & personalitatis vnita est humanitati Christi; secus autem sub conceptu referentis; aliàs illam physicè relatam redderet, quod negant communiter Theologi, nullo quem viderim dempto; & tamen essentiæ diuinæ sub conceptu speciei, & sub conceptu naturæ, non conuenit constitutiuum formale distinctionis realis in creaturis, nec similiter essentiæ sub conceptu vitalis, & sub conceptu sanctitatis conuenit tale constitutiuum, nec denique filiationi sub conceptu referentis; aliàs personæ diuinæ non constituerentur proprietatibus relatiuis, sed absolutis formaliter: ergo ex eo quod distinctio virtualis consistat in veritate duarum contradictoriarum, non sequitur, consi- 36 *Secundo prob. minor.*

consistere in conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis.

37 *Tertio prob. minor.* Denique probatur minor; nam distinctio virtualis, quam Recentiores argumento facto vtentes in prædicta conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis constituunt, diuersa est à distinctione fundamentali rationis, & longè maior quam illa; sed vt verificentur prædicata contradictoria, sufficit distinctio virtualis sumpta pro fundamento distinctionis formalis rationis: ergo ex eo quod virtualis distinctio petat verificari prædicata contradictoria, aut in tali verificatione consistat, non sequitur consistere in conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis. Maior cum consequentia probatione non indigent. Minor autem est expressa Diui Thomæ *in hac 1.p. q. 19. art.2. ad 1. q.28. art.3. ad 1.* Et *q.39. art.1. ad 2.* illis verbis: *Dicendum, quod inquantum essentia, & persona in diuinis differunt secundum intelligentiæ rationem, sequitur, quod aliquid possit affirmari de vno, quod negetur de altero.* Ergo ex mente Diui Thomæ, vt contradictoria verificentur, sufficit distinctio secundum intelligentiæ rationem, seu distinctio virtualis sumpta pro fundamento distinctionis rationis. *S.THO.*

§. III.

Statuitur virtuale principium intellectionis essentialis in Deo.

38 *Secunda conclusio.* SECVNDA Conclusio. *Datur in Deo principium proximum virtuale intellectionis essentialis.* Ita omnes Discipuli D.Thom. qui intellectionem essentialem nonesse de Metaphysica Deitatis constitutione defendunt. Et probatur primo supponendo, vt ante probationem primæ conclusionis monuimus, idem esse virtuale principium intellectionis in Deo, ac fundamentum principij intellectionis secundum rationem nostram. Quo posito suadetur primo conclusio ex D.Thoma *q.1. de Potentia art. 1. ad 1.* illis verbis: *Est autem de ratione operationis habere principium, non de ratione essentiæ: vnde licet essentia diuina non habeat aliquod principium, neque re, neque ratione, tamen operatio diuina habet aliquod principium secundum rationem.* *Prob. 1. ex D.Th.* Quod etiam repetit *solutione ad quintum*, & docuerat *in 1. Sentent. dist.7. q.1. art.1. ad 2. verbis relatis, § praeced. in prima conclusionis probatione*; sed intellectio actualis est operatio, & à nobis, vt operatio vitalis concipitur: ergo habet in Deo principium secundum rationem; & consequenter admittendum est in ipso virtuale intellectionis principium.

39 *Respondebis.* Si dicas; intellectionem non esse operationem, nisi tantum ex modo significandi; quia ad instar operationis, & per speciem illius à nostro intellectu concipitur; non autem ex parte rei significatæ, ex quo tantum sequitur, quod habeat in Deo principium ex modo significandi, non autem ex parte obiecti. In contrarium obstat primo; nam intellectio ea ratione est operatio, qua ei conuenit esse actum vitalem; sed est actus vitalis, non solum ex modo significandi, sed etiam ex parte obiecti significati: ergo sic est operatio. *Contra 1.*

Contra 2. Secundo; nam vel in Deo nulla est operatio ex parte obiecti, sed tantum ex modo significandi, vel intellectio est obiectiuè operatio; sed primum asserendum non est: ergo necessario est dicendum, quod intellectio diuina obiectiuè est operatio. Maior constat; non enim potest aliquod discrimen statui inter intellectionem, & alios actus diuinos, vt enim docet D.Thomas 2. *Contra Gentes cap.10. ratione 1.* quoad identitatem actionis cum principio, eadem ratio est de intellectuali operatione, ac de alijs: ex quo infert, quod si intellectio identificatur cum principio intellectiuo, aliæ operationes diuinæ cum principio operatiuo idem sunt; sed identitas illata, non est virtualis, & rationis ratiocinatæ in alijs operationibus, v.g. in volitione: ergo nec in operatione intellectiua: ergo vel dicendum est in nulla rationem operationis ex parte obiecti saluari, vel intellectionem rationem operationis ex parte obiecti sortiri. Minor autem probatur; nam iuxta D. Thomam locis *proximè* allegatis, Deo absolutè attribuimus operationem, & operationis principium, sed si solum ex modo significandi esset operatio in Deo, non deberet ipsi ratio operationis attribui, sicut nec ratio corporis Deo absolutè attribuitur: ex eo quod ex modo significandi, & concipiendi nostro sit corpus; à nobis namque ad instar rei corporeæ, & per eius speciem concipitur: ergo conceptus operationis, non solum ex modo significandi, sed etiam ex parte obiecti significati est constituendus in Deo.

Secundo probatur ex eodem D Thoma *infra q.41. art.4. ad 3.* vbi loquens de actibus essentialibus intelligendi, & volendi, sic habet: *Vnde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum, prout diuersimodè significatur in Deo intellectus, & intelligere; cum tamen ipsum intelligere Dei, sit eius essentia non habens principium.* Ergo sentit D. Thomas intellectionem essentialem in Deo habere principium secundum rationem nostram; & consequenter intellectus est principium proximum virtuale intellectionis essentialis. 41 *Secundo probatur conclusio ex eodem D.Tho.*

Si dicas; ex verbis D.Thomæ tantum colligi, principium intellectionis essentialis in Deo ex modo significandi; quia nempe, à nobis concipitur adinstar intellectionis creatæ habentis reale principium, & per speciem illius; non autem sequitur principium ex parte obiecti significati: ac proinde nec principium virtuale sumptum pro fundamento principij per rationem nostram formalis. 42 *Respond.*

Sed contra primo; nam apud D. Thomam idem est principium ex modo significandi, & concipiendi, ac principium ex parte obiecti secundum rationem nostram: ergo solutio tradita est nulla. 43 *Contra 1.* Probatur antecedens; idem est apud D.Thom. distingui formalitates diuinas secundum nostrum modum significandi, & concipiendi, & distingui ex parte obiecti ratione ratiocinata: ergo pariter principium ex modo significandi; idem est ac principium ex parte obiecti secundum rationem nostram. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens autem constat ex D.Thoma *in hac 1.p.q.19. art.2. ad 1.* ibi: *Dicendum, quod licet diuinum velle, sit eius esse secundum rem, tamen differt ratione secundum diuersum modum intelligendi, & significandi*; sed iuxta D.Thomam velle diuinum, non solum ratione ratiocinante, & ex modo significandi distinguitur ab essentia, sed ex parte obiecti, & ratione ratiocinata habente fundamentum in re; ergo apud ipsum differre ex modo significandi, & concipiendi nostri intellectus, idem est ac distingui ratione ratiocinata obiectiue. *S.THO.*

Contra secundo; nam eo modo statuit D.Thomas principium intellectionis, quo agnoscit distinctionem inter intellectionem, & intellectionis principium; sed distinctio hæc est, non solum ex modo significandi, sed etiam obiectiua, & rationis ratiocinatæ: ergo principium intellectionis, quod recognoscit in Deo, non se tenet tantum ex parte modi significandi, sed etiam ex parte obiecti significati. Maior ex dicendis constabit. Consequentia tenet. Minor autem constat ex dictis *præcedente conclusione.* Et probatur, vt enim docet D.Thomas *infra q.19. art.1. in corpore*, sicut intelligere Dei est esse Dei, ita velle est esse; sed inter velle, & esse, agnoscit D.Thomas virtualem, obiectiuamque distinctionem, vt cum communi Thomistarum sententia docebimus *Tract. de Voluntate Dei*: ergo inter intellectionem, & essentiam, aut naturam diuinam, quæ est principium intelligendi, recognoscit virtualem, obiectiuamque distinctionem. 44 *Contra 2.*

Tertio principaliter suadetur conclusio; communis ratio intellectus, prout præscindit à creato, & increato, consistit in ratione principij proximi intellectionis; sed hæc ratio propriè saluatur in Deo: ergo reperitur in ipso principium proximum intellectionis in re virtuale, & per rationem formale. 45 *Tertio probatur conclusio ratione.* Consequentia tenet; nam principium, aut est reale, aut virtuale, in Deo autem principium reale esse nequit: ac proinde debet esse virtuale. Minor constat; nam intellectus non dicitur *æquiuocè* de creato, & increato; alias non posset reperiri propriè in Deo, ex quo fieret, vt testimonia Scripturæ attribuentia Deo intellectum, explicanda essent in sensu metaphorico, & improprio; ex quo vlterius sequeretur posse etiam, quæ Deo scientiam, & intellectionem attribuunt, in eodem sensu vsurpari; vnde nec intellectio propriè conueniret Deo, idemque de omnibus alijs perfectionibus posset affirmari: ergo propriè Deo conuenit ratio intellectus vt sic, creato, & increato analogicè communis.

Maior autem probatur; ratio intellectus in illa communitate non consistit in tendentia ad obiectum intelligibile per modum actus secundi; alias ratio illa conueniret intellectioni creatæ; intellectui autem creato non conueniret, nec de illo prædicaretur, nec in tendentia abstrahente à tendentia per modum actus primi, & per modum actus secundi; alias ratio illa communis prædicaretur de intellectione creata: ergo consistit in tendentia ad obiectum intelligibile per modum actus primi; sed tendentia per modum actus primi, vt distincta à tendentia 46 *Maior probatur.*

per

per modum actus secundi, in nullo alio consistere potetest, quam in ratione principij intellectionis formalis, aut virtualis: ergo intellectus, vt sic, quatenus analogicè communis intellectui creato, & increato, consistit in ratione principij intellectionis formalis, aut virtualis.

Confirmatur; ratio intellectus vt sic, non consistit in
47 *Confirmatur* potentia Logica ad intelligendum, sed in potentia Physica; sed Physica potentia ad intelligendum, prout à Logica distincta, non potest in alio consistere, quam in principio intellectionis: ergo in hac ratione consistit intellectus, vt sic. Minor constat; etenim potentia Logica est non repugnantia ad essendum; sed potentia Physica supra hanc non repugnantiam, nil aliud addere potest per quod distinguatur ab illa, nisi rationem principij: ergo potentia Physica prout à Logica distincta, consistit in ratione principij. Maior autem probatur; potentia Logica de perceptionem actualem obiecti intelligibilis conuenit intellectioni creatæ; sed non conuenit illi ratio intellectus, vt sic: ergo hæc non consistit in potentia Logica ad intellectionem, vel actualem perceptionem obiecti intelligibilis.

48 *Replicabis.* Dices: potentiam Physicam ad intelligendum consistere in potentia susceptiua intellectionis per summam identitatem, quæ capacitas Logicæ potentiæ non conuenit, vnde absque ratione principij formalis, aut virtualis subsistit inter vtramque potentiam distinctio. Sed
Contra. contra: nam potentia Physica intellectiua est vitalis; sed ad rationem potentiæ vitalis non sufficit capacitas susceptiua actus, vel operationis, sed insuper est necessaria vis actiua, aut elicitiua illius: ergo potentia physica intellectiua non consistit in sola capacitate susceptiua intellectionis absque ratione principij, saltim virtualis illius. Maior cum consequentia tenet. Minor autem constat primo; nam capacitas susceptiua operationis conuenit potentiæ non vitali: ergo potentia vitalis non potest in illa sola consistere. Secundo, nam viuens à non viuente distinguitur per habere perfectionem à se; sed habere à se perfectionem in nullo alio potest distingui ab hoc, quod est habere perfectionem in se, quam in hoc, quod perfectio habita à se, est ab habente tanquam à principio sui: ergo ad rationem potentiæ vitalis prout à non vitali distinctæ, non sufficit capacitas susceptiua actus, vel operationis absque ratione principij.

Dices; sufficere ad potentiam vitalem capacitatem su-
49 *Respondebis.* sceptiuam operationis per summam identitatem; per hoc enim conuenit illi perfectissimè à se; & consequenter à non vitali sufficienter distinguitur. Sed contra primo;
Contra 1. nam si conuenientia perfectionis à se per summam identitatem sufficeret ad rationem vitæ actualis in perfectione sic conueniente, & viuentis in illo cui conueniret, sequeretur, omnem perfectionem Dei esse vitam in actu secundo, & per omnem perfectionem Deum viuere in actu secundo; consequens est falsum: ergo talis conuenientia ad rationem vitæ non sufficit. Minor constat; alias ens diuinum à se transcendens transcendentia logica omnes formalitates diuinas esset viuens vita intellectuali, & diuina: ex quo vlterius fieret, vt ratio viuentis vita intellectuali, & diuina, realiter multiplicaretur in diuinis relationibus; cum ratio entis diuini realiter in illis multiplicetur. Sequela verò probatur; cui namque conuenit ratio constitutiua, & constitutum debet conuenire: ergo si constitutiuum vitæ est conuenientia perfectionis à se per summam identitatem, omni perfectioni illo modo conuenienti, etiam conuenit ratio vitæ, & omni, cui à se per identitatem aliqua perfectio conuenit, etiam conuenit ratio viuentis.

Contra secundo; nam capacitas physica susceptiua alicuius perfectionis, non potest non distingui virtualiter
50 *Contra 2.* saltim ab illa: ergo licet sit susceptiua perfectionis per identitatem realem, non tamen potest esse susceptiua illius per identitatem virtualem; & consequenter licet illi à se conueniat per identitatem virtualem, non tamen erit à se per identitatem virtualem: ex quo vlterius fiet, vt necessario debeat illi conuenire à se per egressum virtualem. Vtraque consequentia ex antecedenti colligitur; nam eo modo, quo perfectio distinguitur à subiecto, non conuenit illi à se per identitatem: ergo si distinguitur à subiecto virtualiter, & conuenit illi à se, debet esse à se per egressum virtualem, sicut si realiter distingueretur ab illo, non posset illi conuenire à se, nisi per egressum realem. Antecedens autem probatur; nam capacitas physicè susceptiua, vel est talis realiter, vel virtualiter: si primum, realiter à forma distinguitur: si secundū, virtualiter discriminatur ab illa: ergo capacitas physicè susceptiua alicuius perfectionis debet ab illa saltim virtualiter distingui-

Et ex his tertio principalis solutio reijcitur: nam semel concessa intellectui diuino capacitate subiectiua vir- 51 *Tertio reycitur principalis solutio.*
tualiter intellectionis, non est cur illi negetur virtus elicitiua virtualiter intellectionis: ergo vtraque est neganda, vel concedenda. Probo antecedens; capacitas realiter susceptiua intellectionis, non dicit minorem imperfectionem quam virtus realiter elicitiua: ergo si per hoc, quod capacitas sit non realiter, sed virtualiter susceptiua, omnis imperfectio vitatur, pariter etiam per hoc, quod virtus elicitiua sit, non reali; sed virtuali elicientia, omnis imperfectio in virtute actiuè intellectiua vitabitur: ac proinde admissa in Deo capacitate susceptiua intellectionis, non est cur negetur Deo principium virtuale illius.

Quarto principaliter suadetur conclusio, eo modo, quo 52 *Quarta probatur conclusio.*
intellectus diuinus ab actuali intellectione distinguitur, est principium illius; sed distinguitur ab illa distinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ: ergo est principium illius virtuale, & per rationem. Illatio tenet. Minorem *praecedenti conclusione* probauimus, & admittuut aliqui Recentiores, huic conclusioni aduersantes. Maior autem *Maior probatur primo.*
ostenditur primo: si namque distinctio esset realis, non minoris imperfectionis esset, quam realis egressio à principio: ergo si per hoc, quod non realis, sed virtualis sit, aut rationis absque imperfectione adstruitur inter intellectum, & intellectionem diuinam, etiam per hoc quod egressus non sit realis, sed virtualis, aut rationis, absque vlla imperfectione constituetur; & consequenter eo modo, quo diuinus intellectus ab intellectione distinguitur, erit principium illius. Secundo; nam in- *Secundo.*
tellectio, vtpote actus vitalis, petit Deo à se conuenire, at eo modo, quo ab intellectu diuino distinguitur, non conuenit Deo à se per identitatem, vt proxime argumentabar: ergo eo modo, quo distinguitur à diuino intellectu conuenit à se egressiuè: & consequenter ratione principij proximi in illam influentis influxu proportionato qualitati distinctionis.

Denique suadetur conclusio; principium proximum 53 *Vltimo probatur conclusio.*
virtuale intellectionis nullam dicit imperfectionem: ergo est admittendum in Deo. Consequentia patet. Antecedens autem probatur primo; nam distinctio virtualis, *Antecedens probatur 1.*
& rationis ratiocinatæ intellectus ab intellectione, non dicit imperfectionem, vt plures contra quos nostra procedit conclusio fatentur, & tamen si realis esset imperfectionem, involueret: ergo pariter quamuis principium reale proximum intellectionis diceret imperfectionem, principium virtuale proximum intellectionis nullam importat imperfectionem.

Secundo; nam eo ipso, quod principium intellectionis in Deo sit identificatum cum illa omni reali identitate, 54 *Secundo probatur antecedens.*
est infinitæ perfectionis, & supremè actualis; cum quo nulla imperfectio compatitur: sed influxus virtualis principij proximi in intellectionem compatitur cum identitate reali omnimoda cum intellectione actuali: ergo nullam in Deo constituit imperfectionem. Tertio pro- *Tertio.*
batur antecedens; principium virtuale volitionis essentialis in Deo admittitur sine vlla imperfectione: ergo pariter principium virtuale proximum, aut radicale intellectionis diuinæ nullam imperfectionem importat.

Huic argumento responderi potest primo; prætermis- 55 *Respondebis 1.*
so antecedenti, nego consequentiam. Non enim solum relegandum est à Deo, quod imperfectionem dicit, sed etiam quod ex proprio conceptu perfectissimum non est, licet autem principium virtuale proximum intellectionis non dicat positiuè imperfectionem, non tamen explicat omnimodam perfectionem, & ideo non debet constitui in Deo.

Hæc tamen solutio est omnino insufficiens, & reijcitur 56 *Reijcitur 1.*
primo ex D. Thoma *q. 1. de potentia art. 1. ad 2.* illis verbis: *Ad secundum dicendum, quod licet omne perfectissimum sit Deo attribuendum; non tamen oportet, quod omne illud quod Deo attribuitur sit perfectissimum.* Ergo si principium proximum virtuale intellectionis imperfectionem non dicat, non est relegandum à Deo ex eo quod ex proprio conceptu perfectissimum non sit. Secundo; nam *Secundo.*
Diuus Thomas prædicta doctrina est vsus, vt defenderet potentiam in Deo, non obstante quod potentia perfectissima non sit, vtpote respiciens aliquid perfectius se scilicet operationem, vt constat ex secundo argumento, quod ita procedebat: *Omne perfectissimum est Deo attribuendum: ergo quod respicit aliquid perfectius se, non debet Deo attribui; sed potentia respicit se perfectius, scilicet, passiuam formam, & actiuam operationem: ergo potentia Deo attribui non potest*: quo non obstante statuit in Deo poten-

potentiam, quia licet omne perfectissimum sit concedendum in Deo, non tamen omne quod Deo attribuitur debet esse perfectissimum: ergo quamuis principium proximum virtuale intellectionis perfectissimum non sit, sed ab actuali intellectione excedatur, non ideò est relegandum à Deo.

57 *Respondebis 2.* Secundo responderi potest, negando antecedens: nam principium proximum virtuale intellectionis dicit carentiam vltimæ actualitatis suæ lineæ, id autem, quod caret huiusmodi actualitate, vt potentiale intelligitur, ac proinde vt imperfectum. Ita Recentiores Thomistæ, qui consequenter non admittunt virtualem distinctionem intellectus ab intellectione, etsi fateantur in Deo virtuale volitionis principium ab illa virtualiter distinctum, eo quod principium virtuale volitionis actualis, non est in eadem linea cum illa; ac proinde, vt perfectissimum sit, & absque vlla potentialitate constituatur in Deo, non est necessaria identitas cum volitione actuali.

58 *Contra 1.* Sed contra hanc solutionem obstat primo: si namque principium actualitatis ad aliam lineam spectantis, ab illa distingueretur distinctione reali, aut formali, non minus foret imperfectum, quam si ab actu suæ lineæ hoc genere distinctionis gauderet; & tamen virtualis distinctio, & rationis ratiocinatæ nullam imperfectionem importat: ergo pariter, licet realis aut formalis distinctio principij ab actu ad eandem lineam spectante imperfectio maxima sit, virtualis tamen distinctio, & carentia virtualis illius nullam dicet potentialitatem, vel imperfectionem. *Secundo,* Secundo: nam virtuale principium intellectionis, prout à nobis constituitur, non caret actuali intellectione nisi tantum quoad explicitum cum inclusione implicita actualissima illius; sed carentia actualitatis quoad explicitum tantum, cum inclusione implicita actuali, imperfectionem potentialitatis non dicit: ergo non est cur non admittatur in Deo.

59 *Tertio.* Tertio: nam potentia operatiua est eiusdem lineæ cum actuali operatione; & tamen D. Thomas illam admittit in Deo respectu operationis, vt vidimus: ergo quamuis potentia intellectiua sit eiusdem lineæ cum actuali intellectione, constitui debet in Deo. *Quarto.* Quartò: nam scientia, sapientia, & intellectus principiorum pertinent ad lineam intelligendi, & tamen distinguuntur attributaliter à diuina natura, vt docent Recentiores Thomistæ nobis in hac parte aduersarij, & consequenter natura diuina est principium virtuale in comparatione ad illa: ergo quamuis principium virtuale proximum intellectionis sit in eadem linea cum intellectione actuali, absque vlla imperfectione constitui potest in Deo.

60 *Respondebis 1.* Respondebis primo: scientiam, sapientiam, & intellectum principiorum esse in eadem linea cum diuina natura genericè, nempè in linea intelligibili, quæ diuisibilis est per peculiares modos intelligendi, non autem in eadem linea specificè, & ideò inconueniens non est, quod à natura diuina distinguantur, & hæc sit illorum virtuale principium. Cæterum intellectum, & actualem intellectionem esse in eadem linea specificè, ac proinde adstruere intellectum in Deo, qui sit illius virtuale principium, absque potentialitate, & consequenter absque imperfectione esse non potest.

61 *Respondebis 2.* Vel secundo respondebis, aliud constituendo discrimen: nam actualis intellectio sumpta absolutè, pertinet primario ad lineam intelligibilem tanquam eius vltima actualitas; vnde quidquid constituatur in Deo non explicans actualem intellectionem, vt potentiale intelligitur. Peculiares tamen illi modi intelligendi, nempè veritatum demonstrabilium, in quo scientifica cognitio consistit; & veritatum indemonstrabilium, in quo consistit intellectus principiorum, pertinent secundario ad lineam intelligibilem, & ideò potest principium illorum virtuale admitti in Deo, quod actualissimum sit, nullamque imperfectionem importet, sicut respectu volitionis absque imperfectione admittitur.

62 *Prima solutio reijcitur.* Sed neutra solutio satisfacit, & contra primam facit: nam etiam intellectus, & intellectio non sunt eiusdem lineæ specificè, sed tantum genericè: ergo, vt saluetur perfectissimus intellectus non est necessarium vt explicet actualitatem intellectionis; & consequenter absque vlla imperfectione poterit intellectus diuinus virtualiter ab intellectione distingui, & esse virtuale illius principium. *Antecedens probatur 1.* Probo antecedens primo: nam increatis intellectus, & intellectio genere tantum conueniunt, & species distinguuntur, non minus quam scientia, vel sapientia, & intellectus principiorum; sed non est ratio assignabilis cur distinctio scientiæ, & simplicis notitiæ sit ex conceptibus formalibus, & non ratione solius limitationis, distinctio autem intellectus ab intellectione ex limitatione sola proueniat: ergo intellectus, & intellectio distinguuntur ex proprijs conceptibus; ac proinde solum sunt eiusdem lineæ genericæ.

63 *Secundo probatur.* Secundo: nam si ob aliquam rationem intellectus, & intellectio essent in eadem linea specificè, secus autem sapientia, & simplex intelligentia, maximè quia intellectus, & intellectio respiciunt idem obiectum, sapientia autem, & intellectus principiorum diuersa obiecta respiciunt, penes obiectum autem attenditur identitas lineæ; sed hæc ratio est nulla: ergo non sunt eiusdem lineæ specificæ. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur; non minus est sufficiens idem obiectum attactum diuerso modo specificè distinguere; quam obiectum diuersum; sed intellectus, & intellectio, licet idem obiectum respiciant, tendunt diuersimodè in illud: ergo distinguuntur specificè intra lineam intelligibilem. Maior constat in motu circulari, & recto terminatis ad eundem terminum, qui tamen essentialiter distinguuntur ob diuersum modum tendendi: ergo idem est dicendum de obiecto, quod nempè, quamuis sit idem, si tamen diuersimodè attingitur specificè valet distinguere. Minor autem probatur: nam intellectus tendit in obiectum intelligibile per modum principij, intellectio autem per modum actualis perceptionis obiecti; sed isti diuersi modi tendendi: ergo intellectus, & intellectio diuerso modo tendunt in obiectum intelligibile.

64 *Respondebis* *Contra.* Dices, maiorem veram esse in creatis, falsam autem in Deo, in quo non datur principium intellectionis. Sed contra: nam hoc est principium petere, & idem per idem probare; quod probo: negatur namque principium virtuale intellectionis in Deo, quia careret actualitate suæ lineæ, quod infert potentialitatem, & imperfectionem in Deo, vt autem identitas lineæ saluetur ratio principij: ergo probatur non esse principium ex identitate lineæ, & identitas lineæ ex negatione principij; ac proinde probatur idem per idem, & petitur manifeste principium.

65 *Deinde principalis solutio reijcitur.* Deinde principalis solutio reijcitur: eo ipso quod admittatur in Deo multiplex cognitio virtualiter distincta, intellectus, & intellectio actualis, habent obiecta diuersa; sed ex diuersitate obiecti sumitur diuersitas lineæ: ergo eo ipso intellectus, & intellectio actualis in eadem linea non sunt; & consequenter absque vlla potentialitate poterit, debebit admitti principium virtuale proximum intellectionis actualis in Deo. Minor cum consequentia tenet; maior autem probatur: eo ipso quod multiplex cognitio admittatur, cuius debet respondere suum peculiare obiectum; sed obiectum intellectus debet esse omnibus obiectis intellectionum commune: ergo eo ipso quod in Deo multiplex cognitio virtualiter distincta admittatur, intellectus, & intellectio actualis diuersa inspiciunt obiecta; & consequenter distinguuntur virtualitèr specificè intra eandem lineam generis intelligibilis.

66 *Secunda solutio posita nu. 57. reijcitur 1.* Deinde secunda solutio argumenti principalis reijcitur primo: non enim datur in intellectu diuino nisi vel sapientia, aut scientia, & intellectus principiorum in linea speculatiua, ars, & prudentia in practica, & ratio intellectionis diuinæ his veluti speciebus communis; sed virtutes illæ intellectuales non pertinent primario ad lineam intelligibilem, vt solutio tradita admittit, ratio autem illis prædicatione communis non potest vt vltima actualitas primariò spectans ad prædictam lineam constitui, vt compertum est ipsis, contra quos disputamus: ergo si absque imperfectione constituitur in Deo principium virtuale sapientiæ, scientiæ, & intellectus principiorum, nullus est conceptus intellectionis actualis in Deo respectu cuius virtuale principium absque imperfectione non detur Maior ostenditur primo: in nobis namque non datur euidens, & certa cognitio, quæ non pertineat ad scientiam, sapientiam, vel intellectum, si speculatiua sit, vel ad artem, & prudentiam, si practica: ergo pariter in Deo. 67 *Maior probatur primo.*

Secundo probatur maior. Secundo: nam talis cognitio, vel attingit veritatem immediatam, vel mediatam, vel vtramque: si primum, est luminis principiorum. Si secundum, est cognitio scientifica. Si tertium, vtramque habebit rationem, nempè luminis principiorum, & scientiæ: ergo non datur actualis intellectio, quæ non spectet ad aliquam ex illis virtutibus intellectualibus.

68 *Tertio.* Tertio: nam illa cognitio vel attingeret omnia prædicata diuina sub omni ratione cognoscibilitatis, vel sub aliqua peculiari ratione, inter quæ non datur medium: si primum, superfluunt virtutes intellectuals attributa-

tributales in Deo; cum vi illius cognitionis omne illius prædicatum sub omni ratione cognoscibilitatis cognitum supponatur. Si secundum, sortietur talis cognitio specialem, aut peculiarem modum cognitionis; & consequenter erit extra essentiæ Dei constitutionem, sicut hac ratione virtutes attributales ab illius constitutione excluduntur; ac proinde dabitur respectu illius virtuale principium.

69 *Secundo reijcitur.* Secundo reijcitur; etenim intellectio actualis, licet sit vltima actualitas in linea intelligibili, non tamen potest esse primum prædicatum in illa, sed necessario aliud prius prædicatum supponit: ergo ad lineam naturæ non spectat; & consequenter illam constitutam supponit. Ex quo vlterius sequitur posse habere principium virtuale, tam radicale, quam proximum. Antecedens probo: de ratione operationis est supponere principium, vt docet D. Thomas *quæst. 1. de potentia art. 1. ad 2.* & ex terminis est notum; sed intellectio actualis est operatio: ergo principium supponit; & consequenter esse nequit primum prædicatum lineæ intelligibilis.

70 *Confirmatur.* Et confirmatur: non minus est de ratione operationis principium supponere, quam de ratione volitionis supponere cognitionem; sed quia volitio ex proprio conceptu supponit cognitionem quamuis increata sit, & subsistens, non potest esse primum prædicatum constitutiuum naturæ: ergo quamuis operatio increata sit, & subsistens, non potest esse primum prædicatum constitutiuum naturæ. *Confirmatur.* Confirmatur, & vrgetur secundo: non minus est de ratione actionis naturalis præsupponere naturam, quam de ratione actionis personalis supponere personam; sed actio personalis, quamuis subsistens, & increata sit, non potest constituere personam, vt docet Diuus Thomas *infra quæst. 40 art. 4.* nempe originem, aut generationem actiuam, quia est actio non constituere Patrem in ratione personæ, sed constitutum supponere; ergo pariter actio naturalis, quamuis increata sit, & subsistens, non constituit naturam, sed illam constitutam supponit.

71 *Confirmatur 3.* Confirmatur, & vrgetur tertio: actualis intellectio; vt in Patre, supponit Patrem constitutum in ratione personæ; sed natura diuina, vt in Patre, non supponit illum constitutum in ratione personæ: ergo intellectio actualis non constituit metaphysicè naturam diuinam. Consequentia tenet. Minor est certa, & probatur maior: generatio actiua supponit Patrem constitutum in ratione personæ, vt docet D. Thomas *in hac 1. p. quæst. 4. art. 4.* sed generatio actiua est intellectio prout in Patre, vt docebimus cum frequentiori, & vera Thomistarum sententia *tractatu de Trinitate quæst. 27. art. 1.* ergo intellectio vt in Patre supponit Patrem constitutum in ratione personæ. Sed de his plura diximus *supra disp. 4. de constitutiuo Metaphysico diuinæ naturæ agentes.*

§. IV.

Obiectionibus in contrarium occurritur.

72 *Arg. 1.* SED opponunt Recentiores quidam primo: intellectioni essentiali non conuenit virtualis egressus: ergo respectu illius non datur virtuale principium proximum, nec radicale. Consequentia est euidens. Antecedens autem probatur: id egreditur virtualiter, cui conuenit cum summa identitate cum principio, constitutiuum formale egressus realis in creaturis; sed intellectioni essentiali non conuenit constitutiuum formale egressus realis in creaturis: ergo non conuenit illi virtualis egressus. Maiorem probant à paritate distinctionis virtualis intrinsecæ consistentis in conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis cum summa identitate ex titulo infinitatis: ergo idem est de virtuali egressu, & virtuali principio dicendum. Deinde probant minorem; etenim influxus realis creatus consistit in eo quod principium realiter influens, à se multiplicet numerum rerum; sed multiplicare numerum rerum à se, non potest nec in Deo etiam subsistere cum identitate reali principij, & egredientis à principio: ergo implicat Deo virtualis influxus, & virtualis egressus.

73 *Hoc argumentū cōtra illo utentes militat.* Hoc argumento ingeniosi Recentiores conuicti vniuersaliter negant in Deo omne principium virtuale, & omnem virtualem egressum, & virtualem distinctionem inter relationes, & essentiam fatentur, in quo, meo iudicio, parum consequenter procedunt: quod probo: non enim minus est de ratione distinctionis realis in creaturis, quod extrema realiter distincta, sint realiter plura, & numerum rerum augeant, quàm de ratione principij realiter influentis, realiter supra se numerum rerum multiplicare: ergo si principium virtualiter influens, & virtualis egressus relegantur à Deo, quia cum reali identitate non stat realis multiplicatio numeri rerum, quæ realem influxum in creaturis constituit, consequenter releganda est à Deo virtualis realis distinctio, quia cum identitate reali stare nequit realis rerum multiplicitas, in qua consistit realis distinctio in creaturis.

Vnde ad argumentum factum, nego antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Ad illius probationem 74 nego iterum maiorem; vt enim arguebamus *supra*, non stat conuenientia constitutiui formalis distinctionis realis in creaturis, absque reali distinctione: vnde sicut distinctio virtualis consistit in fundamento ad formalem, per rationem, ita virtualis egressus, & virtuale principium consistit in fundamento se tenente ex parte obiecti, vt intellectus vnum vt principium concipiat, & aliud vt egrediens à principio: & quia hoc fundamentum reperitur in Deo, vt intelligente, fit, vt in ipso intellectus sit principium proximum virtuale intellectionis, & intellectio ab intellectu virtualiter egrediatur: vel consistit in eo quod ea, quæ virtualiter distinguuntur, ita inter se comparantur, quod si inter illa realis distinctio intercederet alterum rationem principij realiter influentis obtineret, & alterum realiter à tali principio egrederetur, & quia intellectus, & intellectio diuina virtualiter inter se distinguuntur; & aliàs taliter inter se comparantur, quod si inter illa realis interueniret distinctio, intellectus realiter in intellectionem influeret, & intellectio realiter egrederetur ab illo, fit consequens, vt intellectus diuinus sit principium virtuale proximum intellectionis, & intellectio virtualiter ab illo egrediatur. An autem aliter explicari possit virtualis distinctio, & virtualis egressus à principio, alibi examinatum relinquimus. *Ad illud respondetur.*

Secundo arguitur: non est fundamentum in Deo vt illius intellectus potentialis concipiatur; sed principium proximum virtuale intellectionis vt potentiale concipitur: ergo non adest fundamentum in Deo, vt illius intellectus concipiatur vt principium virtuale proximum intellectionis. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: principium virtuale intellectionis concipitur vt perfectibile per intellectionem, tanquam per actualitatem, & per illam determinabile; sed determinabile per actum & per illum perfectibile, potentiale est, vel vt potentiale intelligitur: ergo principium virtuale intellectionis, vt potentiale concipitur. 75 *Secundo arguitur.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: tanquam per actualitatem actu implicitè in se inclusam, concedo maiorem: non inclusam actu implicitè, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: sicut namque diuina essentia concepta vt radix attributorum, & illorum subiectum, concipitur vt determinabilis, & perfectibilis per attributa, quin ex hoc vt imperfecta, potentialisvè concipiatur, quia illa actualissimè implicitè continet; ita intellectus diuinus absque potentialitate concipitur vt determinabilis per actualem intellectionem, & per illam perfectibilis, quia licet actualem intellectionem non explicet, illam tamen perfectissimè continet in actu implicitè. 76 *Respondet.*

Sed dices: principium virtuale non continens actu implicitè actualem operationem; est implicitè potentiale: ergo non continens actu explicitè actualem operationem, erit saltim explicitè potentiale, & consequenter imperfectum quoad explicitum. Respondeo, negando consequentiam; ratio autem discriminis est: nam potentialitas dicit defectum priuatiuum actualitatis, hoc est defectum actualitatis debitæ, eo modo quo debetur; omnis autem diuina perfectio ex ratione infinitatis petit implicitè claudere quasmuis aliam perfectionem, & ideo carentia implicita illius potentialitatem inducit, non autem vna perfectio diuina omnem aliam actu explicitè importare petit, & ideo carentia expressionis non inducit potentialitatem: vnde si intellectus diuinus careret actu implicitè actuali intellectione, potentialis conciperetur, ex eo autem quod actualem intellectionem non exprimat, licet rectè colligatur concipi vt potentiam proximam, non tamen infertur, quod vt potentialis, etiam explicitè, concipiatur. Et insto (vt proximè instabam) in essentia comparata ad attributa; quibus si careret implicitè, imperfecta, & potentialis esset, ex carentia autem explicita non concipitur, vt explicitè potentialis. 77 *Replicabis.* *Respond.*

Instabis: expressio vltimæ actualitatis propriæ lineæ debetur cuilibet perfectioni diuinæ, ac proinde concepta 78 *Instabis.*

cepta fine illius expressione, vt potentialis concipitur: sed actualis intellectio est vltima actualitas in genere, & linea intelligibili; attributa verò non pertinent ad lineam essentiæ, & naturæ: ergo quamuis diuina essentia sine attributorum expressione concepta, concipiatur sine vlla potentialitate, intellectus tamen diuinus potentialis concipietur sine expressione actualis intellectionis.

79 *Respond.* Illius obiectionis doctrina est in qua Recentiores Thomistæ totam suæ sententiæ probabilitatem fundant. Sed respondetur facile ex dictis, distinguendo maiorem: expressio vltimæ actualitatis propriæ lineæ sumptæ genericè, nego maiorem: sumptæ veluti specificè, concedo maiorem: & sub eadem distinctione primæ partis minoris, nego consequentiam: nam licet actualis intelligibili, veluti genericè sumpta, quia tamen operatio est, & actus vitalis, de cuius conceptu est principium radicale, & proximum præsupponere; fit consequens, vt non pertineat ad species, vel quasi species principij radicalis, & proximi, quæ etiam continentur in linea intelligibili: ac proinde, quod possint principium proximum, & radicale absque vlla potentialitate concipi sine expressione actualis intellectionis.

80 *Vrgebis primo.* Sed vrgebis adhuc primo; actualis intellectio actuat, & perficit, tam principium radicale, quam proximum: ergo est vltima actualitas ad illorum lineas pertinens. *Secundo.* Secundo: nam cuiusuis perfectionis diuinæ debet assignari aliqua vltima actualitas ad illius lineam sumptam specificè pertinens; sed radicis intellectionis, & principij proximi illius nulla alia vltima actualitas potest constitui, nisi intellectio actualis: ergo hæc ad illorum lineas pertinet. Minor probatur: quæcumque alia assignabilis actualitas, est vlterius actuabilis, scilicet, per actualem intellectionem; sed vlterior actuabilitas repugnat conceptui vltimæ actualitatis: ergo præter illam non est assignabilis aliqua actualitas vltima.

Tertio. Denique obijcies, etenim perfectiones diuinæ sont à nobis constituendæ modo imaginabili perfectissimo; sed perfectius concipitur intellectus exprimens actualem intellectionem, quam solum implicans illam: ergo constituendus est intellectus diuinus expressione actualis intellectionis, & non conceptu principij implicantis actu illam.

81 *Ad 1. obiectionem resp.* Respondeo ad primam, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam etiam attributa actuant, & perficiunt essentiam, & tamen non licet inferre esse actualitates ad eius lineam spectantes. Ratio autem cur intellectio actualis, licet actuet principium radicale, & proximum, ad illorum lineas veluti specificas non pertineat, est, quia perficit per modum operationis, & actus vitalis, de cuius ratione est præsupponere principium, non minus, quam de ratione volitionis supponere cognitionem: ac proinde sicut hæc, licet naturam cognoscentem perficiat, non potest illam constituere; ita intellectio, licet perficiat, & actuet, tam principium radicale, quam proximum, ad illorum lineam non spectat, nec potest illa metaphysicè constituere.

82 *Ad secundam.* Ad secunda, concessa maiori, nego minorem: vltima namque actualitas radicis intelligendi, illam metaphysicè constituens, est conceptus radicis actualissimæ intelligendi, & vltima actualitas potentiæ proximæ intellectiuæ, est conceptus actualissimi principij proximi, per quas differentias à radice, & principio proximo intelligendi creatis sufficientissimè distinguuntur, quæ potentialitatem in radicando, & principiando proximè operationem important in suis conceptibus. Nec obstat probatio minoris: licet namque vltimæ actualitati alicuius lineæ repugnet per vlteriorem actualitatem eiusdem lineæ actuari, non tamen per vlteriorem ad aliam lineam spectantem, vt constat in existentia, quæ subiectum, actuabile alterius per operationem, & accidentia relinquit, intellectio autem actualis est alterius lineæ specificæ ab actualitate principij, tam radicalis, quam proximi.

83 *Ad 3. respond. 1.* Ad vltimam respondeo primo, distinguendo maiorem: modo perfectissimo imaginabili cum fundamento in re, concedo maiorem: sine illo, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: quia intellectus importans explicitè, & constitutiuè intellectionem, non est conceptibilis cum fundamento in re, eo quod petit concipi vt potentia vitalis; & consequenter vt principians intellectionem: ac proinde vt non constitutus per illam.

Instatur obiectio. Et quidem eodem argumento probabitur debere concipi naturam diuinam, vt exprimentem volitionem, & omnia alia attributa, siquidem isto modo concipietur actualior, quam concepta vt radice, & principio volitionis, aliorumque attributorum.

Secundo respondeo, concessa maiori, negando minorem: nam eo ipso, quod intellectus constitutus conceptus expressione intellectionis, non potest intellectio concipi vt actus vitalis; & consequenter non potest concipi Deus, vt viuens intellectione, cumque gradus vitæ intellectiuæ sit perfectissimus omnium, intellectus sic conceptus, non concipitur constitutus modo imaginabili perfectissimo: est namque imaginabilis alius modus illo perfectior, nempè, intellectus viuens intellectione. Nec obstat intellectum exprimentem intellectionem concipi vt magis actualem: licet namque excessus actualitatis inferat excessum in perfectione, si cætera paria sint; secus autem si paritas non seruetur, vt in præsenti contingit. 84 *Resp. 2.*

Sed dices: debet intellectus diuinus concipi tam actualis, vt nulla creatura eo actualior concipiatur; sed nisi concipiatur exprimens actualem intellectionem aliqua creatura eo actualior concipietur: ergo petit concipi à nobis vt metaphysicè constitutus expressione intellectionis. Probatur minor: actualis intellectio creata, actualior intelligitur in linea intelligibili omni non exprimente actualem intellectionem: ergo nisi intellectus diuinus concipiatur constitutus expressione intellectionis, est conceptibilis perfectio aliqua creata actualior intellectu diuino. 85 *Instabis.*

Respondeo, distinguendo maiorem: excessu actualitatis simpliciter, & in aliquo ad lineam intellectus spectante, concedo maiorem: excessu actualitatis secundum quid, & in aliquo non spectante ad lineam intellectus, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam actualis intellectio creata, etsi excedat intellectum diuinum in hoc, quod est vltima actualitas in linea intelligibili explicitè, & in eadem linea vlterius inactuabilis, quod intellectui diuino non conuenit pro eo, quod explicitè importat, iste tamen excessus non est in aliquo ad lineam intellectus spectante, & ex alia parte intellectio creata realiter distinguitur, tùm ab intellectu creato; tùm etiam à propria existentia; intellectus autem diuinus, & cum existentia eoritatiua, & cum actuali intellectione, est identificatus realiter, imo vtrumque implicitè importat, quamuis neutrum constitutiuè, & explicitè, hoc autem maxima perfectio est, & infinitè superans illam, in quo excedit actualis intellectio creata, ac proinde hæc solum *secundum quid*, excedit in actualitate intellectum diuinum, & in aliquo non pertinente ad lineam intellectus, quod inconueniens non est, sicut nec inconueniens aliquod censetur, quod volitio creata excedat in actualitate ad lineam volitiuam spectante naturam diuinam constitutam, non volitione actuali, sed radice volitionis. 86 *Respond.*

Denique arguitur: in Deo non est fundamentum, vt intellectus diuinus concipiatur à nostro intellectu, vt principium, & causa influens in diuinam intellectionem: ergo intellectus diuinus non est virtuale principium intellectionis. Consequentia tenet ex dictis: nam virtuale principium est fundamentum ad principium per rationem formale. Antecedens autem probatur: in Deo non est fundamentum vt illius intellectioni à nobis aliqua imperfectio attribuatur, & vt imperfecta concipiatur; sed concipi intellectum diuinum vt causam intellectionis, & hanc vt causatam ab illo per influxum formalem, est concipi, vt imperfectum; dependere namque, & causari maxima imperfectio est: ergo in Deo non est fundamentum vt illius intellectus concipiatur à nobis, vt intellectionis causa, & intellectio vt ab intellectu causata. 87 *Vltimo arguitur.*

Quod amplius vrgetur, non minus est imperfectio in intellectione ab intellectu causari, quam potentialitas in intellectu; sed ob hanc rationem non est fundamentum in Deo, vt intellectus diuinus à nobis concipiatur potentialis: ergo ob eandem negari debet fundamentum in Deo, vt illius intellectio à nobis concipiatur, vt ab intellectu causata; & consequenter non erit fundamentum in ipso, vt illius intellectus à nobis concipiatur, vt principium intellectionis. 88 *Confirmatur 1.*

Confirmatur, & vrgetur secundo: non stat, quod intellectus diuinus sit ratione nostra principium intellectionis, nisi vera cognitione, vt illius principium concipiatur; sed in Deo esse nequit fundamentum, vt vera cognitione concipiatur intellectionis principium: ergo in ipso non est fundamentum, vt sit ratione nostra principium intellectionis. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: nam intellectum diuinum esse ratione nostra principium intellectionis, non consistit in eo 89 *Confirmatur 2.*

in eo quod à nobis concipiatur ad instar intellectus creati principiantis realiter actualem intellectionem, & per speciem illius; etiam quia Deus à nobis conceptus ad instar corporis, non ideò est ratione nostra corpus, conceptus ad modum entis finiti, non ideò est ratione nostra finitus, & intellectus diuinus à nobis de facto concipitur ad modum intellectus imperfecti, quin ex hoc sit ratione nostra intellectus imperfectus: ergo intellectum diuinum esse ratione nostra principium intellectionis, est vera conceptione cognosci esse principium illius.

Denique vrgetur, & confirmatur: non minor imper-
90 *Confirmatur 3.* fectio est intellectionem diuinam esse ratione nostra causatam ab intellectu, quam ratione nostra cum diuino intellectu componere; sed in Deo fundamentum non est, vt ratione nostra cum diuino intellectu componat; aliàs Deus esset capax metaphysicæ compositionis: ergo nec fundamentum vt ratione nostra à diuino intellectu causetur; & consequenter nec est fundamentum in Deo vt intellectus diuinus sit ratione nostra principium intellectionis.

91 *Respond.* Respondeo, distinguendo antecedens: vt principium, & causa influens in intellectionem influxu reali formali, concedo antecedens: influxu in re virtuali, & per rationem nostram formali, nego antecedens, & consequentiam. Ad antecedentis probationem, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, concessa maiori, distinguo minorem: concipi intellectionem diuinam, vt ab intellectu causatam influxu reali formali, est concipi vt imperfectam, concedo minorem: influxu in re virtuali, & per rationem nostram formali, est concipi vt imperfectam, nego minorem, & consequentiam: sicut enim concipi vnam perfectionem diuinam, vt ab alia distinctam distinctione reali formali, esset concipi vt imperfectam, concipi tamen vt distinctam ab alia distinctione in re virtuali, & rationem nostram formali, non est concipi vt imperfectam; & ideò est in Deo fundamentum, vt hoc modo attributa concipiatur: ita pariter concipi vnam perfectionem diuinam, vt ab alia causatam influxu reali formali est concipi vt imperfectam; & consequenter ad hunc modum conceptionis non datur fundamentum in Deo, concipi tamen vnam Dei perfectionem vt ab alia causatam influxu in re virtuali, & per rationem nostram formali, non est concipi vt imperfectam, & ideò vt sic concipiatur actualis intellectio respectu intellectus diuini, datur fundamentum in Deo.

92 *Ad 1. confirmationem.* Ad primam confirmationem, distinguo maiorem: de causalitate, & potentialitate reali formali, concedo maiorem: virtuali in re, & per rationem formali, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens: causalitate reali, concedo consequentiam: causalitate rationis, nego consequentiam; disparitas autem est, quod ad conceptum obiectiuè potentialem, requiritur obiectiua præcissio vnius perfectionis ab alia, pro cuius fundamento requiritur, quod vna aliam essentialiter non importet, quod imperfectionis est; causalitas autem obiectiua rationis, non petit obiectiuam exclusionem vnius perfectionis ab alia, sed sufficit non expresio cum implicita inclusione: vnde sicut ob hanc causam concedimus in Deo fundamentum distinctionis per rationem absque vlla imperfectione se tenente ex parte Dei, quin ex hoc inferatur dari fundamentum in ipso ad conceptum obiectiuè potentialem, ob eandem damus in Deo fundamentum, vt aliqua illius perfectio concipiatur, vt causata per rationem, & negamus fundamentum conceptui obiectiuè potentiali.

93 *Ad secundam.* Ad secundam, distinguo maiorem: vera cognitione mediata, & reflexa, & concedo maiorem: vera cognitione directa, & immediata, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet repugnet Deo cognitione vera directa, & fundata immediatè in ipso, cognosci intellectum illius, vt principium influens formali influxu in eius intellectionem, quia cognitio rei directa immediatè in re fundata conformatur cum ipsa vt in re; & consequenter hoc esset intellectum diuinum re vera in intellectionem influere influxu reali formali, quod autem cognitione vera reflexa mediatè fundata in Deo, & immediatè in modo cognoscendi nostri intellectus cognoscatur vt principium influens in intellectionem formaliter, nulla est imperfectio in Deo, quia ex hoc non colligitur, quod re vera sit formale intellectionis principium, sed quod ob suam eminentiam fundamentum sit vt à nobis vt principium concipiatur.

Quam doctrinam dedit nobis D. Thom. *in 1. Sent. dist. 2. quæst. 1. art. 3. in corp.* loquendo in simili de distinctio- 94 *Doctrinæ solutionis est D. Thom.*
ne, vel multiplicitate attributorum, quod nempè fundatur in Deo mediatè, immediatè autem in modo concipiendi intellectus, & ideò intellectus noster falsus non est, cum illam attribuit Deò, apponit exemplum in intentione generis mediatè fundata in re, & immediatè autem in modo concipiendi nostri intellectus comparantis animal v. g. ad hominem, equum, &c.

Et *quæst. 1. de Potentia art. 1. ad 10.* loquendo in specie 95
nostra, nempè, de ratione principij, docuerat D. Thom. soluens nonum argumentum, quod potentia in Deo non est aliud, quam essentia secundum rem, sed solum secundum modum intelligendi, contra quam solutionem opponit decimum argumentũ his verbis: *Omnis intellectus cui non respondet aliquid in re, est cassus, & vanus.* Cui argumento ita respondet: *Ad decimũ dicẽdum, quod intellectui respõdet aliquid in re dupliciter; vno modo immediatè, quando videlicet intellectus concipit formam rei alicuius extra animam existentis, vt hominis, vel lapidis: alio modo mediatè, quando videlicet, aliquid sequitur actum intelligendi; & intellectus reflexus supra ipsum considerat illud. Vnde res respondent illi considerationi intellectus mediatè, id est, mediante intelligentia rei, v. g. intellectus intelligit naturam animalis in homine, in equo, & multis alijs speciebus, ex hoc sequitur, quod intelligit eam vt genus. Huic intellectui, quo intellectus intelligit genus, non respondet aliqua res extra immediatè, quæ sit genus, sed intelligentiæ, ex qua consequitur ista intentio, respondet aliqua res. Et similiter est de relatione principij, quam addit potentia supra essentiam: nam ei respondet aliquid in re mediatè, & non immediatè.* Sentit ergo D. Tho. quod sicut intellectus intellectione vera mediata, & reflexa concipit animal esse genus, quin ex hoc sequatur, animal in re esse genus, & quin illi vt in se intentio generis competat, sed mediante cognitione intellectus: ita similiter intellectus noster intellectionis principium, quin ex hoc sequatur esse re ipsa principium intellectionis, sed tantum ratione nostra.

Sed dices, vt intellectus intelligat intellectione vera re- 96 *Instabit.*
flexa, & mediata, quod animal genus sit, necessarium est, quod intentio generis sequatur in animali ex vi alterius cognitionis, qua cognoscitur esse in homine, in equo, & in alijs speciebus, vt constat ex D. Thoma verbis *proximè* allegatis: ergo pariter vt intellectus noster intelligat intellectione vera mediata, & reflexa intellectum diuinum esse intellectionis principium, necessarium est, vt intellectui diuino ratio principij intellectionis conueniat ex vi alterius actus, quo vt principium cognoscatur; sed hoc nequit esse verum: ergo nec potest intellectus noster cognitione vera mediata Deum cognoscere vt intellectionis principium.

Probatur minor: vt vi illius intellectionis conueniat Deo esse intellectionis principium, non sufficit cognosci ad instar intellectus creati principiantis intellectionem, sicut cognosci ad instar intellectus finiti, non sufficit, vt sit ratione nostra finitum, & cognosci ad instar intellectus imperfecti, non sufficit, vt sit ratione nostra imperfectus, & cognosci ad instar corporis, non sufficit vt ratione nostra sit corpus: ergo requiritur cognosci vt re ipsa principians intellectionem; & consequenter requiritur cognitio, qua Deus verè concipiatur esse principium intellectionis, quod implicat loquendo de cognitione directa.

Respondeo, concesso antecedenti, & prima conse- 97 *Respond.*
quentia, negando minorem. Ad probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: in actu signato, & cognitione compositiua, nego consequentiam: in actu exercito, & simplici apprehensione, concedo consequentiam; sicut namque animal non sit genus cognitione illa reflexa, qua affirmatur esse genus, sed cognitione simplici comparatiua, qua cognoscitur in ordine ad suas species, ac si esset vnum in illis, quæ cognitio compositiua non est, nec ad intentionem generis terminatur in actu signato, sed tantum in actu exercito: ita ratio principij non conuenit intellectui diuino ex vi cognitionis reflexæ, qua affirmatur esse intellectionis principium, sed ex vi cognitionis directæ, qua intellectus diuinus cognoscitur, vt distinctus ab intellectione, & in ordine ad illam, quæ compositiua non est, ac proinde, nec vera, nec falsa, nec in actu signato concipit in diuino intellectu rationem principij, sed simplex quædam apprehensio, qua intellectus diuinus apprehenditur in ordine ad intellectionem, ac si re vera esset principium illius

exercita

exercita ex parte obiecti ratione principij, non autem *signatè* importata, est tamen fictitia cognitio; & ideò non potens diuino intellectui competere; non enim potest intellectus diuinus entia rationis confingere.

98 *Retorquetur argumentum contra illos utentes.* Et quidem hoc argumentum soluere tenentur omnes, qui admittunt in Deo distinctionem rationis ratiocinatæ inter diuina attributa; nam inquiri ab illis potest, qua cognitione hoc fit, illa qua cognoscuntur adinstar similium perfectionum, quæ in creatis distinguuntur, vel alia, qua cognoscantur verè vt inter se distincta? Non primum, ob rationem in argumento insinuatam: ergo secundum; ac proinde erunt re vera distincta, quod implicatorium est: sicut ergo duplex datur cognitio multiplicitatis attributorum vna reflexa, & composita, quæ illam Deo attribuit ab intellectu nostro iam factam, alia simplex, & apprehensiua, quæ ad distinctionem *signatè* non terminatur, sed tantum *exercitè*, & distinctionem confingit, idem etiam est de ratione principij dicendum, & sicut cognitioni attributorum distinctionem confingenti, non respondet ex parte Dei multiplicitas aliqua realis, sed vna simplicissima ratio apprehensa, ac si esset plures, vt docet Diuus Thomas *quæst. 1. de Potentia art. 1. ad 12.* ibi: *dicendum, quod diuersis rationibus attributorum respondet aliquid in re diuina, scilicet vnum, & idem diuersis formis repræsentatum*; ita

99 intellectioni nostræ, qua intellectus diuinus concipitur vt intellectionis principium, respondet aliquid in re diuina, scilicet, summa identitas intellectus, & intellectionis diuersis formis repræsentata, quarum vna attingitur, ac si esset intellectionis principium, & alia ac si esset ab intellectu causata; sicut enim eo ipso, quod diuersis conceptibus nostris attributa concipiantur, licet non importetur obiectiua distinctio *signatè*, importatur tamen *exercitè*, ita eo ipso, quod intellectus, & intellectio diuersis cognoscantur conceptibus, licet ratio principij non importetur *signatè*, importatur tamen *exercitè*, quia concipitur intellectus vt potentia vitalis, & intellectio vt vitalis in actu secundo.

100 *Ad vltimam confirmationem.* Ad vltimam confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: vt componat compositione cum mutua exclusione conceptuum, tam explicita, quam implicita, concedo minorem: compositione rationis conceptuum non se excludentium implicitè, nego minorem, & consequentiam. Nec sequitur dari in Deo, metaphysicam compositionem; hæc namque non consistit in quauis compositione rationis, sed in vnione conceptuum se inuicem excludentium, tam implicitè, quam explicitè, quæ diuinæ intellectioni, & cuiuis alteri diuinæ perfectioni repugnat.

101 *Instabis.* Sed dices: ergo eodem modo, quo admittimus in Deo virtualem distinctionem, & virtuale principium, admittenda est in ipso virtualis compositio; consequens falsum videtur, omnes enim Theologi aliter de distinctione, ac de compositione loquuntur: ergo nullo modo datur in Deo intellectionis principium. Patet sequela: virtualis distinctio, quam in Deo Nos statuimus, sumitur pro fundamento distinctionis formalis per rationem, conceptuum non se excludentium, sed tantum non se explicantium, & similiter virtuale principium sumitur pro fundamento principij per rationem formalis, non exprimentis actualem operationem, illam tamen includentis actu; sed etiam fatemur in Deo fundamentum ad compositionem rationis, non cum mutua exclusione conceptuum, sed cum mutua non expressione: ergo eodem modo, quo Deo concedimus virtualem distinctionem, & virtuale principium, admittimus in ipso virtualem compositionem.

102 *Respond.* Respondeo, distinguendo consequens: virtualis compositio per ordinem ad formalem ex conceptibus se inuicem excludentibus, nego consequentiam: per ordinem ad formalem ex conceptibus se inuicem mutuo implicitè includentibus, concedo consequentiam: quod si Theologi diuersimodè loquuntur de distinctione, atque de compositione, intelligendi sunt de compositione metaphysica ex genere, & differentia, & de fundamento compositionis rationis ex conceptibus se inuicem excludentibus.

§. V.

Ratio potentiæ in diuino intellectu explicatur.

TERTIA CONCLVSIO. *Datur in Deo conceptus potentiæ realis realiter proximè intellectiua.* Conclusionem istam non satis exprimunt nostri Thomistæ: illam expressè tenent Biescas *in hac quæst. art. 2. dub. 1. & quæst. 19. art. 1. dub. 2.* Illustrissimus Araujo *ibidem dub. 2.* Andreas à Cruce *disp. 10. dubitat. 2.* Tenent etiam ex Scotistis Smising. *de Deo Vno tract. 3. disp. 2. quæst. 1. num. 13.* & Franciscus Fœlix *tract. 1. de Scientia Dei cap. 1. difficultat. 2. & tract. 2. de Volunt. Dei cap. 1 difficultat. 1.* Pro illa referens Scotum *in 1. dist. 2. quæst. 2. §. Ostenso de proprietatibus.* Molinam *1. part. quæst. 41. art. 4.* Vazquez *disp. 119. cap. 3.* Falsò tamen, cum ibi nec verbum habeat, quo in sententiam istam inclinet, & *disputatione 102. cap. 1. & disp. 263. cap. 2.* expresè à Deo excludat potentiam realem respectu actuum essentialium. Tenet etiam ex Patribus Societatis Alarcon *tract. 2. de Scientia Dei disp. 3. cap. 1.* & *tract. 4. de Voluntate disputatione prima cap. prima.* Pro illa referens Durandum *in 1. dist. 55 quæst. 1. num. 8.* Henricum *1. part. art. 36.* & Alensem *1. part. quæst. 19. num. 1.* 103 *Tertia conclusio. Biesc. Araujo. Crux. Smising. Fœlix. Scotum. Molin. Vazquez. Alarc. Durand. Henric. Alens.*

Et ostendo illam primo ex D. Thom. *infra quæst. 25. art. 1. in corp.* vbi de diuina essentia loquens, sic ait: *Potest intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentiæ, sicut etiam intelligitur, & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione naturæ.* Ex quibus verbis dupliciter nostram conclusionem confirmo. Primo sic: diuina essentia ob suam eminentiam, quia in se simpliciter præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest à nobis intelligi sub ratione potentiæ, & sub ratione actionis, sicut sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione naturæ; sed taliter intelligitur sub ratione suppositi, & sub ratione naturæ, vt licet distinctio naturæ à supposito tantum sit per rationem, attamen verè, & realiter reperiatur in Deo ratio naturæ, & ratio suppositi: ergo pariter ratio potentiæ, & ratio actionis taliter à nobis intelliguntur in Deo, vt licet distinctio illorum, & vnius processio ab alio tantum sint per rationem, verè tamen à parte rei reperiatur in Deo ratio actionis, & ratio potentiæ. 104 *Prob. 1. ex D. Th.*

Secundo sic: nam D. Thom. Deo attribuit rationem potentiæ sicuti rationem actionis; sed ratio actionis taliter conuenit Deo, quod licet eius esse à principio solum sit per rationem, verè tamen ratio actionis intelligendi, & volendi reperitur in ipso: ergo licet esse principium actionis, solum Deo conueniat secundum nostrum modum intelligendi; ratio tamen potentiæ verè, & realiter reperitur in ipso. 105 *Secundo prob. ex D. Thom.*

Deinde suadetur conclusio: Deus namque non solum actu intelligit, sed etiam verè, & realiter est potens intelligere; sed quia actu realiter intelligit, est in illo verus, & realis actus intelligendi: ergo quia verè, & realitèr est potens intelligere, est in illo vera, & realis potentia intellectiua. Consequentia patet primo ex D. Th. *2. Contra Gentes cap. 7. ratione 4.* vbi ex eo quod Deus sit potens agere, probat potentiam actiuam: ergo pariter ex eo quod verè sit potens intelligere, probatur vera potentia intellectiua. Secundo: nam verus effectus, aut quasi effectus formalis absque vera forma esse nequit; sed potens intelligere est effectus, vel quasi effectus formalis potentiæ intellectiuæ: ergo Deum esse verè, & realiter potentem intelligere, necessario est à vera, & reali potentia intellectiua. 106 *Tertio probatur ratione. Consequentia probatur 1. Secundo probatur.*

Maior autem probatur: Deus verè, & realiter intelligit actu: ergo verè, & realiter est potens intelligere. Antecedens est certum. Consequentia probatur primo: ab actu namque ad potentiam est optima consequentia, v. g. *currit actu: ergo est potens currere; actu legit: ergo est potens legere*: ergo si Deus verè, & realiter intelligit actu, verè, & realiter est potens intelligere. Secundo ex D. Thom. *2. Contra Gentes cap. 7.* vbi vt probet in Deo veram, & realem potentiam actiuam, sic arguit ratione quarta: *Omne quod agit, potens est agere; Deus autem est agens, & mouens: igitur potens est agere, & potentia ei conuenienter adscribitur*: ergo pariter ista consequentia tenet: *Deus verè actu intelligit: ergo est potens intelligere*, conuenienterque illi adscribitur vera intellectiua potentia. 107 *Maior probatur. Consequentia probatur 1. Secundo.*

Et augetur difficultas ex eo quod Deus sit agens, & mouens, infert D. Thom. veram potentiam actiuam, & non solum potentiam Logicam consistentem in non repugnantia 108 *Cōfirmatur 1.*

pugnantia ad agendū: ergo pariter ex eo quod Deus verè sit intelligens actu, rectè colligitur vera intellectiua potentia, & non solum potentia Logica consistens in nonrepugnantia ad intelligendum.

109 *Cōfirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo: aliter Deo conuenit posse esse perceptionem actualem obiecti; atque intellectioni creatæ; sed huic conuenit potentia Logica consistens in nonrepugnantia: ergo Deo potentia Physica ad percipiendum, & intelligendum obiectum. Consequentia patet. Minor constat; nam actui intelligendi creato, non repugnat esse actualem perceptionem obiecti; cum in hac sua essentia consistat, quæ illi repugnare non potest: ergo conuenit illi potentia Logica ad esse actualem perceptionem obiecti. Maior autem probatur: nam Deo taliter conuenit posse esse actualem perceptionem obiecti, quod ei conuenit cum proprietate habere, & esse intellectum, sed intellectioni creatæ non conuenit habere, aut esse intellectum: ergo aliter conuenit Deo posse esse actualem perceptionem obiecti, ac conuenit intellectioni creatæ.

110 *Tertio, probatur conclusio.* Tertio principaliter suadetur conclusio: si in Deo non esset potentia realis realiter intellectiua, maximè quia in Deo non datur principium realiter proximè influens in intellectionem; sed licet hac ratione rectè excludatur à Deo potentia realis realiter productiua intellectionis, non tamen rectè infertur negatio potentiæ realis realiter intellectiuæ: ergo verè datur in Deo huiusmodi potentia. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: non minus est de ratione naturæ intellectiuæ, & volitiuæ esse principium radicale intelligendi, & volendi, quam de ratione potentiæ intellectiuæ esse principium proximum intellectionis; sed ex eo quod non detur in Deo principium reale radicaliter influens in intellectionem, & volitionem, licet rectè inferatur negatio naturæ radicaliter productiuæ illarum operationum, non tamen rectè infertur negatio naturæ realis realiter intellectiuæ, & volitiuæ: ergo pariter ex negatione principij proximè realiter influentis in intellectionem, licet rectè colligatur negatio potentiæ realiter productiuæ, non tamen rectè infertur negatio potentiæ realis realiter intellectiuæ.

Consequentia tenet; minor videtur certa: nam in Deo non datur principium radicale realiter in intellectionem; & tamen verè in ipso datur natura realis realiter intellectiua, & volitiua: ergo ex negatione reali influxus radicalis non infertur negatio naturæ realiter intellectiuæ.

111 *Maior probatur.* Maior autem probatur: quod enim de ratione potentiæ intellectiuæ sit esse principium proximum intellectionis, non potest aliunde colligi, nisi quia in creatis potentia intellectiua est principium proximum intellectionis, vel quia potentia diffinitur per rationem principij; sed non minus diffinitur natura per esse principium radicale motus, vel operationis, quam potentia per esse principium proximum, nec minus natura in creatis radicaliter influit, quam potentia proxima proximè: ergo non minus est de ratione naturæ intellectiuæ esse principium radicale intelligendi, & volendi, quam de ratione potentiæ intellectiuæ, esse principium proximum intellectionis.

112 *Respondebis 1.* Respondebis forte primo; in Deo dari quidem naturam realem intellectualem, non tamen naturam realiter intellectiuam; sed intelligentem realiter; non enim in radice intellectionis, sed in intellectione actuali diuina natura consistit: vnde conceptus naturæ intellectualis abstrahitur à radice intellectionis, & ab intellectione actuali. *Contra.* Sed contra: nam quidquid sit de hac sententia constituente Dei naturam in intellectione actuali, quam *supra Disp. 4.* fusè impugnauimus, Thomistæ illam defensantes non negant conceptum naturæ in Deo consistentem in radice volitionis, cæterorumq; attributorum, & ex hac doctrina nostrum argumentum consurgit; non enim minus est de ratione naturæ esse principium radicale proprietatum, quam sit de ratione potentiæ esse principium proximum operationis, vt iam probauimus; sed in Deo saluatur vera, & realis ratio naturæ absque reali influxu radicali formali: ergo & vera ratio realis potentiæ absque reali formali proximo influxu in operationem; & consequenter ex negatione influxus realis proximi in intellectionem, non colligitur negatio potentiæ realis realiter intellectiuæ.

113 *Respondebis 2.* Respondebis secundo cum nonnullis Recentioribus, naturam sumi dupliciter: primo pro radice proprietatum, & operationum, qua ratione accipitur à Philosopho 2. physicorum dicente: *Natura est principium motus, & quietis, &c.* Secundo pro essentia rei, vt primo *metaphysicè* constituta in suo esse, idest, vt potente terminare primum conceptum, qui de illa formari potest, & metaphysicam diffinitionem, quæ consistit in primario conceptu explicatiuo rei. Iuxta primam naturæ acceptionem non datur in Deo natura intellectiua, aut volitiua cum proprietate; benè tamen in secunda acceptione, ex quo non colligitur vera, & realis potentia proximè, intellectiua absque reali principio proximo influente in intellectionem.

114 *Contra 1.* Sed contra primo: vt enim docet D. Thom. *infra q. 39. art. 2. ad 3.* sicut tres personæ dicuntur vnius essentiæ, ita etiam possunt dici vnius naturæ, melius tamen vnitas personarum exprimitur per hoc, quod dicatur tres personas diuinas esse vnius essentiæ, quam per hoc, quod dicatur esse vnius naturæ: ergo sentit D. Tho. in Deo non solum reperiri propriè essentiam, vel naturam sumptam pro essentia, sed etiam esse propriè naturam, prout natura sumitur per ordinem ad operationem, vel actum. *Secundo* Secundo: vt enim *ibidem* docet D. Thom. essentia sumitur ex ordine ad esse, natura autem ex ordine ad operationem; sed in Deo non solum est cum proprietate existentia, sed etiam invenitur cum proprietate operatio: ergo non solum invenitur cum proprietate natura sumpta pro essentia, sed etiam invenitur cum proprietate natura, prout natura sumitur ex ordine ad operationem.

115 *Tertio.* Tertio; in Deo namque reperitur cum proprietate essentia, non solum sumpta pro entitate à se transcendenti attributa, naturam, & relationes, sed etiam prout à relationibus, & attributis distincta; sed essentia sic sumpta, non potest non esse radix attributorum, & operationum: ergo in Deo inuenitur cum proprietate natura sumpta pro radice proprietatum, & operationum. Maior à nemine Theologorum negatur. Minorem ostendo primo: nam in ratione entis à se per exclusionem causæ realiter influentis, attributa, relationes, operationes, & natura diuina conueniunt: ergo solum distinguuntur per hoc, quod natura diuina est à se per exclusionem causæ realis, & virtualis; cæteræ autem formalitates diuinæ, etsi causam realem excludant, non tamen excludunt causam, aut virtuale principium, sed omnia virtualiter sunt ab essentia; & consequenter essentia diuina, non solum cum proprietate est natura, sumpta natura pro essentia, sed etiam sumpta natura pro radice proprietatum, & operationum. *Minor probatur primo.*

116 *Secundo prob. minor.* Secundo probatur minor: quævis namque essentia creata, non solum habet esse primus conceptus, qui de illa potest formari, sed etiam omnes alias perfectiones secundarias radicare, realiter illas, à quibus distinguitur realiter, & virtuali radicatione, illas, à quibus virtualiter distinguitur: ergo essentia diuina prout ab attributis virtualiter, aut ratione distincta, non solum habebit esse primum, quod in Deo cum fundamento concipitur; sed etiam radicare perfectiones, & formalitates omnes, quas secundario concipimus in ipso; & consequenter non solum est admittenda in Deo natura sumpta pro essentia, sed etiam sumpta pro radice proprietatum, & operationum Dei.

117 *Quarto impugnatur solutio, & prob. conclusio.* Denique tradita solutio reijcitur, & suadetur quarto nostra conclusio: cui cum proprietate conuenit operari, cum proprietate conuenit natura, non solum sumpta pro essentia, sed etiam sumpta pro principio operationum; sed Deo cum proprietate conuenit operari; ergo & natura sumpta ex ordine ad operationem. Consequentia est legitima. Maior certissima; vt enim docet D. Thomas *quæst. 1. de Potentia art. 1. in hac 1. p. q. 25. art. 1. q. 41. art. 4. & 2. Contra Gentes cap. 10.* de ratione operationis est habere principium: ergo eadem proprietate, & ratione, qua alicui conuenit operari, conuenire debet natura sumpta ex ordine ad operatione ad operationem, & pro principio primo operatiuo. Deinde, quia non minus est de ratione operationis esse à principio, quam de ratione naturæ esse principium radicale operationum: ergo si ratio operationis propriè saluatur sine egressu formali à principio, ratio etiam natura cum proprietate subsistit sine ratione principij radicalis realis; & consequenter concessa cum proprietate operatione, cum eadem debet concedi natura operatiua, vel natura sumpta pro principio operandi.

118 *Minor prob.* Minor autem probatur; vt enim docet D. Thomas *infra quæst. 18. art. 1.* illa propriè sunt viuentia, quæ nata sunt se mouere, aut motu proprio, aut latè sumpto pro operatione, & vt docet *art. 2.* viuere in actu secundo, in operatione consistit; sed Deus est naturæ viuentis, vt constat ex illo Deuteronomij 32. *Leuabo ad* *Deut. 32.*

Cælum

Psal. 83. *Cælum manum meam, & dicam viuo Ego in æternum.* Et ex illo Psalmi 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, & actu perfectissimè viuit, vt probat D. Thomas *lib. 1. Contra Gentes cap. 97. & 91. & in hac 1. p. q. 18. art. 3.* ergo perfectissimè operatur; & consequenter illi

119 conuenit cum proprietate operatio.

Respondebis Dices, actum diuinum non esse operationem realiter, & ex parte rei significata, sed tantum ex modo nostro extrinseco concipiendi, & significandi, ex quo tantum sequitur dari in Deo principium operationis, quod tale sit ex modo significandi, non verò ex parte rei significatæ; ac proinde ex eo quod Deus sit viuens, & actu perfectissimè viuat, non sequitur dari in ipso naturam sumptam propriè pro principio primordiali operationum, sed tantum quod eius essentia ex modo nostro concipiendi, & significandi sortiatur rationem naturæ.

120 *Contra* Sed contra, de ratione actus vitalis est, quod viuenti à se conueniat, & non solum sit in illo; sed esse ab aliquo prout distinguitur ab hoc, quod est esse in illo, non potest intelligi absque egressu formali, vel virtuali: ergo de ratione actus vitalis est à principio procedere aliquo ex prædictis modis; & consequenter de ratione illius est, quod operatio sit, & quod habeat essendi principium. Maior constat ex diffinitione viuentis, qua dicitur; *viuens est, quod aptum est se, mouere*; & viuere diffinitur per hoc, quod est *habere perfectionem à se*. Minor autem constat: nam sicut esse in aliquo importat habitudinem formæ ad subiectum, ita esse ab aliquo importat habitudinem principiati à principio.

121 *Respondebis* Dices, habere perfectionem à se, dupliciter accipi posse, nempè à se per egressionem, & à se per summam identitatem; priori modo necessario petit principium, secundo autem modo absque principio saluatur, & sic Deo conuenit viuere, nempè habendo à se intellectionem, & volitionem per summam identitatem. Quod videtur expresse traditum à D. Thoma *infra q. 18. art. 3. ad secundum*, vbi cum sibi obiecisset, quod in viuentibus, quæ viuunt, inuenitur viuendi principium, Deus autem principium non habet: ergo non competit viuere; respondet: *Dicendum, quod sicut Deus est ipsum suum esse, & suum intelligere, ita & suum viuere, & propter hoc sic viuit, quod non habet viuendi principium.* Et in corpore art. postquam explicuerat vitam per hoc, quod est se mouere, non ab alio, sed à se, ita concludit: *illud igitur, cuius sua natura est ipsum eius intelligere, & cui id quod naturaliter habet, non determinatur ab alio, hoc est, quod obtinet summum gradum vitæ, tale autem est Deus, vnde in eo maximè est vita*: sentit ergo D. Thomas, conuenientiam actus alicui à se per summam identitatem, absque vlla ratione principij esse perfectissimè viuere, ac proinde ex eo quod Deus perfectissimè viuat, non sequitur in ipso operatio, quæ talis sit realiter, & obiectiuè, nec etiam colligitur Deo conuenire cum proprietate naturam sumptam pro principio operationis.

122 *Contra 1.* Sed contra primo. Deo namque conueniunt subsistentia, & personalitates à se per identitatem; & tamen non viuit prædictis formalitatibus: ergo habere à se perfectionem per summam identitatem ad rationem vitæ non sufficit. *Secundo.* Secundo: nam ens diuinum transcendens omnes perfectiones, & formalitates Dei, est tale à se per summam identitatem, habetque perfectionem à se; & tamen viuens non est, aliàs viuens, vita diuina omnia Dei prædicata transcenderet, & consequenter multiplicaretur in personis, sicut ratio entis multiplicatur in illis: ergo modus ille habendi perfectionem à se ad rationem vitæ non sufficit.

123 *Respond.* Respondebis, ideo Deum viuere intellectione, & volitione, secus autem subsistentia, personalitatibus, alijsque perfectionibus non vitalibus, quia cum vitam diuinam intelligamus ex creaturis viuentibus, eam perfectionem Dei cognoscimus vt vitalem, in qua assimilatur, præcisis imperfectionibus, præcipuæ perfectioni, quam viuens creatum vitaliter agendo acquirit, quod autem intelligens creatum per intellectionem intendit; est substantiam intelligentem reddere, cui in hoc diuina intellectio assimilatur; secus autem subsistentia, personalitas, aliæque perfectiones diuinæ non vitales, & ideo viuit intellectione Deus, non autem subsistentia, vel personalitate.

124 *Contra 2.* Sed contra primo: nam viuens, non æquiuocè, sed analogicè dicitur de creato, & increato: ergo debet aliqua descriptio communis vtrique viuenti assignari, quæ vtrique conueniat; sed non alia, nisi illa, quam assignabamus *supra*, nempè, viuens est, *quod est aptum se mouere, & viuere est habere perfectionem à se*: ergo ex conuenientia huius descriptionis vitæ pensandum est, an Deus viuat, vel non viuat, & quibus perfectionibus illi viuere conueniat; & consequenter vt Deus viuat intellectione, debet intelligere à se, & vt viuat volitione necessarium est, quod velit, ametque à se; modo sufficienti ad viuendum; sed intelligere à se per solam identitatem absque omni egressu tam reali, quam virtuali, non sufficit, vt intellectione viuat, vt manet probatum: ergo vt viuat intellectione necessarium est, quod intellectio illi conueniat a se per egressum virtualem.

Secundo: nam intelligens creatum non viuit per intellectionem, quia illam habet in se, in hoc enim 125 conuenit cum non viuente, sed quia illam habet à se: ergo vt Deus per intellectionem viuat, necessarium est, *Secundo.* quod conueniat cum intelligente creato, non solum in habendo in se intellectionem, sed etiam in habendo illam à se; aliàs non conueniet cum illo, vt formaliter viuente, sed nisi Deo conueniat intelligere per egressum virtualem, non assimilatur inteligenti creato, vt habenti intellectionem à se sufficienti modo vt viuat intellectionem: ergo vt Deus intellectione viuat, debet illam habere à se per egressum virtualem. Patet minor: sublato virtuali egressu solum restat Deum intelligere à se per identitatem; sed iste modus conuenientiæ intellectionis à se, non fundat sufficientem assimilationem cum intelligente creato, vt viuat per intellectionem, vt manet probatum: ergo nisi Deus sit intelligens à se per egressum virtualem non assimilatur intelligenti creato in habendo intellectionem à se sufficienti modo, vt viuat.

Si opponas: egressus intellectionis ab intelligente crea- 126 to est realis formalis; & tamen sine reali egressu Deus *Oppones.* viuit per intellectionem: ergo etiam absque vllo egressu viuens constituetur per illam. Respondeo, concessis *Respond.* maiori, & minori, negando consequentiam: nam si nullus interueniat egressus, non restat in quo conueniant, vt in vtroque ratio viuentis saluetur, aliàs egressus realis formalis non petitur ex conceptu vtrique communi cum imperfectionem importet, Deo autem omnis imperfectio repugnat, & ideo sine reali egressu saluatur ratio viuentis in Deo, non autem sine egressu tam reali, quam virtuali.

Sed instabis, sufficiens conuentia saluatur per hoc, quod intellectio diuina Deo conueniat à se per summam 127 identitatem, vt Deus per illam viuat: ergo absque *Instabis.* omni egressu tam reali, quam virtuali Deus est viuens per propriam intellectionem. Probatur antecedens: si non sufficeret modus ille habendi à se intellectionem, maximè quia aliæ formalitates, aut perfectiones diuinæ Deo à se per identitatem conueniunt, per quas tamen formalitates non viuit, sed hæc ratio est nulla: ergo sufficit esse intelligente à se per summam identitatem. Minor probatur: subsistentia, & personalitas, æternitas v.g. & immensitas conueniunt Deo à se per egressum virtualem, quin Deum constituant viuentem: & tamen egressus virtualis intellectionis à Deo ipsum viuentem in nostra sententia constituit: ergo pariter, quamuis aliæ perfectiones non vitales etsi conueniant Deo à se per summam identitatem, ipsum non constituant viuentem, poterit conuientia intellectionis à se sine egressu virtuali per summam identitatem sufficere, vt Deus per intellectionem viuat.

Respondeo, negando antecedens; cum namque con- 128 uenire alicui aliquam perfectionem à se denotet ratio- *Respond.* nem principij, si omnis auferatur egressus ab intellectione diuina, Deoque nullatenus egressiuè, sed constitutiuè conueniat, non potest cum intellectione creata vllatenus conuenire in hoc, quod est intelligenti competere à se. Ad antecedentis probationem concessa maiori nego minorem. Ad illius probationem, nego maiorem: subsistentia namque, personalitates diuinæ, & aliæ perfectiones non vitales, licet Deo à se dimanatiuè virtuali dimanatione conueniant, non tamen per egressum virtualem; intellectio vero diuina Deo conuenit à se per virtualem egressum, & ideo Deus constituitur viuens, per intellectionem, non autem per alias perfectiones attributales ab ipso virtualiter dimanantes. Et quidem habere perfectionem à se per realem dimanationem, *Instatur* non sufficit ad vitam creatam, vt constat in proprieta- *argumentum.* tibus à natura dimanantibus, quibus tamen non viuit natura; & tamen habere actualem operationem à se per realem formalem egressum sufficit in viuente creato: ergo pariter, licet virtualis dimanatio non sufficiat ad vitam increatam, & diuinam, virtualis egressus sufficiet.

Deni-

129 *Vltimo probatur conclusio. Minor probatur primo.* Denique principaliter suadetur nostra conclusio: si in Deo non esset potentia realis realiter proximè intellectiua, maxime quia de ratione potentiæ est ab actu distingui; & consequenter de ratione potentiæ ralis, est distingui realiter ab actu, quod intellectui diuino respectu intellectionis non competit; sed hæc ratio est nulla: ergo dator. Maior cum consequentia tenet. Minor ostenditur primo: nam iuxta Diuum Thomam *infra quæstione* 41. *art.*4. respectu actuum notionalium, quibus procedunt personæ, datur in diuinis vera, & realis potentia, generatiua nempè, & spiratiua; & tamen potentia notionalis non distinguitur realiter ab actu notionali, etsi realiter distinguatur à termino: ergo de ratione potentiæ realis non est realiter ab actu distingui: ac proinde ex defectu distinctionis realis intellectus ab intellectione essentiali, non desinet esse in Deo potentia realis realiter intellectiua.

130 *Secundo.* Secundo: non enim minus est de ratione naturæ distingui à proprietatibus, quam de ratione potentiæ distingui ab operatione; & tamen datur vera, & realis natura absque distinctione reali à proprietatibus: ergo quamuis de ratione potentiæ sit distingui ab operatione, dabitur in Deo vera, & realis potentia intellectiua absq; reali distinctione ab intellectiua actuali. *Tertio.* Tertio: non enim minus est de ratione actus vitalis distingui à viuente per ipsum, quam de ratione potentiæ distingui ab operatione; & tamen datur in Deo verus, & realis actus vitalis absq; reali distinctione à viuente per ipsum: ergo idē quod prius.

131 *Quarto probatur minor.* Denique, vt alia omittamus, probatur minor assumpta: non enim est minus de ratione personalitatis distingui à natura, quam terminat, quam de ratione potentiæ distingui ab operatione; & tamen datur in Deo vera, & realis personalitas absque reali distinctione a natura: ergo pariter quamuis de ratione potentiæ sit distingui ab operatione actuali, dabitur realis potentia absque reali distinctione. Minor cum consequentia tenet: maior autem probatur primo; *Maior probatur primo.* non enim aliunde potest inferri de ratione potentiæ esse distingui ab operatione actuali, nisi quia in creatis potentia realiter ab operatione distinguitur, in Deo autem virtualiter, sed etiam personalitas creata realiter distinguitur à natura, quam terminat, & diuina virtualiter: ergo non minus est de ratione personalitatis distingui à natura, quam terminat, quam de ratione potentiæ distingui ab operatione. *Secundo.* Secundo probatur maior: non est minus de ratione termini distingui ab illo, quod terminat, quam de ratione principij distingui ab eo, cuius est principium; sed personalitas consistit in termino terminante naturam, potentia autem in principio operationis: ergo non minus est de ratione personalitatis distingui à natura, quam de ratione potentiæ distingui ab operatione.

132 *Respondebis.* Respondebis, negando maiorem huius vltimæ probationis: nam ad rationem termini alicuius sufficit virtualiter ab illo distingui; ad rationem autem principij requiritur distingui distinctione formali ab eo cuius est principium; ac proinde non est æqualis ratio distinctionis termini à re terminata, ac principij ab eo cuius est principium.

133 *Contra.* Sed contra: nam si terminus realiter terminet, realitèr debet à re terminata distingui, si autem solum virtualiter terminet, solum exigit virtualem distinctionem à re terminata; sed idem in principio, & operatione inuenitur: ergo nulla est disparitas inter principium comparatum cum operatione, & terminum comparatum cum re terminata quoad rationem distinctionis. Probatur minor: principium realiter influens in operationem, realiter ab illa necessario distinguitur; principium autem solum virtualiter influens, solum virtualem postulat distinctionem: ergo idem in principio respectu operationis, atque in termino respectu rei terminatæ contingit quoad rationem distinctionis.

134 *Respondebis.* Si forte respondeas, verum esse seruari paritatem quoad hoc inter terminum, & principium, esse tamen disparem rationem inter potentiam realem, & personalitatem realem, quod illa petit esse principium influens influxu reali formali in suam operationem, realis autem personalitas non petit esse terminum realiter formaliter terminantem, sed solum virtualiter, atque adeo saluatur realis personalitas absque reali distinctione a natura, non autem realis potentia absque reali distinctione ab operatione actuali.

135 *Contra.* Sed contra: nam de ratione potentiæ realis esse, quod sit principium influens in operationem influxu reali formali, non aliunde colligi potest, nisi quia de ratione potentiæ est esse principium, & consequenter de ratione potentiæ realis est esse pricipium influens influxu reali formali; sed hæc calculatio, vel hoc argumentum cum tali addito non valet: ergo nulla est ratio, cur de conceptu potentiæ realis sit influxus realis formalis. Maior cum consequentia tenet. Minor, præter instantias huc usque datas, ita probatur: de ratione personalitatis est esse terminum naturæ; & tamen non licet arguere: *Ergo de ratione personalitatis realis, est esse terminum terminantem naturam terminatione reali formali*; sed sufficit ad conceptum personalitatis realis, terminatio realis virtualis, & per rationem formalis: ergo pariter ex eo quod de ratione potentiæ sit ratio principij, non licebit inde colligere de ratione potentiæ realis esse rationem principij realis realiter influentis, sed sufficiet ad rationem potentiæ realis, esse principium reale virtuale, & per rationem formale.

§. VI.

Argumentis in contrarium occurritur.

136 *Arg. 1. ex D. Tho.* Licet ex dictis in probatione nostræ conclusionis soluta maneant, quæ contra illam possunt opponi, vt tamen clarior illorum solutio fiat, aliqua proponemus. Primo contra illam arguitur ex Diuo Thoma *lib.* 1. *Contra Gentes cap.* 45. *ratione* 4. vbi vt probet intellectionem Dei esse suam essentiam, sic arguit: *Intelligere est actus intelligentis, si igitur Deus est intelligens, & non sit suum intelligere, oportet, quod comparetur ad ipsum, sicut potentia ad actum, & ita potentia erit in Deo, & actus, quod est impossibile, vt supra probatum est*: ergo iuxta Diuum Thomam non datur in Deo vera, & realis potentia realiter intellectiua.

137 *Respondetur.* Respondeo, Diuum Thomam solum negare potentiam in potentia reali existentem ad intellectionem, & realiter actuabilem per illam; non autem potentiam realem realiter intellectiuam absque reali potentialitate, & reali actuabilitate. *Solutionem esse de mente D. Thom. prob. 1.* Et quod hæc sit mens Diui Thomæ, patet primo: nam eo modo negat potentiam, quo negat actum, non autem negat verum actum realem intelligendi, sed actum realiter actuantem: ergo non negat veram potentiam realiter intellectiuam, sed potentiam realiter actuabilem, & realiter potentialem.

138 *Secundo probatur.* Secundo: nam potentia, quam negat est, quæ infertur ex distinctione reali intellectionis ab intellectu, hæc autem est potentia realitèr actuabilis, & realiter potentialis. *Tertio.* Tertio: nam loco vbi se remittit D. Thomas, nempe cap. 27. eiusdem libri de potentialitate loquitur, vt constat illis verbis ratione tertia: *Ex vnione formæ, & materiæ resultat aliquod compositum, quod est totum respectu materiæ, & formæ, partes autem sunt in potentia respectu totius, in Deo autem nulla est potentialitas: impossibile est ergo Deum esse formam vnitam alicui rei*: ergo cum loco in contrarium obiecto negat potentiam, nomine potentiæ realem potentialitatem intelligit.

139 *Secundo arguitur ex eodem D. Th.* Secundo arguitur ex eodem D. Thoma *lib.* 2. *Contra Gentes cap.* 10. ibi: *Vnde si aliquæ actiones Deo conueniant, quæ non in aliquid factum transeant, sed maneant in agente respectu harum, non dicetur in Deo potentia nisi secundum modum intelligendi, non secundum rei veritatem, huiusmodi autem actiones sunt intelligere, & velle: potentia igitur Dei propriè loquendo non respicit huiusmodi actiones, sed solos effectus: intellectus igitur, & voluntas in Deo non sunt, vt potentia, sed solum vt actiones*. Ita D. Thomas. Quod etiam docuit *in hac* 1. *p. q.* 25 *art.* 1. *ad* 3. *& quæst.* 41. *art.* 4. *ad tertium*.

140 *Expenditur auctoritas D. Tho. 1.* Quæ doctrina multipliciter videtur nostræ sententiæ aduersari, primo: nam potentia realis realiter intellectiua, non solum est potentia secundum modum significandi, sed etiam secundum rei veritatem; at respectu intellectionis essentialis non datur iuxta Diuum Thomam potentia secundum rei veritatem, sed tantum secundum modum significandi: ergo iuxta D. Thom. non datur in Deo potentia realis realiter intellectiua.

141 *Secundo.* Deinde: nam potentia realis intellectiua, est propriè potentia; sed per respectum ad intellectionem essentialem non est propriè potentia in Deo, vt docet D. Thomas: ergo respectu intellectionis non est potentia realis in Deo. *Tertio.* Tertio: nam si daretur in Deo potentia realis realiter intellectiua, esset in Deo intellectus, non solum per modum actionis, sed etiam per modum potentiæ; sed vt docet D. Thomas, intellectus, & voluntas in Deo non sunt vt potentiæ, sed solum vt actiones: ergo potentia realis realiter intellectiua non est constituenda in Deo.

142 *Respond.* Respondeo, D.Thomam solum negare respectu intellectionis, & volitionis essentialis potentiam realem productiuam, quam concedit respectu actionum virtualiter transeuntium, per quas aliquid ad extra producitur, & respectu actuum notionalium, per quos personæ procedunt; non autem negat respectu intellectionis, & volitionis essentialis potentiam realem realiter intellectiuam, & realiter volitiuam.

143 *Ad 1 ponderationem.* Vnde ad primam ponderationem doctrinæ D. Thomæ distinguo maiorem: potentia intellectiua est vere potentia, & non tantum secundum modum significandi, actiua, vel productiua, nego maiorem: potentia operatiua, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam: nam D. Thomas non negat intellectui veritatem potentiæ operatiuæ, sed tantum veritatem potentiæ productiuæ; hanc enim non sortitur, nisi secundum modum significandi. *Ad secundam.* Et ex his ad secundam ponderationem, distinguo maiorem: est proprie potentia operatiua, concedo maiorem: productiua; nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, vel distinguo consequens distinctione maioris, concedoque potentiam intellectiuam non esse proprie potentiam productiuam, nego autem, quod non sit proprie potentia operatiua.

144 *Ad tertiam.* Ad tertiam nego maiorem: nam potentia per modum potentiæ est potentialis, & perfectibilis realiter per actum, licet autem intellectus diuinus sit verè potentia intellectiua, non tamen est verè potentialis, nec verè, & realiter perfectibilis per actum intelligendi, & ideo, licet sit vere potentia, non tamen est vere per modum potentiæ, sed per modum actionis, idest summè actualis, & nullatenus potentialis: quia ergo intellectus Dei non est reale principium productiuum intellectionis, nec realiter ab illa distinguitur, rectè conclusit D. Thomas non esse in Deo per modum potentiæ, hoc est potentialis, sed per modum actionis, hoc est summè actualis.

145 *Replicabis 1.* Sed instabis primo: negat Diuus Thomas intellectui, & voluntati illam rationem potentiæ in ordine ad intellectionem, & volitionem essentialem, quam concedit in ordine ad actus notionales intelligendi, & volendi; sed in ordine ad istos actus non concedit potentiam realiter productiuam, cum enim non distinguantur realiter à potentijs notionalibus, non possunt realiter ab illis produci, sed ad summum concedit potentiam realem operatiuam: ergo in ordine ad intellectionem, & volitionem essentialem negat potentiam realem, non solum productiuam, sed etiam operatiuam.

146 *Secundo.* Secundo: nam D. Thomas negat rationem potentiæ in ordine ad intellectionem, & volitionem essentialem, quia potentia significat principium de cuius ratione est distingui ab eo, cuius est principium; Deus autem ab his actibus non distinguitur realiter; sed negat intellectui diuino omnem rationem principij respectu intellectionis: ergo & omnem rationem potentiæ realis.

147 *Ad 1. replicam resp.* Respondeo ad primam replicam, distinguendo maiorem: negat illam rationem potentiæ respectu intellectionis essentialis, quam concedit respectu actus notionalis sumpti terminatiuè, concedo maiorem: sumpti in recto, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: actus enim notionalis potest dupliciter sumi: primo pro eo quod importat in recto, & hoc modo sumptus non procedit realiter a potentia notionali, sed tantum secundum rationem; & consequenter respectu illius in hac consideratione non datur in Deo potentia realis productiua, sed tantum potentia realis operatiua. Secundo sumitur terminatiuè, idest, secundum suum terminum, qui est persona ad intra procedens, & respectu illius prout sic datur potentia secundum rem productiua, & hanc potentiam negat D.Thomas respectu actuum essentialium intelligendi, & volendi, quia nec secundum se, nec secundum aliquem terminum habent potentiam secundum rem productiuam; non enim sic sumpti habent terminum realiter procedentem in Deo, nec realiter causatum ab ipso.

148 *Ad 2.* Ad secundam concessa maiori, nego minorem: solum enim negat rationem principij realis productiui, non autem rationem principij realis operatiui, vt ex dicendis constabit: vnde solum negat potentiam realem productiuam respectu intellectionis essentialis, non autem potentiam realem operatiuam.

149 *Vltimo arguitur.* Denique, omissis alijs, arguitur: potentia idem est quod principium; sed intellectus diuinus non est principium reale intellectionis essentialis: ergo in ordine ad illam, realis potentia non est; & consequenter non datur in Deo potentia realis realiter intellectiua. Maior constat primo ex D. Thoma *quæst. 2. de potentia art. 1. ad 6.* ibi: *Omne illud, quod est principium actionis vt quo agitur, habet potentiæ rationem.* Et *in hac 1. p. quæst. 41. art. 4. ad 3.* ibi: *Dicendum, quod potentia significat principium.* *Maior probatur primo.*

150 *Secundo.* Et insuper constat ratione: nam sublata, vel non intellecta ratione principij, non est per quid potentia in ratione potentiæ constituatur, & à potentia logica distinguatur, quæ consistit in non repugnantia ad essendum: ergo potentia idem est, quod principium. Minor autem ostenditur primo, quia vt docet Diuus Thomas loco vbi proximè: *Principium distinctionem importat ab eo cuius est principium*; sed intellectus diuinus non distinguitur realiter ab intellectione essentiali: ergo non est principium reale illius. *Minor probatur primo.* Secundo: nam principium est id à quo aliquid procedit; sed intellectio essentialis non procedit realiter à diuino intellectu: ergo intellectus diuinus non est principium reale intellectionis essentialis. *Secundo.*

151 *Respond.* Respondeo, distinguendo maiorem: potentia productiua idem est quod principium, concedo maiorem: potentia operatiua, subdistinguo maiorem: idem est quod principium determinatè formale, nego maiorem: disiunctim formale, vel virtuale, concedo maiorem, & distinguo minorem: intellectus diuinus non est principium reale formale intellectionis essentialis, concedo minorem: reale virtuale, nego minorem, & distinguo consequens: non est potentia realis realiter productiua in ordine ad intellectionem essentialem, concedo consequentiam: potentia realis operatiua, & intellectiua, nego consequentiam. Ad primam probationem minoris, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, dicatur, loqui D. Thomam de principio productiuo, de quo verum est importare distinctionem formalem ab eo cuius est principium, vel realem, si principium sit reale, vel rationis, si principium sit per rationem; principium autem virtuale, quod sufficit ad rationem potentiæ realis non productiuæ, sed operatiuæ formaliter, non petit distinctionem formalem ab eo, cuius est principium, sed tantum virtualem. *Ad 1. probationem minoris.*

152 *Ad secundam.* Ex hisque ad secundam probationem minoris, concessa maiori, distinguo minorem: non procedit realiter virtualiter, nego minorem: realiter formaliter, concedo minorem, & distinguo consequens: non est principium reale formale intellectionis essentialis, concedo consequentiam: reale virtuale, nego consequentiam. Itaquè asserimus, intellectum diuinum non esse principium realiter formaliter influens in intellectionem, sed tantum realiter virtualiter, & per rationem formaliter; hoc autem sufficere, vt intellectus dicatur potentia realis realiter intellectiua per intellectionem essentialem: licet non sufficiat, vt dicatur potentia realis productiua, illius, sicut esse virtualem radicem intellectionis, & volitionis essentialium, sufficit ad conceptum naturæ realis realiter intellectiuæ, & realiter volitiuæ, licet non ad rationem naturæ realis realiter productiuæ intellectionis, & volitionis, & virtualis realis gressus intellectionis, & volitionis, sufficit vt dicantur actus reales vitales, licet non sufficiat, vt dicantur realiter ab intellectu, & voluntate causati.

153 *Replicabis.* Sed dices, ratio potentiæ consistit formalissimè in ratione principij: ergo iuxta qualitatem, conditionem, & denominationem principij, est qualitas, conditio, & denominatio potentiæ; & consequenter de quo non verificatur esse reale principium operationis formaliter, sed tantum virtualiter, non verificatur esse potentiam realem formaliter, sed virtualiter tantum, at intellectus diuinus non est principium reale intellectionis formaliter, sed tantum virtualiter: ergo non formaliter, sed tantum virtualiter est potentia realis.

154 *Confirmatur 1.* Et augetur difficultas primo: quia namque de ratione relationis est respectus ad terminum, cui non conuenit respectus formaliter, nec relatio formaliter conuenit; sed potentia consistit in ratione principij: ergo cui non conuenit esse principium reale formaliter, non conuenit formaliter ratio potentiæ. Confirmatur, & vrgetur secundo: quia namque compositio est distinctorum vnio, vbi vnio distinctorum non saluatur formaliter, compositio formaliter non reperitur: sed potentia consistit in ratione principij: ergo de quo non verificatur esse principium formaliter, sed tantum virtualiter, non affirmabitur formaliter, sed tantum virtualiter ratio potentiæ. *Confirmatur 2.*

155 *Respond.* Respondeo, quando prædicata, quibus aliquid diffinitur

nitur summuntur secundum esse determinatè formale, benè inferri, cui secundum formalem denominationem non competunt, nec diffinitum formaliter conuenire; cum verò non accipiuntur secundum esse determinatè formale, sed secundum esse formale, vel virtuale disiunctim posse diffinitum formaliter conuenire, etsi partes diffinientes non conueniant secundum esse formale, sed tantum secundum esse virtuale: potentia autem vt abstrahit à productiua, & operatiua, diffinitur per rationem principij non determinatè formalis, sed formalis, aut virtualis disiunctim: ac proinde vt de intellectu diuino verificetur esse potentiam realem intellectiuam formaliter, sufficit quod sit formaliter virtuale principium intellectionis; quia hoc sufficit, vt dicatur facultas intellectiua realiter; sicut esse virtuale radicale principium, sufficit vt verificetur de natura diuina esse naturam realem realiter intellectiuam; & esse à principio per egressum virtualem, sufficit vt de intellectione diuina verè affirmetur esse actum vitalem realem formaliter; & vt de paternitate diuina verè affirmetur esse formaliter personalitatem realem, sufficit esse terminum virtualem naturæ diuinæ: vnde sicut ista consequentia non valet: *Personalitas consistit in ratione termini terminantis, & complentis naturam: ergo de quo non verificatur realiter formaliter terminare naturam non verificatur esse realem personalitatem formalitèr*; quia ratio termini, per quam personalitas diffinitur non sumitur secundum esse formale determinatè, sed secundum esse formale, aut virtuale disiunctim: ita consequentia contra Nos facta non tenet, & ob eandem rationem. Et ex his ad vtramque confirmationem constat solutio: nam relatio diffinitur per respectum secundum esse formale determinatè, & compositio per vnionem distinctorum determinatè formalem.

Ad vtramque cōfirmationem resp.

§. VII.

Resoluitur secunda pars disputationis.

156 *Prima sententia.* *Suar.* *Herice.* *Secunda.* *Zumel.* *Albeld.* *Salmant.* *Ferrar.* *Caiet.* *Biesca* *Araujo.* *Fœlix.* *Alarc.* *Granad.* *Vazquez.* *Montoy.*

SECVNDVM, quod in hac Disputatione in examen vocamus, est, an in ordine ad intellectionem saluetur in Deo formalitas speciei? In quo in duas sententias diuiduntur Theologi. Prima negans est, quam tuentur Suarez *disp 30. metaphysica sect. 15.* Herice *disp. 2.* alijque Recentiores. Secunda affirmans est, quam supponere videntur Bañez, & Zumel *in hac q. art. 4. in commento*, & Albeda *disp. 35. ad 5. arg. secunda sententia*. Patres Salmanticenses *tract. 3. de Scientia Dei disp 3. dub. 2. §. 3. n. 22. & disp. 4. dub. 2. §. 5. num. 54.* Illam tenent Ferrara 1. *Contra Gentes cap. 46.* Caietanus *in hac q art. 2. & 4.* Biescas *art. 2. dub. 2.* Illustrissimus Araujo *art. 1. dub. 3. num. 10.* alijque Recentiores ex Schola D. T. communiter. Tenet etiam ex Scotistis Franciscus Fœlix *de Scientia Dei cap. 1. difficult. 2. num. 7.* Et ex PP. Societatis Alarcon *tract. 2. disp. 1. cap. 1. conclus. 3.* pro illa referens Granadum *disp. 1. num. 9.* Vazquez *disp. 6 cap. 2. num. 5.* Valentiam, Molinam, & Ruizium de Montoya *disp. 4 sect.* . Ex quibus aliqui rationem speciei ab essentia diuina virtualiter distinguunt, & ratione ratiocinata; alij solum distinctione rationis ratiocinantis, & ex modo significandi.

157 *Prima Conclus.* *Prob. 1. ex D.T.*

Consequenter ad hucusque dicta asserendum est primo; dari in Deo veram rationem speciei intelligibilis ex parte actus primi ad intellectionem concurrentis. Probatur primo; vt enim docet D. Tho. *in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. quæst. 8. de Veritate art. 1. quodlibete 7. art. 1. 3. Contra Gentes cap. 51. & in hac 1 part. quæst. 12. art. 2. ad 3. argumentum* Diuina essentia vnitur mentibus beatorum, vt species, & forma in esse intelligibili in ordine ad sui visionem: ergo etiam comparatione intellectus diuini gerit munus speciei; & consequenter in Deo in ordine ad intellectionem datur vera ratio speciei concurrens ex parte obiecti ad intellectionem sui. Patet consequentia primo; non enim alia ratione est species respectu intellectus beati, nisi quia se illi repræsentat, & ratione sui vnitur in ordine ad claram visionem; sed diuina essentia se ipsam repræsentat intellectui diuino, & illi vnitur ratione sui per summam identitatem in ordine ad intellectionem diuinam: ergo etiam datur in Deo vera ratio speciei in ordine ad intellectionem. Secundo: si namque respectu intellectu intellectus creati gerit munus speciei ergo hoc munus imperfectionem non dicit; & aliàs non est vnde ratio speciei in ordine ad intellectum diuinum imperfectionem includat: ergo in ordine ad illam saluatur vera ratio speciei.

GODOY in 1. p. Tom. 1.

Secundo probatur ex eodem D. Thoma *lib. 1. Contra Gentes cap. 45. & in hac quæst. art. 2.* vbi docet, Deum se per se ipsum intelligere, id est, se vt obiectum per se ipsum vt speciem, vt explicat *in corp. art.* & *art. 4. in corp.* illis verbis: *Vnde cum ipsa sua essentia sit species intelligibilis, ex necessitate sequitur, quod ipsum eius intelligere sit eius essentia, & eius esse, & sic patet ex omnibus præmissis, quod in Deo intellectus, & id, quod intelligitur, & species intelligibiles, & ipsum intelligere sunt omninò vnum, & idem.* Quibus verbis eodem modo statuit in Deo speciem intelligibilem, intellectum, & intellectionem; sed intellectus, & intellectio verè in Deo reperiuntur: ergo etiam species intelligibilis. Id ipsum docuit D. Thom. 1. *Contra Gentes c. 47. ratione 10.* ibi: *Ipsa autem diuina essentia, quæ est species intelligibilis, qua intellectus diuinus intelligit, est ipsi Deo penitus idem, estque intellectio ipsius idem omninò.* 158 *Secundo prob. ex eodem D. Thom.*

Deniq; probatur ratione: munus enim speciei impressæ est obiectum repræsentare intellectui, eiq; illud in esse intelligibile vnire, & ex parte obiecti ad intellectionem concurrere; sed diuina essentia se ipsam intellectui Dei perfectissimè repræsentat, non enim inter repræsentans, & repræsentatum requiritur realis distinctio; & consequenter nec inter repræsentans, & illum cui repræsentat; & per se ipsam eum illo perfectissimè vnitur, non solum in esse entis, sed etiam in esse intelligibili; cum in vtraque linea sit infinita; & consequenter summè identificata cum intellectu diuino: ac proinde summè vnita: nam identitas est maxima vnio, & insuper ex parte obiecti concurrit effectiuè virtualiter ad intellectionem diuinam: ergo diuina essentia obtinet veram, propriamq; rationem speciei respectu intellectus diuini. Minor quoad duas primas partes probata relinquitur. 159 *Vltimo probatur ratione.*

Quoad tertiam verò probatur primo: etenim *ab obiecto, & potentia paritur notitia*, vt communiter docent ex Augustino Philosophi: ergo iuxta modum, & qualitatem influxus potentiæ in notitiam, est etiam concedendus obiecto influxus in illam; at intellectus diuinus influit virtualitèr eliciitiuè in diuinam intellectionem, vt constat ex dictis: ergo diuina essentia vt obiectum, influit etiam virtualitèr obiectiuè. Secundo; intellectus realitèr formalitèr influens in intellectionem petit obiectum influens realitèr obiectiuè: ergo intellectus diuinus virtualitèr intellectionem eliciens petit ex parte obiecti virtualem effectiuum concursum. Denique: nam semel dato virtualem influxum intellectus in intellectionem imperfectionem non dicere, non est cur illam importet virtualis influxus obiecti: ergo sicut ob hanc causam conceditur intellectui diuino concursus virtualis eliciiiuus, debet etiam concedi diuinæ essentiæ virtualis efficientia obiectiua. 160 *Minor quoad 3. partē probatur 1.* *Secundo.* *Tertio.*

Respondebis primo; concursum obiecti requiri cum potentia de se determinata non est; intellectus autem diuinus ab intrinseco est determinatus ad intellectionem diuinæ essentiæ, & ideo concursus obiectiuus essentiæ ad istam intellectionem, necessarius non est. Sed contra primo: nam intellectus lumine gloriæ illustratus non manet indifferens: sed determinatus ad visionem claram Dei; & tamen concursu obiecti indigere, & speciei intelligibilis à lumine gloriæ distinctæ, est frequens Theologorum sententia *supra q. 12. art. 2.* contra Vazquez affirmantem lumen ipsum gloriæ sortiri rationem speciei: ergo determinatio potentiæ non excludit necessitatem speciei concurrentis obiectiuè. Secundo: nam intellectus Angeli est etiā determinatus ad cognitionem propriæ substantiæ; & tamen indiget concursu obiecti in ordine ad illam, vt cum D. Th. *infra q. 56. art. 1.* docent omnes eius Discipuli, & frequentius alij Theologi: ergo quod potentia determinata sit ad aliquam cognitionem, non tollit quominus indigeat concursu obiecti. 161 *Respondebis 1.* *Contra 1.* *Secundo.*

Denique: nam species deseruientes fidei in ordine ad actum credendi, non determinant ad illum, sed manet intellectus indifferens quoad exercitium, & specificationem, ita vt possit credere, vel non credere, & discredere reuelatis à Deo: ergo absq; determinatione saluantur munera speciei in ordine ad intellectionem; & consequenter quamuis essentia diuina non determinet intellectum Dei, nec indifferentem, sed determinatum supponat in ordine ad sui cognitionem, poterit munus speciei subire, & intellectus diuinus illius concursu indigere ad virtualem elicientiam diuinæ cognitionis; non enim exigentia concursus obiectiui nascitur ex indeterminatione antecedente potentiæ, sed ex natura cognitionis quæ talis conditionis est, vt petat ab obiecto, & potentia procedere. 162 *Tertio.*

163 *Respondebis 2.* Respondebis secundo ; potentiam concursu obiecti indigere, vt principij partialis intellectionis, ex illius imperfectione procedere : vnde releganda est ab intellectu diuino, qui est infinitus, summeque perfectus in ratione potentiæ intellectiuæ. *Contra 1.* Sed contra primo: nam licet indigere concursu obiecti à se realiter distincti imperfectio sit in potentia, indigere tamen concursu obiecti sibi realiter identificati, & solum virtualiter, & ratione distincti nullam dicit imperfectionem ; sed hoc modo adstruitur concursus obiectiuus in Deo : ergo absque vlla imperfectione.

164 *Secundo.* Secundo, quod voluntas indigeat in ordine ad volitionem cognitione proponente, & regulante à se realiter distincta, imperfectio maxima est, indigere autem cognitione regulante, virtualiter solum distincta nullam dicit imperfectionem : vnde in voluntate diuina, absque imperfectionis labe, talem indigentiam adstruimus : ergo pariter licet indigentia concursus obiecti realiter à potentia distincti imperfectio maxima sit, indigentia tamen concursus obiecti virtualiter solum distincti à potentia nullam dicit imperfectionem. *Tertio.* Denique : nam obiectum non concurrit ad cognitionem, vt supplens defectum potentiæ in linea potentiæ, nec vt dans illi virtutem, imo nec facilitatem, sed vt comprincipium cum illo ab intellectione exactum : ergo licet potentia sit vndequaque in linea potentiæ perfecta non excludit necessitatem concursus obiecti in ordine ad cognitionem.

165 *Cõfirmatur 1.* Confirmatur primo : nam intellectus diuinus prout ab alijs formalitatibus Dei virtualiter distinctus, non est formaliter in omni linea infinitus, sed tantum in linea potentiæ, & principij proximi intellectiui : ergo sicut hac ratione non excludit, imo petit concursum principij radicalis à se virtualiter distincti ; petet etiam concursum *Cõfirmatur 2.* effectiuum virtualem obiecti absq; detrimento suæ infinitæ perfectionis. Confirmatur, & vrgetur secundo, quamuis intellectus diuinus sit in propria linea infinitus ; non ideò excludit concursum specificatiuum obiecti in ordine ad cognitionem, quia concursus iste ad lineam intellectus non spectat ; sed concursus speciei, quamuis effectivus sit, non tamen spectat ad lineam potentiæ intellectiuæ, sed ad lineam obiecti motiui : ergo quamuis intellectus diuinus sit in propria linea infinitus, non excludet concursum effectiuum virtualem diuinæ essentiæ vt gerentis munus speciei, sed illo necessario indigebit.

166 *Respõdebis 3.* Denique respondebis : his solum probari concursum diuinæ essentiæ per modum obiecti motiui, inde tamen non haberi interventum necessarium speciei, hæc namque, vtpotè vicaria obiecti petit ab illo distingui : vnde quando obiectum per se ipsum ad intellectionem concurrit, vt contingit in cognitione diuina, non interuenit aliqua species impressa. *Contra.* Sed contra ; nam licet de ratione speciei realiter ab obiecto distinctæ, sit esse vicariam obiecti, & illius realem similitudinem, de ratione tamen speciei ex suo conceptu formali solum est, quod obiectum repræsentet potentiæ, & illud intelligibiliter vniat cum potentia intellectiua, & simul cum illa ad intellectionem concurrat, vel per influxum formalem, vel solum per virtualem concursum ; sed totum hoc reperitur in obiecto se ipsum repræsentante potentiæ, & cum illa vnito ratione sui, & simul cum illa concurrente ad intellectionem : ergo quamuis non sit realis similitudo sui, nec propriè substitutum dicatur, sortietur tamen veram rationem speciei.

167 *Secunda conclusio. Probatur quoad vtramque partem.* Asserendum est secundo : *Formalitatem speciei in diuina essentia repertam, distingui ab illa, & ab intellectione diuina virtualiter, & ratione ratiocinata.* Probatur quoad vtramque partem, vt enim docet D. Thomas *q. 7. de Potentia art. 6. in 1. Sententiar. dist. 2. q. 1. 2. & 3. dist. 35. q. 1. art. 1. ad 2. & dist. 22. q. 1. art. 3. ad* 4. quia sapientia, & bonitas dicuntur de Deo, & creaturis, non æquiuocè, sed secundum rationem analogam, & in creaturis ratio sapientiæ non est ratio bonitatis, differunt in Deo sapientia, & bonitas distinctione rationis ratiocinatæ ; sed ratio speciei intelligibilis, ratio essentiæ, vel naturæ, & ratio intellectionis dicuntur de Deo, & creaturis, non æquiuocè, sed secundum rationem analogam, & in creaturis ratio speciei non est ratio essentiæ, vel naturæ, nec ratio intellectionis : ergo species, essentia, vel natura, & intellectio in Deo distinguuntur ratione ratiocinata ; & consequenter distinctione virtuali, prout à nobis vsurpatur pro fundamentali rationis.

168 *1. pars probatur.* Deinde prima pars conclusionis probatur : ratio obiecti terminatiui virtualiter distinguitur à diuina essentia, & natura : ergo virtualiter ab illa distinguitur ratio obiecti *proximè* motiui, in qua consistit ratio speciei intelligibilis. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probatur : ratio obiecti terminatiui diuinæ intellectionis, est ratio veri ; sed hæc virtualiter distinguitur à natura, & essentia diuina : ergo & ratio obiecti terminatiui. Maior cum consequentia tenet. *Minor probatur primo.* Minor autem ostenditur primo : ratio boni virtualiter à diuina essentia distinguitur : ergo etiam ratio veri. *Secundo.* Secundo : nam verum ad ens consequitur, vt attributum, & passio convertibiliter se habens cum ente, & ab illo virtualiter distinguitur : ergo ratio veri diuini ab essentia, & natura diuina distinguitur virtualiter. *Tertio.* Denique, vt enim *proximè* argumentabamur, quia sapientia, & bonitas dicuntur analogicè de Deo, & creaturis, & in illis ratio sapientiæ, ratio bonitatis non est, virtualiter, & ratione ratiocinata distinguuntur in Deo ; sed etiam veritas, & essentia, aut natura dicuntur de Deo, & creaturis, non æquiuocè, sed secũdum rationem analogam, & in creaturis ratio veri non est ratio essentiæ, entitatis, vel naturæ: ergo in Deo distinguuntur virtualiter, & ratione ratiocinata.

Denique secunda pars conclusionis ostenditur primo : 169 *Secunda pars conclusionis prob. 1.* virtualis influxus effectiuus, vel specificatiuus exigit inter extrema virtualem distinctionem ; sed diuina essentia vt species exercet virtualem influxum specificatiuum, & effectivum in diuinam intellectionem : ergo virtualiter ab illa distinguitur. *Secundo.* Secundo : nam species, cum virtus obiecti sit, & ex parte illius ad intellectionem concurrat, non est cur magis cum intellectione petat identificari, quam cum obiecto per ipsam repræsentato ; sed virtualiter differt ab essentia, & natura diuina, quæ est obiectum per illam repræsentatum : ergo ab intellectione actuali virtualiter etiam distinguitur. *Vltimo probatur.*

Denique probatur ; diuina essentia vt obiectum terminativum, virtualiter distinguitur à cognitione diuina ; quandoquidem illam specificat ex parte termini : ergo vt obiectum motiuum, qua ratione obtinet rationem speciei, & cognitionem diuinam specificat ex parte principij, virtualiter ab illa distinguitur.

§. VIII.

Resolvitur tertia pars disputationis.

TERTIVM, quod in hac Disputatione ad examen vocauimus, est, an ratio habitus saluetur in diuino intellectu ? Circa quod duæ versantur sententiæ. 170 *Prima sententia. Henric. Arriag. Fœlix. Scot. Mair. Smising.* Prima affirmans est, quam tuentur Henricus *1. p. art. 3. q. 1.* Arriaga *Tract. de Scientia Dei disp. 15. sect. 3. subsect. 4.* & Franciscus Fœlix *de Scientia Dei cap. 1. difficult. 2. n.* 9. pro illa referens Scotum *in 1. dist. 8 q. 1. §. Ad quæst. in fine*, & *in 3. dist. 32. §. Ad primum dico, & dist. 33 §. Ad 1. concedi potest.* Mairon *in 1. dist. 36. q. 2. art. 1. & 2.* & Smising. *de Deo vno tract. 3. disp. 4. n. 8.* Falsò tamen, ibi enim expressè oppositam docet sententiam.

171 *Secunda.* Secunda sententia negat, in Deo prædicatum, & formalitatem habitus, tam ad intellectum, quam ad voluntatem spectantis. Ita omnes, qui actum primum radicalem, & proximum, & speciem impressam negant, & ex illis, qui hæc prædicata admittunt cæteri præter *proximè* relatos. *Nostra conclusio. Prob. 1. ex D. Th.* Quæ sententia sit nostra conclusio, & probatur primo ex D. Th. *in hac q. art. 1. ad 1* illis verbis: *Vnde scientia non est qualitas in Deo, vel habitus, sed substantia, & actus purus.* Si autem prædicatum habitus reperiretur in Deo, scientia proculdubio habitus esset: ergo prædicatum habitus non reperitur in Deo. Idipsum docuit D. Tho *1. Contra Gentes cap. 56. & cap. 92. ratione 2.* vbi habitum excludit à diuina voluntate, quia est actus imperfectus, Deo autem omnis imperfectio repugnat. Et *q. 1. de Potent. art. 1. ad 4.* illis verbis: *Dicendum, quod habitus nunquam est in potentia actiua, sed solum in passiua, & ea* (nempè passiua) *est perfectior, talis autem potentia non attribuitur Deo,* scilicet potentia passiua.

172 *Secundo probatur ratione.* Deinde suadetur ratione ex præallegatis locis desumpta: perfectio in suo conceptu formali involvens imperfectionem, non conuenit formaliter Deo, sed habitus est perfectio in suo conceptu formali importans imperfectionem : ergo non conuenit formaliter Deo. Illatio tenet. Maior est certa ; vt enim perfectio, quæ in creaturis reperitur, attribuatur Deo formaliter, debet deputari ab omni eo quod imperfectionis est ; cum Deo omnis imperfectio, tam physica, quam moralis, repugnet ; perfectio autem in suo conceptu formali imperfectionem importans, non potest ab omni imperfectione præscindere ; cum non possit abstrahere à suo conceptu formali ; & consequenter non potest Deo formaliter attribui : hinc est, quod Deo

attri-

attribuimus scientiam formaliter; secus autem rationalitatem, quia hæc in suo conceptu formali dicit esse formaliter discursiuam, quod imperfectionis est; scientia verò esto in hominibus per discursum acquiratur, non tamen ex suo formali conceptu discursum formalem importat.

173 *Minor probatur primo.* Minor traditur à D. Thom *in hoc art. ad* 1. & probatur primo: perfectio, quæ de se postulat in potentia imperfectionem, in suo conceptu formali imperfectionem importat, quod namque imperfectionem nondicit, non potest subiectum imperfectum vt sui susceptiuum exigere; sed habitus de se postulat pro subiecto potentiam passiuam, vt docet D. T. *q. 1 de Potent. art. 1. ad* 4. idest, potentiam realiter ab actu distinctam, & realiter receptiuam illius, quod est maxima imperfectio: ergo in suo conceptu formali importat imperfectionem.

Secundo. Secundo probatur ex D. Thom. 1. *Contra Gentes cap. 9*2. nam habitus est de genere accidentis: accidens autem imperfectionem importat: ergo & habitus. *Tertio.* Tertio: vt enim *ibi* docet D. Thom. habitus est actus medius inter potentiam, & actum: vnde habentes habitum comparantur dormientibus; sed actus medius inter potentiam, & actum, imperfectionem, & potentialitatem importat: ergo habitus in suo conceptu formali imperfectionem importat.

174 *Respondebis.* Respondebis, rationem accidentis, actuare potentiam passiuam, & realiter mediare inter potentiam, & actum, conuenire habitui creato, non ex conceptu suo formali, sed quia quid creatum est, ex se autem non exigere actuare potentiam passiuam, nec rationem qualitatis, nec realem mediationem inter potentiam, & actum, sed tantum esse medium virtualiter, vel medium secundum rationem nostram, quod imperfectio esse nequit, vt patet in ratione potentiæ, quæ quia non petit esse medium realiter inter essentiam, & actualem operationem, sed tantum esse medium per rationem, imperfectionem Deo repugnantem non dicit, vt docet D. Tho. *q. 1. de Potentia art. 1. ad* 14. S. THO. *arg.* illis verbis: *Dicendum, quod potentia Dei non est medium secundum rem, quia non distinguitur ab essentia nisi ratione, & ex hoc habetur, quod significetur vt medium, Deus autem non agit per medium realiter differens à seipso: vnde ratio non sequitur.*

175 *Solutionem istam esse contra D. Tho. probat. 1.* Sed contra: nam in primis hæc solutio non potest cum doctrina D. Thom. componi: quod probo primo: nam *in hac q. art. 1. ad* 1. concedit scientiam in Deo, negat autem habitum, quia actus imperfectus est, cuius imperfectiones alijs locis explicuerat; sed si imperfectiones istæ solum essent de conceptu habitus prout in creaturis reperti, non autem ex sua ratione formali, nulla esset differentia inter habitum, & scientiam; cum vtrumque Deo competeret ex sua ratione formali, & neutrum cum illis imperfectionibus, cum quibus reperiuntur in creaturis: ergo solutio tradita doctrinam D Thomæ non saluat.

176 *Secundo.* Secundo: nam D. Tho. *q. 1. de Potentia art.* 1. concedit potentia Deo, & illi denegat habitum, quia nunquam est, nisi in potentia passiua; sed si esse in potentia passiua non conueniret illi ex sua ratione formali, sed tantum vt est in creaturis, nullum esset discrimen inter potentiam, & habitum; cum etiam potentia actiua creata secum necessario connectatur rationem potentiæ passiuæ, sicut & realem distinctionem ab actu, & realem receptionem illius: *Tertio.* ergo esse in potentia passiua, iuxta mentem D. Th. conuenit habitui de sua ratione formali. Ac denique, esse medium per rationem conuenit potentiæ actiuæ ex suo conceptu formali; & tamen conuenit Deo, vt docet D. Tho. *loco* de potentia *allegato*: ergo cum habitum excludit à Deo, quia est medius inter potentiam, & actum, est, quia sentit ex suo conceptu formali esse medium verè, & realitèr.

177 *Deinde impugnatur solutio.* Et quod hoc ita sit, probo: nam habitus, vel est naturalis, vel supernaturalis; sed vterque ex sua ratione formali petit mediare realiter inter potentiam, & actum: ergo habitus ex sua ratione formali petit realem mediationem inter potentiam, & actum. Minor probatur primo de habitu supernaturali; iste namque petit potentiam carentem virtute proportionata cum actu; sed potentia nequit esse improportionatæ virtutis ad actum sibi identificatum: nam eo ipso, quod actus identificatus sit cum potentia, exigitur ab intrinseco ab illa, actui autem improportionato repugnat terminare exigentiam potentiæ: ergo habitus supernaturalis petit potentiam realiter distinctam ab actu; & consequenter quam eleuet ad realem elicientiam illius; sed forma eleuans potentiam ad realem elicientiam actus, realiter mediat inter potentiam, & actum: ergo habitus supernaturalis petit mediare inter actū, & potentiā.

Deinde probatur minor de habitu naturali; nam iste ex sua natura ordinatur ad dandam potentiæ facilitatem, vt promptè, & facilè eliciat actum ad quem de se facilis, & prompta non erat; sed ad actum realiter identificatum potentiæ, nequit esse in potentia, intrinseca difficultas, vt ex terminis est manifestum: ergo ab intrinseco petit concurrere, adiuuando potentiam ad actum realiter ab illa distinctum; & consequenter petit mediationem realem inter potentiam, & actum; quod enim adiuuat potentiam intrinsecè ad eliciendum actum à se realiter distinctum, realiter mediat inter potentiam, & actum: ergo esse medium reale inter potentiam, & actum, respicere potentiam passiuam, & esse qualitatem, & accidens, quæ sunt inter se connexa, conueniunt habitui ex se, & ex sua ratione formali, & non solum ex conceptu creati: ac proinde iure optimo ex istis tribus capitibus excludit D. Thomas habitum ab intellectu, & voluntate diuina. 178 *Idem de habitu naturali probatur.*

Et ex his suadetur conclusio tertio: habitus ex sua ratione formali supponit potentiam imperfectam in linea, & ratione potentiæ; sed intellectus diuinus est in linea potentiæ intellectiuæ perfectus: ergo non est capax habitus. Consequentia tenet. Minor est certa: nam quævis diuina perfectio, vt virtualiter ab alia distincta, petit esse in propria linea infinita; & consequenter perfecta. Maior autem probatur: habitus ex sua ratione ordinatur ad præbendam potentiæ virtutem, vel proportionem, vel facilitatem ad actum: ergo ex sua ratione supponit potentiam de se carentem virtute, vel proportione cum actu, vel facilitate ad illum; sed potentia carens virtute, vel proportione cum actu, vel facilitate ad illum, est in linea potentiæ imperfecta: ergo habitus ex suo conceptu formali supponit potentiam imperfectam in linea, & ratione potentiæ. 179 *Tertio probatur conclusio.*

Denique suadetur conclusio contra Recentiores ad hominem: nam munus habitus consistit in iuuando potentiam ad actum; sed potentia intellectiua prout ab ipsis Deo attribuitur, non est capax vt iuuetur ad actum: ergo non est capax habitus. Probo minorem: potentia intellectiua, prout ab ipsis Deo attribuitur, consistit in non repugnantia proxima ad perceptionem actualem obiecti non explicante actualem expressionem illius; sed non repugnantia proxima absque vlla vi elicitiua, non est capax vt adiuuetur ad actum, nec vllo indiget iuuamine, vt ex ipsis terminis claret: ergo intellectus diuinus, prout ab ipsis constituitur, capax habitus non est. 180. *Vltimo probatur conclusio.*

Explicatur, & augetur difficultas: habitus operatiuus non potest in non repugnantia consistere, nec in hoc, quod præstet proximam non repugnantiam præscindibilem ab actu absque vlla difficultate, sed in hoc quod præstet facilitatem potentiæ ad operandum; aliàs proxima non repugnantia ad existendum sine vlla difficultate, etiam posset dici habitus; sed potentia intellectiua consistens in non repugnantia proxima ad perceptionem actualem obiecti, absque vlla vi elicitiua actualis operationis, non est capax, vt iuuetur aliquo ad operationem: ergo intellectus diuinus, prout ab his Recentioribus Deo attribuitur, capax habitus non est. 181 *Confirmatur.*

§. Vltimus.

Soluuntur contraria argumenta, & nonnulla inferuntur ex dictis.

ARGVITVR primo: aggregatum ex potentia, & habitu intellectiuo nullam dicit imperfectionem in suo conceptu formali: ergo reperitur in Deo, non solum intellectiua potentia, sed etiam habitus scientiæ. Consequentia tenet ex dictis; in Deo namque reperitur formaliter quidquid in suo conceptu formali non dicit imperfectionem: ergo si in aggregato ex potentia & habitu intellectiuo nulla imperfectio importatur, conuenit formaliter Deo. Antecedens autem probatur: aggregatum ex intellectu, & habitu scientiæ nihil aliud dicit, quam potentiam facilem ad actum scientiæ, sed in aggregato ex potentia, & facilitate ad actum nulla imperfectio importatur; non enim est imperfectio potentia, vt supponimus ex dictis, nec facilitas est imperfectio, imo est maxime perfectio: nam illius oppositum contrarium, nempè, difficultas sciendi, & contradictorium, nempè, carentia facilitatis, imperfectionem important; ergo in aggregato ex potentia intellectiua, & scientia per modum habitus nulla imperfectio importatur. 182 *Arg. 1.*

Respondeo, negando antecedens. Ad illius probationem, distinguo maiorem: potentiam facilem ex conceptu 183 *Respond.*

cepto potentiæ, nego maiorem: potentiam facilem facilitate superaddita potentiæ supponente difficultatem in illa, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam ratio formalis habitus non consistit in facilitate conueniente ab intrinseco potentiæ, vt videmus in potentia visiua, quæ de se, non solum est potens videre, sed etiam est facilis ab intrinseco ad videndum, & tamen nemo in potentia visiua constituit formalem rationem habitus: ratio ergo formalis illius consistit in facilitate superaddita potentiæ supponente in illa difficultatem, quam vincat, aut improportionem, quam tollat, in qua facilitate importatur imperfectio distinctionis realis à potentia, & actu, & mediationis realis inter illa, vt ex D. Thoma vidimus; & consequenter supponitur maxima imperfectio in potentia, nempè, carentia virtutis, aut proportionis cum actu, & facilitatis ad illum, ex qua consequenter infertur distinctio realis inter potentiam, & actum, quæ maxima est imperfectio, vt argumentabamur *supra*.

184 *Secundo arg. & replicatur contra solutionem.* Secundo arguitur, & instatur contra hanc solutionem: vis *proximè* intellectiua, & facilitas ad intelligendum distinguuntur in diuino intellectu distinctione virtuali; sed facilitas, vt distincta à vi *proximè* intellectiua, sufficit ad constituendam formalem rationem habitus: ergo in diuino intellectu prout est in actu primo proximo ad intelligendum inuenitur ratio habitus. Illatio tenet. *Minor probatur primo.* Minor constat primo: nam facilitas illa virtualiter distincta à potentia intellectiua concurrit virtualiter ad diuinam intellectionem; sed non per modum speciei; non enim concurrit ex parte obiecti, nec vt est eius similitudo formalis, aut virtualis, nec concurrit per modum potentiæ; cum non exprimat rationem potentiæ, sed ab illa distinguatur: ergo concurrit per modum habitus; & consequenter constituit rationem formalem habitus. *Secundo* Secundo: nam facilitas illa vt distincta virtualiter à potentia intellectiua concurrit iuuando, & facilitando potentiam; sed iuuare, & facilitare est concursus proprius habitus: ergo concurrit ad intellectionem vt habitus.

185 *Maior argum. probatur. Minor probatur primo.* Maior autem probatur: illa distinguuntur virtualiter in Deo, quæ à nobis distinguuntur ratione fundata in diuina eminentia; sed facilitas, & vis proxima intellectiua distinguuntur per rationem cum fundamento in eminentia diuina: ergo distinguuntur distinctione virtuali. Maior constat ex doctrina à nobis tradita. Minor ostenditur primo: possumus concipere Deum vt potentem intelligere, quin ipsum concipiamus, vt facilem ad intelligendum, & similiter potest intellectus noster facilitatem ad intelligendum in diuino intellectu concipere, non concipiendo expressè vim proximè intellectiuam, in hoc enim nulla repugnantia inuenitur, cum possit quis esse certus Deum esse ad intelligendum potentem, & dubitare an sit facilis: ergo potentia proxima, & facilitas ad intelligendum distinguuntur ratione ratiocinata penes implicitum, & explicitum, quam solam distinctionem nos inter intellectum, & intellectionem diuinam statuimus; aliàs huiusce modi distinctio fundatur in ipso Deo in se vnitè continente illa duo prædicata: ergo facilitas, & vis *proximè* intellectiua distinguuntur in intellectu diuino distinctione rationis ratiocinatæ.

186 *Secundo prob. minor.* Secundo probatur minor; quia namque Deus in se vnitè continet perfectiones iustitiæ, & misericordiæ, quæ in creaturis distinguuntur, præbet nobis fundamentum, vt in ipso per rationem distinguamus iustitiam, & misericordiam; sed etiam vnitè continet vim proximam, & facilitatem ad intelligendum, quæ in creaturis distinguuntur penes habitum, & potentiam: ergo præbet fundamentum vt in ipso distinguamus per rationem vim proximam, & facilitatem. *Tertio probatur minor,* Denique suaderi potest; vt enim *supra* vidimus ex D. Thoma, quia sapientia, & bonitas, non equiuocè, sed analogicè dicuntur de Deo, & creaturis, & in illis ratio sapientiæ non est ratio bonitatis, distinguuntur sapientia, & bonitas Dei ratione ratiocinata, ex qua doctrina deduximus distinctionem virtualem, & rationis ratiocinatæ intellectus ab intellectione, & speciei à natura, & intellectione diuina; sed vis *proximè* intellectiua, & facilitas ad intelligendum dicuntur de Deo, & creaturis, non equiuocè, sed secundum rationem analogam, & in illis ratio vis proximè intellectiuæ, non est ratio facilitatis; ergo distinguuntur ratione ratiocinata.

187 *Respond. Ad 1. probationem minoris.* Respondeo, negando maiorem. Ad illius probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad primam probationem, nego antecedens: nam eo ipso, quod concipiamus Deum potentem intelligere potentia, quæ sit diuina, debemus intelligere potentiam in linea potentiæ perfectam, & infinitam; aliàs conciperetur vt priuatiuè imperfecta, vtpotè, cui deesset perfectio ad illius lineam spectans; ac proinde concipi debet vt proportionata cum actu: nam proportio potentiæ cum actu pertinet ad lineam potentiæ, & vt facilis ad actum, quia etiam facilitas ad lineam potentiæ spectat, vnde potentia sine proportione, aut sine facilitate concepta, priuatiuè imperfecta concipitur, ad quod esse nequit fundamentum in eminentia diuina.

Et ex his ad secundam minoris probationem, distinguo secundam partem maioris: quæ in creaturis distinguuntur ex sola limitatione, nego maiorem: quæ in creaturis distinguuntur ex rationibus formalibus, concedo maiorem: & sub eadem distinctione secundæ partis minoris, nego consequentiam: nam licet distinctio realis iustitiæ à misericordia proueniat in creaturis ex imperfectione, & limitatione creata, distinctio autem essentialis iustitiæ à misericordia non prouenit ex imperfectione misericordiæ, aut iustitiæ, sed ex suis rationibus, & conceptibus formalibus; & ideò relicta distinctione reali, quam obtinent in creaturis misericordia, & iustitia ex capite imperfectionis, retinent in Deo distinctionem virtualem, & ratione nostra formalem; distinctio autem potentiæ à proportione cum actu, & à facilitate operatiua illius adæquatè prouenit ex imperfectione potentiæ, ac proinde vbi potentia est perfecta, & proportionem, & facilitatem habet, quod non solum est verum in Deo, sed etiam in potentijs creatis: vnde intellectus Angelicus, quia est perfecta potentia in ordine naturali, se ipso est proportionatus, & falicis ad naturalem intellectionem. 188 *Ad secundam.*

Ex his etiam ad vltimam probationem, concessa maiori, distinguo secundam partem minoris: ratio potentiæ imperfectæ, non est ratio facilitatis, concedo minorem: ratio potentiæ perfectæ in linea potentiæ, non est ratio facilitatis, nego minorem, & consequentiam: nam ratio sapientiæ, etiam perfectæ in propria linea sapientiæ, non est ratio bonitatis, & ideò potest concipi sapientia omninò in sua linea perfecta, non expressa ratione bonitatis; ex quo benè infertur sapientiam, & bonitatem in Deo retinere virtualem distinctionem, & per rationem formalem; potentia verò non esset in propria linea perfecta cum sola capacitate proxima agendi absque proportione, & facilitate: quo circa voluntas nostra est imperfecta potentia in ordine ad actus supernaturales, quia solum habet capacitatem remotè, aut improportionatè actiuam, & in ordine ad actus naturales, ad quorum elicientiam facilem indiget habitu, quia penes ordinem ad illos facilitatem non habet: licet ergo ratio potentiæ ex communi conceptu potentiæ abstrahentis à perfecta, & imperfecta non sit ratio facilitatis, ratio tamen potentiæ perfectæ, est formaliter ratio facilitatis, & quia potentia quævis diuina petit concipi, vt perfecta in propria linea potentiæ, petit concipi sub expressione, non solum actiuitatis, sed etiam facilitatis. 189 *Ad tertiũ.*

Sed dices, & sit tertium argumentum; esto sit imperfectio in potentia indigere facilitate iuuante realitèr à se distincta ad propriam operationem, indigere tamen facilitate iuuante virtualitèr solum distincta imperfectionem non dicit: ergo potest intellectus diuinus perfectus concipi in propria linea potentiæ absque expressione facilitatis ad actum intelligendi. Consequentia patet, eo namque ipso, quod absque vlla imperfectione possit virtualiter distingui facilitas à potentia, potest hæc perfecta concipi absque illius expressione. 190 *Replicabis, & arguitur tertio.*

Antecedens autem probatur primo: vt enim *supra* docuimus, & colligitur ex doctrina Diui Thomæ *quæst. 1. de potentia art. 1. ad 14. argum.* licet indigentia potentiæ realitèr à natura distinctæ sit imperfectio in natura, indigentia tamen potentiæ virtualitèr distinctæ, vt comprincipij iuuantis, & proximè virtualiter ad intellectionem concurrentis, imperfectionem in natura non dicit, sed de facto in Deo adstruitur: ergo pariter, quamuis indigentia facilitatis iuuantis realitèr à potentia distinctæ imperfectio maxima sit, indigentia tamen facilitatis iuuantis virtualitèr à potentia distinctæ, nulla erit imperfectio. 191 *Antecedens probatur 1.*

Secundo id ipsum probatur: licet namque indigentia speciei realitèr distinctæ ab intellectu, imperfectio maxima sit, indigentia tamen speciei virtualiter solum ab intellectu distinctæ pro elicientia virtuali intellectionis, imperfectionem non dicit, vt constat ex dictis: ergo pariter quamuis imperfectio sit in potentia intellectiua indigere ad elicientiam actus facilitate à se realiter distincta, 192 *secundo probatur.*

stincta, indigere facilitate iuuante, solum virtualiter, & ratione distincta nulla erit imperfectio.

193 *Respond.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: ratio autem discriminis est: nam proportio cum actu, & facilitas ad illum sunt perfectiones debitæ potentiæ proximæ intra lineam potentiæ: ac proinde potentia in linea potentiæ perfecta petit illas perfectiones virtualiter, & constitutiuè sibi identificatas: ex quo fit, vt sine illis vt non expressis, & vt non identificatis realiter, & virtualiter, imperfecta sit priuatiuè; ratio autem potentiæ proximæ, non est perfectio naturæ in linea naturæ, & ideo sine expressione formalitatis potentiæ, & cum distinctione virtuali ab illa saluatur natura in sua linea perfecta, & solum imperfecta negatiuè. Et ex his ad secundam probationem constat solutio: etenim ratio speciei non pertinet ad lineam potentiæ, atque adeo vt potentia, perfecta in propria linea concipiatur, non petit identitatem virtualem cum illa; cuius oppositum in facilitate ad actum, & proportione cum illo contingit, vt constat ex dictis.

Ad 1. probationem antecedentis.

Ad 2.

194 *Instabis primo.* Sed instabis adhuc primo: ideo ratio potentiæ non pertinet ad lineam naturæ, quia principium radicale, & proximum in linea principij operatiui essentialiter distinguuntur; sed etiam potentia, & habitus præstans facilitatem distinguuntur essentialiter in linea principij: ergo facilitas, vel proportio non pertinet ad lineam potentiæ. *Secundo.* Secundo: ratio speciei pertinet ad lineam obiecti; & tamen perfectio obiecti saluatur sola identitate reali cum ratione speciei stante diuersitate virtuali inter speciem, & obiectum, vt docuimus *in secunda parte disp.* ergo quamuis facilitas ad operationem spectet ad lineam potentiæ, saluabitur perfectio in potentia, cum distinctione virtuali à facilitate, per solam identitatem realem cum illa.

195 *Ad 1. instantiam respond.* Respondeo ad primam replicam, concessis maiori, & minori, negando consequentiam: licet namque habitus, & potentia essentialiter distinguantur, vis tamen proximè actiua, & proportio cum actu, & facilitas ad illum non differunt essentialiter: nam licet reperiatur vis actiua proximè quandoque sine proportione, vt plures in potentijs naturalibus in ordine ad actus supernaturales admittunt, & quandoque sine facilitate, vt omnes in potentijs imperfectis fatentur; vis tamen actiua in ratione vis actiuæ perfecta, & proportionem, & facilitatem importat, ac proinde sine illis constitutiuè importatis, & identificatis virtualiter, imperfecta concipietur potentia in ratione potentiæ.

196 *Ad secundam.* Ad secundam, nego maiorem, sicut namque in linea principij operatiui inueniuntur radicale, & proximum, & licet proximum ex parte radicalis se teneat, non tamen pertinet ad lineam specificam illius: ita in linea principij obiectiuè concurrentis, & inueniuntur obiectum concurrens radicaliter ad intellectionem, & virtus proxima ad illam, in qua consistit ratio speciei: vnde quamuis hæc ex parte obiecti se teneat, vt virtus proxima illius, non tamen ad illius lineam spectat.

197 *Corollarium 1.* Ex dictis in discursu disputationis colligo primo, ex his, quæ ad intellectionem creatam ex parte actus primi concurrunt, omnia reperiri in Deo præter rationem, & formalitatem habitus. Patet: nam in ordine ad intellectionem creatam ex parte actus primi concurrunt principium radicale, & proximum, species, obiectum, & habitus; sed in Deo dantur principium proximum, & radicale, & insuper obiectum, & species, & solum negatur habitus: ergo præter rationem habitus, omnia alia, quæ ad intellectionem creatam in actu primo concurrunt, reperiuntur in Deo.

Probatur.

198 *Secundũ.* Colligo secundo ex dictis: illos qui potentiam intellectiuam sola ratione ratiocinante ab intellectione distinguunt, teneri eadem ratione, qua potentiam intellectiuam fatentur, & habitum intellectualem adstruere. Quod probo: nam isti Auctores solum concedunt in Deo potentiam intellectiuam, quia actualitas diuina concipitur à nobis ad instar potentiæ, & actionis, idest, per speciem actionis, & per speciem potentiæ intellectiuæ; sed etiam potest actualitas diuina concipi per speciem habitus: ergo eadem proprietate, & ratione, qua præfati Auctores concedunt potentiam intellectiuam, & actionem intelligendi in Deo, tenentur etiam habitus rationem admittere.

Probatur.

199 *Cõfirmatur.* Quod amplius confirmo: nam quod de Deo dicitur secundum modum significandi tantum, impropriè de ipso enuntiatur, vt expressè docet D. Thomas *in 1. dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad 5.* illis verbis: *Vnde vbi est intellectus in actu tantum, nihil horum propriè dicitur, sed secundum modum intelligendi tantum*; vbi vt clare constat pro eodem sumitur à D. Th. dici aliquid de Deo secundum modum significandi tantum, ac non dici propriè de ipso; sed nullum est inconueniens quod ratio habitus impropriè dicatur de Deo: ergo nec inconueniens debet censeri, quod habitus dicatur de ipso secundum modum significandi tantum; consequenter si solum hoc modo dicuntur de Deo actio intelligendi, & potentia intellectiua, vt docent plures discipuli D. Thomæ, in eodem sensu, & eadem ratione, qua potentia, & actio intelligendi dicuntur de Deo, etiam habitus de ipso enuntiatur.

200 *Potentiam intellectiuam obiectiuè Deo conuenire, probatur 1.* Et ex his robur accipit nostra sententia, quod scilicet potentia intellectiua obiectiuè Deo conueniat, & non tantum ex modo significandi, primo; nam Diuus Thomas concedit potentiam, negat autem habitum in Deo; sed habitum ex modo significandi tantum non negat: ergo concedit potentiam, quæ talis sit obiectiuè, & ex parte rei significatæ. *Secundo.* Secundo: nam concedit intellectum cum proprietate in Deo: ergo admittit potentiam intellectiuam propriè; sed potentia, quæ talis est secundum modum significandi tantum, potentia propriè non est: ergo statuit potentiam intellectiuam in Deo ex parte rei significatæ.

201 *Tertium corollarium.* Denique infero, dari in Deo in linea absoluta rationem speciei expressæ, non propriè, idest, adæquatè, sed communiter, idest inadæquate. Quod patet: nam species expressa idem est quod Verbum intellectuale; sed datur in linea absoluta in Deo Verbum non propriè, sed communiter acceptum, idest, non adæquatè, sed inadæquatè sumptum: ergo reperitur in Deo species expressa in huiusmodi acceptione. Maior constat ex communi consensu. Minorem docebimus *Tractatu de Trinitate infra quæst. 34. art. 1.* Et breuiter suadetur primo ex D. Thoma *in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 2.* Et *quæst. 4. de veritate art. 2. in corp. ad finem*, illis verbis: *Vnde si Verbum propriè accipiatur in diuinis, non dicitur nisi personaliter; si autem accipiatur communitèr, poterit etiam dici essentialiter*: ergo iuxta D. Thomam Verbum communiter sumptum, idest, secundum inadæquatam Verbi rationem, Deo conuenit in linea absoluta.

Minor probatur primo.

202 *Secundo.* Secundo probatur: nam in Verbo sumpto adæquatè duo importantur, nempè, ratio intellecti in vltima actualitate, vel ratio ræpresentationis actualissimæ obiecti, & insuper ratio expressi, realiterque producti à dicente; sed in Deo pro priori ad relationes inuenitur ratio intellecti in vltima actualitate, & ræpresentationis actualissimæ diuinæ essentiæ, attributorum, & creaturarum, secus autem relatio realis expressi, & producti realiter à dicente: ergo inuenitur ratio Verbi inadæquatè, & communiter, non autem propriè, & adæquate.

203 *Confirmatur.* Confirmatur: sicut namque species impressa se tenet ex parte obiecti, vt quo obiectum ad intellectionem concurrit ex parte principij, ita species expressa, seu Verbum inadæquate sumptum se tenet ex parte obiecti, vt terminantis intellectionem; sed quia diuina essentia se ipsam repræsentat intellectui, & ex parte principij ad intellectionem concurrit, adstruimus speciem impressam in Deo: ergo quia se ipsam repræsentat vt intellectionem essentialem actualissime terminans, debemus in Deo adstruere rationem speciei expressæ, aut Verbi, saltim secundum inadæquatam Verbi rationem.

204 *Differentia inter speciem impressam, & expressam comparatiuè ad Deum.* Si autem rationem inquiras, cur ratio speciei impressæ absolutè, & adæquatè Deo in linea absoluta attribuatur, secus autem ratio speciei expressæ, & Verbi. Respondeo, rationem esse, quia nominibus vtendum est, vt plures vtuntur, & maximè SS. Patres, & quia omnes sancti communiter vtuntur nomine Verbi prout personalitèr dicitur, & vt significat realem relationem, realiter expressi, & producti, & vt sic non conuenit Deo essentialiter, ideò absolutè non est dicendum Verbum, aut species expressa in diuinis essentialiter. Ita D. Thom. *quæst. 4. de veritate art. 2. ad finem corp.* Et *in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 2. in corpore*, species autem impressa communi vsu sumitur pro eo quod est intellectui ratio intelligendi ex parte principij, siuè realem relationem, siuè rationis tantum ad intellectionem, & rem intellectam importat, & quia totum hoc reperitur in Deo, consequens fit, vt species impressa absolutè, & essentialiter dicatur: Qua ratione discriminis vsus est Diuus Thomas loco nuper *ex disputatis* relato *solut. ad 1. argumentum*, vt absolutè concedat in Deo amorem in linea essen-

essentiali, non autem Verbum, quia nempè Verbum in communi vsu Sanctorum realem processionem importat, amor autem solum denotat processum secundum rationem.

305 *M. Sent.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 1. dist. 35. §. 1.* ad illa verba: *Dicitur enim tantum scientia, sed etiam præscientia, vel prouidentia, dispositio, prædestinatio, & potentia*. Et *dist. 7. §.* illis verbis: *An Pater potuerit generare Filium?* disputando, an potentia generatiua vera potentia sit respectu generationis actiuæ. Et *dist. 42. §. 1.* ad illa verba: *Nunc omnipotentia Dei*; similiter disputando, an diuina omnipotentia rationem potentiæ sortiatur, non solum respectum creaturarum, quas efficienter producit, sed etiam respectu operationis actiuæ? Ac deinque *dist. 45.* similem quæstionem mouendo de voluntate.

DISPVTATIO XXV.

Quod sit obiectum primarium intellectus diuini.

§. I.

Deum cognoscere se ipsum, probatur.

Nu. 1. *Deum cognoscere se ipsum, probatur ex Scriptura.* PRIMO certum est Deum cognoscere se ipsum, de quo D. Thomas *quæst. 2. de scientia Dei art. 2. 1. Contra Gentes cap. 47. & 48. in 1. sententiarum dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad Annibaldum in eadem dist. quæst. vnic. art. 3. & in hac quæst. art. 2.* constatque primo ex Paulo *1. ad Chorintios 2.* illis verbis: *Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi Spiritus Dei*. *1. ad Chorint. 2.* Et ex illo ad Hebræos 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius*; si enim omnia illius intellectui sunt nuda, & aperta, *Ad Hebræos 4.* Deus ipse absconditus sibi non est; quod adeò consonat naturali rationi, vt Phylosophus *lib. 12. metaphysica cap. 9.* de Deo loquens, sic inferat: *Aristot.* *Se ipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est*: non valens coniungere cum suprema Dei perfectione carentiam cognitionis sui.

2 *Oppones.* Nec obstat idem Phylosophus lib. 2. magnorum moralium cap. 15. vbi, de Deo loquens, ait: *Quid igitur inspiciet: nam si quidnam aliud inspiciet, id erit melius, hoc vero absurdum est, vt se quidnam melius habeat, Deus se igitur inspiciet; at hoc absurdum est: nam hominem, qui sess. suspexerit, insanum iudicamus*. Quibus verbis sentire videtur Deum se ipsum non cognoscere. *Respond.* Cæterum dicendum est Phylosophum verba illa non ex propria mente, sed vt ab alijs dicta asseruisse: nam ante verba relata, sic habet: *Est quidam sermo iactatus de Deo*; & statim prosequitur verba in contrarium obiecta, ipse tamen tunc non resoluit, quia sermo ille erat de homine, an amicis indigeat, & ideò sermonem illum ab alijs iactatum, sine resolutione reliquit.

3 *Probatur ratione 1.* Et breuiter ostenditur primo: Deo namque conuenit omnis perfectio non inuoluens imperfectionem in sui ratione formali; sed cognitio Dei huius est conditionis: ergo Deo conuenit cognitio sui. *Secundo.* Secundo: Deus namque est naturæ cognoscitiuæ, vt probatum relinquimus, & in hac linea infinitè perfectus; & consequenter potens cognoscere omne obiectum cognoscibile; sed Deus maximè cognoscibilis est, vtpote summè immaterialis: ergo est potens se cognoscere. *Tertio* Tertio: nam summa felicitas in Dei cognitione consistit; Deus autem summè felix est, & beatus: ergo se ipsum cognoscit. *Quarto.* Quarto: nam omne cognoscitiuum, maximè cognoscit obiectum sibi magis proportionatum: sed inter omnia obiecta cognoscibilia maximè proportionatur Deus ipse cum proprio intellectu: ergo maximè cognoscit se ipsum.

4 *Vltimo probatur ratione D. Thom.* Denique probatur ratione Diui Thomæ *in præsenti art. 2.* intellectus omnibus modis idem cum obiecto intelligibili, necessario illud intelligit: sed diuinus intellectus est idem omnibus modis cum Deo: ergo Deum necessario intelligit. Maior constat: ex namque aliquid intelligitur, quod intellectus informatur actu specie obiecti intelligibilis, per quam fit quoddammodo res intellecta: ergo intellectus omnibus modis idem cum obiecto intelligibili, necessario illud intelligit. Minor autem probatur: quod namque intellectus non sit idem cum obiecto intelligibili, vel prouenit ex carentia speciei, vel quia species obiecti non est idem cum intellectu: sed intellectus diuinus specie repræsentante Deum carere non potest, & species ista identificatur cum illo: ergo est idem omnibus modis cum obiecto intelligibili. Probatur minor: carentia speciei intelligibilis, & negatio identitatis cum illa proueniunt ex potentialitate intellectus; sed intellectus diuinus est actus purus, & consequenter carens omni potentialitate: ergo nec potest specie intelligibili carere, nec non esse identificatus cum illa.

Si opponas: intellectus Angeli non caret specie intelligibili sui, & consequenter in potentia non est, & species, qua se intelligit est idem cum substantia illius, vt docetur *infra quæst. 56. art. 1.* & tamen non est omnino idem intellectus Angeli cum obiecto intellecto: ergo ex eo quod intellectus diuinus in potentia ad speciem intelligibilem non sit, & quod species, qua se intelligit identificetur cum Deo, non sequitur omnimoda identitas cum obiecto intellecto. 6 *Oppones.*

Respondet Caietanus primo: non carentia speciei, & identitate illius cum substantia intelligentis, non probari à D. Thoma omnimodam identitatem cum obiecto intellecto absolutè, sed solum quoad hoc, cum enim ad intellectionem concurrant intellectus, & species impressa ex parte principij, & obiectum sub specie expressa ex parte termini, nunquam esse in potentia ad speciem intelligibilem, & identitas illius cum substantia intelligentis, non probat identitatem cum obiecto intellecto quoad omnia, sed tantum quoad aliqua, nempè, quoad illa, quæ ex parte actus primi se tenent. *Respondet Caietanus primo.* Quod videtur ad intentum D. Thomæ sufficere, quod erat Deum se ipsum per se ipsum intelligere: nam probato Deum esse per se ipsum constitutum in actu primo proximo ad intelligendum se ipsum, rectè infertur, quod se intelligat; tum, quia in necessarijs idem est esse, & posse. Tum etiam, quia probata expeditione actus primi ad intelligendum, nihil est, quod obstet actuali intellectioni.

Obstat tamen contra istam expositionem, quod si exemplum Angeli cogit nos, vt negemus, D. Thomam concludere omnimodam identitatem intellectus diuini cum obiecto intellecto absolutè, probat etiam non concludere identitatem quoad hæc, nempè quoad illa, quæ se tenent ex parte actus primi; sed hoc non probat, vt fatetur Caietanus: ergo nec illud conuincit. 7 *Contra illius solutionem fatis.* Probo maiorem: intellectus Angeli non est idem cum propria substantia, quæ in ordine ad cognitionem sui sortitur munus speciei: ergo non est idem perfectè cum specie, qua Angelus se cognoscit: & consequenter non est idem cum obiecto intellecto quoad illa, quæ ex parte actus primi ad intellectionem concurrunt: ac proinde si exemplum Angeli probat, Diuum Thomam non concludere identitatem intellectus diuini cum obiecto intellecto quoad omnia, probat etiam non concludere identitatem quoad illa, quæ ex parte actus primi ad intellectionem concurrunt.

Secundo respondet Caietanus, nomine speciei non accipi à Diuo Thoma speciem impressam tantum, quæ ex parte actus primi se tenet, sed etiam expressam se tenen- 8 *Secundo respondet.*

tenentem ex parte termini, sic autem vniuersaliter verum est: vbi enim intellectus est idem cum specie impressa, & expressa est idem omnibus modis cum obiecto intellecto. Cui doctrinæ non officit instantia in Angelo adducta: nam licet substantia Angeli sit idem cum specie impressa, qua Angelus se cognoscit, non tamen cum specie expressa, seu Verbo, vt enim docet D. Thom. 4. *Contra Gentes cap.* 11. *proximè ad initium: Licet Angelus se per se ipsum cognoscat, nondum tamen ad vltimam perfectionem vitæ ipsum pertingit, quia licet intentio intellecta sit eis omnino intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia, quia non est idem in eis intelligere, & esse.*

9 *Tertio respondetur.* Tertio responderi potest, concessis maiori & minori, negando consequentiam: nam D. Thomas non infert omnimodam identitatem intellectus diuini cum obiecto intellecto ex eo quod non sit in potentia ad speciem, & hæc sit eadem cum substantia Dei intelligentis, sed quia est eadem cum substantia intellectus, in Angelo autem vt intelligente se ipsum, licet species, qua se cognoscit sit idem cum substantia intellecta non est idem cum intellectu Angeli intelligentis, & ideò intellectus Angeli intelligentis se ipsum, non est omnino idem cum obiecto intellecto.

Sed dices, ex identitate intellectus cum specie impressa non probatur omnimoda identitas cum obiecto intellecto: ergo vt Diuus Thomas omnimodam identitatem

10 *Respondebis* intellectus diuini cum Deo vt intellecto concludat, sumit pro medio identitatem intellectus, non solum cum specie impressa, sed etiam cum specie expressa, vt contendit Caietanus. Probatur antecedens primo: nam obiectum, vt actu intellectum petit speciem impres-

Antecedens probatur primo. sam, & expressam, illam vt cognitionis principium, & istam vt terminum, & medium in quo intellectionis: ergo ex identitate cum specie impressa non probatur omnimoda identitas cum obiecto vt actu intellecto.

Secundo: nam species impressa non dat obiecto actu intelligi, sed tantum esse proximè intelligibile: ergo

11 ex identitate intellectus cum illa non probatur identitas

Secundo omnimoda cum obiecto intellecto. Tertio: nam de facto substantia Angeli identificatur cum specie impressa, qua Angelus se cognoscit; & tamen non est idem cum se ipsa vt intellecta, cum non sit idem specie, per quam

Tertio. intellecta constituitur: ergo ex identitate intellectus cum specie impressa non colligitur omnimoda identitas cum obiecto intellecto.

Respondeo primo, distinguendo antecedens: non sequitur omnimoda identitas cum obiecto intellecto, vt actu intellecto, concedo antecedens: cum obiecto intellecto vt proximè intelligibili, nego antecedens, &

12 *Respondetur 1.* consequentiam; vt enim D. Thom. probaret Deum se ipsum intelligere, sufficiebat probare omnimodam identitatem intellectus diuini cum obiecto vt proximè intelligibili, hæc autem, ex identitate intellectus cum specie impressa deducitur, & consequenter ex huiusmodi identitate intentum D. Thomæ concluditur. Nec in hoc à prima expositione Caietani recessimus, sed in exemplo Angeli, quo ad illam conuincebatur, eo quod si patitas ex Angelo sumpta aliquid conuincebat, non solum erat negatio identitatis intellectus diuini cum Deo vt intellecto absolutè, & quoad omnia, sed etiam quoad illa, quæ ex parte actus primi ad intellectionem concurrunt.

Secundo respondeo, negando antecedens: nam eo ipso quod intellectus diuinus identificetur cum specie, qua Deus se intelligit: cum hæc sit ipsa essentia, & substantia diuina, identificatur cum illa; essentia autem di-

13 *Respondetur 2.* uina est se ipsa non solum species impressa ex parte principij se tenens, sed etiam expressa se tenens ex parte termini; vnde de primo ad vltimum per consequentia euidentes infertur identitas intellectus diuini cum specie expressa terminante Dei cognitionem; ac proinde omnimoda identitas cum Deo vt obiecto intellecto.

Et ex his ad primam antecedentis probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: ex identitate cum specie impressa obiecti non identificantis sibi ex-

14 *Ad 1. antecedentis probationem.* pressam, concedo consequentiam: ex identitate cum specie impressa obiecti identificantis sibi impressam, & expressam speciem, nego consequentiam: & quia talis est species repræsentans intellectui diuino propriam essentiam, fit consequens, vt ex identitate intellectus diuini cum specie impressa, qua Deus se cognoscit rectè inferatur omnimoda identitas cum Deo, vt obiecto actu intellecto.

Ex quibus ad secundam, & tertiam antecedentis probationem constat solutio: nam substantia Angeli identificatur quidem cum specie impressa, qua Angelus cognoscit se ipsum, cæterum species impressa, qua se Angelus cognoscit, distinguitur realiter ab expressa, vt constat ex D. Thoma 4. *Contra Gentes cap.* 11. & ideo ex eo quod substantia Angeli sit idem cum specie impressa, non sequitur sibi identificari absolutè, vt obiecto actu intellecto. *Ad 2. & tertiam.*

§. II.

Deum se ipsum comprehendere, & alia à se propria cognitione cognoscere.

SECVNDO apud omnes est certum, Deum se ipsum comprehendere. Quod docuit D. Thomas locis *vbi supra relatis*, & *in hac quæst. art.* 3. & probatur: nam comprehensio tripliciter sumitur: primo pro cognitione obiecti: in quo sensu dixit Augustinus *lib.* 83. *quæstionum quæst.* 14. *Omne, quod intelligit se, comprehendit se*, nimirum, comprehensione non strictè, sed largè accepta. Secundo pro cognitione, quam nihil obiecti latet, quæ dicitur comprehensio extensiua, in quo sensu Augustinus *Epist.* 112. *cap.* 8. docuit, tunc aliquid comprehendi, quando nihil eius latet videntem. Tertio sumitur pro cognitione adæquante extensiuè, & intensiuè cognoscibilitatem obiecti, in quo sensu diffinitur communiter, quod sit cognitio obiecti quantum cognoscibile est, idest, ea perfectione, qua de se petit cognosci; sed Deus se cognoscit; vt constat ex dictis, & nihil sui latet propriam cognitionem, alias aliquid ad se pertinens ignoraret, quod absurdissimum est, & illius cognitio tantæ perfectionis est, quantam petit illius cognoscibilitas: ergo se comprehendit in omni sensu, in quo accipitur comprehensio. 15 *Deus se ipsum comprehendit perfectè. Probatur.*

Minor quoad duas priores partes probata relinquitur. Quoad tertiam probatur primo: nam cognoscibilitas Dei solum exigere potest cognitionem infinitam per essentiam; talis est cognitio diuina: ergo est tantæ perfectionis, quantam petit illius cognoscibilitas. Secundo: nam quantitas cognoscibilitatis diuinæ sumitur ex Dei actualitate; sed ad eandem consequitur quantitas diuinæ cognitionis; aut penes illam pensatur: ergo cognitio diuina tanta est, quanta Dei cognoscibilitas. 16 *Minor pro tertia parte probatur 1. Secundo.*

Si opponas primo, Deus in Sacra Scriptura dicitur incomprehensibilis, Hieremiæ 32. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*; sed hoc accipiendum est respectu omnis intellectus: ergo nec à se ipso potest Deus comprehendi. Probatur minor primo: nam dicitur incomprehensibilis absolutè; sed quod ab vno intellectu comprehensibile est, etsi ab alijs comprehendi non possit, non est cur dicatur absolutè incomprehensibile: ergo cum Deus incomprehensibilis dicitur, accipiendum est respectu omnis intellectus. Secundo: ideò namque quamuis Deus dicatur in Scriptura inuisibilis ab intellectu creato, explicatur de inuisibilitate per vires naturæ, quia ex alijs testimonijs Scripturæ constat Deum à nobis videri posse vt est illud Ioannis: *Videbimus eum sicuti est*; sed nullibi in Scriptura asseritur Deum posse à se ipso comprehendi: ergo absque fundamento cum incomprehensibilis dicitur, à nobis limitatur respectu intellectus creati. Tertio probatur: nam attributa competunt Deo respectu omnis intellectus, & maximè per respectum ad proprium, quem nulla Dei perfectio potest latere; sed incomprehensibilitas est attributum Dei: ergo illi conuenit respectu proprij intellectus; & consequenter à se ipso comprehendi non potest. 17 *Oppones primo. Minor probatur primò. Secundo. Tertio.*

Respondeo, negando minorem. Ad primam probationem, concessa maiori, nego minorem; ratio autem cur Deus absolutè incomprehensibilis dicitur, quamuis à se ipso comprehendi possit, est, quia incomprehensibilis dicitur ad declarandam illius eleuationem, & excessum ad creaturam, & quia ad hanc conducit, quod comprehendi non possit ab intellectu creato; secus autem quod nequeat comprehendi à se ipso; fit consequens, vt absolutè in Scriptura Sacra dicatur incomprehensibilis, quamuis possit à se ipso comprehendi. 18 *Respondetur. Ad 1. probationem minoris.*

Ad secundam probationem, prætermissa causali maioris, nego minorem: nam 1. Corinthiorum 2. dicitur: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, ex quo loco PP. colligunt diuinitatem Spiritus Sancti, verbum *scrutari* sumentes pro comprehendere. Ita Basilius 19 *Ad 2. resp. 1.*

quo

lib. 5 contra Eunomium, & Diuus Thomas *in prædicta verba Pauli*.

Vel secundo responderi potest, prætermissa maiori, & minori, negando consequentiam: nam licet nullibi in Scriptura exprimatur, Deum se ipsum comprehendere, quia tamen de fide habemus Deum esse in omni linea infinitum per essentiam; & consequenter in linea intellectualitatis actiuæ, ex quo adiuncta descriptione comprehensionis, euidenti illatione colligitur Deo respectu sui conuenire; fit consequens, vt cogamur, cum incomprehensibilis dicitur, id accipere per comparationem ad intellectum creatum.

Resp. 2. Vel denique potest responderi, negando minorem, quod enim Deus comprehendat se ipsum, colligitur ex omnibus testimonijs Sacræ Scripturæ, in quibus dicitur, Deum cognoscere se; cum enim necessario sint accipienda de cognitione infinita per essentiam, & hanc ad Dei comprehensionem sufficere euidenter probetur, sufficienter ex illis testimonijs colligitur, Deum se ipsum comprehendere.

20 *Resp. 3.* Ad tertiam probationem minoris, distinguo maiorem: exercitè, nego maiorem: signatè, concedo maiorem: & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris; solum enim sequitur, Deum cognoscere se, esse à creatura incomprehensibilem, quod est esse incomprehensibilem signatè respectu diuini intellectus, non autem quod à se ipso non comprehendatur, quod necessarium erat, vt respectu sui intellectus esset exercitè incomprehensibilis. Et quidem Deum esse inuisibilem à creatura attributum Dei est; & consequenter à beato Deum vt in se intuente videtur: videt ergo beatus Deum esse à creatura viribus naturæ inuisibilem, ex quo tantum sequitur, Deum esse inuisibilem beato signatè, non autem esse exercitè inuisibilem beato. imo videndo Deum esse inuisibilem exercetur visibilitas: ac proinde est exercitè visibilis respectu beati, & signatè est inuisibilis.

21 *Opponés secundo.* Si opponas secundo, iuxta Augustinum *lib. 83. quæstionum quæst. 14.* quod se comprehendit, finitum est sibi; sed Deus nequit esse finitus sibi: ergo à se comprehendi non potest. Minor probatur: verius est vnum quodque secundum esse, quod habet apud Deum, quam secundum esse, quod habet apud nos: sed si Deus est sibi finitus, esset finitus apud Deum: ergo verius esset esse finitum, quam esse infinitum. *Confirmatur 1.* Confirmatur primo; vt enim docet Diuus Thomas *in præsenti art. 3. in corpore*, tunc aliquid dicitur comprehendi, quando peruenitur ad finem cognitionis ipsius; sed Deus nequit peruenire ad finem cognitionis sui: cognitio enim diuina cum infinita sit, caret fine: ergo nequit se comprehendere.

22 *Confirmatur 2.* Confirmatur secundo: vt enim docet Augustinus loco vbi proximè, *intellectus noster, quia se intelligit finitus est sibi, nec infinitus esse vult, quamuis possit, quia notus sibi esse vult, amat enim se*: ergo quod vult se nosse, infinitum esse non vult; sed Deus vult se esse infinitum: cum sit infinitus, & non possit non velle quod est, amat enim se, & omnes perfectiones suas necessario amore: ergo non vult à se ipso cognosci; & consequenter non comprehendit se ipsum. *Confirmatur 3.* Confirmatur tertio: vt enim *sexto Physicor.* dicitur, infinitum pertransiri non potest, nec à finito, nec ab infinito; sed Deus infinitus est: ergo non potest in esse cognoscibili pertransiri, etiam à proprio intellectu quantumuis infinitus sit.

24 *Resp. 1.* Respondeo primo explicando maiorem, & doctrinam Augustini: cum cognoscens est finitum, concedo maiorem: cum est infinitum, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: Deus namque infinitus est in essendo, & cognoscendo; & ideo ex eo quod se comprehendat, non sequitur esse sibi finitum. Ita Diuus Thomas *quæstione secunda de Veritate articulo secundo ad sextum*.

Resp. 2. Secundo explico, & distinguo maiorem: finitum est sibi ex parte obiecti cogniti, nego maiorem, ex parte modi cognoscendi, subdistinguo maiorem: finitudine dicente perfectum modum cognitionis, quod est idem ac esse perfectè cognitum à se, concedo maiorem: dicente limitationem efficaciæ cognitionis, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: Deus namque à se ipso comprehensiuè, finitus est sibi, non quia ex parte obiecti vt finitus cognoscatur, nec quia cognoscatur efficacia finita, sed quia perfectè cognoscitur. Ita Thomas *vbi nuper solutione ad nonum*.

25 *Resp. 3.* Vel tertio explico maiorem: quod se comprehendit finitum est sibi positiuè, & propriè, nego maiorem: negatiuè, & similitudinariè, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; cum enim docet Augustinus, quod se comprehendit finitum esse sibi, si doctrina non limitetur ad comprehendentes creatum, sed extendatur ad omne cognoscitiuum, non est accipiendum de finitudine positiua, sed negatiua, ita vt idem sit, quod nihil cognoscentem latere: quæ non latentia finitudo dicitur, non propriè, sed similitudinariè, ex quo tantum sequitur, Deum vt à se comprehensum, esse sibi finitum, non positiuè, & propriè, sed negatiuè, & similitudinarie, id est taliter à se cognosci, quod nihil sui lateat proprium intellectum, in quo sic se habet respectu proprij intellectus, sicut obiectum finitum respectu intellectus finiti. Ita Diuus Thomas *vbi nuper solutione ad 7.*

Ex hisque ad primam confirmationem, explico maiorem primo: ad finem cognitionis positiuè, nego maiorem: negatiuè concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Vel aliter explico maiorem: ad finem ex parte obiecti, nego maiorem: ex parte modi cognoscendi, sub distinguo maiorem: fine cognitionis dicente perfectionem illius, concedo maiorem: dicente limitationem in efficacia, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quæ doctrina constat ex dictis, & ex eisdem constat solutio secundæ confirmationis; vel enim accipiendus est Augustinus limitate ad intelligens creatum, vel explicandus de finitudine aliquo ex prædictis modis. 26 *Ad 1. confirmationem* *Ad secundam.*

Ad tertiam, concessis maiori, & minori, concedo etiam consequentiam: quod nempè, Deus à se ipso pertransiri non potest, ex hoc tamen non sequitur se ipsum non comprehendere: nam infinitum pertransiri non posse, est quod in illo primum, & vltimum inueniri non potest, quod verissimum est, siuè infinitum sit quantitate continua, siuè discreta, siuè perfectione: cum quo tamen stat, Deum taliter à se cognosci, quod nihil sui lateat proprium intellectum, & quod tanta sit eius vis cognoscitiua quanta eius cognoscibilitas, quod est à se comprehendi. 27 *Ad tertiã*

Tertio præmittendum est, Deum non solum se ipsum, sed etiam alia à se cognoscere, non confusa, sed propria cognitione, non in communi solum, sed etiam secundum proprias, & particulares rationes. Diuus Thomas locis *vbi supra* allegatis, & *in hac quæstione articulo quinto, & sexto*, quem sequuntur omnes Theologi, excepto Aureolo apud Capreolum *in primo distinctione 35. quæstione prima*, qui docuit, non cognoscere creaturas, quatenus à se distinctas. Cui opinioni fauet Aberroes a Diuo Thoma sine nomine *articulo sexto relatus*, qui 12. *Metaphysicæ commentario quinto* asseruit, Deum non cognoscere creaturas secundum peculiares rationes, sed tantum ea ratione, qua communicant in esse, & licet infra sit fusius examinandum, modo tamen breuiter est supponendum, Deum cognoscere creaturas, quatenus à Deo distinctas, & etiam prout distinctas inter se. Primum probat Diuus Thomas *articulo quinto*, hac ratione: nam Deus se ipsum perfectè cognoscit; & consequenter cognoscit virtutem suam, qua creaturas in se continet; sed non potest virtus causæ perfectè cognosci, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus causæ se extendit: ergo Deus se ipsum, & virtutem suam perfectè cognoscens, cognoscit etiam creaturas, ad quas virtus eius extenditur. 28 *Deus cognoscit alia à se cognitione non confusa, sed propria, non in communi, sed etiam secundum particulares rationes.* *Primum probat D. Thom.*

Secundum probat *art. 6.* primo: nam Deo imperfecta cognitio repugnat; sed cognitio creaturarum solum sub ratione communi, est cognitio imperfecta, vtpotè potentialis, & confusa: ergo repugnat Deo cognoscere creaturas solum sub ratione communi. Secundo probatur: nam Deus cognoscit creaturas in se ipso, vt causa illas in se continente; sed non solum continet id in quo creaturæ conueniunt, sed etiam illa, quibus inter se distinguuntur: ergo cognoscit creatura, non solum sub ea ratione, qua distinguuntur à Deo, & conueniunt inter se, sed etiam sub proprijs rationibus, quibus inter se distinguuntur. 29 *Prob. 2. ex eodem D. Thom. primo.* *Secundo prob.* 30

Ex quibus apertè sequitur creaturas, vt distinctas à Deo, & etiam prout inter se distinguuntur, contineri sub obiecto extensiuo intellectus diuini, & tale obiectum esse ens in communi abstrahens à creato, & increato. Primum patet: nam obiectum extensiuum alicuius potentiæ est omne id, ad quod potest potentia terminari, & extendi: sed intellectus diuinus se extendit ad cognoscendas creaturas: ergo pertinent ad obiectum extensiuum intellectus diuini, & continentur sub illo. *Creaturæ vt distinctæ à Deo & inter se continentur sub obiecto extensiuo intellectus diuini.*

Secun-

Secundum eadem ratione probatur : nam obiectum extensiuum est illud , quod sub se ambit , & continet omnia , ad quæ potentia extenditur , siuè primario , & ratione sui , siuè ratione alterius , & secundario ; sed ens abstrahens à creato, & increato huius conditionis est : ergo est obiectum extensiuum intellectus diuini . Difficultas ergo nostra non de obiecto extensionis , sed de obiecto primario intellectus diuini procedit , an scilicet sit ens in hac communi ratione, vel solum ens increatum , & diuinum, & sub quo conceptu , & ratione .

§. III.

Referuntur sententiæ, & prima reijcitur.

31 *Prima sententia circa obiectum primarium.* PRIMA sententia docet , obiectum primarium intellectus diuini esse ens commune per prædicationem Deo , & creaturis . Pro hac referuntur Molina , & Radda *vbi infra* , sed falsò : nam loquuntur de obiecto extensiuo , non primario , & specificatiuo . Referuntur etiam Occamus *in 1. dist. 35. quæst. 3.* & Gabriel *in eadem dist. art. 2.* Illa tenet Durandus *in 1. dist. 35. quæst. 1. num. 9.* cui adhæsit Albiz *tract. 1. de Scientia Dei disp. 5. sect. 9* vbi docet , Deum quidem esse principale obiectum diuini intellectus , non autem adæquatum , primarium , & immediatum , sed creaturas etiam directè , & immediatè à diuino intellectu cognosci . Ex quo sequitur obiectum primarium intellectus diuini non esse verum increatum , sed vel abstrahens à creato , & increato , vel ex vtroque coalescens .

Occam. Gabriel. Durand. Albiz.

32 *Secunda.* Secunda sententia tenet , obiectum primarium , & specificatiuum intellectus diuini non esse ens in communi abstrahens a creato, & increato , sed ens increatum . Ita communiter Theologi, Capreolus *in 1. dist. 35. quæst. 2. art. 1.* Paludanus, & Hispalensis *ibidem*, Ferrara *1. Contra Gentes cap. 48.* Caietanus *in præsenti art. 5. & 6.* Bañez *dub. vnic concl. 2.* Zumel *art. 5. disp. vnic. conclus. 2.* Nazarius *controuers. 7.* Albelda *disp. 35.* Marcus de la Serra *art. 6. dub. vnic. ad finem* . Cornejo *art. 3. disp. vnic. dub. 1. & 3. & art. 5. & 6. disp. 2. dub. 1. & 2.* PP. Salmanticenses *de Scientia Dei disp. 3. dub. 1. & 2.* Illustrissimus Aranjo *art. 6. dub. 1.* Mag. Sancto Thoma *disp. 17. art. 1.* Andræas à Cruce *disp. 81. dub. vnic. & disput. 85. dub. etiam vnic.* Tenent etiam ex Discipulis Scoti Radda *tom. 1. controuersiar. controu. 29. art. 1.* Theodorus Smising. *tract. 3. de Deo Vno disp. 2 quæst. 2. & 3.* & Franciscus Fœlix *de Scientia Dei cap. 3. difficultat. 1.* Tenent etiam ex PP. Societatis Molina *art. 5. & 6. disput. vnic. conclus. 2.* Suarez *lib. 3. de attributis cap. 1. & 2. & lib. 9. de Trinitate cap. 5. num. 4. & 6.* Vazquez *disp. 142 num. 20. & disp. 163. cap. 4.* Arrubal *disput. 29. cap. 3.* Granadus *controu. 2. de Scientia Dei tract. 1 disput. 2.* & Alarcon *tract. 2. de Scientia Dei disp. 2. cap. 1.* referens Ruizium *de Scientia Dei disp. 5. sect. 6.* Fasolus *art 2. dubitatione 2.* addens, essentiam diuinam , non solum esse obiectum primarium, sed etiam adæquatum obiectum .

Capreol. Palud. Hisp. Ferrar. Caiet. Bañez. Zumel. Nazar. Albeld. Serra. Cornejo. Salmant. Aranjo. M. S. T. Crux. Radda. Smising. Fœlix. Molin. Suar. Vazquez. Arrub. Granad. Alar. Ruiz. Fasol.

33 Quia tamen in Deo plures sunt formalitates , nempè , natura vt radix attributorum , & relationum , attributa, & relationes, & ens diuinum transcendens Logica transcendentia omnia prædicata Dei , licet præfati Auctores conueniant in assignando pro obiecto primario intellectus diuini ens, & verum increatum, in constituendo autem sub qua ratione rationem primarij obiecti sortiatur , in plures diuiduntur sententias .

Prima explicatio 2. sententiæ. Quidam Dei naturam , prout ab attributis , & relationibus virtualiter distinctam , asserunt , esse obiectum primarium, & specificatiuum intellectus diuini. Ita ex nostris Cornejo , Salmanticenses , & Andræas à Cruce *vbi supra*, quam sententiam tenent omnes Discipuli Scoti , & ex Patribus Societatis Suarez , Vazquez , Granadus , & Alarcon .

34 *Secunda.* Alij per oppositum docent , esse diuinam essentiam , vt amplectitur naturam, attributa, & relationes. Ita ex nostris Albelda, ex alienis Molina, & Ruizius, non satis explicantes, an de obiecto motiuo , an de terminatiuo loquantur .

Tertia. Tertio alij asserunt , obiectum specificatiuum diuini intellectus esse diuinam essentiam secundum omnia absoluta ; proprietates autem relatiuas ad illud non pertinere .

Quarta. Quartus modus dicendi est , obiectum formale motiuum diuini intellectus esse solam Dei essentiam vt ab attributis, & relationibus virtualiter distinctam, obiectum autem formale primarium terminatiuum esse naturam, attributa, & relationes , vel ens diuinum , vt commune per Logicam transcendentiam omnibus prædicatis diuinis . Veram sententiam sequentibus assertionibus explico .

35 *Prima conclusio.* PRIMA SIT. *Obiectum primarium intellectus diuini non est ens vt commune* analogicè *enti creato , & increato , sed solum ens increatum .* Ita omnes Authores pro secunda sententia allegati; & ostenditur primo : obiectum primarium voluntatis diuinæ non est bonum in communi abstrahens à creato , & increato , sed bonum increatum , & diuinum : ergo pariter , obiectum primarium intellectus diuini non est verum in communi abstrahens à creato , & increato, sed verum diuinum, & increatum . Consequentia tenet à paritate rationis . Antecedens autem pluribus ostendemus *infra Tract. de Volunt.* & breuitèr ostenditur primo ; quia est expressum D. Th. *Opusc. 2. cap. 101. q. 23. de Verit. art. 1. ad 5. & 6. vel 7. arg. in 1. Sent. dist. 45. q. vnic. art. 2. in corp. & solut. ad 1. & 2. ad Annibald. ibi art. 1. & 2. 1. Contra Gentes cap. 74. 75. & 76. & in hac 1. part. q. 19. art. 1. ad 3. & art. 2. in corp. & solut. ad secundum , & tertium argumentum .*

Prob 1. ex D. Th. Antecedens probatur 1. S. THO.

36 Quibus locis expressè docet D. Thom. principale volitum à diuina voluntate esse solam bonitatem diuinam ; sed explicari non potest de obiecto solius principalitatis : ergo sentit obiectum adæquatum primarium voluntatis diuinæ esse Dei bonitatem . Patet minor: nam ratio, qua probat solam bonitatem Dei esse obiectum principale voluntatis diuinæ , est , quia principale volitum mouet voluntatem ; nulla autem bonitas , præter diuinam , & increatam, potest Dei voluntatem mouere ; sed non solum obiectum principalitatis, sed quodcumque aliud intra obiectum primarium , & specificatiuum contentum , est voluntatis motiuum : ergo sentit obiectum adæquatum primarium voluntatis diuinæ esse Dei bonitatem .

37 *Secundo.* Secundo probatur : nam obiectum primarium voluntatis est finis ; media namque , non ratione sui amantur , sed solum ratione finis ; & consequenter sunt extra obiectum voluntatis primarium ; sed nulla bonitas, præter increatam, & diuinam , esse potest finis voluntatis diuinæ ; cum finis sit vera , & realis causa , imo in ratione causæ omni alia causa perfectior, vt 2. *Physicorum* probatur, perfectiones autem diuinæ veram causam habere non possint ex ratione entis à se , ex qua sicuti repugnant causæ efficienti reali , ita & causæ reali finali : ergo sola bonitas increata est obiectum diuinæ voluntatis primarium : nam licet diuina bonitas esse nequeat finis voluntatis diuinæ per influxum finalem formalem , potest tamen esse finis virtualis .

38 *Secundo probatur conclusio ex eodem D. Th.* Secundo probatur conclusio ex D. Thom. *1. Contra Gentes cap. 48. & 49.* vbi docet , principale cognitum ab intellectu diuino esse suam essentiam . Quod etiam docet *in hac q. art. 5.* & locis omnibus initio Disputationis §. 1. relatis ; sed explicari non potest de obiecto solius principalitatis: ergo debet necessario intelligi de obiecto primario adæquato . Minor patet primo: vt enim *proximè* argumentabamur , cum docet Diuus Thomas principale volitum à diuina voluntate esse bonitatem diuinam , non potest explicari de obiecto solius principalitatis , sed necessario intelligitur de obiecto adæquato primario : ergo pariter , cum docet principale cognitum à diuino intellectu esse diuinam essentiam , hanc interpretationem non sustinet .

Minor probatur primo.

39 *Secundo.* Secundo : nam verba D. Thomæ *1. Contra Gentes cap. 48.* sunt hæc : *Ex præmissis autem apparet , quod Deus primo, & per se solum seipsum cognoscit ;* sed non solum principale obiectum , sed etiam minus principale primo , & per se attingitur à potentia , si continetur formaliter sub obiecto primario , & specificatiuo illius , vt constat discurrendo per obiecta potentiarum , & habituum : ergo si Deus primo , & per se solum se ipsum cognoscit , solus Deus continetur sub obiecto primario proprij intellectus .

40 *Tertio.* Tertio : nam ideò excludit creaturas ab obiecto principali intellectus diuini , ne ab illis specificetur ; sed si solum excludantur ab obiecto principalitatis , non vitatur inconueniens : ergo excludit illas ab obiecto adæquato primario . Patet minor : nam specificatio potentiæ non est adæquatè ab obiecto principalitatis, sed ab omni contento sub obiecto primario illam specificante : ergo vt saluetur , veritatem creatam non specificare , etiam inadæquatè intellectum diuinum , excludi debent , non solum ab obiecto principalitatis , sed etiam ab obiecto primario adæquationis .

41 *Prob. 3. triplici ratione à D. Thom. tradita : prima est.* Denique probatur triplici ratione Angelici Præceptoris loco *vbi proximè* . Prima sit : nam obiectum primo , & per se ab aliqua potentia attingibile dat illi specificationem ; sed nihil à Deo distinctum potest intellectui diuino specificationem tribuere : ergo nihil distinctum à Deo

Deo potest per se primo ab intellectu diuino cognosci; & consequenter sola veritas in creata est primarium adæquatum obiectum illius. Secunda consequentia ex prima euidenter colligitur: nam quod continetur sub obiecto primario intellectus, per se primo attingitur ab illo: ergo si nihil distinctum à Deo potest per se primo cognosci ab intellectu diuino, nihil distinctum à Deo continetur sub obiecto primario intellectus diuini. Prima consequentia ex præmissis infertur. Minor videtur certa: nam dare specificationem potentiæ est in illam exercere veram, & propriam causalitatem, nihil autem creatum potest esse causa vera, & propria alicuius perfectionis diuinæ; aliàs aliqua diuina perfectio verè, & propriè dependeret, quod implicat.

42 *Maior principalis prob.* Maior autem probatur; tùm, quia est commune Philosophorum, & Theologorum axioma, potentias, habitusque ab obiectis sumere specificationem, quod intelligendum est de obiectis formalibus, & primarijs. Tùm etiam; quia in hoc obiectum primarium à secundario distinguitur, quod hoc purè terminat actum potentiæ, illud autem non terminat purè; & consequenter aliquid aliud, quam terminare in potentiam exercet; sed supra purè terminare, nihil aliud addi potest, quam specificare potentiam: ergo obiectum primo per se, & ratione sui ab aliqua potentia attactum dat illi specificationem.

43 *Secunda ratio.* Secunda ratio sic à D. Thoma formatur: nam primo, & per se intellectum, est perfectio intelligentis, secundum hoc enim intellectus est perfectus, quod intelligit in actu, quod fit per hoc quod est vnum cum primo, & per se intellecto; sed nihil creatum potest esse perfectio intellectus diuini: ergo nihil creatum potest esse primo intellectum ab ipso; & consequenter solus Deus est obiectum primarium proprij intellectus.

44 *Tertia ratio.* Tertia ratio sic formatur; illud solum per se primo ab intellectu cognoscitur, cuius specie intellectus intelligit; sed species qua Deus intelligit, est sola diuina essentia: ergo primo intellectum ab intellectu diuino, est sola diuina essentia; & consequenter creaturæ sunt extra obiectum primarium intellectus diuini. Consequentia tenet. Minorem docuit D. Thom. 1. *Contra Gentes cap.* 46. & *in hac quæst. art.* 5. Et patet: nam species est simul cum intellectu principium intellectionis; sed nihil à diuina essentia distinctum esse potest principium intellectionis diuinæ: ergo nihil à diuina essentia distinctum esse potest species, qua Deus intelligit.

Maior etiam probatur: operatio namque proportionatur formæ, quæ est operationis principium; sed species est forma, & principium intellectionis: ergo hæc debet cum illa proportionari; & consequenter non potest illam excedere; sed si aliud esset per se primo ab intellectione cognitum, & aliud per se primo ab specie repræsentatum, non seruaretur proportio intellectionis cum specie: ergo solum id est per se primo intellectum, quod per se primo repræsentatur per speciem; & consequenter id solum per se primo ab intellectu cognoscitur, cuius specie intellectus intelligit, quæ est maior propositio D. Thomæ.

45 *Respondebis.* Respondebis, speciem impressam non esse primo intellectum vt *quod*, sed tantum vt *quo*; ac proinde ex eo quod solum essentia diuina sit species, qua Deus intelligit, tantum sequitur solam essentiam diuinam esse primo vt *quo* intellectam, ex quo non infertur creaturas non esse primo à Deo intellectas vt *quod*, sed tantum non esse primo intellectas vt *quo*. Et hoc solum esse intentum D. Thom. constat *ex* 1. *Sent. dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 2. *in corp.* illis verbis: *Similiter intellectum primum est ipsa rei similitudo, quæ est in intellectu, & est intellectum secundum, quod est ipsa res, quæ per similitudinem illam intelligitur, si ergo consideretur intellectum primum, nihil aliud intelligit Deus, nisi se, quia non recipit species rerum, per quas cognoscat, sed per essentiam suam cognoscit, quæ est similitudo omnium rerum, sed si accipiatur intellectum secundum, sic non tantum se intelligit, sed etiam alia.* Quod etiam repetit *solut. ad* 1. vbi D. Thom. creaturas solum excludit ab hoc, quod est esse primum intellectum à Deo ea ratione, qua species est primo intellecta; hæc autem solum est primo intellecta vt *quo*, non autem vt *quod*: ergo solum excluduntur ab hoc, quod est esse primo intellectas vt *quo*.

Motiuum solutionis.

46 *Hanc solutionem nõ esse de mente D. Thom. prob.* 1. Hæc tamen solutio, nec est ad mentem D. Thom. nec vera. Primum patet primo: nam maior à D. Thoma assumpta hæc est: *Illa enim res solum est primo, & per se ab intellectu cognita, cuius specie intelligit*; at hæc propositio non est vera de primo intellecto vt *quo*, sed vt *quod*: ergo ratio D. Th. & conclusio de primo vt *quod* intellecto procedunt. Probo minorem: res cuius specie intellectus intelligit, non intelligitur vt *quo*, sed vt *quod*, ipsa autem species est quæ vt *quo* ab intellectu cognoscitur; sed maior D. Tho. est de re per speciem repræsentata: ergo non est de primo intellecto vt *quo*, sed de primo intellecto vt *quod*.

47 *Secundo.* Secundo: nam 1. *Contra Gentes* post quam *cap.* 46. probauerat D. Thomas solam essentiam diuinam esse speciem, qua Deus intelligit; *cap.* 48 inquirit de principali, hoc est de primo obiecto diuini intellectus, & resoluit esse solam Dei essentiam; at si loqueretur de primo intellecto vt *quo* tantum, superflueret inquirere de primo intellecto à Deo; cum iam resolutum esset *cap.* 46. ergo cum docet solam Dei essentiam esse primo intellectam à Deo, non loquitur de primo intellecto vt *quo*, sed vt *quod*; & consequenter creaturæ, non solum non sunt primo intellectum vt *quo* ab intellectu diuino, sed etiam excludi debent à primo intellecto vt *quod*.

48 *Ad motiuum solutionis respondetur.* Nec obstat, quod in contrarium adducitur; tùm, quia cum esse primo intellectum dupliciter accipiatur scilicet vt *quo*, & vt *quod*, ex eo quod ibi excluserit primum modum, non sequitur alijs locis secundum non exclusisse: tùm etiam; nam ex eo quod nulla forma creata sit primo intellecta vt *quo* ab intellectu diuino, rectè infertur creaturas non esse primo intellectas vt *quod*: ergo quamuis Diuus Thomas *loco* ex Sententiarijs relato solum expressè negauerit creaturas esse à Deo primo intellectas vt *quo*, non sequitur admisisse esse primo vt *quod* intellectas ab intellectu diuino.

49 *Deinde solutio impugnatur.* Antecedens probatur, & simul falsitas solutionis ostenditur; vt enim obiectum aliquod per se primo ab intellectu attingatur, debet per se primo per speciem repræsentari; sed eo ipso, quod nulla forma creata, sed sola diuina essentia sit species, qua Deus intelligit, quod idem est, ac nullam formam creatam esse primo vt *quo* intellectam, sequitur, nihil creatum primario repræsentari per speciem, qua Deus intelligit: ergo ex eo quod nulla forma creata sit primum intellectum vt *quo* ab intellectu diuino, sequitur, nihil creatum esse à Deo primo intellectum vt *quod*; & consequenter ex eo, quod diuina essentia sit species, qua Deus intelligit, rectè infert D. Tho. nihil à diuina essentia distinctum esse à Deo primo intellectum vt *quod*. Vtraque consequentia euidenter infertur. Maior constat: nam ex intellectu, & specie fit adæquatum intellectionis principium, nec intellectus aliter, quam specie obiecti fecundatus potens est *proximè* exire in intellectionem; sed species non potest per se primo intellectum fecundare, nisi tantum in obiectum per se primo ab illa repræsentatum; cum media repræsentatione fecundet: ergo intellectus non potest per se primo aliquid intelligere, nisi species illud per se primo repræsentet; & consequenter non potest obiectum aliquod per se primo ab intellectu esse cognitum, nisi per se primo repræsentetur per speciem.

50 *Probatur diuinam essentiã, vt speciẽ solum se ipsam per se primo repræsentare.* Deinde minor discursus facti probatur: diuina essentia, vt species, solum potest per se primo repræsentare se ipsam: ergo ex eo quod nulla entitas creata, sed sola diuina essentia sit species, qua Deus intelligit, sequitur, nihil creatum primario repræsentari per speciem, qua Deus intelligit.

Antecedens probatur 1. Antecedens, cui soli potest difficultas inesse, ostenditur primo: essentia Angeli vt species, solum se ipsam per se primo repræsentat, alia autem à se, prout in ipsa continentur: ergo pariter essentia diuina vt species solum se ipsam potest primario repræsentare. *Secundo* Secundo: nam repræsentatio speciei, vel est ratione similitudinis, vel ratione identitatis; sed species repræsentans obiectum ratione similitudinis, solum per se primo repræsentat obiectum, cui assimilatur: ergo species repræsentans obiectum ratione omnimodæ identitatis, solum repræsentat per se primo id, cum quo identificatur; at diuina essentia cum nulla entitate creata potest identificari: ergo nullam entitatem creatam potest primario repræsentare, sed tantum secundario: eo quod eminenter continentur in obiecto per se primo ab ipsa repræsentato.

51 *Tertio* Tertio: nam obiectum per se primo per speciem repræsentatum debet conuenire cum illa, saltim in eodem gradu immaterialitatis, vt docet D. Thomas *supra q.* 12. *art.* 2. inferens ex hoc principio nullam speciem creatam posse repræsentare quidditatiuè Deum; sed nihil creatum potest cum diuina essentia conuenire in eodem gradu immaterialitatis, vt omnibus est manifestum: ergo nihil creatum potest per se primo repræsentari per illam, vt speciem. *Quarto.* Denique probatur, species est virtus obiecti primario per ipsam repræsentati, & vt illius virtus ad intellectionem concurrit; sed diuina essentia nequit ad intel-

intellectionem diuinam concurrere vt virtus alicuius entis creati: ergo nihil creatum potest per se primo repræsentari per illam. Maior traditur à Discipulis D. Thom. *supra q. 12. art. 2.* Minor autem probatur: nam intellectio per se, & propriè dependet ab illo obiecto, vt cuius virtus species ad intellectionem concurrit; sed intellectio diuina non potest per se dependere ab aliquo obiecto creato; aliàs esset effectus illius, quod implicatorium est: ergo diuina essentia, vt gerit munus speciei, nequit ad intellectionem diuinam concurrere, vt virtus entis creati; & consequenter illud per se primo repræsentare non potest, sed tantum secundario, quia eminenter continetur in obiecto per se primo ab ipsa repræsentato.

§. IV.

Argumentis in contrarium occurritur.

52 *Arg. 1.* CONTRA istam conclusionem arguitur primo argumento Durandi: etenim quo aliqua potentia est perfectior, eo vniuersalius habet obiectum; sed intellectus diuinus est potentia perfectissima: ergo vniuersalissimum habet obiectum; sed verum abstrahens à creato, & increato vniuersalius est vero increato: ergo obiectum, & specificatiuum intellectus diuini non est verum increatum, & diuinum, sed abstrahens à vero creato, & increato. Minor vtriusque consequentiæ certissima est. Vtraque consequentia bona. Maior autem probatur primo inductione; quia namque sensus exteriores ab interioribus perfectione exceduntur, obiecta interiorum vniuersaliora sunt, & quia inter sensus interiores præeminet sensus communis, vniuersalius illi correspondet obiectum; & quia intellectus excedit in perfectione imaginatiuam, illi respondet vniuersalius obiectum: ergo vniuersaliter verum est, quo aliqua potentia est perfectior, eo illi correspondere vniuersalius obiectum. *Maior probatur primo.*

53 *Secundo.* Secundo probatur: potentiæ perfectiori respondet obiectum perfectius; sed obiectum, quo est magis vniuersale, eo est magis perfectum: ergo potentiæ quo perfectior est correspondet illi vniuersalius obiectum. Probatur minor: quo obiectum est abstractius abstractione formali, eo est perfectius; cum abstractio formalis sit abstractio formæ à materia, & actus à potentialitate; sed quo obiectum vniuersalius est, eo est abstractius abstractione formali: ergo quo est vniuersalius, est magis perfectum.

54 *Respond. Ad 1. probationem maioris.* Respondeo, distinguendo maiorem: vniuersalitate prædicationis, nego maiorem: vniuersalitate continentiæ, & causalitatis, concedo maiorem: & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris; solum enim sequitur obiectum intellectus diuini, vniuersalius esse debere, non vniuersalitate prædicationis, sed continentiæ, & causalitatis, & hoc verum est: nam verum increatum, quod est obiectum specificatiuum intellectus diuini, eminenter actualissimè continet omne verum creatum, ad quod secundario diuinus intellectus extenditur.

55 *Ad secundam.* Et ex his ad secundam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: quo est vniuersalius continentia, & causalitate, eo est perfectius, concedo minorem: prædicatione, nego minorem: & sub eadem distinctione, concedo, & nego consequentiam. Solum enim sequitur obiectum intellectus diuini, debere esse vniuersalius continentia, & causalitate, non autem prædicatione: nam vniuersalitas continentiæ eminentialis, perfectior est vniuersalitate prædicationis; cum hæc in potentialitate fundetur, illa verò in actualitate. Contra quam doctrinam non obstat minoris probatio: nam licet prædicata superiora in ordine ad inferiora creata duplici abstractione gaudeant, scilicet potentiali, & formali, in ordine tamen ad Deum nihil potest abstrahi abstractione formali; cum enim hæc abstractio potentialitatem habeat pro termino à quo, & in Deo nulla sit, nec concipi potentialitas possit, fit, vt in ordine ad ipsum nihil possit abstrahi abstractione formali.

56 *Replicabis. 1.* Si opponas primo: ens vt abstrahens à Deo, & creaturis continet perfectionem diuinam, & perfectiones omnium creaturarum actu formali in sententia Thomistarum, non admittentium in ente præcisionem obiectiuam; sed ens increatum solum continet actu formaliter perfectiones diuinas: ergo ens vt abstrahens à creato, & increato est perfectius ente increato; & consequenter assignandum est pro obiecto intellectus diuini.

Secundo. Secundo: obiectum metaphysicæ est ens in communi, vt abstrahens à creato, & increato; sed obiecta scientiarum non constituuntur abstractione potentiali, sed abstractione formali, per quam redduntur immaterialia: ergo ens vt commune Deo, & creaturis gaudet abstractione formali.

Respondeo ad primam replicam, distinguendo maiorem: actu explicito formali, nego maiorem: actu implicito cum explicita potentialitate, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: nam ens sub illa communitate, solum explicat rationem essendi determinabilem per rationes entis creati, & increati, quas actu implicitè includit ad differentiam gradus generici, extra cuius conceptum sunt differentiæ contractiuæ, etenim rationes illæ non continentur actu explicitè in formalitate explicata, nec in illa eminenter continentur: ens autem increatum importat constitutiuè formalitèr rationem entis diuini, in qua eminentèr actualissimè continentur omnes perfectiones creatæ, ac proinde excedit in perfectione ens sumptum in illa communitate. 57 *Ad 1. replicā respōdetur.*

Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem: abstractione formali positiua, aut negatiua, concedo minorem: positiua in ordine ad omnia inferiora, nego minorem, & consequentiam. Itaque obiectum metaphysicæ v. g. est ens non vt totum potentiale, sic enim imperfectius est obiectis aliarum scientiarum, sed quasi totum actuale, idest secundum eam rationem, quam actu explicitè importat secundum prædicata constitutiua, quæ quidem licet respectu differentiarum creatarum, in quibus est potentialitas, à qua positiuè abstrahat, gaudeat abstractione formali positiua, in ordine tamen ad Deum, in quo nulla est potentialitas, abstractione formali positiua non gaudet, sed tantum potest dici abstracta abstractione formali negatiua, quatenus ratio illa communis à metaphysica inspicitur tanquam obiectum formale secundum rationem explicitam, non attendendo in illa, vt terminante tendentiam, aliquam potentialitatem. 58 *Ad 2.*

Sed dices: ratio illa communis entis est obiectum metaphysicæ formale: ergo est ratio constituendi intra ambitum metaphysicæ omnia, quæ ab illa considerantur; sed Deus continetur intra ambitum metaphysicæ: ergo est Deo ratio formalis, vt cadat sub metaphysica; & consequenter ad Deum comparatur vt forma. Patet hæc vltima consequentia: nam ratio formalis est forma: ergo si comparatur vt ratio formalis ad Deum, comparatur ad ipsum vt forma. Respondeo, distinguendo consequens: vt forma physica, vel metaphysica, nego consequentiam: vt forma in ratione obiecti, concedo consequentiam: ex hoc tamen non colligitur, rationem entis abstrahere abstractione formali respectu entis increati, quia ad hoc necessarium erat comparari ad illud, vt actum physicum, vel metaphysicum, & quod in ente increato aliqua potentialitas esset, quam respiceret, vt terminum à quo abstractionis. 59 *Instabis.* *Respond.*

Secundo arguitur: obiectum adæquatum alicuius potentiæ continere debet sub se omnia, quæ possunt ab illa attingi; sed verum increatum non continet sub se omnia, quæ possunt ab intellectu diuino cognosci: ergo non est obiectum adæquatum intellectus diuini, sed ens abstrahens à creato, & increato. Patet minor: intellectus diuinus non solum cognoscit Deum, sed etiam cognoscit creaturas secundum proprias rationes; sed creaturæ non continentur sub ente increato, benè tamen sub ente vt sic abstrahente à creato, & increato: ergo ens increatum non continet omnia, quæ attingit intellectus diuinus. Maior autem probatur primo: nam obiectum adæquatum non potest excedi à potentia, aliàs adæquatum cum illa non erit; sed si non contineat omnia, quæ potentia valet attingere, excedetur à potentia: ergo debet illa omnia continere. 60 *Secundo arguitur.* *Maior probatur primo.*

Secundo probatur: nam potentia cognoscitiua potest distinguere inter illa, quæ potest cognoscere; sed nulla potentia cognoscitiua potest distinguere inter illa, quæ non continentur sub obiecto sibi adæquato: ergo omnia, quæ attingere potest, debent contineri sub sibi adæquato obiecto. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: etenim potentia visiua non potest inter colorem, & saporem discernere; at non alia ratione, nisi quia vnum illorum est extra obiectum sibi adæquatum: ergo potentia cognoscitiua non potest distinguere inter illa, quæ non continentur intra suum obiectum adæquatum. 61 *Secundo.*

Respondeo, distinguendo maiorem: obiectum adæquatum extensiuum, concedo maiorem: obiectum adæquatum specificatiuum, subdistinguo maiorem: continentia 62 *Respond.*

tinentia formali, aut eminentiali, omitto maiorem: continentia determinatè formali, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris distinguo consequens: non est obiectum adæquatum extensiuum, concedo consequentiam: adæquatum specificatiuum, nego consequentiam. Itaque obiectum adæquatum specificatiuum potentiæ est à quo potentia suam sumit specificationem, & quod primo ab illa attingitur, & quia intellectus diuinus licet Deum, & creaturas cognoscat, speciem tamen à creaturis non accipit, nec per se primo erga creaturas versatur, ideo obiectum adæquatum specificationis intellectus diuini est sola increata veritas; vt autem secundario creaturas cognoscat, sufficit eminenter perfectissimè contineri in veritate increata primo cognita ab intellectu diuino. Et ex his ad primam probationem maioris, concessa maiori, distinguo minorem: si non contineat omnia continentia formali, aut eminentiali, transeat minor: continentia determinatè formali, nego minorem, & distinguo consequens sub eadem distinctione.

Ad 1. probationem minoris.

63 Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem: inter illa, quæ non continentur aliquo ex prædictis modis sub obiecto sibi adæquato, concedo minorem: inter illa, quæ non continentur continentia solum formali, nego minorem, & distinguo consequens sub eadem distinctione. Et instatur argumentum in obiecto nostri intellectus, non enim specificatur ab ente communi reali, & rationis, sed tantum ab ente reali; & tamen secundario ens rationis cognoscit propter habitudinem, quam importat ad ens reale, & dependentiam ab illo. Similiter metaphysica adæquatè specificatur ab ente reali, & tamen secundario ens rationis considerat, & de illo passiones demonstrat, quia ens rationis ab ente reali dependet, & ad illius instar confingitur: sicut ergo ens rationis formaliter continetur sub obiecto extensiuo intellectus creati; & tamen non pertinet ad obiectum specificatiuum illius: ita creaturæ formaliter continentur sub obiecto extensiuo intellectus diuini, non tamen continentur formaliter sub obiecto primario, & specificatiuo, & sicut saluatur in ente reali esse obiectum specificatiuum adæquatum intellectus creati, quamuis ens rationis cognoscat, quia cognoscit ens rationis per ordinem ad ens reale, & per speciem entis realis; ita in veritate increata saluatur esse obiectum adæquatum specificatiuum intellectus diuini, quia creaturas solum secundario cognoscit, & illas considerat in veritate increata, quæ solum instar speciei vnitur cum intellectu diuino.

Ad 2. Instatur argumentum.

64 Tertio arguitur: ens commune Deo, & creaturis cognoscitur ab intellectu diuino primario, & ratione sui: ergo est obiectum illius primarium. Antecedens probatur primo: Deus cognoscit omne verum omnimodo, quo est cognoscibile; sed ens est cognoscibile primario, & ratione sui, & sic de facto cognoscitur ab intellectu creato: ergo ratione sui cognoscitur ab intellectu diuino. Secundo: nam in eo quod sic cognoscatur nulla inuoluitur imperfectio; non enim sequitur imperfectio dependentiæ ab entitate creata; cum ens vt sic entitatem creatam non explicet, sed prædicatum Deo, & creaturis commune: ergo cognoscitur ab intellectu diuino primario, & ratione sui. Tertio: nam ens vt sic cognoscitur ab intellectu diuino; aliàs Deus non cognosceret omnia sua prædicata, quorum vnum est ens vt sic, in quo cum creaturis habet analogam conuenientiam; sed non cognoscitur secundario; obiectum enim secundarium non clauditur in primario, ens autem vt sic Deo essentialitèr conuenit: ergo cognoscitur ab intellectu diuino primario, & ratione sui.

Tertio arguitur. Antecedens probatur primo. Secundo. Tertio.

65 Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, distinguo maiorem: omni modo, quo est cognoscibile absolutè, & à quouis intellectu, nego maiorem: omnimodo, quo est cognoscibile ab intellectu diuino, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet ens vt sic possit cognosci primario, & ratione sui ab intellectu creato, à diuino tamen non potest ob rationes assignatas. Ad secundam, nego antecedens: in tali enim cognitione multiplex imperfectio importatur, est enim confusa, & potentialis cognitio, non exprimens sed tantum implicitè importans differentias contractiuas: est etiam dependens in sua specificatione ab aliquo prædicato non exprimente infinitam perfectionem, & quod est negatiuè creatum, hoc est, non dicens perfectionem increatam; & insuper eo ipso quod ratione sui attingeretur ab intellectu diuino, argueretur possibilis dependentia ab ente positiuè creato in specificatione cognitionis diuinæ, cum ens creatum sub ente vt sic contineatur, & potentia attingens per se primo aliquam rationem communem, possit primario erga illius inferiora versari.

Respond. Ad 1. probationem antecedentis. Ad 2.

66 Ad tertiam dicatur: ens posse dupliciter sumi; primo secundum omne, quod implicitè includit; secundo pro eo, quod explicat. Primo modo sumptum cognoscitur ab intellectu diuino, partim primario, prout, nempè, includit Deum; & partim secundario, prout scilicet, includit creaturas: secundo autem modo sumptum non cognoscitur omnino primario, nec propriè secundario, sed tanquam prædicatum inclusum in obiecto primario, ad eum modum, quo partes physicæ, vel metaphysicæ cognoscuntur in toto.

Ad tertiam.

67 Denique arguitur: obiectum primarium, & specificatiuum scientiæ diuinæ est ens vt Deo, & creaturis commune: ergo ens sic sumptum est obiectum specificatiuum diuini intellectus, & non ens diuinum. Consequentia tenet primo, quia obiectum peculiaris virtutis intellectualis, qualis est diuina scientia, non potest esse vniuersalius obiecto potentiæ, in qua talis virtus residet. Tum etiam, quia rationes probantes obiectum diuini intellectus non posse esse ens vt sic, vel id ipsum de diuina scientia conuincunt, vel de intellectu diuino non probant. Antecedens autem probatur primo: nam scientia Dei formaliter est metaphysica; cum hæc, perfectio sine imperfectione sit; & consequenter formalitèr reperiatur in Deo; sed obiectum metaphysicæ est ens vt sic sub conceptu Deo, & creaturis communi: ergo sub hac ratione est obiectum scientiæ diuinæ.

Vltimo arguitur. Consequentia probatur primo. Secundo. Antecedens probatur primo.

68 Secundo: nam obiectum scientiæ creatæ non potest esse vniuersalius obiecto scientiæ diuinæ, aliàs esset illo perfectius; sed obiectum nostræ metaphysicæ est ens à Deo, & creaturis suo modo præscindens: ergo obiectum scientiæ diuinæ non est ens diuinum, sed ens creato, & increato commune. Tertio: nam si obiectum metaphysicæ nostræ esset ens vt sic, & obiectum scientiæ Dei ens diuinum, sequeretur, scientiam diuinam, metaphysicæ subalternari; cum illius obiectum esset obiecto metaphysicæ inferius, illique subalternatum; consequens admittendum non est: ergo obiectum scientiæ diuinæ primarium, & specificatiuum non est ens diuinum, sed ens Deo, & creaturis commune.

Secundo.

69 Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem nego maiorem & maioris probationem; etenim diuina scientia eminenter est metaphysica, physica, logica, & mathematica; nullum tamen ex his prædicatis illi conuenit formaliter, quia de illorum conceptibus est imperfectio specificationis ab aliquo obiecto creato: vnde sicut hac ratione phylosophia nostra non conuenit formaliter Deo, quia ad hoc debebat specificari cognitio diuina ab ente mobili, quod est phylosophiæ obiectum, & sub abstractione phylosophica attingi; ita metaphysica nostra non conuenit formaliter Deo, quia ad hoc necessarium erat, quod increata cognitio attingeret ens vt sic sub abstractione propria metaphysicæ, omnes tamen istæ perfectiones eminenter reperiuntur in Deo, quia omnium obiecta cognoscit, sub alio tamen, & actualiori ratione, nempè ratione entis diuini, in qua eminenter continentur.

Respond. Ad 1. probationem antecedentis.

70 Ad secundam, distinguo maiorem: non est vniuersalius prædicatione, nego maiorem: continentia, & causalitate, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam; vt enim obiectum scientia diuinæ non excedatur ab obiecto scientiæ creatæ sufficit esse vniuersalius causalitate, & continentia, quamuis prædicatione vniuersalius non sit: nam in vniuersali prædicatione continentur inferiora potentialiter, in vniuersali autem causalitate continentur actualiter eminenter, qui modus continentiæ multò perfectior est.

Ad secundam.

71 Ad tertiam, nego sequelam: nam scientia subalternata illa dicitur, quæ à subalternante accipit principia, ex quibus suas conclusiones cognoscit; scientia autem diuina non attingit suas conclusiones ex principiis traditis à metaphysica, sed ex diuina essentia, vel in illa cognita, attributa, & proprietates diuinas, essentiasque, & proprietates creaturarum cognoscit. Nec obstat, ens diuinum, à quo scientia Dei specificatur, vt inferius contineri sub ente vt sic specificante metaphysicam. Tùm, quia hæc continentia ad subalternationem vnius scientiæ ad aliam non sufficit; aliàs omnes scientiæ nostræ subalternarentur metaphysicæ, cuius obiectum obiecta omnium scientiarum continet vt sibi inferiora. Tum etiam; quia ens diuinum, etsi sit inferius prædicatione, est superius actualitate, & omnia entis inferiora eminenter actua,

Ad tertiam.

actualissimè continet ; quæ duæ conditiones non possunt obiecto scientiæ subalternatæ conuenire respectu obiecti subalternantis.

§. V.

Obiectum, formale motiuum intellectus diuini explicatur.

72 *Secunda conclusio.* SECVNDA CONCLVSIO. *Obiectum formale motiuum diuini intellectus est sola diuina essentia, vt distincta à relationibus. & à proprietatibus absolutis:* Hæc conclusio ex principijs D. Thomæ non potest clare deduci : nam licet *in hac quæst. art.* 5. & alijs locis, vbi agit de obiecto intellectus diuini primario, asserat, esse diuinam essentiam, in certum est, quid nomine essentiæ intelligat, an omnia, quæ in Deo formaliter reperiuntur absoluta, & *Aliqui Recentiores illam ex D.Th. deduci contendunt.* relatiua, an verò solum naturam diuinam vt distinctam virtualiter ab attributis, & relationibus. Nec ex eo quod *in hac quæst. art.* 4. docuerit in Deo intellectu, speciem intelligibilem, & id, quod intelligitur, & ipsum intelligere esse omnino vnum, & idem ; recte infertur primo intellectu à Deo esse illius naturam vt ab alijs perfectionibus diuinis distinctam ; eo quod solum cum natura diuina sic sumpta identificatur intellectus virtuali identitate, vt arguunt docti Recentiores Thomistæ.

73 *Inefficaciter illos arguere probatur.* Non inquam rectè ex hac doctrina nostra conclusio deducitur. Nam D. Thom. nomine identitatis omnimodæ, quam statuit inter intellectum, & obiectum illius, non sumit identitatem oppositam distinctioni virtuali, sed tantum identitatem realem formalem : ergo ex eo quod attributa, & relationes virtualiter distinguantur ab intellectu diuino, perperam infertur a prædictis Recentioribus non esse obiectum primarium illius motiuum aut terminatiuum. Consequentia tenet. Antecedens *Antecedens probatur primo.* autem constat primo : nam in argumento *sed contra* probat D. Thomas intelligere esse idem quod esse Dei, quia iuxta Augustinum *lib. 7. de Trinitate cap. 7. Deo hoc est esse quod sapientem esse, hoc autem est sapientem esse quod intelligere.* En vbi D. Thomas ex identitate sapientiæ cum esse diuino probat identitatem intellectionis cum illo ; sed iuxta Recentiores arguentes, sapientia non est idem virtualiter, & constitutiuè, sed tantum formaliter realiter cum esse Dei : ergo iuxta D. Thom. intelligere non est idem virtualiter cum natura diuina, sed tantum realiter formaliter, & consequenter cum Diuus Thomas *art.* 4. docet, intellectum, intelligere, speciem intelligibilem, & obiectum intellectum esse omnino vnum, & idem, non loquitur de identitate opposita distinctioni virtuali, sed tantum formali.

74 *Secundo.* Secundo : nam docet *in eodem art.* intellectionem in Deo consequi speciem intelligibilem ; hæc autem consecutio non stat cum omnimoda identitate excludente virtualem distinctionem : ergo illam non excludit Diuus Thomas ab intellectu comparato cum intelligere, nec cum obiecto intellecto.

75 *Tertio.* Denique ; nam D. Thomas de illa identitate loquitur quæ sufficit, & requiritur, vt subsistat omnimoda simplicitas Dei ; hanc autem, distinctio virtualis intellectus diuini ab intellectione, & obiecto primo intellecto non tollit, sicut nec illam destruit virtualis distinctio naturæ ab attributis, & proprietatibus relatiuis: ergo identitas, quam D Thomas adstruit inter intellectum diuinum, speciem intelligibile, actualem intellectionem, & obiectum per se primo intellectum, non opponitur distinctioni virtuali, sed tantum reali formali ; ac proinde ex eo quod attributa, & relationes virtualiter distinguantur ab intellectu diuino, non sequitur non pertinere ad obiectum primarium illius motiuum, aut terminatiuum. Licet autem nostra conclusio expressa non inueniatur in doctrina D. Thomæ, est tamen illi conformior, vt ex dicendis constabit, & ideò illam frequentius amplectuntur Thomistæ, & præter *supra* allegatos illam tuetur Nazarius *infra quæst. 34. art. 3. controuers. 1. in postrema controu. p.*

76 *Probatur primo conclusio.* Et ostenditur primo in sententia illorum, qui intellectum diuinum, & actuale intelligere non distinguunt virtualiter à natura diuina. Iuxta qua sententiam suadetur nostra conclusio intellectus diuinus, actualisque intellectio nihil supponunt in Deo se ipsis virtualiter prius; sed nisi diuina essentia, vt virtualiter ab attributis, & relationibus distincta constituatur pro obiecto primario formali adæquatè motiuo, aliquid ab intellectu, & intellectione actuali virtualiter distinctum, virtualiter supponitur ad intellectum diuinum, actualemque intellectionem : ergo sola essentia diuina, vt virtualiter ab attributis, & proprietatibus relatiuis distincta, est obiectum formale motiuum intellectus diuini. Consequentia tenet. Minor est certa : nam obiectum motiuum virtualiter ab intellectione distinctum, est prius virtualiter actu, & potentia specificatis ab ipso : ergo si aliquid à diuina essentia distinctum est obiectum motiuum intellectus, & intellectionis diuinæ, aliquid ab illis distinctum virtualiter illa præcedit. Maior etiam probatur : nam de ratione primarij constitutiui est esse primum, quod in re constituta intelligitur cætera radicans, & nihil à se distinctum supponens: ergo si intellectus, & intellectio metaphysicè Dei naturam constituunt, nihil supponunt in Deo se ipsis virtualiter prius.

Secundo probatur conclusio : nam obiectum motiuum intellectus diuini, vel sunt omnia attributa, vel nullum ; 77 *Secunda probatur conclusio.*
cum de omnibus eadem militet ratio ; sed est aliquod attributum cui repugnat esse obiectum formale motiuum intellectus diuini : ergo nullum attributum est illius obiectum motiuum ; & consequenter sola diuina essentia, vt distincta virtualiter ab attributis, relationibus est obiectum formale motiuum intellectus diuini. Consequentia tenet. Maior est certa, & minor probatur : cui repugnat ad intellectionem actualem mouere, repugnat esse obiectum motiuum intellectus ; sed volitioni diuinæ repugnat ad intellectionem diuinam mouere : ergo repugnat illi esse obiectum motiuum formale intellectus diuini. Maior cum consequentiâ tenet. Minor autem probatur : obiectum motiuum intellectionis est prius illa virtualiter ; sed volitio diuina non potest esse prior virtualiter diuina intellectione, cum intellectio prior sit volitione : ergo repugnat volitioni diuinæ esse obiectum motiuum respectu intellectionis diuinæ.

Dices : non repugnare inter duo mutuam præcedentiam in diuerso genere causæ ; intellectio autem diuina 78 *Respondebis.*
est prior volitione regulatiue : quia cognitio regulat volitionem, ex quo tantum sequitur non posse volitionem regulatiue præcedere cognitionem diuinam, non autem quod non possit esse illa priorem in genere obiecti motiui ; nam causalitas obiecti motiui diuersa est à causalitate regulatiua. Sed contra : nam obiectum motiuum causat efficienter cognitionem per formalem, aut *Contra.* virtualem influxum in frequentiori sententia ; sed cognitio non potest efficienter causari ab actu regulato per ipsam: ergo non potest ab illo procedere vt ab obiecto motiuo. Minor probatur : quia namque visio beatifica regulat amorem diuinum, non potest ab illo procedere in genere causæ efficientis : ergo verum est vniuersaliter cognitionem non posse procedere in genere causæ efficientis ab actu regulato per ipsam.

Si dicas, Spiritus Sanctus procedit à filio in genere principij effectiui, aut quasi effectiui ; & tamen Filius 79 *Si opponas.*
procedit ex cognitione non solum Patris, sed etiam Spiritus Sancti, vt docent frequentius Theologi *infra quæst.* 34. & consequenter à Spiritu Sancto, vt ab obiecto cognito procedit : ergo, quamuis cognitio sit principium regulans, imo efficientes volitionem, potest à volitione, vt ab obiecto, causari & ab illa obiectiue moueri. Respondeo Spiritum Sanctum non esse obiectum motiuum cognitionis, ex qua Verbum diuinum procedit, sed tantum terminatiuum; obiectum autem purè terminatiuum non concurrit efficienter ad cognitionem, nec ad terminum illius: vnde ex eo quod Verbum diuinum ex cognitione Spiritus Sancti procedat, non sequitur Spiritum Sanctum esse principium illius ; cæterum obiectum motiuum efficienter ad cognitionem concurrit, non autem stare potest, quod cognitio regulans volitionem à volitione regulata efficiatur, & consequenter nec ab illa potest obiectiue moueri. *Respond.*

Denique probatur conclusio : illud namque est obie- 80 *Vltimo probatur conclusio.*
ctum formale motiuum intellectus, quod vel per se ipsum gerit munus speciei vel mediante specie sui intellectum ad intelligendum fecundat, & cum illo ab intellectionem concurrit ; sed sola diuina essentia, vt distincta virtualiter ab attributis, & relationibus est species, qua intellectus diuinus fecundatur ad intellectionem, & cum ipso ex parte principij ad intellectionem concurrit : ergo diuina essentia sic sumpta est obiectum formale motiuum intellectus diuini. Consequentia est euidens. Maior constat ex D. Thomæ *in hac quæst. art. 5. ad 2.* illis verbis : *Dicendum, quod intellectum est perfectio intelligentis, non secundum suam substantiam, sed secundum suam speciem, secundum quam est in intellectu, vt forma, & perfectio eius.* Et solut. ad 3. il-

lis verbis: *Dicendum, quod intelligere non specificatur per id quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur; in tantum enim ipsum specificatur per obiectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis: nam omnis operatio specificatur per formam, quæ est operationis principium, sicut calefactio per calorem: vnde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu, & hæc est species principalis intellecti, quæ in Deo nihil est aliud, quam essentia sua.* Ex quibus verbis probatur maior assumpta in hunc modum: illud est obiectum motiuum intellectus, quod specificat intellectionem ex parte principij sub conceptu operationis: sed solum id, quod vel per se ipsum gerit munus speciei, vel mediante specie sui vnitur cum intellectu, specificat intellectionem ex parte principij sub conceptu operationis: ergo id solum sortitur rationem obiecti motiui.

81 *Minor probatur primo.* Minor autem ostenditur primo: quamuis Angelus comprehendens se ipsum, non solum substantiam suam, sed etiam proprietates, & cætera prædicata ad ipsum pertinentia cognoscat, sola tamen Angeli substantia vnitur cum proprio intellectu ad hæc omnia cognoscenda: ergo pariter, quamuis Deus se ipsum comprehendens, cognoscat, non solum essentiam suam, sed etiam attributa, & relationes, sola tamen essentia, vt ab illis virtualiter distincta, est species, qua diuinus intellectus intelligit. *Secundo.* Secundo; nam diuina essentia, quia continet eminenter creaturas, est species, qua Deus illas intelligit; sed essentia, & natura diuina, vt distincta virtualiter à cæteris prædicatis, illa continet radicaliter: ergo sufficit, vt species ad illorum cognitionem.

82 *Tertio.* Tertio: quia namque intellectus diuinus est infinitus simpliciter in linea intellectus, non datur in Deo intellectus multiplex virtualiter, sed vnus, nedum reali, verum etiam virtuali vnitate; sed diuina essentia vt species est infinita formaliter in ratione, & linea speciei: ergo in ratione speciei est vna, nedum reali, sed etiam virtuali vnitate; sed si non sola essentia diuina vt ab alijs virtualiter distincta, sed etiam attributa, & relationes vt ab essentia virtualiter distincta, essent species, qua intellectus Dei intelligeret, non esset in Deo vna species vnitate virtuali, sed multiplex virtualiter; quæ namque essentiæ, attributis, & relationibus, quatenus distinguuntur, conueniunt, virtualiter multiplicantur in Deo: ergo sola Dei essentia vt distincta virtualiter à cæteris prædicatis diuinis est species, qua diuinus intellectus intelligit.

83 *Confirmatur.* Et augetur difficultas: si namque relationes diuinæ, non solum ratione essentiæ, sed etiam ratione sui essent species, quibus Deus intelligeret, sequeretur non solum virtualiter, sed etiam realiter multiplicari rationem speciei in Deo; consequens est falsum: ergo sola Dei essentia vt distincta virtualiter ab alijs prædicatis diuinis est species, qua Dei intellectus intelligit. Falsitas consequentis est manifesta: non enim minus inconueniens videtur multiplicari in Deo realiter speciem intelligibilem, quam intellectum, vel intellectionem. Sequela probatur: ea namque, quæ conueniunt relationibus diuinis ratione illius quod addunt supra essentiam, & lineam absolutam, realiter multiplicantur: ergo si illis conuenit ratione superadditi ad essentiam ratio speciei, realiter multiplicatur species in Deo.

84 *Quarto probatur minor loquendo de relationibus.* Denique probatur minor loquendo de relationibus: nam species est principium *quo* intelligendi: sed relationes diuinæ non sunt principium *quo* intellectionis essentialis: ergo ratione sui non sunt species, nec gerunt munus speciei. Maior supponitur ex frequentiori doctrina. *Minor probatur primo.* Minor autem probatur primo: nam absoluta sunt priora notionalibus, & consequenter nequeunt ab illis esse vt à principio: nam principium prius est eo quod est à principio, intellectio autem essentialis absoluta est, & consequenter nequeunt relationes esse principium *quo* illius. *Secundo.* Secundo: nam principium *quo* intellectionis essentialis est principium *quo* intellectionis notionalis, & termini illius: sed relationes Filij & Spiritus Sancti non sunt principium *quo* intellectionis notionalis, nec Verbi, imo nec paternitas est principium *quo* illius: nam Verbum est simile Patri dicenti in principio *quo*; Verbum autem diuinum non est simile Patri dicenti in relatione paternitatis Spiritus Sanctus, nec in relatione spirati: ergo relationes istæ non sunt principium *quo* intellectionis essentialis.

85 *Id ipsum de attributis ostēditur.* Et ex his id ipsum de attributis probatur: nam Verbum procedit vt simile per se primo obiecto primario repræsentato per speciem, sed Verbum diuinum non procedit vt per se primo simile Patri dicenti in attributis, sed in natura sub conceptu naturæ: ergo species, vel obiectum per se primo repræsentatum per aliam non sunt attributa, sed natura diuina. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam Verbum procedit vt simile Patri, in eo quod illi communicatur per generationem; sed quod per se primo communicatur Verbo diuino per generationem est natura diuina, non autem attributa: ergo procedit vt simile Patri per se primo in natura, non autem in attributis; & consequenter natura vt distincta ab attributis, & etiam à relationibus est species, qua diuinus intellectus intelligit, & obiectum per se primo per illam repræsentatum.

86 *Confirmatur ex D. Thom.* Extat pro hac doctrina confirmanda elegans testimonium D. Thomæ *quæst. 2. de Verit. art. 3. ad 7.* ibi: *Dicendum, quod ex parte cognoscentis omninò eadem cognitione cognoscit Deus se esse Deum, & esse Patrem, sed non est idem quo cognoscit ex parte cogniti; cognoscit enim se esse Deum Deitate, & se esse Patrem Paternitate, quæ secundum modum intelligendi non idem est quod Deitas.* Ex quibus verbis tale argumentum deducitur: si Paternitas, vt distincta ab essentia esset Deo ratio cognoscendi Paternitatem ex parte principij, non esset maior identitas in ratione cognoscendi ex parte cognoscentis, quam ex parte cogniti; sed iuxta D. Thom. ex parte cognoscentis est omnimoda identitas, non autem ex parte cogniti, prout cognoscit se esse Deum, & se esse Patrem: ergo ratio cognoscendi Paternitatem ex parte cognoscentis, non est Paternitas, sed essentia, vt distincta à Paternitate.

§. VI.

Argumentis in contrarium occurritur.

87 *Arg. I.* ARGVITVR primo: obiectum motiuum intellectionis petit virtualiter ab illa distingui; sed essentia diuina, vt ab attributis virtualiter distincta non distinguitur virtualiter ab intellectu, & intellectione diuina: ergo essentia prout sic sumpta non est obiectum formale motiuum intellectus, aut intellectionis diuinæ. Consequentia tenet. Minor constat: nam est probabilis Thomistarum sententia, asserentium, intellectionem actualem constituere naturam, & essentiam diuinam metaphysica constitutione, sed constitutiuum metaphysicum diuinæ naturæ non distinguitur virtualiter ab illa; aliàs illam præsupponeret; & consequenter non constitueret: ergo intellectio actualis non distinguitur virtualiter à natura, & essentia diuina. Ex quo infertur, idem esse de intellectu asserendum: cum enim intellectus prior sit intellectione actuali, si hæc est de conceptu primario, & constitutiuo Deitatis sub ratione essentiæ, & naturæ, & ab illa indistincta virtualiter, intellectus etiam ad illius constitutionem metaphysicam pertinet; & consequenter non potest virtualiter a natura diuina distingui.

88 *Maior probatur.* Maior autem probatur: nam principium operationis necessario ab illa distinguitur iuxta influxus qualitatem, realiter quidem, si realiter influat in illam, si tamen influxus sit virtualis, distinctione virtuali: idem namque à se ipso vt à principio esse nequit; sed obiectum motiuum intellectionis est principium *quo*, saltim virtuale illius, vt constat ex dictis: ergo saltim virtualiter debet ab intellectione distingui; & consequenter etiam petit eadem distinctione ab intellectu gaudere.

89 *Respōdet Herice.* Hoc argumento conuictus Pater Herice *tractatu primo disputatione quarta cap. primo numero 11. & sequentibus*, negat respectu cognitionis diuinæ obiectum propriè motiuum, addens intellectionem diuinam, prout est cognitio sui non habere obiectum, nec etiam ratione nostra: prout verò est cognitio prædicatorum transcendentium habere obiectum ratione nostra terminatiuum, & ratione nostra prius proprietate subsistendi consequentia, prout autem est cognitio attributorum, v. g. voluntatis, omnipotentiæ, misericordiæ, & iustitiæ habere obiectum ratione nostra terminatiuum, quod tamen non est, etiam per rationem prius cognitione diuina, sed potius ratione nostra posterius: nam cognitio actuali constituit metaphysicè naturam, hæc autem prior est attributis; & consequenter cognitio præcedit ratione nostra, præcedentiaque virtuali attributa, quæ cognoscit.

Si ei opponatur. Quod si in contrarium obijcias, D. Thom. locis *vbi supra*, asserentem, primarium diuini intellectus obiectum esse diuinam essentiam, & secundarium creaturas, cui sententiæ ferè omnes Theologi adhærent. *Respondet.* Respondet, Diuum Thomam, & Theologos id asserentes,

rentes, non loqui de obiecto in stricta acceptione, sed largè.

90 *Reijcitur 3. solutio ista.* Hic tamen modus dicendi displicet communiter Theologis, nedum exteris, verum etiam domesticis; & reijcitur primo: quia sine vrgenti fundamento Diuum Thomam, & commune Theologorum assertum ad improprium sensum extorquet. *Secundo.* Secundo: quia non requiritur maior distinctio rei cognitæ à cognitione ad saluandum in illa propriam rationem obiecti, quam cognitionis à re cognita, vt saluetur strictus cognitionis conceptus: sed absque vlla distinctione cognitionis diuinæ à se ipsa saluatur, in sententia huius Auctoris, strictus cognitionis conceptus in diuina cognitione, non solum prout terminatur ad creaturas, & ad diuina attributa, sed etiam prout est sui cognitio: ergo absque distinctione reali, virtuali, aut rationis rei cognitæ à cognitione, saluabitur in re cognita propria, & stricta ratio obiecti.

91 *Tertio.* Denique: nam sequitur ex hoc modo dicendi, creaturas à Deo cognitas esse obiectum primarium adæquatum cognitionis diuinæ, loquendo de obiecto strictè; consequens aduersatur Diui Thomæ, & communi Theologorum sententiæ: ergo & tradita solutio. Probatur sequela: illud est primarium obiectum, & adæquatum cognitionis, & intellectus, strictè loquendo de obiecto, quod strictè obiectum est; & aliàs non præsupponit obiectum à se distinctum, quod strictè rationem obiecti sortitur: sed creaturæ cognitæ à Deo sunt strictè obiectum cognitionis diuinæ, & inter illas, & diuinam cognitionem nihil mediat, quod sortiatur rigorosam rationem obiecti: ergo sunt obiectum primarium adæquatum cognitionis diuinæ.

Minor pro secunda parte constat ex doctrina huius Auctoris: quod enim mediat inter creaturas, & cognitionem diuinam, vel est natura Dei sub conceptu naturæ, vel sunt diuina attributa; sed diuina natura nullatenus est obiectum, vt prædictus Auctor fatetur; attributa autem diuina solum ratione nostra sortiuntur rationem obiecti, quod autem solum per rationem sortitur munus obiecti, obiectum strictè non est: ergo nihil mediat inter creaturas, & cognitionem diuinam, quod sit rigorosè, & strictè obiectum. Pro prima verò parte probatur: nam creaturæ verè, & propriè cognoscuntur à Deo; & aliàs realiter distinguuntur à cognitione diuina: ergo verè, & propriè habent rationem obiecti.

92 *Secundo respondent PP. Salmanticenses.* Secundo alij argumento facto occurrunt, negando maiorem: imo cum intellectus intelligendo fiat res intellecta, tantum abest, vt in supremo sui analogato petat ab obiecto intellecto virtualiter distingui, quod potius exposcat oppositum, nempè, esse obiectum primario, & per se intellectum, nedum absque distinctione reali, aut formali, sed etiam absque virtuali distinctione intellectionis ab illo: nam iste est supremus identitatis gradus, quem proinde intellectus exposcit in supremo sui analogato, qualis est intellectus diuinus; imò hac ratione attributa, & relationes excluduntur ab obiecto primario formali intellectus diuini, quia cum illo non identificantur identitate virtuali, sed tantum reali formali. *Salmant.* Ita colligitur ex doctrina Patrum Salmanticensium *tractatu tertio de Scientia Dei disputatione tertia dubio secundo, §. secundo; num. decimo octauo, §. quarto, nu. 28.*

93 *Ad probationem maioris respond.* Ad probationem autem maioris respondetur ex istorum Patrum doctrina *tractatu tertio relato disputatione quarta dubio secundo, §. quarto numero 53.* obiectum quod est tale formaliter debere ab intellectione distingui aliquo ex prædictis modis, nempè, formali, aut virtuali distinctione; quod autem est tale formaliter eminenter, non petere aliquo ex prædictis modis ab intellectione distingui, eo quod non influit in illam, nec formaliter, nec virtualiter, sed tantum æquiualenter, aut eminentialiter: essentia autem diuina solum habet rationem obiecti motiui formaliter eminentèr, quatenus eadem formalitas identitate nedum reali, verum etiam virtuali, & rationis ratiocinatæ exercet munia, quæ in creatis exercentur inter duas entitates, nempè cognitionem, & obiectum. Ita prædicti PP. respondent loquendo in simili de radice intellectionis, & intellectione actuali.

94 *Contra.* Contra quam doctrinam obstat: quod Deo conuenit eminenter solum, & ex parte modi significandi non conuenire illi propriè: ergo si ratio obiecti, eminenter solum reperitur in diuina essentia respectu intellectionis essentialis, non conuenit propriè Deo, sed impropriè, & metaphoricè, quod est incidere in sententiam Hericè impugnatam.

Antecedens probatur 1. Antecedens constat primo ex Diuo Thoma *in primo Sententiarum distinctione 35. quæstione prima articulo primo ad quartum*, illis verbis: *Ad quartum dicendum, quod omnia ista vocabula, quibus dicitur scientiam esse assimilationem, vel apprehensionem, vel impressionem, vel aliquid huiusmodi, veniunt ex consideratione intellectus possibilis, qui non cognoscit, nisi per receptionem alicuius speciei, respectu cuius est in potentia, per quam assimilatur rei extra animam: vnde vbi est intellectus in actu tantum, nihil horum propriè dicitur, sed secundum modum intelligendi tantum.*

Hæc Diuus Thomas. Ex quibus probo antecedens: assimilatio ad obiectum cognitum, apprehensio illius, & impressio speciei reperiuntur in diuina scientia eminenter, cum præstet vna, & indiuisibilis manens omnia, quæ in creaturis præstant species impressa formaliter, & simplex obiecti apprehensio; & tamen non dicuntur propriè in Deo, sed tantum secundum modum significandi: ergo quod eminenter solum reperitur in Deo, non dicitur de ipso propriè.

Secundo probatur: nam in Deo est eminenter discursus: cum Dei cognitio absque discursu formali præstet quidquid intellectus creatus per formalem discursum assequitur, multo eminentiori modo; reperitur etiam in intellectu diuino ratio habitus eminenter, cum in ipso reperiatur eminenti, & eleuatiori modo, quod in conflato ex intellectu nostro, & habitu reperitur, nempè, promptitudo, expeditio, & facilitas in intelligendo: in personalitate diuina inuenitur eminenter ratio accidentis relatini, & etiam ratio modi substantialis creati; cum vna, & indiuisa manens præstet, quod in creaturis præstatur à substantia, & accidenti, nempè, incommunicabiliter subsistere, & ad alterum referre: & tamen nihil horum de Deo propriè enuntiatur, vt de discursu, & accidenti omnes Theologi, de habitu verò ferè omnes, paucis exceptis, fatentur: ergo si ratio obiecti solum conuenit diuinæ essentiæ eminentèr respectu cognitionis sui, non conuenit illi propriè, sed tantum secundum modum significandi, quod est impropriè competere, vt constat ex modo loquendi Angelici Præceptoris, qui conuenientiam ex solo modo nostro intelligendi conuenientiæ propriæ contraposuit. 95 *Secundo.*

Nec motiuum prædictorum Patrum vrget: nam intellectui in supremo analogato, solum debet conuenire summa identitas cum obiecto intellecto, cum qua possit ratio obiecti, & intellectionis subsistere, hæc autem saluari nequeunt cum identitate, etiam virtuali intellectionis, & obiecti; benè tamen cum identitate omnimoda reali formali, vt probatum relinquimus, & ideò intellectus diuinus, & diuina intellectio priorem identitatis modum cum obiecto sui primario non postulant. 96 *Ad motiuum solutionis resp.*

Instatur argumentum. Et insto manifestè argumentum: nam etiam de ratione scientiæ est, quod per illam intelligens fiat res intellecta: & tamen in supremo sui analogato non obtinet identitatem cum obiecto suo primario: nam scientia diuina, quæ supremum analogatum est scientiæ vt sic, virtualiter distinguitur ab essentia, & cæteris attributis, quæ sunt obiectum primarium illius, vt prædicti PP. fatentur: ergo ex eo quod intellectus vt sic petat identitatem cum obiecto quando illud intelligit, non sequitur in supremo analogato obtinere identitatem virtualem cum obiecto primario intellecto.

Tertio respondent Iuniores, de ratione obiecti motiui solum esse, quod sit cognitum ab intellectu, & quod det esse physicè intellectui, aut cognitioni, quod totum in intellectione actuali constituente Dei naturam saluatur absque distinctione virtuali à natura: nam cognoscitur per se ipsam, sibique dat esse physicè, non specificatiuè extrinsecè, finaliter, aut effectiuè, sed intrinsecè constitutiuè per omnimodam identitatem. Ex quo inferunt, intellectum, & intellectionem Dei habere naturam diuinam pro obiecto motiuo physicè, quia modo explicato natura dat esse intellectui, & intellectioni physicè, attributa si ab intellectione virtualiter distinguuntur, relationes, quæ ab illa distinguuntur virtualiter, & creaturas realiter ab illa distinctas esse quidem obiecta cognitionis diuinæ motiua intentionaliter, non autem sortiri rationem obiecti physicè motiui illius. 97 *Tertio respondens quidam Recentiores.*

Verum quidquid sit de motiuo intentionali, quod creaturis cognitis respectu diuinæ cognitionis allegati Recentiores concedunt, quod inferius à nobis examinabitur, tradita solutio non placet; & reijcitur primo: nam ratio obiecti motiui, quam Theologi diuinæ essen- 98 *Reijcitur primo.*

essentiæ respectu propriæ cognitionis, & intellectus concedunt, sumitur ex ratione obiecti motiui, quæ in creaturis reperitur, & explicatur per analogiam ad illam; sed ratio obiecti physicè motiui in creatis, non saluatur per hoc, quod est dare esse cognitioni, aut intellectui physicè constitutiuè, & intrinsecè, sed extrinsecè specificatiuè finaliter, aut effectiuè; ergo vt saluetur in Deo, constitui debet vt dans esse cognitioni, & intellectui diuino aliquo ex prædictis modis, non quidem influxu reali formali, qui imperfectionem importat, sed influxu virtuali, in quo nulla imperfectio importatur, & qui nequit absque distinctione virtuali subsistere.

99 *Secundo, Falsitas consequentis prob. primo.* Secundo reijcitur: nam sequitur Angelum comprehendentem se ipsum habere pro obiecto physicè motiuo comprehensionis sui propriam sui cognitionem; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Falsitas consequentis constat primo: quia nullus Theologorum id docuit. *Secundo.* Secundo: quia non ipsa, sed substantia Angeli est, quæ vnitur intellectui proprio, vt species in cognitione, qua se comprehendit; & consequenter non ipsa, sed propria substantia est, quæ rationem *Tertio.* obiecti physicè motiui talis cognitionis sortitur. Tùm tertio, quia obiectum secundario per cognitionem attactum, non est motiuum illius: Angelus autem, dum comprehendit se ipsum non attingit propriam cognitionem primario, sed secundario in substantia primo cognita; ergo Angelica cognitio non est obiectum physicè motiuum sui.

100 *Quarto Deinde probatur sequela.* Tùm denique: nam, esto in Deo non sit necessaria realis, aut virtualis distinctio cognitionis ab obiecto motiuo, in creaturis autem realem distinctionem requiri, est communis Metaphysicorum sententia, nullo, quem viderim, dempto. Sequela verò probatur; cognitio Angeli est obiectum cognitum per actum quo se comprehendit; & aliàs tali actui dat esse physicè constitutiuè intrinsecè: nam talis cognitio non alio à se, sed se ipsa intrinsecè formaliter constituitur; ergo si hæc sufficiunt ad rationem obiecti physicè motiui, erit prædicta cognitio obiectum physicè motiuum sui.

101 *Vera argumenti solutio.* Quare, prætermissis his solutionibus, ad argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem: etenim natura diuina non constituitur metaphysicè actuali intellectione, sed per intelligere radicale virtualiter distinctum ab intellectu per modum actus primi, & ab intellectione actuali, vt constat ex dictis *supra Disput. 4.*

102 *Oppones.* Si dicas, esto ita sit, negari tamen non potest esse in via Diui Thomæ probabile Dei naturam Metaphysicè constitui per actualem intellectionem; sed constitutiuum Metaphysicum diuinæ naturæ non potest ab illa virtualiter distingui, nec aliquid prius se præsupponere: ergo saltim est in via Diui Thomæ probabile intellectionem actualem non distingui virtualiter à diuina natura, nec in Deo supponere prædicatum aliquod, etiam virtualiter prius, à quo specificari possit specificatione virtuali; ex quo vlterius sequitur non posse à diuina essentia, vt obiecto motiuo virtualiter specificari.

103 *Respond.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem: plures enim Dei naturam constituentes actuali intellectione, admittunt in Deo radicem virtualem, & principium proximum intellectionis; & consequenter virtualem distinctionem recognoscunt inter illa, quo non obstante, defendunt non consistere adæquatè in radice intelligendi, nec in principio proximo intellectiuo, prout præcedunt virtualiter actualem intellectionem, sed in omnibus his prædicatis, illorum quolibet inadæquatè ingrediente constitutionem naturæ diuinæ, & omnibus simul sumptis adæquatè constituentibus. Ita Pe- *Cornejo. Crux.* trus Cornejo *in hac quæstione articulo quarto dub. secundo, tertio, & quarto*, cuius sententiam sequutus est, & transcripsit Andræas à Cruce *disputatione 83. dub. primo, secundo, & tertio.*

104 Iuxta quam facile erit componere virtualem specificationem intellectionis, & intellectus à natura diuina, vt ab obiecto formali motiuo, non enim minus est de ratione principij vitalis ad actum vitæ supponi, quam de ratione obiecti motiui actum specificatum præcedere; ergo sicut cum ratione principij radicalis, & proximi componunt præfatæ sententiæ Auctores Dei naturam intellectione actuali constitui, poterit eadem probabilitate componi intellectionem, & intellectum diuinum habere naturam Dei pro obiecto formali motiuo, & nihilominus esse de constitutione Metaphysica illius: vnde consequenter ad illam doctrinam distinguenda est minor, & concedenda de distinctione virtuali adæquata, neganda autem de distinctione inadæquata constitutiui Metaphysici à natura constituta, potest enim vna, & eadem natura pluribus prædicatis virtualiter inadæquatè distinctis constitui, quorum vnum supponatur ad aliud, illudque virtualiter specificet.

Secundo principaliter arguitur: diuina essentia est motiuum intellectus diuini, prout est in se; sed diuina essentia in se est attributa, & relationes: ergo vt 105 *Arg. 2.* mouet intellectum diuinum est attributa, & relationes; & consequenter omnes Dei formalitates sunt obiectum motiuum intellectus diuini. Consequentia tenet. Minor constat; nam diuina essentia solum ratione ratiocinata distinguitur ab attributis, & relationibus: ergo vt in se est attributa, & relationes. Maior etiam non minus nota videtur: nam quod sit obiectum motiuum, non conuenit essentiæ diuinæ per nostram considerationem: ergo prout est in se sortitur rationem obiecti motiui.

Et augetur difficultas: nam obiectum motiuum intellectus diuini debet esse perfectissimum; sed essentia vt distincta ab attributis, & relationibus non est 106 *Cōfirmatur 1.* omnium perfectissimum; cum conflatum ex essentia, attributis, & relationibus sit perfectius essentia, vt ab attributis distincta: ergo obiectum motiuum non est sola essentia, vt ab attributis distincta, sed vt attributa, relationesque comprehendit.

Confirmatur, & vrgetur secundo: nam obiectum motiuum intellectus diuini est aliquid supernaturale; *Cōfirmatur 2.* sed Deus vt vnus supernaturalis non est; cum ratione naturali cognoscatur à nobis, benè tamen Deus vt Trinus, qua ratione naturalem nostram cognitionem excedit: ergo Deus, vt Trinus, est obiectum formale motiuum intellectus diuini; & consequenter relationes diuinæ excludendæ non sunt ab illius obiecto motiuo.

Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: identitate reali formali, concedo minorem: 107 *Respond.* virtuali, nego minorem, & consequentiam; vt enim essentia diuina moueat, & non attributa, & relationes, sufficit virtualis distinctio, quamuis moueat prout in se, & vt sic sit attributa, & relationes, sicut virtualis distinctio inter paternitatem, & essentiam, sufficit, vt essentia communicetur Filio, & non communicetur Paternitas, & distinctio virtualis naturæ à personalitate Filij sufficit, vt hæc immediatè vniatur humanitati, & natura non vniatur immediatè, & distinctio virtualis inter veritatem, & bonitatem diuinam, sufficit, vt veritas, & non bonitas specificet intellectum, & bonitas, & non veritas specificet voluntatem: vnde sicut illa consequentia non valet: *Intellectus specificatur à veritate, vt in re: veritas vt in re est bonitas: ergo specificatur à bonitate*; quia veritas à bonitate virtualiter distinguitur: ita consequentia contra Nos facta non tenet ob similem distinctionem, quæ inter essentiam, attributa, & relationes versatur.

Sed dices: quia diuina essentia in se terminat visionem beatificam, & in se est attributa, & relationes, 108 *Replicabis.* inferunt Discipuli Diui Thomæ *supra quæstione 12. articulo quinto, & sexto*, non posse videri essentiam non visis attributis, & relationibus: ergo pariter ex eo quod moueat intellectum diuinum vt in se, & prout sic sit attributa, & relationes, rectè colligitur, non posse essentiam mouere, quin moueant attributa, & relationes.

Respond. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; ratio autem discriminis est: nam in terminando conueniunt omnes diuinæ formalitates, secus autem in mouendo, & ideò non potest vna terminare cognitionem intuitiuam, altera non terminante, aut latente cognitionem, potest autem vna mouere altera non mouente, etiā si prout in se moueat, sicut non potest veritas diuina videri latescente bonitate; potest autem veritas specificare intellectum tanquam ratio formalis *sub qua*, bonitate non specificante, & similiter non potest amari bonitas amore cōprehensiuo non amata veritate, & tamen potest bonitas specificare voluntatē non specificante veritate, cuius ratio alia esse nequit, nisi quia in terminando conueniunt, secus in specificando. Et quidem certissimum est in doctrina Diui Thomæ, non posse comprehendi omnipotentiam non cognitis possibilibus; & tamen potest omnipotentia mouere, quin possibilia motiuè ad cognitionem concurrant.

Ad primam confirmationem, distinguo maiorem: 109 debet

Ad 1. confirmationem. debet esse perfectissimum inter omnia prædicata diuisiuè, omitto maiorem collectiuè, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet diuina essentia non excedat omnia prædicata diuina sumpta collectiuè singula tamen excedit, & formale obiectum motiuum intellectus diuini non petit excessum ad collectionem omnium formalitatum cognoscibilium à Deo, sed sufficit, quod excedat omnia illa diuisiuè.

110 *Ad 2.* Ad secundam confirmationem, concessa maiori, nego minorem: nam Deus non solum vt trinus, sed etiam vt vnus supernaturalis est entitatiuè in omnium Theologorum sententia. Nec obstat a nobis ratione naturali cognosci *quoad an est* mediatè, & abstractiuè: hoc namque solum conuincit Deum vt vnum, non esse supernaturalem in ratione cognoscibilis abstractiuè, mediatè, & *quoad an est*, quod libenter fatemur, non autem quod entitatiuè supernaturalis non sit; aliàs non solum à posteriori, & *quoad an est*, posset Deus à nobis viribus naturæ cognosci, sed etiam posset vt vnus cognosci quidditatiuè per solas vires naturæ, & à priori possent illius absolutè perfectiones naturaliter perfectè demonstrari, imo & posset quatenus vnus naturaliter intuitiuè videri, quod communi Theologorum sensui repugnat; ratio autem cur vt vnus sit supernaturalis entitatiuè, non autem in ratione cognoscibilis cognitione mediata, & abstractiua, & vt Trinus vtroque modo supernaturalis sit, ea est, quia vt Vnus cum effectibus naturæ connectitur, secus autem vt Trinus, & ideò potest vt Vnus viribus naturæ *quoad an est*, & abstractiuè cognosci, secus autem vt Trinus. De quo *infra quæstione 32. articulo primo*.

111 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur: non solum natura, sed etiam attributa, & relationes diuinæ ratione sui sortiuntur rationem speciei: ergo non solum natura, sed etiam attributa, & relationes sunt ratione sui obiectum formale motiuum intellectus diuini. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autem probatur: ideò natura diuina est ratione sui species, qua diuinus intellectus intelligit, quia est actus purus omnem potentialitatem excludens: sed etiam attributa, & relationes ratione sui, quatenus à diuina essentia distincta, sunt actus purus, omnemque potentialitatem excludunt; aliàs summe perfecta non essent; cum potentialitas sit imperfectio; & consequenter potentialitatem includens summè perfectum non sit: ergo attributa, & relationes ratione sui, quatenus ab essentia distincta, sunt species, qua illa diuinus intellectus intelligit.

112 *Quorundam solutio.* Huic argumento quidam, quos sine nomine referunt PP. Salmanticenses *tract. 3. de scientia Dei disput. 3. dub. 2. num. 31.* respondent, attributa, & relationes quantum est de se posse ratione sui, quatenus ab essentia distincta, vniri per modum speciei cum intellectu diuino, non tamen vniri de facto, eo quod præueniuntur à diuina essentia vnita per modum speciei, non solum ad sui, sed etiam ad cognitionem omnium, quæ reperiuntur in Deo. Ex quo non sequitur de facto esse obiectum formale motiuum intellectus diuini, sed solum posse quantum est de se rationem obiecti motiui obtinere. Quam solutionem vt probabilem prædicti Patres admittunt.

113 *Reijcitur primo.* Hæc tamen solutio difficilis redditur primo: nam exercitium non liberum formalitatibus diuinis possibiliter conueniens, necessario illis conuenit; sed actualis vnio cum intellectu diuino in ordine ad intellectionem sui, non conuenit necessario attributis, & relationibus; & alias liberum exercitium non est, sicut creaturarum cognitio, aut volitio, & terminatio naturæ creatæ: ergo non est illis possibilis, etiam quantum est de se.

Secundo. Secundo: nam quod alicui ab intrinseco repugnat, non est illi, quantum est de se, possibile; cum possibilitas ab intrinseco, & intrinseca repugnantia sint prædicata opposita; sed attributis, & relationibus ab intrinseco repugnat vniri cum diuino intellectu sub munere, & conceptu speciei: ergo non est illis, quantum est de se, possibile. Minor, cui inest difficultas, probatur: attributis, & relationibus ab intrinseco conuenit supponere diuinam essentiam vnitam per modum speciei cum intellectu diuino ad cognitionem omnium, quæ formaliter competunt Deo; sed cum hac suppositione non stat ipsa vniri sub munere, & conceptu speciei: ergo huiusmodi vnio illis ab intrinseco repugnat.

114 *Tertio.* Tertio: non enim stat formam aliquam ab intrinseco exigere carere effectu formali, aut exercitio sibi quantum est de se possibili; sed attributa, & relationis ab intrinseco petunt præuiam vnionem essentiæ ad modum speciei, cum qua vnione non compatitur ipsa vt species vniri; & consequenter ab intrinseco petunt huiusmodi vnione carere; ergo huiuscemodi vnio non est illis, quantum est de se possibilis.

Quarto. Denique: nam id, quod de se est per se ipsum intelligibile, non potest per aliud intelligibile reddi, vt *fuse* ostendunt Discipuli Diui Thomæ *supra quæstione 12. articulo secundo*, ex hoc principio inferentes implicare speciem impressam quidditatiuam Dei; sed de facto attributa, & relationes constituuntur *proximè* intelligibilia ab intellectu diuino ratione diuinæ essentiæ vnitæ per modum speciei: ergo ratione sui proximè intelligibilia non sunt; & consequenter non possunt vniri per modum speciei cum intellectu diuino.

Vnde aliter argumento facto respondeo, negando antecedens. Ad probationem, distinguo maiorem: ex communi ratione actus puri, nego maiorem: quia est purus actus primordialis, omnes Dei perfectiones radicaliter continens, concedo maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: sicut namque licet natura Angeli, & illius proprietates in gradu immaterialitatis conueniant, sola natura vnitur intellectui proprio vt species, quia est radix cæterarum perfectionum; ita quamuis attributa, & relationes cum natura, in ratione actus puri conueniant, sola tamen natura est species qua diuinus intellectus omnes Dei formalitates cognoscit, quia est radix omnium illarum, & consequenter sufficiens ad omnia repræsentanda, & vt principium sit ad omnia illa cognoscenda, eo autem ipso, quod natura diuina sit species reddens intelligibilia proximè attributa, & relationes, non possunt esse ratione sui proximè intelligibilia, ac proinde nec ratione sui possunt gerere munus speciei, qua diuinus Intellectus attributa, & relationes cognoscat. 115 *Vera solutio vltimi argumenti.*

Sed dices: esto diuina essentia sit species repræsentans attributa mediatè in essentia vt prius repræsentata, non tamen est species illa immediatè repræsentans; sed possunt attributa diuina mediatè, & immediatè repræsentari: ergo sortiuntur rationem speciei repræsentantis immediatè se ipsa. Maior cum consequentia tenet. 116 *Replicabis.*

Minor autem ostenditur primo: potest namque effectus creatus mediatè per speciem causæ repræsentari, & per propriam speciem immediatè intellectui creato: ergo pariter attributa diuina, quæ sunt veluti effectus essentiæ, possunt diuino intellectui repræsentari per speciem essentiæ mediatè, & per se ipsa immediatè. *Minor probatur primo.*

Secundo: nam quod potest mediatè, & immediatè cognosci, potest mediatè, & immediatè repræsentari; sed attributa diuina possunt mediatè, & immediatè cognosci, & de facto sic cognoscuntur: nam lumen intellectus diuini non sistit in sola essentia, sed in illa prout est lumen principiorum attributa intuetur, cognitio verò scientifica, attributa in se ipsis attingit frequentiori Thomistarum sententia distinguente lumen principiorum, & scientificum in Deo: ergo possunt intellectui diuino mediatè, & immediatè repræsentari. 117 *Secundo.*

Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; ratio autem discriminis est, quia repræsentatio effectus per speciem causæ creatæ, non necessario supponitur ab effectu vt cognoscendo, & ideò datur locus repræsentationi effectus per propriam speciem immediatè; repræsentatio autem attributorum Dei per diuinam essentiam, necessario in omni attributorum cognitione supponitur, & cum aliunde omni illorum cognitioni sufficiat, non adest locus repræsentationi per speciem distinctam. 118 *Respond. Ad 1. probationem minoris.*

Ad secundam, distinguo maiorem: quod potest mediatè, & immediatè cognosci immediatione, tam vt *quod*, quam vt *quo*, prætermitto maiorem: immediatione solum vt *quod*, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; quia licet attributa, & relationes possint cognosci immediatè immediatione excludente essentiam mediantem vt *quod* respectu scientificæ cognitionis, non tamen possunt immediatè cognosci immediatione excludente essentiam vt medium *quo*; eo autem ipso, quod essentia diuina sic mediet, sufficit ipsa pro specie vt *quo* cognitionem illam principiante ex parte obiecti; ac proinde excluditur necessitas alterius speciei, sicut quamuis ens rationis à nostro intellectu immediatè vt *quod* cognoscatur, hoc est, 119 *Ad secundam.*

quia

quin ens reale vt *quod* cognitionem illam terminet, quia tamen ens reale mediat vt obiectum *quo* illius, specie distincta à specie entis realis non indiget.

120 *Instabis.* Instabis: esto diuina essentia vt *quo* mediet respectu cognitionis scientificæ, quia tamen non mediat vt *quod* distincto lumine attingitur ab eo quo essentia cognoscitur vt *quod* immediatè, & mediatè attributa, nempè, lumine scientifico, quod in frequentiori Thomistarum sententia realiter in nostro intellectu, & virtualiter in intellectu diuino distinguitur à lumine principiorum: ergo pariter quamuis mediet vt *quo*, quia tamen non mediat vt *quod*, indiget distincta specie; & consequenter licet per diuinam essentiam vt speciem repræsententur prout secundario terminant actum luminis principiorum, prout tamen primario vt *quod* terminant actum scientificæ cognitionis, se ipsis repræsentantur, & gerunt munus speciei.

121 *Respond.* Respondeo, negando consequentiam; nam vna species sufficit ad plures cognitiones subordinatè se habentes; cognitio autem scientifica attingens vt *quod* attributa, & vt *quo* naturam diuinam, subordinatè se habet ad illam, qua essentia vt *quod*, & in illa attributa secundario cognoscuntur, & ideò diuina essentia sufficiens ad primum vt species, sufficiens est pro secundo, ac proinde omnis alia species superfluit. *Instatur argumentum.* Et quidem potest Angelus vnam speciem, v.g. humanam, actu distincto cognoscere ab illo, quo naturam equi cognoscit, & tamen ad hoc species distincta non petitur ab ea, quæ genus animalis adæquatè repræsentat.

§. VII.

Obiectum formale terminatiuum intellectus diuini explicatur.

122 *Quarta conclusio.* SIT QVARTA CONCLVSIO. *Obiectum formale primarium terminatiuum intellectus diuini, est diuina essentia vt distincta virtualiter ab attributis, & relationibus.* Hanc tenent Auctores pro conclusione præcedenti relati excepto Nazario, qui distinguens inter obiectum formale motiuum, & terminatiuum, docet, essentiam diuinam solam esse obiectum motiuum intellectus diuini, secus autem terminatiuum, sed hoc amplecti attributa, & relationes. *Illam probant aliqui Recentiores primo.* Illam probant Recentiores Thomistæ primo ex D. Thom. *art.* 4. asserente, in Deo intellectum, speciem intelligibilem, actualem intellectionem, & obiectum intellectum esse omnino vnum, & idem. Ex quo videtur inferri statuisse D. Thomam identitatem non solum realem formalem, verum etiam virtualem inter intellectum diuinum, & obiectum eius primarium: nam ly *omnino* omnem distinctionem excludit, distinctio autem virtualis aliqua distinctio est, & consequenter exclusa ab Angelico Doctore inter intellectum diuinum, & obiectum eius primarium; sed attributa, & relationes virtualitèr distinguuntur ab intellectu diuino: ergo sunt extra obiectum formale primarium diuini intellectus; & consequenter sola essentia, & natura diuina, quæ ab intellectu Dei est virtualiter indistincta, est objectum eius terminatiuum formale, & primarium.

123 *Secundo.* Secundo probant ratione: nam intellectus vt sic petit identitatem cum obiecto intelligibili cum de facto illud intelligit: ergo in supremo sui analogato petit summam identitatem cum illo; sed summa identitas omnem distinctionem excludit: ergo petit in supremo analogato, qualis est intellectus diuinus, identitatem excludentem omne genus distinctionis; & consequenter intellectus diuinus cum obiecto suo primario non solum est realiter formaliter idem, verum etiam virtualiter.

124 *Tertio.* Tertio: nam intellectus, & obiectum eius primarium debent conuenire in gradu immaterialitatis; sed sola diuina essentia conuenit cum diuino intellectu in gradu immaterialitatis: ergo sola essentia est obiectum formale primarium intellectus diuini. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: intellectus, & intellectio diuina; cum constituant metaphysicè naturam, sunt re, & ratione indistincta ab existentia, & vltima actualitate; sed attributa, & relationes virtualiter, & ratione ratiocinata distinguuntur ab existentia; cum existant per existentiam essentiæ, quæ non minus quam essentia virtualitèr ab illis distinguitur: ergo non sunt in eodem gradu actualitatis cum intellectu diuino; & consequenter nec in eodem gradu immaterialitatis: nam actualitas, & immaterialitas in Deo non distinguuntur.

Hæc tamen argumenta non vrgent. Non primum; vt vnim §. 5. monstrauimus, D. Thomas illis verbis non intendit identitatem oppositam distinctioni virtuali, sed solum reali formali; hanc autem habent attributa, & relationes cum intellectu diuino: ergo ex doctrina D. Thomæ allegata, non probatur, quod non sint obiectum formale illius. Nec magis vrget secundum: nam concesso antecedenti, consequens est distinguendum, concedendumque de suprema identitate possibili intellectus cum obiecto primario, & negandum de identitate impossibili; identitas autem excludens virtualem distinctionem, impossibilis est inter intellectum, & eius obiectum primarium: nam eo ipso quod subsistat ratio obiecti, debet intercedere specificatio, vel realis, vel virtualis; & consequenter saltim virtualis distinctio: vnde vel negandum est obiectum diuino intellectui, vel asserendum distingui virtualiter ab illo, sicut vel negari debet intellectioni diuinæ, quod sit obiectiuè actio, vel necessario est concedendum distingui virtualiter, & ratione ratiocinata à principio, & natura intellectiua; non enim est minus de ratione obiecti distingui ab actu, & potentia ab ipso specificatis, quam de ratione actionis a suo principio distingui. 125 *Hæc argumenta non vrgent. Ad 1. respondetur. Ad 2.*

126 *Ad tertium.* Nec denique tertium vrget; tum quia ex principijs dubijs in doctrina D. Thomæ procedit, nempe ex eo quod intellectus sit de constitutione metaphysica diuinæ naturæ, cuius contrarium *disp* 4. §. 3. monstrauimus, & ex eo quod essentia diuina ab existentia actuali virtualiter sit indistincta, quod etiam incertum est in doctrina D. Thomæ, & oppositum, vt probabilius defenditur à pluribus eius discipulis. Tum etiam; nam gratis vtroque principio concesso, nempè, intellectum diuinum Dei naturam metaphysicè constituere, & hanc ab existentia actuali virtualiter esse indistinctam, & quod attributa, & relationes virtualiter distinguantur ab existentia, qua existunt, nempè, ab existentia essentiæ, adhuc non sequitur, attributa, & intellectum non conuenire in gradu immaterialitatis: ergo, gratis tota illa doctrina admissa, non benè excluduntur ab obiecto formali primario terminatiuo intellectus diuini. *Antecedens probatur 1.* Antecedens, in quo solo est posita difficultas, ostenditur primo: nam ex tradita doctrina solum sequitur excessus specificus naturæ, & intellectus diuini supra attributa, & relationes in ratione actualitatis, & immaterialitatis; sed cum excessu specifico stat conuenientia in gradu, vt omnibus est manifestum, & ex dicendis constabit: ergo ex illa non colligitur, quod attributa, & relationes non conueniant in gradu immaterialitatis cum intellectu diuino.

Secundo idem antecedens probatur: natura Angelica perfectior est intellectu ad illam sequuto in ratione actualitatis, & immaterialitatis; vnus etiam Angelus est alio in ratione immaterialitatis perfectior; & tamen inter hæc omnia datur conuenientia in gradu: ergo pariter, esto intellectus diuinus actualior sit attributis ob rationem assignatam; & consequenter illa in ratione immaterialis excedat non ideo cum illis in gradu immaterialitatis non conuenit. Tertio; nam gradus immaterialitatis diuinæ consistit in exclusione materiæ, & omnis potentialitatis; sed attributa diuina, esto sint ab existentia, qua existunt, virtualiter distincta, materiam, & omnem potentialitatem excludunt: ergo, non obstante illo discrimine inter attributa, & intellectum diuinum, conueniunt in gradu immaterialitatis. 127 *Secundo probatur antecedens. Tertio.*

Quod amplius vrgetur: attributa namque Dei pertinent per se ad aliquem gradum immaterialitatis; sed non continentur in gradu immaterialitatis creatæ: ergo per se spectant ad gradum immaterialitatis diuinæ. Confirmatur, & vrgetur secundo: attributa & ens pertinent ad eundem immaterialitatis gradum: ergo attributa naturæ diuinæ, & ipsa natura in eodem gradu immaterialitatis existunt; & consequenter ex defectu conuenientiæ in gradu immaterialitatis, non sunt excludenda attributa ab obiecto formali primario terminatiuo intellectus diuini conueniente diuinæ naturæ. 128 *Confirmatur 1. Confirmatur 2.*

Tandem ab alijs arguitur pro nostra sententia: nam attributa, & relationes sunt immaterialia ratione essentiæ diuinæ, essentia autem ratione sui: ergo essentia ratione sui est intelligibilis ab intellectu diuino: attributa verò, & relationes ratione essentiæ, & consequenter essentia est obiectum formale terminatiuum intellectus diuini. Antecedens, in quo solo est posita difficultas, probatur: in Deo immaterialitas, & actualitas sunt omnino vnum, & idem; sed essentia ratione sui est actualis, attributa autem, & relationes sunt actualia actualitate essen- 129 *Denique alij arguunt.*

essentiæ diuinæ, & ratione illius: cum ratione essentiæ existant per existentiam essentiæ, vt communiter docetur à discipulis Diui Thomæ non agnoscentibus existentias relatiua realiter inter se distinctas, nec existentias virtualiter distinctas, quibus attributa existant: ergo essentia ratione sui immaterialis est, attributa vero, & relationes sunt immaterialia ratione solius essentiæ, quam transcendentaliter imbibunt.

130 *Nec ista ratio placet.* Hoc argumentum efficaciter nostram sententiam suaderet, si vera esset antecedentis doctrina, quod, nempè, attributa, & relationes ratione illius, quod superaddunt essentiæ non gauderent propria actualitate, sed solum ratione essentiæ inclusæ actualia, & immaterialia essent; hæc autem doctrina est falsa, & ideo argumentum non concludit. Assumptum probatur: nam licet actualitas existentiæ vna, & eadem sit in omnibus attributis, & diuinis relationibus, eo quod omnia existunt per existentiam essentiæ, actualitas tamen entitatiua multiplicatur in illis, virtualiter quidem in attributis, & relationibus realiter; sed immaterialitas non consistit in actualitate existentiæ, sed in actualitate essentiæ, vel entitatis: ergo attributa, & relationes non sunt immaterialia formaliter ratione solius essentiæ, quam transcendentaliter claudunt, sed etiam ratione illius, quod superaddunt essentiæ. Maior, cui inest difficultas, probatur, actualitas entitatiua prout distincta ab actualitate existentiæ, est idem cum entitate; sed attributa, & relationes ratione illius, quod superaddunt essentiæ, sunt entitates reales, & entitas virtualiter multiplicatur in attributis, & relationibus realitèr: ergo ratione illius, quod supperaddunt essentiæ, sunt actualia actualitate entitatiua, & hæc in attributis virtualiter multiplicatur, & in relationibus realiter.

131 *Probatur nostra conclusio.* His igitur argumentis omissis, suadetur conclusio hac ratione: illud est obiectum formale primarium alicuius potentiæ, quod ratione sui à tali potentia attingitur, & ratione cuius cætera attinguuntur ab illa, sed essentia diuina, vt virtualiter ab attributis distincta ratione sui attingitur ab intellectu diuino, attributa vero, & relationes ratione diuinæ essentiæ: ergo hæc vt ab illis distincta, est obiectum formale terminatiuum primarium intellectus diuini. Illatio tenet. Maior probatur, & explicatur simul, quia namque ens reale, vt sic, ratione sui attingitur à nostro intellectu, alia vero quæ continentur sub ente, attinguntur ratione illius, ens reale vt sic est obiectum formale primarium specificatiuum nostri intellectus: similiter, quia coloratum lucidum vt sic, ratione sui attingitur a potentia visiua, hoc autem, & illud coloratum ratione lucidi colorati comparantur ad illam, lucidum coloratum vt sic, est obiectum formale primarium potentiæ visiuæ, & sic de alijs potentijs, & habitibus: ergo illud est obiectum formale primarium alicuius potentiæ, quod ratione sui à tali potentia attingitur, & ratione cuius alia attinguuntur ab ipsa. Minor

Minor pro. 1. parte probatur dupliciter. autem proprima parte constat: nam essentia diuina ratione sui est species, qua illam diuinus intellectus intelligit: ergo ratione sui attingitur ab intellectu diuino. Deinde, quia essentia diuina est summe proportionata cum diuino intellectu, nec excogitari potest, quid illi desit, vt ratione sui attingatur ab illo.

132 *Quoad secundam partem probatur 1.* Quod autem ratione diuinæ essentiæ attingantur alia ab intellectu diuino, ostenditur primo: quia namque diuina essentia est infinita simpliciter in ratione speciei, non solum est ratio cognoscendi se ipsam per modum speciei, sed etiam creaturas, & omnia alia, quæ cognoscuntur à Diuino intellectu; sed etiam in ratione obiecti cognoscibilis, & repræsentabilis est infinita simpliciter: ergo non solum est ratio obiectiua cognoscendi se ipsam sed etiam omne obiectum cognoscibile ab intellectu diuino. Secundo probatur: quia namque ens reale

Secundo. vt sic ratione sui cognoscitur à nostro intellectu, & aliàs per transcendentiam includitur in omni entitate creata, est illi sufficiens ratio cognoscendi quamlibet entitatem creatam; sed diuina essentia vt distincta ab attributis ratione sui cognoscitur à diuino intellectu, & alias transcendit omnem perfectionem, & formalitatem diuinam, siue relatiuam, siue absolutam: ergo est ratio obiectiua intellectui diuino cognoscendi omnem diuinam formalitatem.

133 *Tertio.* Tertio: nam ratio, ob quam in opposita sententia ens diuinum commune per transcendentiam logicam omnibus prædicatis diuinis, est ratione cuius huiusmodi prædicata attinguuntur à diuino intellectu, est, quia in illis per intimam transcendentiam imbibitur; sed diuina essentia vt ab attributis distincta, etiam includitur per intimam transcendentiam in attributis, & relationibus, licet non logica, sed physica transcendentia, vt fusè ostendemus *Tract. de Trinitate quæst. 28.* ergo ratione illius possunt attributa, & relationes attingi ab intellectu diuino. Quarto: nam ideo diuina essentia est intellectui diuino ratio ex parte obiecti cognoscendi *Quarto.* creaturas, quia illas continet eminenter; sed etiam continet eminenter attributa, & relationes: ergo est ratio intellectui diuino terminationis ad illa.

Denique: nam quod non ratione sui, sed ratione essentiæ repræsentatur intellectui diuino per speciem, qua 134 redditur ad intelligendum fecundus, non ratione sui, sed *Quinto.* ratione essentiæ cognoscitur; sed attributa, relationes, & creaturæ non ratione sui, sed ratione essentiæ repræsentantur intellectui diuino: ergo non ratione sui, sed ratione essentiæ cognoscuntur ab ipso. Consequentia tenet. Maior est certa: nam idem ordo seruatur inter obiecta in terminando cognitionem, atque in terminando repræsentationem: vnde quia ens rationis, non per propriam speciem, sed per speciem entis realis secundario repræsentatur, non primario, sed secundario ab intellectu nostro cognoscitur; nec alia ratione creaturæ secundario cognoscuntur à Deo, nisi quia secundario repræsentantur per speciem, qua diuinus intellectus intelligit: ergo vniuersaliter verum est id, quod non ratione sui, sed ratione alterius per speciem repræsentatur, non ratione sui, sed ratione alterius terminare cognitionem; & consequenter, quod non ratione sui, sed ratione essentiæ repræsentatur intellectui diuino: non ratione sui, sed ratione essentiæ attingitur à diuino intellectu.

Minor autem probatur: nam species, quæ non est per se primo ordinata ad repræsentandum, sed ad essendum, 135 primo repræsentat se, alia autem ratione sui, vel quia illa eminenter, aut radicaliter continet, vel quia in illis intimè includitur, vel quia cum eis identificatur; sed diuina essentia vt distincta ab attributis, quæ sola est species, qua diuinus intellectus intelligit, vt ex superioribus constat, non est per se primo ordinata ad repræsentandum alia; hæc enim ordinatio est imperfectio soli enti intentionali conueniens: ergo primo repræsentat se ipsam, alia autem ratione sui, vel quia illa eminenter continet, nempè, creaturas, vel ratione continentiæ radicalis, vel ratione transcendentiæ, vt attributa, & relationes; & consequenter hæc omnia non ratione sui, sed ratione essentiæ repræsentantur intellectui diuino.

Explicatur, & vrgetur primo: quia namque substantia Angeli non est species per se primo ordinata adre- 136 *Confirmatur 1.* præsentandum, primario repræsentat se ipsam proprio intellectui, proprietates autem, & cæteras perfectiones, non ratione illarum, sed ratione sui; sed diuina essentia est species non ordinata per se primo vt repræsentet: ergo per se primo repræsentat se ipsam. attributa veiò, & relationes, etsi quæ sunt aliæ diuinæ formalitates, non ratione illarum, sed ratione sui, vt in illis inclusæ transcendentaliter, vel vt illa radicaliter continentis, repræsentat intellectui diuino. Confirmatur, & vrgetur se- *Confirmatur 2.* cundo: quia creaturæ cognitæ à Deo non vniuntur ratione sui, vt species cum diuino intellectu, non repræsentantur ratione sui, sed ratione essentiæ; sed attributa, & relationes non vniuntur vt species ratione sui, sed ratione essentiæ diuinæ: ergo non ratione sui, sed ratione essentiæ repræsentantur.

Confirmatur, & vrgetur vltimo: si attributa, & rela- 137 *Confirmatur.* tiones ratione sui repræsentarentur per speciem, qua diuinus intellectus intelligit, & non ratione essentiæ, quam transcendentaliter claudunt, vel in qua radicaliter continentur, non solum essent obiectum formale terminatiuum, sed etiam essent obiectum formale motiuum; hoc secundum negant Auctores, contra quos disputamus: ergo & primum negare tenentur. Probo sequelam: ad rationem obiecti motiui non exigitur, quod se ipso vniatur per modum speciei, nec quod causet efficienter speciem impressam sui, sed sufficit, quod ratione sui repræsentetur per speciem, vt constat in vno Angelo, quatenus ab alio cognito, qui absque dubio otinet rationem obiecti motiui; & tamen, nec vnitur per se ipsum intellectui alterius, vt species, nec efficienter causat speciem sui residentem in illo, sed à Deo immediate infunditur, vt cum D. Thoma docent communiter Theologi *1. p. quæst. 55. art. 2. & quæst. 56. art.* etiam 2. sed ideo solum sortitur rationem obiecti motiui, quia ratione sui repræsentatur per speciem à Deo infusam: ergo si attributa, & relationes ratione sui pro eo quod addunt essentiæ, repræsentantur per speciem, qua diuinus intellectus intel-

intelligit, non solum sunt obiectum formale terminatiuum, sed etiam formale motiuum intellectus diuini, quod, vt dixi, inficiantur Auctores, contra quos nostra conclusio procedit.

§. Vltimus.

Argumentis contra nostram conclusionem occurritur.

138 *Arguitur primo.* ARGVITVR primo: eo modo comparantur attributa in ratione veri, & cognoscibilis ad intellectum diuinum, quoad diuinam voluntatem in ratione boni, & appetibilis; sed ratione sui comparantur ad voluntatem diuinam vt obiectum formale terminatiuum: ergo etiam ratione sui terminant intellectum diuinum. Consequentia tenet. Maior est certa: non enim potest aliqua discriminis ratio assignari. Minor autem probatur primo ex D. Thoma *lib. 1. Contra Gentes cap. 74. ratione. 5.* illis verbis: *Diuina voluntati nihil ex aequo proportionatur, nisi eius essentia: igitur principale obiectum diuinæ voluntatis est diuina essentia; cum autem diuina essentia sit Dei intelligere, & omnia alia quæ in ipse esse dicuntur, manifestum est, quod eodem modo principaliter vult se intelligere, se velle, se esse vnum, & quidquid aliud est huiusmodi*; sed si essentia diuina vt distincta ab attributis esset formale obiectum terminatiuum diuinæ voluntatis, attributa autem solum ratione essentiæ amarentur à Deo, non vellet eodem modo essentiam, & attributa; non enim eodem modo comparantur ad potentiam obiectum secundarium, & primarium, nec obiectum terminatiuum formale, & obiectum materiale: ergo attributa ratione sui terminant voluntatem diuinam. *Minor probatur primo.*

139 *Secundo, probatur minor.* Secundo probatur: nam obiectum formale voluntatis diuinæ est bonitas increata; sed hæc attributis conuenit, non solum ratione essentiæ, sed etiam ratione sui pro eo quod addunt essentiæ: ergo ratione sui sunt obiectum formale terminatiuum voluntatis diuinæ. *Tertio.* Tertio: nam Deus amari à nobis potest, non solum quia Deus, sed etiam quia sapiens, quia iustus, quia misericors, & sic de alijs perfectionibus, sicut vnus homo potest ab altero amari non solum quia homo est, sed etiam ratione sapientiæ, ratione pulchritudinis, ratione fortitudinis, & aliarum perfectionum: ergo ratio formalis terminandi voluntatem diuinam in Deo, non solum est Dei natura, sed etiam quodlibet attributum ratione illius, quod essentiæ supperaddit, & ab essentia distinguitur.

140 *Respond. Ad 1. probationem minoris.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem ex D. Thoma dicatur, similitudinem tenere quoad rationem primatij, & principalis obiecti, non autem quoad omnia, ex quo tantum sequitur, attributa pertinere ad obiectum principale, hoc est primarium voluntatis diuinæ, & contineri sub illo, quod libenter fatemur, & inferius explicabimus, non autem, quod ratione illius quod explicant, & essentiæ superaddunt, sint obiectum formale terminatiuum voluntatis diuinæ, vt enim ad obiectum primarium diuinæ voluntatis pertineant, sufficit habere in se inclusam transcendentaliter essentiam, & naturam diuinam, quæ est obiectum eius formale, vt constat in homine, & equo contentis sub obiecto primario nostri intellectus, non quia ratione illius, in quo distinguuntur, formaliter illum specificent, sed quia includunt per intimam transcendentiam rationem entis realis, quæ est obiectum formale specificatiuum illius: ita similiter misericordia, iustitia, & omnipotentia diuina non pertinent ad obiectum secundarium diuinæ voluntatis, sed ad principale, & primarium: vnde non liberè, sed necessario amantur à Deo, vt docet D. Thomas 1. *Contra Gentes c. 82.* non quia ratione illius, in quo inter se, & ab essentia virtualiter distinguuntur, sint ratio formalis motiua, aut terminatiua voluntatis diuinæ, sed quia transcendentaliter imbibunt essentiam, & naturam diuinam, quæ est ratione sui obiectum illius formale motiuum, & terminatiuum.

141 *Ad 2.* Ad secundam minoris probationem, distinguo maiorem: bonitas increata primaria, & radicalis virtute continens omnem Dei bonitatem, & in illa inclusa transcendentia reali formali; concedo maiorem: bonitas increata communis per logicam transcendentiam omni perfectioni diuinæ, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet bonitas diuina sequuta ad ens diuinum vt sic, & transcendens logicè omnem Dei perfectionem, attributis conueniat ratione illius, quod addunt ad essentiam diuinam, & in illis virtualiter multiplicatur; bonitas autem diuina primordialis, & radicalis, quæ est bonitas essentiæ, vt distinctæ ab attributis, non conuenit attributis ratione superadditi ad essentiam, sed ratione essentiæ inclusæ, & hæc est obiectum formale motiuum, & terminatiuum voluntatis diuinæ.

Ad tertiam; prætermisso antecedenti, nego consequentiam, vel claritatis gratia distinguo consequens: ratio formalis terminandi comparatione peculiaris actus, concedo consequentiam: comparatione potentiæ, nego consequentiam: plura namque obiecta, quæ formaliter comparantur ad actus, quos specificant, & ab inuicem distinguunt, materialiter comparantur ad habitus, & quæ respectu habituum se habent formaliter, non se habent formaliter, sed materialiter respectu potentiæ: vnde ex eo quod Deus possit à se amari, quia sapiens, sapientia formaliter obiectiué se habente, solum sequitur sapientiam secundum bonitatem, quam supperaddit essentiæ esse rationem formalem terminandi illum peculiarem actum amoris, non autem quod sit ratio formalis terminatiua voluntatis diuinæ, sicut homo vt distinctus ab equo est ratio formalis terminandi cognitionem sui, & tamen veritas peculiaris hominis prout ab equo distincti, non formaliter se habet comparatione intellectus, sed materialiter: nam intellectus respicit hominem, & equum sub ratione entitatis. Quæ doctrina amplius ex dicendis constabit. 142 *Ad tertiã.*

Secundo arguitur: ens diuinum commune per transcendentiam logicam omni perfectioni, & formalitati diuinæ, est obiectum formale terminatiuum diuini intellectus: ergo essentia diuina, vt ab attributis distincta, non est obiectum formale terminatiuum intellectus diuini. Consequentia euidens est. Antecedens autem ostenditur primo: non minus proportionatur ens diuinum cum diuino intellectu, quam ens vt sic cum intellectu creato; sed ens vt sic est obiectum formale terminatiuum intellectus creati: ergo ens diuinum est obiectum formale terminatiuum intellectus diuini. 143 *Secundo arguitur.* *Antecedens probatur 1.*

Secundo probatur: illud est obiectum formale terminatiuum intellectus diuini, quod illum obiectiue distinguit ab intellectu creato; sed ens diuinum sufficienter obiectiue distinguit intellectum diuinum ab intellectu creato specificato ab ente abstrahente à creato, & increato: ergo est obiectum formale terminatiuum intellectus diuini. Tertio: quamuis intellectus Angeli suas proprietates cognoscat per substantiam suam vt speciem, obiectum formale terminatiuum illius est commune essentiæ Angeli, & illius proprietatibus: ergo quamuis intellectus diuinus essentiam, attributa, & relationes per solam essentiam vt speciem cognoscat, obiectum formale terminatiuum illius non est essentia diuina, sed ens diuinum essentiæ, relationibus, & attributis commune. 144 *Secundo.* *Tertio.*

Quarto: nam illud est obiectum formale terminatiuum alicuius potentiæ, cum quo conuertitur ratio formalis sub qua specificatiua illius; sed ratio formalis sub qua specificatiua intellectus diuini non conuertitur cum essentia diuina vt distincta ab attributis, sed cum ente diuino transcendenti: nam ratio sub qua est veritas diuina, hæc autem ad ens diuinum consequitur, & cum illo se habet ad conuertentiam, non autem cum essentia diuina: ergo obiectum formale terminatiuum diuini intellectus non est essentia diuina vt distincta ab attributis, sed ens diuinum transcendens omnes perfectiones, & formalitates diuinas. Quinto: nam illud est obiectum formale terminatiuum intellectus diuini, cum quo conuertitur gradus immaterialitatis diuinæ, nempè, ratio actus puri omnem potentialitatem excludens: sed hæc non conuertitur cum essentia diuina; cum non solum prædicetur de ipsa, sed etiam de alijs perfectionibus Dei, bene tamen cum ente diuino vt sic; cum prædicetur de omni, de quo ipsum prædicatur, & de nullo alio enunciet ur: ergo idem quod prius. 145 *Quarto.* *Quinto.*

Denique: nam obiectum formale primarium terminatiuum alicuius potentiæ debet esse commune omni obiecto materiali inspecto a tali potentia; sed ens diuinum vt sic gaudet illa communitate, secus autem diuina essentia vt distincta ab attributis: ergo illud, non autem diuina essentia est obiectum formale terminatiuum intellectus diuini. Maior probatur, & explicatur simul, quia namque homo, & equus, v. g. sunt obiecta materialia intellectus creati, obiectum illius formale specificatiuum est aliquid vtrique per prædicationem commune: similiter obiectum metaphysicæ formale specificatiuum petit prædicari de omni obiecto materiali: & ratio est: nam aliter comparatur obiectum formale alicu- 146 *Sexto probatur antecedens.*

alicuius potentiæ, vel habitus ad obiecta materialia, atque ad obiecta secundaria, quæ alietas consistit in eo quod ad rationem obiecti secundarij, sufficit quod dicat habitudinem ad obiectum primarium, vel vt effectus ad causam, vel vt causæ ad effectum; ad rationem autem obiecti materialis hæc habitudo non sufficit, sed requiritur sub primario contineri, tanquam de quo prædicatur: ergo obiectum formale primarium specificatiuum alicuius potentiæ debet sub se continere omne obiectum materiale, tanquam aliquid illis per prædicationem commune. Minor autem probatur: nam relationes, & attributa non sunt obiecta secundaria intellectus diuini, sed obiecta veluti materialia, vt *inferius* explicabimus, sed de illis non prædicatur essentia quatenus ab ipsis distinguitur, benè tamen ens diuinum: ergo communitas explicata conuenit enti diuino, non autem diuinæ essentiæ, vt distinctæ ab attributis.

147 *Respond. Ad 1. probationem antecedentis.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, nego maiorem: cum enim intellectus diuinus perfectissimus sit, oportet illi assignare perfectissimam obiecti communitatem, communitas autem realis, qua gaudet diuina essentia respectu perfectionum diuinarum, & virtualis, qua gaudet eadem essentia respectu creaturarum perfectior est communitate rationis, quæ conuenit enti diuino transcendenti: nam commune per rationem, potentialiter ad sua inferiora se habet, & vt diuisibile in illa, & ideò commune per rationem est proportionatum obiectum intellectus creati, non autem intellectus diuini. Quæ doctrina est Ferrariensis 1. *Contra Gentes cap. 74. ad finem*.

148 *Ad secundam.* Ad secundam probationem, nego minorem: nam licet intellectui creato repugnet habere pro obiecto specificatiuo adæquato ens diuinum transcendens, non inde fit tale obiectum sufficienter obiectiuè distinguere ab intellectu creato intellectum diuinum: nam vltra id exigi gitur, vt illi assignetur obiectum debito modo quantum ad actualitatem, & communitatem, hæc autem non seruatur in ente diuino communi per Logicam transcendentiam ob rationem assignatam. *Ad tertiam.* Ad tertiam, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia licet Angelus suas proprietates cognoscat per suam substantiam vt speciem, alia tamen entia creata per illorum species cognoscit: ex quo infertur, non substantiam propriam, sed ens illi, & alijs commune, esse obiectum primarium terminatiuum intellectus Angelici, & quia sub ente illius proprietates continentur, vlterius colligitur, obiectum specificatiuum intellectus Angeli esse aliquid communitate rationis substantiæ Angeli, & proprietatibus eius.

149 *Ad quartam.* Ad quartam, concessa maiori, nego minorem: nam ratio formalis *sub qua* specificatiua intellectus diuini, non est veritas communis communitate rationis omni perfectioni, & formalitati diuinæ, sed veritas illis communis reali, & virtuali communitate, hæc autem non cum ente diuino vt sic, sed cum diuina essentia conuertitur, & ideò non ens diuinum vt sic, sed essentia, vt ab attributis virtualiter distincta est obiectum formale primarum terminatiuum intellectus diuini. *Ad quintam.* Ad quintam, concessa maiori, nego minorem: cum enim diuina essentia, etiam vt distincta ab attributis, includatur in illis transcendentaliter, & in omni diuina formalitate, prædicatur de omni perfectione, & formalitate diuina: ac proinde conuertitur cum gradu diuinæ immaterialitatis, quandoquidem prædicatur de omni, de quo talis gradus prædicatur.

150 *Ad sextam.* Et ex his ad vltimam antecedentis probationem, concessa maiori, nego minorem: nam licet diuina essentia non sit communis communitate rationis omni prædicato diuino, est tamen communis communitate reali, & in omni Dei prædicato reali transcendentia includitur; & consequenter prædicatur de omni formalitate diuina, quæ est obiectum materiale intellectus diuini. Ex quibus ad probationem minoris, concessa maiori, nego minorem: nam cum essentia diuina, vt distincta virtualiter ab attributis, & relationibus includatur per realem transcendentiam in illis, etiam vt sic distincta de illis omnibus prædicatur.

151 *Essentia diuina, & non ens diuinum vt sic, est obiectum formale terminatiuum intellectus diuini.* Si autem inquiras, cum ens diuinum vt sic, sit omni enti diuino commune, & etiam diuina essentia, cur hæc, & non illud constituatur a Nobis pro obiecto formali primario terminatiuo diuini intellectus? Respondeo ex dictis: ideò essentia, & non ens diuinum, quamuis vtrumque commune sit, à Nobis assignatur pro obiecto formali primario terminatiuo, quia communitas essentiæ actualior est communitate entis diuini, & perfectior, vtpote realis, & actu virtualiter continens omnes Dei formalitates, & attributales perfectiones; communitas autem entis diuini est rationis, & aliqualiter potentialis à nobis consideratur; cum concipiatur, vt contrahibile, & multiplicabile virtualiter in attributis, & in relationibus realiter.

152 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur: attributa, & relationes ratione sui sunt obiectum terminatiuum intellectus diuini: ergo obiectum formale terminatiuum illius non est sola essentia vt distincta ab attributis. Consequentia tenet. *Antecedens probatur 1.* Antecedens autem ostenditur primo: obiectum formale terminatiuum intellectus diuini, est diuina essentia vt in se, cum id non habeat per nostram considerationem; sed diuina essentia vt in se est attributa, & relationes; & aliàs in terminando non habent oppositionem: ergo attributa, & relationes sunt obiectum formale primarium terminatiuum, non minus, quam essentia respectu intellectus diuini.

153 *Secundo.* Secundo probatur: nam obiectum formale terminatiuum intellectus diuini est aliquid perfectissimum; sed diuina essentia vt ab attributis distincta non est aliquid omnium perfectissimum; cum perfectius quid sit essentia sola: ergo conflatum ex essentia, attributis, & relationibus est obiectum formale terminatiuum; & consequenter attributa, & relationes, non minus, quam essentia diuina sunt formale obiectum terminatiuum intellectus diuini.

Tertio. Tertio probatur: attributa namque, vt *supra* asseuerabamus, sunt in eodem gradu immaterialitatis cum essentia, vtpote actus puri omnem excludentes materiam, & omnem potentialitatem: ergo sunt eodem modo, quo essentia cognoscibilia ab intellectu diuino: nam cognoscibilitas ad immaterialitatem consequitur; sed essentia ratione sui ab intellectu diuino cognoscitur, & ideò est obiectum formale terminatiuum illius: ergo etiam attributa, & relationes.

154 *Quarto.* Denique: nam quod per se, & ratione sui terminat actum alicuius potentiæ primario pertinentem ad illam, per se, & ratione sui terminat habitudinem talis potentiæ, sed attributa per se, & ratione sui terminant actum intellectus diuini, primario ad illum spectantem: ergo ratione sui terminant intellectum diuinum, & consequenter sunt obiectum formale specificatiuum illius. Maior constat: nam obiectum formale specificatiuum potentiæ, debet specificare omnem actum talis potentiæ primarium: ergo quod per se, & ratione sui terminat actum potentiæ, specificat potentiam; & consequenter est obiectum formale terminatiuum illius.

Minor autem probatur; nam actus scientiæ non est actus secundarius intellectus diuini, sed inter primarios contentus, sicut actus scientiæ creatæ, non est secundarius actus intellectus creati, sed continetur inter primarios; sed attributa per se, & ratione sui terminant actum scientiæ diuinæ; cum distinguatur à lumine principiorum; & consequenter distinctum habeat obiectum; lumen autem intellectus habeat pro formali obiecto essentiam diuinam, & consequenter scientia debeat habere pro formali obiecto attributa: ergo hæc terminant per se, & ratione sui actum contentum inter primarios actus diuini intellectus.

155 *Respond. Ad 1. probationem antecedentis.* Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem dicatur: essentiam in se esse attributa, & relationes identitate reali formali, non autem identitate virtuali, distinctio autem virtualis sufficit, vt de essentia affirmetur esse formale obiectum terminatiuum intellectus diuini; & negetur de attributis, & relationibus. Nec obstat, quod ibi obijcitur, nempè, non opponi in terminando. Nam hoc verum est, loquendo de terminatione abstrahente à formali, & materiali, falsum autem de terminatione formali, quia in terminando formaliter reduplicatur distinctio virtualis vnius formalitatis ab alia, nempè, essentiæ ab alijs prædicatis diuinis, & ideò affirmatur de essentia, & de cæteris prædicatis negatur, sicut communicabilitas affirmatur de essentia, & de paternitate negatur, quia est prædicatum reduplicans distinctionem virtualem essentiæ à paternitate.

156 *Ad secundam.* Ad secundam probationem dicatur: obiectum formale specificatiuum, & terminatiuum intellectus diuini debere esse perfectissimum inter singulas formalitates comparatas diuisiuè, non autem comparatione facta collectionis omnium ad vnam, vt *supra* asseuerabamus, loquendo de obiecto motiuo, & in comparatione singularum diuisiuè essentia tenet primatum, & ideò est obiectum formale terminatiuum intellectus diuini.

157 *Ad tertiam.* Ad tertiam dicatur: ex conuenientia attributorum cum diuina essentia in gradu immaterialitatis, tantum in-

ferri

ferri esse eodem modo intelligibilia, quo essentia, quo ad rationem obiecti primarij, & non secundarij, non autem quoad rationem formalis, & materialis: vnde quamuis in gradu immaterialitatis conueniant, essentia, vt distincta à cæteris prædicatis, est formale obiectum terminatiuum, attributa autem, quamuis non secundario, sed primario terminent intellectum diuinum, non tamen formaliter, sed materialiter comparantur ad illum, & hoc ideò, quia immaterialitas diuina primo conuenit essentiæ, alijs autem prædicatis secundario, & ratione essentiæ, vt radicis actualissimæ.

Instatur argumentum, Et quidem inferiora entis, & ens conueniunt in immaterialitate specificante intellectum creatum, & tamen inde non sequitur inferiora entis ratione illius, quod superaddunt ad ens, & in quo distinguuntur ab illo, specificare intellectum creatum, sed specificatur ab ente, cui immaterialitas illa conuenit primo, & per se, sed tantum infertur inferiora entis realis non esse obiecta secundaria intellectus, sed primario licet materialiter comparari cum illo. Et quidem Auctores, contra quos nostra conclusio procedit, non obstante conuenientia prædicta in gradu immaterialitatis, docent attributa, & relationes non esse obiectum formale motiuum intellectus diuini, sed hoc soli essentiæ competere; id ipsum Nos dicimus de obiecto formali terminatiuo, & eadem ratione: non enim poterit aliqua ratio discriminis, conuenientia illa supposita inter attributa, & essentiam, constitui, quæ vrgeat pro obiecto formali motiuo, & eadem efficacia non militet pro obiecto formali terminatiuo.

158 *Ad 4. probationem antecedentis.* Ad vltimam probationem, distinguo maiorem: per se, & ratione sui, hoc est, secundum aliquod prædicatum, quod imbibunt, concedo maiorem: per se, & ratione sui, hoc est, ratione omnis formalitatis secundum conceptum expressum, nego maiorem: & omissa minori, vel nego consequentiam, vel distinguo consequens: per se terminant intellectum diuinum ratione essentiæ, quam transcendentaliter claudunt, concedo consequentiam: ratione illius, quod explicant, & superaddunt essentiæ, nego consequentiam.

159 *Instatur argumentum.* Et instò clarè in principijs Thomistarum: nam homo vt abequo distinctus, formaliter terminat cognitionem sui, & equus vt ab homine distinctus cognitionem sui quidditatiuam formaliter terminat, illamque ratione suæ vltimæ differentiæ specificat, & ab hominis cognitione distinguit, & tamen differentiæ distinguentes inter hominem, & equum non comparantur formaliter ratione illius, quod explicant cum nostro intellectu, sed materialiter, & sola ratio entis in prædictis differentijs inclusa trauscendentaliter, formaliter se habet ad terminandum intellectum nostrum, illumque specificandum, & vniuersaliter circumferuntur inter nostros Thomistas rationes obiectiuas formaliter comparatas ad actus, materialiter se habere comparatas cum habitibus, & illas, quæ formaliter comparantur ad habitus, materialiter comparari ad potentiam, vt constat in habitibus scientiarum pertinentibus ad intellectum, & habitibus virtutum spectantibus ad voluntatem. Id ipsum Nos asserimus in ordine ad intellectum diuinum, attributa, & relationes secundum suos conceptus explicitos posse formaliter terminare actum cognitionis diuinæ, quin ex hoc inferatur tales conceptus explicitos formaliter terminare, aut specificare intellectum, sed intellectum diuinum specificari formaliter ab essentia in attributis, & relationibus inclusa transcendentaliter, explicitis differentijs se habentibus materialiter.

Ex dictis concluditur, obiectum formale motiuum, & terminatiuum intellectus diuini esse diuinam essentiam vt distinctam ab attributis, creaturas esse obiectum secundarium, attributa verò, & relationes, etsi non sint obiectum formale motiuum, aut terminatiuum, non esse obiectum secundarium, sed sub primario obiecto diuini intellectus contineri tanquam obiecta materialia illius. Prima, & secunda pars corolarij constat ex dictis. 160 *Corollarium ex dictis.*

Tertia pars eiusdem corollarij probatur primo, quia vt vidimus ex Diuo Thoma *1. Contra Gentes cap. 74.* attributa non sunt obiectum secundarium voluntatis diuinæ; sed eodem modo comparantur ad intellectum in ratione veri, quo ad voluntatem in ratione boni, & appetibilis: ergo non sunt obiectum secundarium intellectus diuini. *Tertia pars probatur 1.*

Secundo: quia obiectum secundarium non habet intimè inclusum obiectum formale primarium, vt constat in creaturis respectu diuini intellectus, in ente rationis comparato cum nostro intellectu, & in proximo respectu charitatis Theologicæ; sed attributa, & relationes per realem transcendentiam includunt diuinam essentiam, quæ est obiectum formale specificatiuum intellectus diuini: ergo non sunt obiectum secundarium illius. 161 *Secundo.*

Vltima pars ex eodem principio probatur: nam obiectum materiale alicuius potentiæ illud est, quod licet ratione sui non specificet potentiam, contrahit tamen, vel per transcendentiam includit rationem specificantem; sed attributa, & relationes per realem transcendentiam includunt diuinam essentiam, quæ est obiectum formale specificatiuum intellectus diuini: ergo continentur materialiter sub obiecto primario. Et quidem homo, & equus continentur materialiter sub obiecto primario intellectus creati, quia claudunt rationem entis, à qua, vt obiecto formali, suam specificationem capit; sed attributa, & relationes claudunt reali transcendentia essentiam, & naturam diuinam, à qua specificatur diuinus intellectus: ergo continentur materialiter sub obiecto primario specificatiuo illius; cum hac tamen differentia, quod homo, & equus implicant, & multiplicant rationem entis inclusam; attributa autem, & relationes, licet imbibant naturam diuinam, illam tamen non multiplicant. Et hæc de ista Disputatione applicanda litteræ Magistri *in 1. distinct. 35. §. 4.* ad illa verba: *Scientia verò, vel sapientia, &c.* & *distinct. 45. §. secundo*, potest eadem quæstio de Voluntate excitari. 162 *Vltima pars probatur.* *M. Sent.*

DISPVTATIO XXVI.

Qua ratione Deus cognoſcat creaturas, in ſe ipſo, an in ſe ipſis?

NOn de creaturis futuris abſolutè, aut ſub conditione præſens difficultas procedit, ſed tantum de poſsibilibus, ſiuè habituræ ſint exiſtentiam, ſiuè eam nunquam ſint habituræ.

§. I.

Referuntur ſententiæ, & prima reijcitur.

Nu. 1. Prima ſẽtentia. IN hac diſputatione variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima docet, Deum non cognoſcere creaturas in ſe ipſis vllo modo, nec etiam ex parte obiecti ſecundarij terminantis cognitionem, ſed adæquatè in ſe ipſo, ita vt diuina cognitio ſiſtat adæquatè in Deo, nec tranſeat vllo modo ad creaturas ſecundum eſſe formale, quo à Deo, & inter ſe diſtinguuntur, ſed tantum ſecundum eſſe eminentiale, prout in Deo continentur, qua ratione, vt communiter circumfertur ex Auguſtino, creatura, vt in Deo eſt creatrix eſſentia. Ita cenſuit Aureolus apud Capreolum *in 1. diſt. 35. quæſt. 2.* à qua ſententia parum diſceſſit Auerroes *12. Metaphyſicæ comment. 51.* vbi docuit, Deum non cognoſcere creaturas cognitione diſtincta, prout inter ſe diſtinguuntur, ſed tantum cognitione confuſa ſub communi entis ratione. Eandem ſententiam nonnulli attribuunt Philoſopho, falsò tamen, vt communiter docetur à Theologis.

Capreol. Auerr.

2 Secunda. Secunda per extremum affirmat, Deum creaturas non in ſe ipſo vllo modo, ſed tantum in ipſis primario, & per ſe cognoſcere. Pro hac ſententia referuntur Occamus *in 1. diſt. 35. quæſt. 3.* & Gabriel *ibi art. 2. conclu. 2.*

Occam. Gabriel.

Tertia. Tertia docet, Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſo, non vt cauſa, vel obiecto prius cognito, ſed vt in ſpecie expreſſa, & Verbo, & immediatè in ſe ipſis per excluſionem medij prius terminantis cognitionem. Hanc tenent Vazquez *in præſenti diſp. 60. cap. 3* Becanus *cap. 10. quæſt. 4.* & Alarcon *tract. 2. de Scientia Dei diſp. 2. cap. 3.*

Vazquez. Becanus. Alarc.

3 Quarta. Quarta ſententia docet, poſſibilia cognoſci à Deo in ſe ipſo, vt in cauſa, & medio prius cognito, & ſimul immediatè in ſe ipſis. Hanc tenent Albiz *diſput. 5. ſectione 2. numero 18. & ſect. 12. num. 3.* Herice *diſp. 5. cap. 4.* & Franciſcus de Lugo *lib. 1. de Deo Vno diſp. 28. cap. 4.* quos alij Recentiores ſequuntur. Qui inter ſe diſſident, quibuſdam affirmantibus creaturas poſſibiles cognoſci à Deo in ſe ipſis purè terminatiuè, alijs docentibus cognoſci immediatè in ſe ipſis, non ſolum terminatiuè, ſed etiam motiuè, non motione phyſica, ſed tantum intentionali.

Albiz. Herice. Lugo.

4 Quinta. Vltima, & vera ſententia defendit, Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſo, vt obiecto, & cauſa prius cognita, non autem immediatè in ſe ipſis, nec motiuè, nec etiam terminatiuè. Hanc tenet Capreolus *in 1. diſt. 35. quæſt. 2.* Paludanus, & Hiſpalenſis *ibi*, Ferrara *1. Contra Gentes cap. 48.* Caietanus *in præſenti art. 5. & 6.* Bañez, Zumel, Bieſcas, Zanardus, Rippa, & Marcus de la Serra *ibidem*, Cornejo *tract. 1. diſp. 2. dub. 1. & ſequentibus* Nazarius *controu. 2.* Albelda *diſp. 37 ſect. 2. & 3* Mag. S. Thoma *diſp. 17. art. 2.* Andræas a Cruze *diſp. 85 dub. vnic.* & Patres Salmanticenſes remiſſiuè ad *art. 2. 7. & 8. quæſt. 12.* quibus acceſſit Auerſa *in hac quæſt. ſect. 11. & 12.* Tenent etiam ex Patribus Societatis Molina *art. 5. & 6. diſp. vnic.* Valentia *in hac quæſt. punct. 3.* Suarez *lib. 3. de attributis cap. 2.* Granadus *tract. 2. de Scientia Dei diſp. 3.* Albertinus *tom. 2. diſp. 1. de ſubſtantia quæſt. 1. num. 48.* & Tanerus *diſp. 2. de Deo quæſt. 8. dub. 3.* pro illa referens Alenſem *1. p. quæſt. 23.* Henricum *quodlibet. 9. quæſt. 2.* Ægidium *in 1. diſt. 35. quæſt. 3.* Argentinam *quæſt. 1.* & Durandum *quæſt. 2.* ex quo infert merito poſſe dici communem. Pro cuius explicatione ſit.

Capreol. Hiſpal. Caiet. Serra. Cornejo. Nazar. Albeld. Araujo. M. S. T. Crux. Salmant. Molin. Valent. Suar. Granad. Albert. Taner. Alenſ. Henrico. Ægid. Argent. Durand.

5 Prima concluſio. Prob. 1. ex Scriptura. PRIMA CONCLVSIO. *Deus cognoſcit creaturas poſſibiles, non ſolum ſecundum eſſe eminentiale, quod habent in Deo, ſed etiam ſecundum ſuam propriam eſſentiam, non ſolum in communi, ſed etiam ſecundum proprias, & particulares rationes.* Ita omnes Theologi, præter Aureolum, in eo gradu certitudinis, vt ſuppoſitum cenſeant erroneum: & oſtenditur primo ex Scriptura, ad Hebræos 4. illis verbis: *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius;* ſi autem creaturæ poſſibiles, vt diſtinctæ à Deo, eius intellectum laterent, aliqua creatura eſſet illo inuiſibilis: Deus ergo creaturas poſſibiles vt à Deo, & inter ſe diſtinctas cognoſcit. Geneſis 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Eccleſiaſtici. 16. *Ecce cælum, & cæli cælorum, & abyſſus, & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius.* Prouerb. 16. *Omnes viæ hominis patent oculis eius.* Iob 28. *Fines mundi intuetur, & omnia, quæ ſub cælo ſunt, reſpicit.* Ex quibus, & paſſim alibi conſtat, Deum creaturas cognoſcere, quod eſt cum proprietate accipiendum; cum ex hoc nullum inconueniens ſequatur; at cognoſcere Deum eminenter continentem creaturas, non eſt propriè creaturas cognoſcere, ſicut nec propriè eſt creatura Deus, vt creaturam continens: ergo aſſerere Deum ſolum cognoſcere creaturas ſecundum eſſe eminentiale, quod habent in ipſo, non autem ſecundum eſſe formale, quo à Deo, & inter ſe diſtinguuntur, teſtimonijs Scripturæ aduerſatur.

Geneſ. 1. Eccl. 16. Prou. 16. Iob 28.

6 Reſpondebis. Dices, & alia teſtimonia loqui de creaturis exiſtentibus, vel aliquando exituris: vnde ex illis non colligitur cognitio poſſibilium in Deo. Sed contra primo: nam Aureolus, non ſolum diſtinctam poſſibilium cognitionem ſecundum eſſe formale, ſed etiam exiſtentium negat Deo, vt illius argumenta demonſtrant: ergo ſaltim pro ea parte, qua negat formalem creaturarum exiſtentium cognitionem Scripturæ Sacræ aduerſatur. Deinde: nam in illis aſſeritur, nullam creaturam eſſe inuiſibilem Deo; ſed homo v. g. poſſibilis verè eſt creatura: ergo Deo inuiſibilis non eſt; & conſequenter ab illius intellectu cognoſcitur.

Contra. 1. Secundo.

7 Secundo prob. concluſio ratione. Secundo probatur: nam Deus ſe ipſum, ſuamque omnipotentiam comprehendit prout eſt cauſa creaturarum; ſed non ſtat virtutem cauſæ comprehendi, niſi cognoſcantur illa, ad quæ ſe poteſt extendere, & quæ virtualiter, aut eminenter continet: ergo cognoſcit terminum ſuæ omnipotentiæ, qui ſunt creaturæ poſſibiles.

8 Reſpondebis. Nec ſufficit reſpondere, cognoſcere poſſibilia ſub communi entis ratione, non autem prout inter ſe diſtinguuntur. Nam terminus virtutis cauſæ cognoſci debet à comprehendente cauſam, ſecundum id, quod in cauſa continetur; ſed poſſibilia continentur in Deo ſecundum proprias, peculiareſque perfectiones, prout inter ſe diſtinguuntur: ergo Deus comprehendens ſe ipſum, & omnipotentiam ſuam, cognoſcit creaturas poſſibiles, non ſolum ſub communi entis ratione, ſed etiam ſecundum rationes proprias prout inter ſe diſtinguuntur. Sic arguit D. Thomas *q. 2. de Verit. art. 4. in corp. & ſolut. ad 6. & 7. argumentum.*

Contra.

9 Tertio prob. concluſio. Tertio: nam Deus habet de omnibus creaturis perfectiſſimam prouidentiam; ſed hæc ſaluari nequit in Deo abſque cognitione illarum ſub ratione poſſibilium: ergo

ergo illas vt sic cognoscit. Major cum consequentia tenet. Minor autem probatur: non stat prouidentia de creaturis absque decreto productionis illarum; sed non subsistit decretum sine cognitione illarum sub ratione possibilium: ergo nec prouidentia subsistit absque tali cognitione. Major cum consequentia tenet. Minor autem probatur: decretum de producendis creaturis est actus voluntatis in Deo; sed actus voluntatis cognitionem obiecti supponit iuxta commune proloquium, *nihil volitum, quin præcognitum*: ergo decretum de creaturis producendis, cognitionem creaturarum supponit in Deo; sed talis cognitio non est creaturarum vt existentium, cum hæc ad decretum subsequatur: ergo cognitio ad decretum præsupposita est creaturarum possibilium; & consequentèr absque ista cognitione non potest perfecta prouidentia subsistere, quam Deus habet de creaturis.

10 *Oppones cōtra illā rationem primo.* Si opponas contra illam rationem primo: nam Spiritus Sanctus per actum voluntatis procedit; & consequenter ad illum regulans cognitio ad Spiritum Sanctum terminata supponitur; & tamen cognitio hæc regulans non est Spiritus Sancti, vt possibilis, sed vt existentis; cum sit cognitio intuitiua, vt docetur à Thomistis infra q. 34 ergo cognitio regulans, & præcedens decretum voluntatis diuinæ, quo producuntur creaturæ, potest ad illas, vt existentes, terminari; & consequenter ex perfecta prouidentia, quam Deus habet de creaturis, non infertur creaturarum possibilium cognitio. *Respond.* Respondeo, negando consequentiam; disparitas autem est: nam pro priori originis ad Spiritum Sanctum supponitur essentia diuina cum illo, vt existente, connexa: ac proinde in illa potest pro illo priori Spiritus Sanctus intuitiuè, vt existens, cognosci; cæterum pro priori ad decretum productionis creaturarum nihil supponitur cum illarum existentia connexum; & ideò cognitio decretum regulans, & ad illud præsupposita, non potest ad illas, nisi vt possibiles terminari.

11 *Oppones secundo.* Si opponas secundo: nam in nostra, & communi Thomistarum doctrina productio creaturarum à Deo regulatur, non solum notitia simplici, sed etiam scientia visionis: ergo decretum productionis creaturarum scientiam visionis regulantem supponit; & consequenter ex regulatione necessaria in intellectu diuino pro decreto creaturarum, non sequitur illarum abstractiua cognitio sub ratione possibilium.

Respond. Respondeo, duplex decretum esse distinguendum in Deo in ordine ad productionem creaturarum, vnum intentiuum, & aliud executiuum, hoc secundum scientiam visionis creaturarum illud regulantem supponit, quia ante illud præsupponitur decretum efficax intentiuum cum creaturarum existentia connexum, cui visio regulans vt medio innitatur; primum illud decretum; cum nihil ante se præsupponat cum existentia creaturarum connexum, non potest cognitionem creaturarum existentium pro regula præsupponere, & de hoc decreto argumentum a nobis factum procedit. Quod si hoc duplex decretum non admittatur in Deo, non potest regulatio scientiæ visionis in productione creaturarum defendi, sed sola scientia simplicis intelligentiæ regulatiuè ad illarum productionem concurret.

12 *Vltimo probatur conclusio.* Denique probatur nostra, & communis conclusio; etenim cognitio diuina, vtpotè infinita simpliciter in ratione cognitionis, debet terminari actu ad omne obiectum, quod est actu cognoscibile; sed creaturæ possibiles vt à Deo, & inter se distinguuntur, sunt obiectum actu cognoscibile: ergo vt sic cognoscuntur ab ipso. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: si namque actu cognoscibiles non essent, maxime, quia actu non existunt; sed hoc non obstat: tum, quia præterita, & futura actu physicè non existunt, & tamen actu sunt cognoscibilia, vt docet Diuus Thomas *quæst. 2. de Verit. art. 3. ad 12.* ibi: *S. Tho.* *Dicendum, quod quamuis cognitio non sit nisi entis, non tamen oportet, quod illud, quod cognoscitur sit tunc ens in sui natura quando cognoscitur; sicut enim cognoscimus distantia loco, ita cognoscimus distantia tempore, vt patet de præteritis, & ita non est inconueniens si cognitio ponatur de rebus non æternis.* Tum etiam, quia actu cognoscuntur ab intellectu creato, quamuis actu non existant: ergo creaturæ possibiles secundum esse formale, quo à Deo, & inter se distinguuntur, actu cognoscibiles sunt.

13 *Si respondeas. In contrarium arguitur.* Si forte dicatur, esse quidem cognoscibiles à nobis, non autem ab intellectu diuino. Obstat contra hanc solutionem, id quod actu est cognoscibile ab intellectu creato, esse etiam actu cognoscibile ab intellectu diuino, nisi in eius cognitione imperfectio Deo repugnans importetur; sed in cognitione creaturarum possibilium secundum esse formale, nulla imperfectio importatur: ergo sunt actu cognoscibiles, non solum ab intellectu creato, sed etiam ab intellectu diuino. Minor, in qua est posita difficultas, ostenditur primo: *Minor probatur primo.* in cognitione creaturarum existentium nulla includitur imperfectio, sicut nec in illarum amore aliqua imperfectio includitur: ergo cognitio creaturarum possibilium nullam dicit imperfectionem. Secundo: *secundo.* in continentia physica creaturarum possibilium nulla includitur imperfectio; aliàs Deus non contineret eminenter creaturas possibiles continentia physica entitatiua, ex quo fieret, vt omnipotens non esset; cum omnipotentia in physica continentia creaturarum possibilium consistat: ergo in continentia illarum intentionali, & intelligibili nulla imperfectio importatur; & consequenter in earundem cognitione nulla apparet imperfectio.

Si inquiras, qua censura digna sit sententia negas Deo distinctam possibilium cognitionem secundum esse formale, quo à Deo, & inter se distiguuntur. 14 *Quæ de cēsura opposita sententia dicendum.* Molina, & plures alij censent esse contra fidem immediatè propter testimonia Scripturæ. Dicendum tamen existimo, quod licet sententia Aureoli prout negat Deo omnem creaturarum cognitionem fidei immediatè aduersetur ob prædicta testimonia, prout tamen negat cognitionem possibilium, non posse hac censura notari; esse tamen temerariam, & erroneam, vel saltim errori proximam.

15 *Sentētia negans Deo cognitionem distinctam possibilium non aduersatur fidei immediatè.* Primum probo: nam testimonia allegata possunt de creaturis existentibus, vel exituris aliquando explicari, de quibus nomen *creatura* citrà dubium enuntiatur, non autem de possibilibus, de quibus negari potest, quin euidenter euincatur. Secundum constat, est enim illa sententia contraria communi Theologorum consensui in re Theologica, & grauis; sed in hoc temeritas Theologica alicuius sententiæ consistit: ergo sententia negans Deo cognitionem creaturarum possibilium secundum esse formale adminus est temeraria. *Est tamen temeraria.*

16 *Vel erronea, aut errori proxima.* Tertium probatur: nam illa sententia est erronea, quæ opponitur conclusioni euidenter illatæ ex vna præmissa de fide, & alia nota lumine naturali; illa autem est proxima errori, quæ opponitur conclusioni euidenter illatæ ex vna de fide, & alia efficacissimo argumento monstrabili; at sententia negans Deo distinctam cognitionem creaturarum possibilium, huius conditionis est: ergo censenda est erronea, vel saltim proxima errori. Probatur minor: cognitio creaturarum possibilium secundum suum esse formale, & particulare colligitur ex his duabus præmissis, nempè, *Deus habet prouidentiam perfectam creaturarum, & perfecta creaturarum prouidentia distinctam cognitionem possibilium supponit*; quarum prima est immediatè de fide, secunda autem, aut euidenter, aut saltim efficacissimo argumento, & insolubili penè monstrabilis: ergo sententia dictam cognitionem negans opponitur conclusioni per euidentem consequentiam deductæ ex vna præmissa de fide, & alia euidenter cognoscibili, aut saltim efficacissimo argumento monstrabili.

§. II.

Argumenta contraria soluuntur.

17 *Arg. 1. ex Augustino.* CONTRA istam conclusionem arguitur primo ex Parente Augustino *lib. 83. qq. q. 46.* vbi de Deo loquens, ait: *Non enim extra se quidquam positum intuebatur, vt secundum id constitueret, quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegium est*: ergo juxta Augustinum, Deus nihil extra se cognoscit; & consequenter non cognoscit entia possibilia creata secundum esse formale, quo distinguuntur à Deo. *Resp. 1.* Respondeo ex D. Thoma *art. 5. ad 1.* explicando Augustinum, non de obiecto cognito, sed de medio cognitionis, in quo sensu verum est, Deum nihil extra positum intueri; quia quod extra se cognoscit, non est medium cognitionis diuinæ, sed tantum obiectum cognitum à Deo in se ipso. *Resp. 2.* Vel secundo potest explicari de obiecto primario cognito à Deo, sic autem verum est Deum nihil extra se cognoscere. *Tertio respondēt alij.* Tertio ab alijs explicatur de idea, & exemplari, in quo sensu verum est nihil creatum fuisse Deo exemplar, quo indiguerit in rerum fabricatione: vnde ex Augustini verbis neutiquam infertur Deum creaturas possibiles non cognoscere secundum esse formale, quo a Deo, & inter se distinguuntur, vt obiectum secundarium.

18 *Arg. 2. ex Hieronymo.* Secundo arguitur difficili testimonio Hieronymi in illud Habacuc. 1. *Mundi sunt oculi tui ne videas malum*, vbi hæc habet verba: *Cæterum absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotque moriantur, &c.* & paucis interpositis addit: *Ex quo liber ille Apocryphus stultitia condemnandus est, in quo scriptum est, quendam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus.* Quibus verbis apertè negat Hieronymus,

mus, Deum omnes creaturas sigillatim, & distinctè cognoscere: non ergo est Deo attribuenda distincta creaturarum cognitio, quam absurdam Hieronymus iudicauit.

19 *Respondet Vazquez.* Respondet Vasquez. *art. 6. in comment. num. 16.* Hieronymum loco allegato in ea fuisse sententia, vt negaret Deo minimarum rerum distinctam cognitionem, & solum concessit generalem quandam notitiam sed non propter hoc, sententiam Hieronymi labefactare debere catholicam veritatem, quam idem Hieronymus docuit in illud Matthæi 10. *Nonne duo passeres asse veneunt?* vbi ait: *Si parua animalia absque Deo Auctore non decidunt, &c. Vos qui æterni estis, non timere debetis, quod absque Dei viuatis prouidentia.* Quibus verbis minimarum rerum prouidentiam; & consequenter distinctam illarum cognitionem statuit in Deo.

20 *Displicet eius solutio.* Hæc tamen illius Auctoris doctrina Nobis placere non potest, sicut nec placuit domesticis suæ familiæ Doctoribus. Et quidem mirum est virum aliàs magni ingenij, & qui in excusandis hæreticis, & pro catholica veritate explicandis sæpe insudauerit, tam parum de Hieronymi Auctoritate curasse, vt nullum inconueniens censuerit, Doctorem Maximum ita absurdam sententiam aliquando tenuisse, maximè cum non difficilem admittat explicationem, quam postea adhibebimus.

21 *Secundo respondent alij.* Secundo alij respondent, Hieronymum allegatis verbis solum negasse nouam minimarum rerum cognitionem per singula momenta incipientem, non autem distinctam harum rerum cognitionem ab æterno existentem. Ita apud Vazquez *vbi proximè* Magister *in 1. dist. 39. §. 4.* Et Episcopus Lucensis *in lib. aduertentiarum ad 6. tom.* Hieronymi *cap. 5.* Quæ interpretatio quibusdam Recentioribus placuit. *Illam, & benè reijcit Vazquez.* Illam tamen reijcit Vazquez, & benè: nam Hieronymus statuit discrimen inter minimas creaturas, & homines respectu cognitionis diuinæ, vt constat ex illis verbis: *Non sumus tam fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius, etiam ad ima detrahimus, in nos metipsos iniuriosi simus eandem rationabilium, quam irrationabilium prouidentiam esse dicentes.* Vbi, vt apertè constat, prouidentiam, & cognitionem, quam negat Deo respectu irrationabilium, in ordine ad creaturas rationales concedit; at creaturas rationales non cognoscit Deus cognitione in tempore de nouo incipiente, sed ab æterno: ergo cognitio, quam negat respectu irrationabilium, non est, quæ de nouo in tempore incipiat, & quam singulis momentis acquirat.

22 *Tertia solutio. Reijcitur.* Tertio responderi potest, loqui Hieronymum de cognitione primario terminata ad creaturas, non autem negare cognitionem distinctam illarum secundario ad ipsas terminatam. Sed hæc interpretatio eodem argumento reijcitur: nam cognitio diuina, nec etiam ad creaturas rationales terminatur primario; sed Hieronymus statuit discrimen inter rationales, & irrationales creaturas quoad terminare cognitionem diuinam: ergo, quod negat respectu irrationabilium, non est solum primaria terminatio diuinæ cognitionis ad illas.

23 *Vera argumenti solutio.* Quare, his omissis, ad argumentum respondeo, Hieronymum non negare distinctam minimarum rerum cognitionem in Deo, quam fides docet, & naturalis ratio suadet, nec potuisse Doctorem maximum notitiam illam absurdam in diuina mente censere; cum Deus ex minimarum rerum cognitione non impediatur à consideratione maximarum, nec in illarum cognitione vilescat, sed tantum negauit illam specialem prouidentiam erga creaturas irrationales habere, quam habet de rationalibus, quibus præcepta tradidit, eisque rectè viuendi legem præscripsit, præmia promisit, ad illaque adipiscenda quasdam efficaciter, & omnes sufficienter ordinauit. Ita interpretantur Hieronymum *M. Sent.* Magister *in 1. dist. 39. §. 4.* *Hugo.* Hugo de S. Victore *in summa Tract. 1. cap. 1.* & ex ipsis Recentiores. *S. Tho.* Qua ratione D. Thom. *in hac 1. p. quæst. 22. art. 2. ad 5.* accepit illud Pauli 1. Corinthiorum 9. *Nunquid de bobus cura est Deo:* non quia irrationales creaturæ sub Dei prouidentia non cadant, sed speciali illo modo, quo regitur rationalis creatura, vt scilicet aliquid illi Imputetur ad culpam, vel meritum, & reddatur ei aliquid, vt pœna, vel præmium. Hoc inquam modo speciali creatura irrationalis Dei prouidentiæ non subditur, hanc specialem prouidentiam, & curam, inquit Diuus Thomas, Apostolus remouet à bobus, & hanc Nos asserimus negasse in Deo erga irrationalia Hieronymum.

24 *Opponit Vazquez.* Contra quam interpretationem nil opponit Vazquez, nisi quod verba Hieronymi aliud manifestè indicant, vt legenti constabit. Verum hoc eadem facilitate, qua dicitur, eadem negatur, & maiori cum fundamento: nam inquiro, quod Verbum est in testimonio allegato manifestè indicans negationem cognitionis distinctè irrationabilium in Deo? *Respond.* nullum certè: nam Deum scire per momenta singula negat Hieronymus ab Inconuenienti, quod infert, nempe, eandem fore in Deo irrationabilium prouidentiam, ac rationabilium creaturarum; sed hoc inconueniens non sequitur ex notitia distincta singulorum, sed tantum ex scientia practica ordinatiua in eundem finem, & dispositiuam eorundem mediorum: ergo hanc negat, non illam. Et quidem Paulus negans Deo curam de bobus, rectè explicatur de cura speciali, quam habet de creaturis rationalibus; sed etiam habet de creaturis rationalibus scientiam specialem practicam, quam de irrationalibus creaturis non habet: ergo Hieronymus negans Deo scientiam irrationabilium absque violentia aliqua congruentissimè explicatur, quod neget scientiam specialem practicam creaturarum irrationabilium, quam habet de rationalibus.

25 *Instabis.* Si dicas, sequi ex hac interpretatione posse eodem modo Aureolum explicari, cum negat in Deo cognitionem creaturarum, quod nempe negauerit scientiam eandem quam Deus habet de seipso; consequens non admittemus: ergo nec tradita interpretatio admitti debet. *Respond. primo.* Respondeo primo, omittendo consequens, quod ita explicari possit, cæterum Nobis non eadem cura esse debet de Aureolo, ac de Hieronymo Ecclesiæ Doctore, & inter Doctores Maximo. Et quidem multoties PP. aliquem impugnantes errorem, in oppositum inclinare videntur verbis adeo claris, ac sunt alia, quæ in hæreticis reperiuntur, quo non obstante PP. in catholico sensu explicantur, & hæreticorum verba accipiuntur vt sonant, quia eorum mens est suspecta, nec de illa curantur in sanum sensum reducere. Ita in præsenti, licet non quoad omnia, discurrimus.

26 *Respond. Secundo.* Secundo, nego sequelam: tum, quia Aureolus expresse docet cognosci à Deo creaturas secundum esse eminentiale, quod habent in Deo, non secundum esse formale, quo distinguuntur ab ipso, quæ doctrina nullam interpretationem admittit. Tum etiam; quia fundamenta quibus Aureolus suam probat sententiam, omnem cognitionem ad creaturas formaliter terminatam excludunt. Tum denique: nam omnes Scholastici Aureoli sententiam in hoc sensu acceperunt, cum tamen mentem Hieronymi omnes, Vazquio excepto, in catholico sensu explicauerint.

27 *Tertio arguit Aureolus.* Deinde arguit Aureolus: nulla perfectio Dei potest dependere à creatura; sed si Deus creaturas cognosceret secundum suum esse formale, quo distinguuntur à Deo, aliqua diuina perfectio à creaturis dependeret: ergo illas sic non cognoscit. Maior constat: nam omnis Dei perfectio est ens per se, & à se, & consequenter omnem dependentiam excludit, quæ constituit ens ab alio. Minor autem probatur: cognitio creaturarum, si datur in Deo est perfectio Dei; sed hæc à creatura dependeret, si ad illam terminaretur: ergo si Deus creaturas cognosceret, aliqua diuina perfectio dependeret à creatura. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: cognitio realiter ab obiecto distincta, realiter dependet ab illo; sed cognitio diuina realiter à creatura distinguitur: ergo si illam habet pro obiecto, realiter ab illa dependet. *Respond.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad probationem, nego minorem: ad illius probationem, distinguo maiorem: ab obiecto primario, concedo maiorem: à secundario, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens: si creaturam habet pro obiecto primario, concedo consequentiam: si secundario terminatur ad illam, vt de facto contingit, nego consequentiam.

28 *Replicat Aureolus* Sed instat contra solutionem istam Aureolus: id dependet ab alio, quod sine illo subsistere nequit, vel quod, illo ablato, aufertur; sed siue primario, siue secundario cognitio Dei terminetur ad creaturas, non potest sine illis subsistere, & illis ablatis non manet: ergo siuè primario, siuè secundario terminetur ad creaturas, dependet ab illis. Maior videtur esse diffinitio dependentiæ. Minor probatur: non existente creatura Deus illam non cognoscit, & creatura possibili reddita repugnante, non posset Deus illam cognoscere: ergo ex non esse existentiæ creaturæ tollitur cognitio diuina de illa, & ex repugnantia creaturæ, quæ de facto est possibilis aufertur Dei cognitio, quam habet de illa.

29 *Respond.* Respondeo, negando maiorem, & quod illa sit adæquata diffinitio dependentiæ; sed insuper est necessarium, quod illa connexio nascatur ex subordinatione ad

ld, ex cuius non esse deficit, quod in scientia Dei creaturarum, siue existentium, siue possibilium non euenit. *Instatur argumentum.* Quæ doctrina *infra* exemplis manifestis illustrabitur. Et in isto argumentum in diuina omnipotentia, quam perseuerare in Deo creaturis possibilibus redditis repugnantibus non minus repugnat, quam manere scientiam eorundem in Deo, repugnantia illorum supposita; & tamen ex hoc non colligitur dependentia omnipotentiæ à creaturis possibilibus: ergo ex non perseuerantia alicuius perfectionis, altera non existente, vel reddita repugnante, non sequitur dependentia.

Quarto arguitur: cognitio creaturarum possibilium
30 *Quarto. arguitur.* probatur in Deo ex comprehensione sui, & virtutis causatiuæ illarum; sed ex hac comprehensione non sequitur cognitio illarum distincta in particulari, sed ad summum cognitio illarum confusa sub communi entis creati ratione: ergo quamuis hæc concedatur, illa admittenda non est. *Minor probatur primo.* Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo: nam in aliquo vniuersali non habetur distincta, & particularis cognitio; sed Deus est causa vniuersalis creaturarum: ergo in ipso, & ex vi illius non habetur distincta creaturarum cognitio.

31 *Secundo.* Secundo: nam vt virtus causæ comprehendatur, non est necessarium omnes illius effectus in particulari cognoscere, vt constat in Angelo comprehendente se ipsum, & potentiam suam intellectiuam, qui tamen non cognoscit in particulari omnes actus sibi possibiles; alias Angelus comprehendens se ipsum, in se ipso omnes creaturas possibiles deberet cognoscere; cum ad omnes in particulari possint illius actus possibiles terminari: ergo vt Deus se comprehendat, & virtutem suam productiuam, necessarium non est omnes creaturas possibiles cognoscere in particulari, & consequenter ex comprehensione, quam Deus habet de se ipso, non probatur, quod in se omnia possibilia in particulari cognoscat, sed solum infertur cognitio illorum confusa sub communi entis ratione.

32 *Respond. Ad 1. probationem minoris.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem distinguo maiorem: in vniuersali per prædicationem, concedo maiorem: in vniuersali adæquate continente omnes particulares rationes effectuum cognoscibilium, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam Deus est causa vniuersalis eminenter perfectissimè continens omnia prædicata creaturarum possibilium, & omnem illorum causam, & ideo ex Dei comprehensione rectè colligitur cognitio omnium creaturarum possibilium, non solum in communi, sed etiam secundum omnes proprias & peculiares rationes. Ita in substantia Diuus Thomas *quæst. 2. de scientia Dei art 4 ad 7.*

Ad secundam probationem distinguo antecedens:
33 *Ad 2. probationem.* virtus causæ adæquatæ continentis effectus sub omni ratione illorum, nego antecedens: virtus causæ non adæquatæ, concedo antecedens, & nego consequentiam: nam Deus est adæquata causa creaturarum possibilium sub omni illarum ratione eminenter continens, non solum prædicata communia, & vniuersalia, sed etiam specifica, & indiuidualia, & ideo vt comprehendatur, debent omnes creaturæ possibiles non solum in communi, sed etiam in particulari cognosci: secus in Angelo opposita de causa contingit: nam intellectus Angeli non est causa sufficiens omnium cognitionum possibilium secundum omnem differentiam illarum, sed tantum secundum rationem cognitionis Angelicæ: vnde potest comprehendi, quin in illo omnes cognitiones possibiles vt distinctæ cognoscantur: quæ doctrina est D. Thomæ *quæstione 2. de verit, art. 4. in corp. & in solut. ad 3. & 7. argumentum.*

34 *Instabis.* Sed dices: in causa non adæquata non potest effectus cognosci secundum omnem rationem; sed dantur aliqui effectus, quorum Deus causa adæquata non est ergo saltim isti effectus non cognoscuntur in Deo secundum omnem rationem; & consequenter non cognoscuntur ab ipso. Maior constat ex doctrina nuper tradita. Minor autem probatur: ideo principium vitale non est causa omnino adæquata sui actus, quia indiget diuino concursu, sine quo ipsum adæquate non continet; sed Deus, se solo sine principio vitali non potest actum vitalem producere, vt tenet verior sententia: ergo illius causa omnino adæquata non est; & consequenter actus vitalis vt possibilis non cognoscetur à Deo in se ipso secundum omnem rationem.

Respondeo, negando minorem. Ad probationem,
35 *Respond.* distinguo maiorem: quia indiget Dei concursu, & illum in se non continet, nec formaliter, nec eminenter, concedo maiorem: præcisse, quia illo indiget, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: quia licet Deus nequeat sine principio vitali actum vitalem producere; in se tamen continet eminenter principium ipsum vitale, & omne quod ad existentiam actus vitalis exigitur, & ideo est sufficiens medium cognoscendi actum vitalem secundum omnem rationem. Quæ doctrina est D. Thomæ *loco nuper allegato in corp. & in solut. ad 3.*

§. III.

Vltimum argumentum proponitur, & examinantur varij modi dicendi.

DENIQUE arguitur: quod in se actu non est, non est actu cognoscibile; sed creaturæ possibiles in 36 *Vltimo arguitur.*
statu possibilitatis actu non sunt: ergo non sunt cognoscibiles actu; & consequenter in se ipsis non cognoscuntur à Deo, nec primario, nec secundario. Consequentia liquet. Maior constat: nam cognoscibilitas consequitur entitatem: ergo quod actu non est, non est actu cognoscibile. Minor autem probatur: creaturæ pro statu possibilitatis actu sunt nihil, aliàs aliquid creatum existeret necessario ab æterno, & sine Dei causalitate, quæ necessaria esse nequit; sed nihil, & ens opponuntur: ergo pro statu possibilitatis actu non sunt; & consequenter cognoscibiles actu esse nequeunt. 37

Huic argumento variè occurritur à Theologis iuxta *Prima solutio Henrici.*
varios modos explicandi possibilitatem creaturarum. Prima solutio, concessa maiori, negat minorem; licet namque creaturæ possibiles antequam in tempore producantur, existentiam non habeant, habent tamen actu extra Deum aliquod verum esse ab æterno, & ratione istius esse sunt cognoscibiles actu, & actu terminant cognitionem diuinam. Hæc tribuitur Henrico *quodlib. 8. quæst. 1. & 9.* Illamque vt principijs fidei dissonam reijciunt communiter Theologi, & merito, si Henricus aliquod verum esse physicum æternitate positiuè mensuratum extra Deum creaturis conuenire contendat. *Hæc solutio principijs fidei aduersatur. Et reijcitur.* Nam sequitur, vel Deum de necessitate illud esse creasse, vel esse independens à Deo, quorum vtrumque dissonat fidei principijs, ex quibus habetur Deum in tempore omnia creasse, & nihil extra se necessario producere, & omne ens creatum illius concursu dependere. Si tamen de esse essentiæ consistente in connexione prædicatorum essentialium loquatur, quod non positiuè, sed negatiuè tantum dicatur æternum, veram esse illius doctrinam ex dicendis *infra* constabit.

Secunda solutio, concessa etiam argumenti maiori, 38
distinguit minorem: non sunt actu in esse physico entitatiuo, & perfecto, concedit minorem: in esse cognito, quod est esse diminutum, negat minorem, & consequentiam. *Secunda solutio. Scotistarum.* Hæc tribuitur Scoto *in 1. dist. 35. & 36. & dist. 43. §. aliter dico, & in 2. dist. 1. quæst. 2. prope finem,* vbi docet, creaturas antequam de facto in tempore producantur à Deo, nullum esse reale sibi intrinsecum habere, nec essentiæ, nec existentiæ, ab æterno tamen produci ab intellectu diuino, non secundum esse reale, sed secundum esse cognitum: non in primo instanti naturæ, nam in hoc Deus se ipsum cognoscit sine vllo respectu ad creaturas, sed in secundo instanti; in hoc namque creaturas cognoscit, & illas in esse cognito producit, quod non est esse simpliciter, sed tantum secundum quid, & diminutum, & ab hac cognitione diuina habent creaturæ primam possibilitatem, & creatura sub hoc esse producta, se ipsa hábet vt illi existentia non repugnet.

Nec valet: *Producitur ab æterno homo, v. g. in esse cognito: ergo producitur absolute, & simpliciter;* quia esse in 39 *Sic opponatur. Respond.*
cognitione est diminutum respectu esse simpliciter, sicut producta imagine Cæsaris mortui, Cæsar producitur in esse repræsentati: ex quo non colligitur Cæsarem produci simpliciter; nec sequitur: *ergo simpliciter est:* quia vt repræsentetur non est necessarium vt sit. Scotum sequuntur Radda. *1. p. controuers. 29. art. 3.* Smising. *de Deo vno tract. 3. disp. 2. num. 35.* & Franciscus Fœlix *de scientia Dei cap. 4. difficultate 1. num. 9. & sequentibus,* & communiter omnes Scotistæ, vno solo, quem viderim, dempto, scilicet, Pontio *in cursu Phylosophyco disp. 69.* vbi docet, creaturas ratione sui in statu possibilitatis habere esse quoddam diminutum, ratione cuius illis non repugnat existere, quod esse diminutum, nec consistit in extrinseca denominatione ab omnipotentia, vel aliquo Dei attributo, nec efficienter causatur ab intellectione diuina, sed ipsis conuenit ab intrinseco, & est medium *Radda Smising. Fœlix. Pontius aliter eam explicat.*

inter

inter ens reale, & rationis; non quia sit vtrumque extremum, sed quia conuenit cum ente rationis in eo quod non existit realiter, & cum ente reali conuenit in eo quod illi realis existentia non repugnat. Scotum autem docentem creaturas possibiles ab intellectu diuino habere, quod sint possibiles explicat de proxima possibilitate, quia cum, vt sint, ab omnipotentia & voluntate dependeant, & voluntas in incognitum ferri non possit, fit, vt creaturæ non sint proximè possibiles, nisi vt actu cognitæ à diuino intellectu, sicut bonum non est proximè amabile, nisi vt est in apprehensione.

40 *Hæc explicatio est contra Scoti mentem.* Hæc tamen explicatio Scoti menti non congruit: nam dist. 43 relata hæc habet verba: obiectum habet, quod sit primo possibile per intellectum diuinum producentem in primo instanti illud in esse intelligibili; at possibilitas proxima non dat obiecto, quod sit primo possibile, sed remotam possibilitatem supponit, vt Pontius fatetur: ergo verba Scoti non saluat, nec mentem. Præterquamquod locis allegatis expresse fatetur ante illud esse cognitum, nullum esse formale in creaturis præsupponit distinctum ab esse increato Dei; at iuxta istum Auctorem ad esse cognitum, ex quo habent proximam possibilitatem, supponitur in creaturis aliud esse diminutum distinctum à Deo, per quod habent primo possibilitatem: ergo mentem Scoti non sequitur.

41 *Aliquorum impugnatio.* Quidquid tamen de hoc sit sententia ex Scoto relata communiter a cæteris Theologis extra eius Scholam deseritur. Contra illam opponunt aliqui: nam scientia speculatiua non facit, sed supponit obiectum; sed scientia Dei possibilium prout ad illa terminata, non est practica, sed speculatiua: ergo non dat rebus possibilitatem, nec sub aliquo esse etiam diminuto producit. Hoc tamen argumentum non vrget: instatur namque in notitia, ex qua diuinum Verbum procedit, quæ quidem practica cognitio non est; & tamen Verbum producit, & hoc ideo quia licet ex illa diuinum Verbum procedat, non tamen talis est quod tradat regulas operandi, quod ad cognitionem practicam est necessarium: ergo quamuis cognitio Dei creaturarum possibilium non practica, sed speculatiua sit, poterit illa sub aliquo esse producere, vel saltim ex hoc principio talis productio non tollitur. *Hæc impugnatio non vrget.*

42 *Scoti solutio reijcitur primo.* Aliter ergo sententia Scoti impugnatur primo: nam illud esse diminutum, vel est a cognitione diuina formaliter, vel efficienter; neutrum dici potest: ergo creaturæ possibiles in nullo esse reali etiam diminuto causantur ab æterno ab intellectu diuino. Maior est certa: non enim alius modus imaginabilis est, quo creaturæ in esse cognito causentur ab intellectu diuino, nisi vel per hoc, quod à diuina cognitione cognitæ denominentur, vel ab illa aliquod esse efficiatur. Minor pro prima parte ostenditur primo: nam per illud esse cognitum, vel diminutum constituuntur creaturæ possibiles in ratione obiecti terminantis cognitionem diuinam; sed cognitio, vt terminata ad obiectum, non potest per modum formæ suum obiectum constituere, sicut visio non potest formaliter constituere proprium obiectum; nec potentia, vt forma, proprium obiectum constituit: ergo illud esse diminutum, & æternum non est à Diuina cognitione formaliter. *Minor pro 1. parte probatur primo.*

43 *secundo probatur.* Secundo probatur: nam eo ipso quod creaturæ à diuina cognitione formaliter nequit esse diminutum haberent, non possent dici ab æterno per diuinum intellectum productæ; sed iuxta Scotum ab æterno producuntur per diuinum intellectum: ergo id non habent à cognitione diuina formaliter. Minor est doctrina Scoti; maior autem probatur: non enim stat cognitum, vt à cognitione denominatum produci, nisi à producente cognitionem denominationem tribuentem; sicut visum vt à visione denominatum nequit produci, nisi a producente visionem; sed diuina cognitio non producitur ab æterno ab intellectu diuino, alias realiter distingueretur ab illo, quod Scotus non concedet: ergo eo ipso quod creaturæ haberent illud esse diminutum à diuina cognitione formaliter, non possent dici ab æterno secundum illud esse per intellectum productæ.

44 *respondet Scotus.* Nec sufficit respondere cum Scoto: creaturas in secundo instanti naturæ produci in esse cognito per hoc, quod cognitio diuina in illo instanti protendatur ad illas, ad quas pro primo instanti cognitionis essentiæ, non terminabatur. Non, inquam sufficit; sicut namque diuina cognitio sub prima terminatione ad essentiam non est vere ab intellectu producta: ita sub secunda terminatione, vel extensione, producta ab intellectu diuino non est, & eadem ratione, quia, nempè, sub nulla ex *Contra.*

GODOY in 1. p. Tom. 1.

his considerationibus realiter ab illo distinguitur: ergo si esse cognitum, & diminutum creaturis ab æterno conueniens præstatur formaliter à diuina intellectione vt in secundo instanti ad illas extensa, non possunt dici secundum illud esse ab intellectu diuino ab æterno productæ.

Quod amplius vrgetur: non enim potest dici essentiam diuinam ab intellectu produci secundum esse cognitum; at non alia ratione nisi quia esse cognitum præstatur formaliter à cognitione improducta: ergo si esse cognitum, & diminutum prouenit formaliter a cognitione diuina prout in secundo instanti ad creaturas terminata, & prout sic improducta, non possunt creaturæ secundum illud esse, dici productæ ab intellectu diuino. 45 *Confirmatur.*

Si fortè dicatur: rationem cur diuina essentia nequeat dici producta secundum esse cognitum, non esse quia præstatur formaliter à cognitione improducta, sed quia supponitur habens esse simpliciter pro priori ad sui cognitionem, creaturæ autem primum esse per cognitionem accipiunt, & ideo dici possunt ab intellectu productæ. In contrarium obstat, supponi essentiam diuinam ante sui cognitionem, & non supponi creaturas, tantum probare creaturas primo produci, & non essentiam diuinam, non autem quod hæc nullo modo producatur: ergo si essentia diuina per hoc quod à Deo cognoscatur, non potest dici vlla ratione producta, ideo est, quia cognita formaliter constituitur per cognitionem improductam. 46 *Si respondeatur.* *In contrarium obstat.*

Probo antecedens: quod essentia diuina supponatur ante sui cognitionem, solum probat non produci secundum id, quod supponitur in illa; sed quamuis supponatur essentia ante cognitionem, non tamen supponitur ante illam vt cognita; nec vt cognitionem terminans: ergo ex tali suppositione solum sequitur non produci essentiam sub ratione essentiæ, non autem quod producatur vt cognita, vel vt cognitionem terminans, si esse cognitum, vel terminans cognitionem capax est terminandi productionem; & consequenter si etiam prout sic non producitur ab intellectu diuino, ideo est, quia cognita constituitur cognitione improducta. Ex quo vlterius sequitur, esse cognitum, & diminutum, sub quo producuntur creaturæ ab intellectu diuino, non esse a cognitione diuina formaliter, nec in extrinseca cogniti denominatione consistere, vt defendit Smising. *vbi supra.* 47 *Antecedens probatur.*

Quod autem illud esse diminutum creaturarum possibilium non sit ab intellectione diuina efficienter, probatur: nam eo ipso quod sit à diuina cognitione efficienter, non est aliquid increatum, sed creatum; cum nulla formalitas increata efficienter causetur à Deo; sed non potest affirmari esse aliquid creatum: ergo non potest esse ab intellectione diuina efficienter. Probatur minor primo: nam secundum fidem omne esse creatum incœpit in tempore esse: ergo nullum esse creatum est ab æterno productum ab intellectu diuino. Secundo: quia nullum esse creatum à Deo necessario causatur; sed illud esse diminutum, non libere, sed necessario est à Deo: ergo aliquid creatum non est. 48 *Minor principalis discursus quo ad 2. p. probatur.* *Minor prob. 1.* *Secundo.*

Dices, veram esse minorem de esse creato reali, & simpliciter tali; hoc namque, nec fuit ab æterno, nec a Deo potest necessario procedere; falsam autem de esse creato diminuto, intentionali, & rationis; esse autem, quod Scotus tribuit creaturis possibilibus ab æterno productum ab intellectu diuino, non est simpliciter tale, nec reale, sed diminutum, intentionale, & rationis, quod esse ab æterno, & necessario produci per intellectum diuinum absque vllo inconuenienti conceditur. 49 *Respondebis.*

Sed contra primo: non enim minus inconueniens apparet, quod Deus necessitatus sit ab intrinseco ad causandum ens diminutum rationis, quam ens simpliciter reale: ergo si ad esse reale simpliciter necessitari non potest, nec etiam ad ens diminutum, & rationis. Secundo: nam ens rationis est, quod non habet verum esse, sed ab intellectu fictum; sed fictio diuino intellectui repugnat: ergo ab illo nequit causari illud esse diminutum. Tertio: nam enti rationis, realis existentia repugnat; sed ei, quod iuxta Scotum ab æterno producitur ab intellectu diuino, non repugnat realiter existere: ergo ens rationis non est. 50 *Contra 1.* *Secundo.* *Tertio.*

Secundo principaliter sententia Scoti impugnatur: ad hoc enim constituitur à Scoto productio creaturarum sub illo esse diminuto ab intellectu diuino, vt illis 51 *Secundo & princi-*

realiter re-ceitur eti so-lutio, possibilitas conueniat consistens in non repugnantia vt existant; sed hæc non potest illis ab intellectu diuino competere: ergo talis productio non datur. Maior constat: nam iuxta Scotum, creaturæ ab intellectu diuino recipiunt primam possibilitatem, vt ex eius verbis contra Pontium *supra* vidimus. Et insuper: nam si independenter ab intellectu illis possibilitas conueniret, ad intellectum diuinum supponerentur creaturæ secundum esse formale: nam possibilitas de creaturis formaliter prædicatur: ergo productio creaturarum secundum esse rationis, & diminutum, ad hoc, in doctrina Scoti adstruitur, vt illis possibilitas conueniat.

Minor autem ostenditur primo: quod enim homini

52 *Minor probatur primo.* non repugnet existentia, & chimeræ existentia repugnet, non potest prouenire ab intellectu diuino; aliàs hæc causalis esset vera; *ideo homo non repugnat, quia cognoscitur à Deo: & idèo repugnat chimera, quia cognoscitur ad intellectu diuino*, quod asserere ridiculum est: ergo, quod creaturis non repugnet existentia, non habent ab intellectu diuino.

Secundo Secundo; nam ab eo, in quo homo, & chimera conueniunt, non potest prouenire, quod vni, & non alteri realis existentia repugnet; at in hoc, quod est cognosci ab intellectu diuino conueniunt chimera, & homo; vtrumque namque cognoscitur: ergo quod homini

Tertio, non repugnet existentia, in quo eius possibilitas consistit, non potest illi competere ab intellectu diuino. Tertio: nam huius, quod est homini non repugnare existentiam, & chimeræ repugnare, debet reddi aliqua ratio, à qua possibilitas hominis, & impossibilitas chimeræ proueniat; sed huius discriminis prima ratio esse non potest cognosci, vel non cognosci ab intellectu diuino: ergo ab alio, quam ab intellectu diuino habent creaturæ possibiles primam possibilitatem; quod adeò certum censuit Pontius vbi *supra*, vt asserat, non posse ab aliquo Scotista negari.

53 *Respondebis.* Respondebis, hominem (exempli gratia, & idem est de quauis alia creatura asserendum) à se ipso habere formaliter, quod illi existentia non repugnet, cæterum principiatiuè id habere ab intellectu diuino, à quo habet efficienter illud esse diminutum. Ex quo tantum sequitur à se ipso habere possibilitatem formaliter, quod non infieiatur Scotus, non autem quod id non habeat à diuino intellectu efficienter.

54. *Explicatur solutio.* Quæ doctrina in eo, quantum percipio, consistit, quod sicut hominem existere animal rationale habet à se ipso formaliter, à Deo tamen efficienter, qui dat existentiam homini; ita quod non repugnantia ad realiter existendum homini conueniat, prouenit ab ipso homine formaliter, & efficienter ab intellectu diuino, quia hominem cognoscendo, efficienter causat hominem sub illo esse intentionali, cui conuenit, & de quo prædicatur prædicta non repugnantia, quia hæc conuenire non potest, nisi supponatur extremum, de quo affirmetur; & sicut inconueniens non est, quod prædicata opposita hominis, & equi v.g. illis vt existentia à Deo principiatiuè conueniant, quamuis in hoc, quod est à Deo effici assimilentur; ita inconueniens non est, quod repugnantia, & non repugnantia ad realiter existendum conueniant chimeræ, & homini principiatiuè ab intellectu diuino, quamuis tam chimera, quam homo illius terminent cognitionem, & in hoc non disconueniant.

Sed contra primo: vt enim non repugnantia ad realiter existendum esset ab intellectu diuino efficienter,

55 *Reijcitur primo.* oportebat efficit ab ipso aliquod extremum, cui ratione sui conueniret prædicta non repugnantia; sed hoc non potest defendi: ergo nec quod non repugnantia ad realiter existendum homini conueniat ratione sui formaliter, & efficienter ab intellectu diuino.

Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: quod efficitur ab intellectu diuino non est verum ens, & reale, sed rationis; aliàs aliquod ens reale, & verum esset ab æterno necessario productum ab intellectu diuino, in quo sensu Caietanus, & alij docti Thomistæ sententiam Scoti acceperunt, & sic acceptam acritèr damnarunt, & meritò; sed enti rationis, realis existentia repugnat: ergo non potest defendi effici necessario ab intellectu diuino extremum non repugnantiæ ad realiter existendum, id est, extremum, cui non repugnantia realis existentiæ conueniat, & de quo hæc non repugnantia enuntietur.

56 *Secundo.* Contra secundo, & explicatur obiectionis efficacia retorquendo exemplum adductum, ideò Petrus est albus à Deo efficienter, & Paulus à Deo efficienter est niger, quia per actionem diuinam efficienter causantur istæ qualitates oppositæ, quæ ratione sui oppositos præbent effectus in genere causæ formalis: ergo vt possibilitas conuenia homini v.g. ab intellectu diuino efficienter, & chimeræ impossibilitas, debet præter diuinam intellectionem dari aliquid causatum ab illa efficienter, quod sit ratio possibilitatis hominis, & impossibilitatis chimeræ; sed ens rationis, quod solum in sententia Scoti ab intellectione diuina causatur, non potest esse ratio possibilitatis realis, qualis est possibilitas hominis: ergo possibilitas hominis, & chimeræ impossibilitas nequeunt esse principiatiuè efficienter ab intellectu diuino.

Quod si propter hæc asseratur cum Pontio, illud esse diminutum, non esse ens rationis, nec reale, sed medium conueniens cum ente rationis in negatione realis existentiæ, & cum ente reali in non repugnantia ad realiter existendum. Obstat primo, iam deseri sententiam Scoti, qui, vt vidimus, & vt communiter explicatur, illud esse diminutum, asserit, esse ens rationis, non relatiuum, sed absolutum. 57 *Respondebis. Contra 1.*

Obstat secundo: hoc esse medium inter ens reale, & rationis in nullo alio posse consistere, quam in esse essentiæ, & quidditatis; at esse essentiæ non conuenit creaturis ab intellectu diuino, sed ratione sui ab intrinseco: ergo ratione huius esse non producuntur creaturæ possibiles ab æterno secundum esse aliquod diminutum. *Contra 2.*

Aliorum solutio est, creaturas possibiles pro statu possibilitatis nullum esse habere actu essentiæ, vel existentiæ in se ipsis, sed tantum sunt actu in causa, in se ipsis possibiliter, & hoc sufficit vt actu cognoscantur a Deo, quia quamuis actu cognoscantur ex parte cognoscentis, non tamen actu obiectiuè, hoc est, actu cognosci, non vt actu, sed vt possibiliter existentes. Hæc tribuitur Herueo *quodlibet.* 11. *q.* 1. Soncinati *lib.* 9. *Metaphysica q.* 4. quos sequuntur Bañez, & Zumel *supra q.* 10. *art.* 5. & Suarez *in Metaphysica tom.* 2. *disp.* 31. *sect.* 2. vbi docet, creaturis possibilibus ab æterno nullum esse conuenire, esse certum secundum fidem. 58 *Aliorum Solutio.* *Heru. Soncin. Bañez. Zumel. Suar.*

Iuxta quos Auctores in forma respondetur argumento facto: quod in se actu non est, non est actu cognoscibile motiuè, concedo maiorem: terminatiuè tantum, subdistinguo maiorem: non est actu cognoscibile, vt actu existens, concedo maiorem: vt existens possibiliter, nego maiorem: & concessa minori de esse formali in se ipsis, distinguo consequens distinctione maioris: non sunt actu cognoscibiles motiuè, concedo consequentiam: terminatiuè, vel nego consequentiam, vel distinguo consequens: non sunt actu cognoscibiles, vt existentes actu, concedo consequentiam: vt possibiliter existentes, nego consequentiam. Itaque sicut futura actu terminant cognitionem diuinam, non vt existentia actu, sed vt actu exitura, quia in causa habent esse determinatum, vt pro suo tempore sint: ita possibilia actu cognoscuntur, à Deo, non vt existentia, nec vt exitura actu, sed vt possibiliter existentia, quia licet in se actu non sint in se ipsis formaliter, sunt actu eminenter in causa, cum illorum existentia ve possibili connexa. 59 *In forma respondet argumento facto.*

Quæ solutio videtur tradita ab Angelico Doctore *in hac quæst. art.* 9. *ad* 1. vbi cum sibi obiecisset: *Scientia Dei non est nisi verorum; sed verum, & ens conuertuntur: ergo scientia Dei non est non entium*, idest non existentium. Respondet: *Ad primum dicendum, quod secundum quod sunt in potentia, sic habent veritatem, ea quæ non sunt actu, verum est enim ea esse in potentia, & sic sciuntur à Deo.* Et *quæst.* 2. *de Veritate art.* 3. *ad* 12. ibi: *Dicendum, quod quamuis cognitio non sit, nisi entis, non tamen oportet, quod illud, quod cognoscitur, sit tunc ens in sua natura, quando cognoscitur; sicut enim cognoscimus distantia loci, ita cognoscimus distantia tempore.* 60 *Cōfirmāt solutio ne ex D. Thom.*

Cæterum contra hanc solutionem obstat: nam licet illius doctrina sit vera loquendo de ente participialiter, qua ratione importat existentiam, de quo sic sumpto loquutus est D. Thomas, non tamen est vera de ente nominaliter sumpto, qua ratione est concretum essentiæ: quod probo: nam hæc propositio, *homo est ens*, ab æterno cognoscitur à Deo vt vera; sed in illa non enuntiatur ens vt conueniens possibiliter, sed vt de facto conueniens: ergo ab æterno actu cognoscitur ab intellectu diuino hominem esse actu ens: & consequenter homo in statu possibilitatis est ens verum, & reale ab æterno, non realitate existentiæ, sed essentiæ. Vtraque consequentia est bona. Maior constat: nam hæc propositio, *homo est ens*, est æternæ veritatis, non minus quam illa, *homo est* 61 *Reijcitur ista solutio.*

mo est animal, viuens, &c. ergo nunquam incœpit esse vera, sed ab æterno fuit vera, & vt talis actu cognita á Deo.

62 *Minor probatur, primo.* Minor autem ostenditur primo: nam hæc propositio, *homo est ens*, diuersa est ab ista, *homo potest esse ens*; sed in hac secunda enuntiatur ens, vt conveniens possibiliter: ergo in prima, vt conueniens de facto. *secundo.* Secundo: nam homo ad sua prædicata essentialia, vt essentialiter conuenientia, nunquam fuit in potentia; sed in illa propositione prædicatur ens de homine secundum essentialem conuenientiam: ergo non prædicatur vt possibiliter, sed vt actu conueniens. *Tertio.* Tertio: nam in hac propositione, *homo est animal*, non prædicatur animal posse conuenire homini, sed vt conueniens actu: ergo pariter in hac propositione, *homo est ens*, non prædicatur ens, vt possibiliter, sed vt actu conueniens.

63 *Quarto.* Denique: nam si in hac propositione, *homo est ens, animal, viuens, &c.* non enuntiarentur prædicata vt actu, sed vt possibiliter conuenientia, nullum esset discrimen inter propositiones de prædicatis contingentibus, & de prædicatis necessarijs, & essentialibus; sed hoc asserendum non est: ergo prædicata necessaria enuntiantur, non vt possibiliter, sed vt actu conuenientia. Probatur maior: hæc propositio, *homo est quantus, vel extensus*, enuntiata quantitate, vt possibiliter conueniente, est æternæ veritatis: nam ex conceptu substantiæ conuenit essentialiter homini capacitas suscipiendi quantitatem; ergo si prædicata essentialia enuntiantur de subiecto tantum vt possibiliter conuenientia, nullum erit discrimen inter propositiones de prædicato essentiali, & de prædicato accidentali, & contingenti.

64 *Respondebis.* Dices, propositionem istam essentialem, *homo est ens*, esse in sensu conditionali accipiendam, & similiter istam, *homo est animal*, ita vt sensus sit, *si homo est, animal est, si homo est, est ens*, & sic de alijs propositionibus essentialibus; vt autem in hoc sensu sint veræ ab æterno, non est necessaria realitas essentiæ, vel existentiæ ab æterno conueniens: conditionalis enim nihil ponit in esse, *Contra.* sed solum petit bonitatem consequentiæ. Sed contra: nam sequitur, hanc propositionem, *homo est animal existens*, esse æternæ veritatis, non minus, quam ista, *homo est animal*; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Minor cum consequentia tenet. Sequela autem probatur: hæc propositio, *homo est animal existens*, in sensu conditionali est æternæ veritatis; cum sit consequentia formalis, & quæ nunquam potest infirmari, *homo existit: ergo est animal existens*: ergo si hæc propositio, *homo est animal*, solum est æternæ, & necessariæ veritatis accepta in sensu conditionali, hæc etiam, *homo est animal existens*, erit necessaria, & veritatis æternæ.

§ IV.

Traditur, & defenditur vera argumenti solutio.

65 *Pro vera argumenti solutione nota 1.* VNDE, hac solutione in sua probabilitate relicta, aliter est argumento facto occurrendum, notando primo: ens accipi dupliciter posse: primo nominaliter, qua ratione est concretum essentiæ; secundo participialiter, qua ratione est concretum existentiæ, & est *Secundo.* idem, quod existens. Notando secundo: quod verbum *est*, etiam dupliciter potest considerari: primo, prout dicens connexionem essentialem prædicati cum subiecto, qua ratione, etsi significet cum tempore, quia connexionem illam importat, vt ex parte modi significandi tempore mensuratam, absoluitur tamen à tempore, quia non petit, vt extrema existant pro differentia temporis, quam importat. Secundo accipitur pro existentia vnitiuè significata, qui est proprius modus significandi verbi, & sic à tempore non absoluitur, sed restringit extrema, hoc est, ad veritatem propositionis petit, vt extrema existant pro differentia temporis, quam importat, scililicet, pro tempore præsenti.

66 *Creaturæ possibiles sunt entia nominaliter, non participialiter.* His positis, asserendum existimo, creaturas in statu possibilitatis non esse actu entia, sumpto ente participialiter; & verbo vniente pro existentia, & restringente extrema propositionis, esse tamen actu entia, sumpto ente nominaliter, prout est concretum essentiæ, & verbo vniente pro connexione essentiali, & à tempore absoluto, & hanc realitatem essentiæ, vt actu illis conuenientem sufficere vt obiectiuè sint vera, & actu in se ipsis secundario, & terminatiuè ab æterno cognoscantur ab intellectu diuino.

67 Iuxta quam doctrinam respondeo ad argumentum in forma, distinguendo maiorem: quod in se actu non est, *Ad arg. in forma resp.* ly *est* vniente pro essentia, non est actu cognoscibile, concedo maiorem: ly *est* vniente pro existentia, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet creaturæ possibiles in statu possibilitatis, non sint actu, sed tantum in potentia existentes, nec ens, sumpto ente participialiter, & verbo copulante pro existentia, sunt tamen actu ens sumpto ente nominaliter, & verbo vniente pro essentia.

Ad probationem minoris, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, distinguo maiorem: creaturæ possibiles actu sunt nihil, prout nihil opponitur enti participialiter, hoc est enti realiter existenti, concedo maiorem: prout nihil opponitur enti sumpto nominaliter, hoc est, pro habente essentiam, & quidditatem, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris: solum enim sequitur non esse actu existentia, non autem non esse actu ens, hoc est, actu habens sua prædicata essentialia, suam quidditatem, & essentiam. 68 *Ad minoris probationem.*

Modum istum dicendi docuit Capreolus *in 1. dist. 8. q. 1. art. 1. in 1. ratione 1. concl. & art. 3. ad 5. Godofredi, & ad 1. & 3. argum. Aureoli, & in 2. dist. 1. q. 2. art. 3. ad 4. Aureoli contra 1. conclusionem*, & videtur non obscurè traditur à Caietano *cap. 4. de ente, & essentia quæstione 6. & cap. 5. quæst. 11.* vbi docet, rerum essentias esse entia realia, vt ens reale opponitur enti fabricato ab intellectu. Illum sequitur, & fusè explicat Nazarius *in hac prima parte quæstione tertia artic. quarto controuers. prima notabili quarto, & quinto, & conclus. 1.* Tenent etiam Basilius Legionensis *quæstione octaua Scholastica cap. 8.* & ex PP. Societatis Granadus *tract. de Potentia Dei disp. 7. sect. 2. num. 6.* & Albertinus *tom. 2. de prædicamento substantiæ q. 1.* & nouissimè sequitur Mag. Martinez *in Metaphysica 1. p. controu. 7. art. 1.* probatque ex D. Thoma *quodlibeto 8. art. 1. in corpore*, vbi docet: quod *remotis omnibus, quæ senario perficiuntur, adhuc remanet natura senary, & illius naturæ competit perfectio*, quod etiam repetit *solut. ad 1. & ad 3.* docet, nulla remanente creatura quoad esse, adhuc naturam humanam talem mansuram, quod ei rationalitas competat, non autem potest senario non existenti conuenire perfectio, & humanitati existenti conuenire rationalitas, quin illis realitas competat, quæ cum realitas existentiæ non sit, erit realitas essentiæ in connexione prædicatorum consistens. 69 *Capreol. Nazar. Legion. Granad. Albert. Mart. S. Tho.*

Sed contra hanc doctrinam obijcies primo: nihil distinctum à Deo potest esse ens absolutè, & simpliciter necessarium; sed si creaturæ possibiles in statu possibilitatis essent ens verum, & reale, aliquid distinctum à Deo, esset absolutè, & simpliciter necessarium, cum creaturæ vt sic à Deo distinguerentur, illisque essentialiter repugnaret non esse, in quo consistit esse necessarium simpliciter: ergo creaturæ in statu possibilitatis non sunt actu ens verum, & reale. Secundo: nam si homo v. g. ante sui primam productionem in tempore, esset ens verum, & reale, fieret, non fuisse creatum in tempore: consequens est contra fidem: ergo doctrina solutionis nullatenus sustineri potest. Patet sequela: nam creatio est productio entis ex nihilo; sed id, cuius essentia realis supponitur non fit ex nihilo: ergo si homo ante sui productionem habuit realitatem essentiæ, non fuit creatus. 70 *Replicabis 1. Secundo.*

Confirmatur, & vrgetur primò: id, cuius productioni materia supponitur, non creatur: ergo id, cuius productioni supponitur realis essentia, non potest creari. 71 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & vrgetur secundo: nam sequitur, non posse hominem anihilari de potentia absoluta; consequens derogat fidei: ergo doctrina tradita sustinenda non est. *Confirmatur 2.* Probatur sequela: anihilatio est desitio entis in nihilum, id est, nullo sui remanente; sed implicaret hominem desinere in nihilum; cum implicaret non remanere illius esse essentiæ quidditatiuum, quod, vt supponitur, est verum, & reale ens: ergo implicaret hominem anihilari.

Confirmatur, & vrgetur vltimo: nam sequitur essentias rerum fuisse ab æterno creatas; consequens est contra fidem: ergo creaturis in statu possibilitatis, nullum esse reale actuale competit. 72 *Confirmatur 3.* Probatur sequela: homo v. g. in statu possibilitatis est verum ens reale realitate essentiæ, non à se; aliàs esset Deus: ergo ab alio; & consequenter media vera, & reali actione; sed talis actio est creatio, cum sit productio entis ex nihilo, hoc est, nihil præsupponens: ergo est ab æterno creatus, & idem est de quauis alia creatura in statu possibilitatis dicendum, quod nempè, sit ab æterno creata.

Tertio

73 *Replicabis 1.* Tertio objicies: de fide est essentias creaturarum non extitisse ab æterno; sed si haberent, non solum esse potentiale in causa, sed etiam esse actuale in se ipsis, extitissent ab æterno: ergo in se ipsis omni esse actuali carent; & consequenter solum habent esse potentiale in causa. Minor ostenditur primo: nam iuxta Diuum *Minor probatur primo.* Thomam *supra quæstione quinta articulo primo ad primum. Secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod primo discernitur ab eo, quod est in potentia tantum*; sed si creaturæ possibiles haberent actu esse reale in se ipsis, essent discretæ ab eo, quod est tantum in potentia causarum: ergo essent simpliciter ens; & consequenter in se ipsis existerent. Secundo ex eodem Diuo *Secundo.* Thoma 3. *p. quæstione decima articulo tertio in corpore*: illis verbis: *Dupliciter aliquid dicitur ens, vno modo simpliciter, quod scilicet, est ens actu, alio modo secundum quid, quod est ens in potentia*: ergo si creaturæ ab æterno actu sunt entia, sunt entia simpliciter; & consequenter sunt actu existentia.

74 *Tertio, Antecedens probatur 1.* Tertio: nam existere nihil est aliud, quam intrinsecè actualiter esse in se ipso: ergo si essentiæ creaturarum sunt actu ab æterno in se ipsis, ab æterno sunt existentes. Antecedens probatur primo: Deus namque non alia ratione existit, nisi quia est actualiter in se ipso. *Secundo* Secundo; quia non est imaginabilis alius effectus existentiæ, vt abstrahit à creata, & increata, quam tribuere essentiæ esse actu in se ipsa.

Tertio. Tertio: nam quod extrinsecè est in potentia factiua sui, excludit non esse simpliciter talis potentiæ: ergo quod intrinsecè est in se ipso, excludit non esse simpliciter in se ipso; sed existere nihil est aliud, quam esse in statu excludente non esse simpliciter sui in se ipso: ergo non est aliud, quam esse actualiter intrinsecè in se ipso.

75 *Vltimo replicabis.* Denique objicies: nam iuxta Augustinum *super Genesim propè finem*, res antequam fierent erant, & non erant, erant quidem in Dei scientia, sed non erant in natura propria; sed si creaturæ in statu possibilitatis haberent esse quidditatiuum, & essentiæ, essent ab æterno, non solum in Dei scientia, sed etiam actu in se ipsis: ergo iuxta Augustinum creaturæ in illo statu, esse reale quidditatiuum non habent.

76 *Confirmatur 1.* Et confirmabis primo: nam vt docet Augustinus, creaturæ antequam in tempore existant, & producantur à Deo, sunt in Dei scientia, non tamen actu in se ipsis, vel in natura propria: ergo ad esse cognitum à diuino intellectu non requiritur esse obiectiuè actu in se ipso. *Confirmatur 2.* Confirmabis, & vrgebis secundo: non solum esse essentiæ creaturarum, sed etiam esse existentiæ actu à Deo ab æterno cognoscitur; & tamen existentia creata non est actu ab æterno, nec actu creaturis conuenit: ergo quamuis essentia, & quidditas creaturarum actu ab æterno cognoscatur à Deo, actu ab æterno non erit, nec actu creaturis competet, nec de illis prædicabitur.

Confirmatur 3. Denique vrgebis: tam necessaria est hæc veritas: *existentia hominis est illi ratio existendi*, sicut ista, *homo est animal rationale*; sed prior veritas actu à Deo ab æterno cognoscitur, quin existentia hominis actu sit ab æterno: ergo secunda veritas actu ab æterno cognoscetur ab ipso, quin essentia, aut quidditas hominis actu sit ab æterno.

77 *Ad 1. replicam resp.* Hæc tamen parum vrgent. Ad primum respondeo, distinguendo maiorem: quoad esse existentiæ, concedo maiorem: quoad esse quidditatiuum, & essentiæ, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam Deus est ens necessario existens, quæ necessitas nulli potest conuenire creaturæ; quod autem aliquid distinctum à Deo sit necessario ens, sumpto ente nominaliter, & quoad esse quidditatiuum, & essentiæ cum contingentia, & non necessitate existendi, nullum est inconueniens, imo est necessario dicendum, nisi vellimus, propositiones istas, *homo est animal viuens, & ens*, non necessarias, sed contingentes esse, quod nullus asseruit.

78 *Ad secundam.* Ad secundum, nego sequelam. Ad probationem explico, & distinguo maiorem: creatio est productio totius entis ex nihilo essentiæ, nego maiorem: ex nihilo existentiæ, concedo maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam; vt enim homo creetur, sufficit nihil illius existens ad sui productionem supponi, non autem quod nihil essentiæ supponatur, vt conueniens essentialiter homini; & ratio est: nam eo modo petit creatio *nihil* vt terminum *à quo*, quo petit *ens* pro termino *ad quem*, terminus autem *ad quem* inspectus ab actione creatiua non est ens, prout dicit essentiam, sed ens participialiter sumptum, prout existentiam importat: ergo solum petit nihil, vt existens supponere, non autem quod nulla essentia, vel quidditas supponatur ad illam.

Ex hisque ad primam confirmationem constat solutio: nam præsuppositio materiæ, quæ obstat conceptui creationis, est materiæ existentis, essentia autem non supponitur existens, sed solum essentialiter conueniens, & ideò dispar est ratio. 79 *Ad 1. confirmationem.*

Ad secundam, nego sequelam. Ad probationem dicatur, quod sicut creatio est productio entis ex nihilo existentiæ, non autem ex nihilo essentiæ, ita anihilatio est desitio totius entis in nihilum existentiæ, non in nihilum essentiæ: vnde si materia, & forma v. g. hominis destruantur, verè anihilabitur, non obstante non desitione essentiæ quoad prædicata essentialia; hæc namque est omninò implicatoria. *Ad secundam.*

Ad tertiam confirmationem, nego sequelam. Ad illius probationem dicatur: quod sicut de homine, & quacumque alia creatura ab æterno prædicatur ens, ita de illis affirmatur ens creatum, & ab alio, non quidem dependentia exercita, sed signata, ad quod non requiritur actio vt exercitè existens, sed actio vt existens possibiliter, & signatè importata secundum essentiam actionis. Nec ex hoc sequitur, hominem v. g. actu esse ab æterno creatum: quia ad hoc necessaria erat creatio ab æterno existens. 80 *Ad tertiam.*

Sed dices; supposito quod creaturæ sint entia positiua ab æterno, entitate sumpta pro essentia, hæc non creatur in tempore: ergo in illa suppositione debet necessario affirmari fuisse ab æterno creatam. Consequentia patet: nam essentia de facto conuenit homini: ergo vel creatione æterna, vel creatione temporali, & in tempore incipiente. Antecedens autem probatur: terminus creationis non supponitur ad illam; sed essentia creaturarum supponitur ad creationem quandoquidem in nostra sententia, actus illis conuenit ab æterno: ergo non creatur in tempore. 81 *Instabis.*

Respondeo, in creaturis existentibus duplicem actualitatem à Discipulis D. Thom. distingui distinctione reali entitatiua, aut modali, nempè, actualitatem essentiæ, quæ est subiectum reale existentiæ, & actualitatem existentiæ, per quam completè extra causas constituitur, & vtramque actualitatem terminare productionem ingrediente actualitate essentiæ vt ratione formali, & vt conditione, & complemento actualitate existentiæ. Quæ doctrina ex 1. *Physicor.* supposita, & ex his, quæ à Thomistis docentur *supra* q. 3. ad obiectionem respondeo, negando antecedens. Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem: essentia creaturarum præsupponitur creationi, & conuenit ab æterno creaturis conuenientia essentiali consistente in connexione prædicatorum, secundum esse signatum essentiæ, concedo minorem: secundum actualitatem exercitam essentiæ, prout suscipit realitèr existentiam, nego minorem, & consequentiam, vel distinguo consequens: non creatur secundum esse signatum actualitatis essentiæ, concedo consequentiam: secundum esse exercitum, prout est existentiæ subiectum, nego consequentiam. 82 *Respond.*

Ad tertium principale argumentum, concessa maiori, nego minorem. Ad primam probationem ex Diuo Thoma dicatur, loqui de ente participialiter, qua ratione non dicitur de creatura simplicitèr, nisi prout discreta per existentiam distinctione positiua exercitè existente à se ipsa, prout est in potentia causarum; licet autem creaturæ sub esse possibili ratione suæ essentiæ discernantur distinctione signata à se ipsis prout in potentia causarum reduplicata continentia actiua causæ, non tamen discernuntur distinctione positiua exercitè existente, & ideò non sunt entia simpliciter sumpto ente participialiter pro ente existente, quidquid sit, an sint dicendæ simpliciter, idest, absolutè entia in alia entis acceptione, qua sumitur nominaliter, & est concretum essentiæ. 83 *Ad 3. replicam. Ad 1. probationem minoris.*

Quod autem D. Thom. loquatur de ente participialiter, non verò nominaliter sumpto, constat: nam loquitur in eadem entis acceptione, in qua *art. à seq.* docet, materiam primam participare bonum, non autem participare ens, quia supponitur non ens, vbi certum est loqui de ente participialiter sumpto: nam loquendo de ente nominalitèr falsum est materiam primam non esse ens ratione sui: ergo loco in argumento relato loquitur de ente accepto participialitèr. 84 *Solutio est de mē. te D. Th.*

Ex qua doctrina ad secundam minoris probationem constat solutio: nempè, D. Thomam loqui de ente participialiter sumpto, qua ratione solum dicitur simpliciter *Ad 2. probationem minoris.*

citer de ente existente in se ipso, de eo autem quod existit in potentia suæ causæ, dicitur secundum quid, creaturæ autem in statu possibilitatis. non sunt actu entia sumpto ente participialiter: vnde non sunt simpliciter entia in hac entis acceptione: ac proinde non sequitur, quod sint existentia.

85 *Ad tertiũ.* Ad tertiam, distinguo antecedens: actualiter esse in se ipso actualitate exercita capaci dante capacitatem ad proprias operationes, accidentiaque recipienda, concedo antecedens: actualitate signata solum capaci terminandi veram cognitionem, nego antecedens, & distinguo consequens: si essent ab æterno in se ipsis actualitate exercita, concedo consequentiam: actualitate signata, nego consequentiam. Et ex his ad primam, & secundam antecedentis probationem constat solutio: Deus namque ideò est essentialiter existens, quia est actu intrinsecè in se ipso actualitate exercita capaci propriarum operationum, & iste est effectus formalis existentiæ vt sic abstrahentis à creata, & increata.

Ad 1. & 2. prob. antecedentis.

86 *Ad tertiam.* Ad vltimam antecedentis probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam, disparitas autem est: nam esse extrinsecè in potentia actiua causæ supponit necessario causam existentem, cum enim operari consequatur ad esse, non potest causa actu continere effectum, nisi existat actualiter, & ideò esse extrinsecè in potentia causæ, excludit non esse simpliciter causæ, sumpto ente participialiter: esse autem in se ipso stat dupliciter, vno modo nominaliter, scilicet, esse essentiæ, alio participialiter per esse existentiæ, & ideò non omne esse actu intrinsecè in se ipso excludit non esse simpliciter, ente sumpto participialiter, sed solum esse exercite actu actualitate capaci ad proprias operationes.

87 *Ad vltimã replicã ex Augustino sumptam resp.* Ad vltimum argumentum dicatur, Augustinum loqui de esse existentiæ, sic autem certum est creaturas, antequam essent, esse, & non esse, esse quidem in Dei scientia, & non esse actu in se ipsis. Quod autem iste sit sensus Augustini constat: nam vtitur verbo *est* de secundo adiacente, vt autem ex Sumulis constat, verbum *est* de secundo adiacente existentiam importat, v.g. in hac propositione, *Petrus est*, existentia enunciatur, non minus quam in ista *Petrus existit*, si autem prædicatum addatur, aliquando vnit pro essentia, quando prædicatum est essentiale, vt in hac, *Petrus est animal, viuens substantia, &c.* aliquando vero pro existentia, cum nempè, prædicatum est accidentale, vt in hac, *Petrus est albus*.

88 *Ad 1. confirmationem.* Et ex his ad primam confirmationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: non requiritur esse existentiæ obiecti in se ipso, concedo consequentiam: non requiritur esse essentiæ, nego consequentiam. Ad secundam, distinguo maiorem: esse existentiæ actu ab æterno cognoscitur, vt actu conueniens creaturis, nego maiorem: vt conueniens possibiliter, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam esse essentiæ cognoscitur actu ab æterno, vt actu conueniens & ex isto modo terminandi actu cognitionem diuinam probamus actualem conuenientiam essentiæ rebus creatis.

Ad secundam.

89 *Ad tertiã.* Ad tertiam confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: quin existentia hominis actu sit ab æterno secundum actualitatem existentiæ exercitam, concedo minorem: secundum actualitatem signatam essentiæ, nego minorem, & consequentiam. Itaque non solum essentia hominis v. c. sua habet prædicata quidditatiua de illa actu ab æterno enunciata per propositionem necessariam, essentialem, & æternæ veritatis, sed etiam existentia hominis suam habet quidditatem, quæ de illa necessario enunciatur; ac proinde considerata existentia secundum actualitatem signatam, est ab æterno, verbo *est* vniente pro essentia existentiæ, in quo deceptus est Albertinus constituens quoad hoc discrimen inter essentias, existentiasque creaturarum; considerata vero existentia secundum actualitatem exercitam, sic non est ab æterno, sed in tempore incœpit.

§. V.

Deum in se ipso cognoscere creaturas possibiles.

90 *Secunda conclusio.* SECVNDA CONCLVSIO. *Deus cognoscit creaturas possibiles in se ipso vt obiecto primario, & vt causa prius cognita.* In prima conclusionis parte conueniunt Arrubal, & Alarcon locis *vbi supra* relatis. Eidem assentiuntur Scotistæ, Radda 1. *controuers. 29. concl. 4. & 7.* Theodorus Smising. *de Deo vno tract. 3. disp. 2. quæst. 2. num. 25.* & Franciscus Fœlix *de Scientia Dei cap. 4. difficultat. 3.* estque expressa D. Thom. *in præsenti art. 5. & 6. & alibi sæpe*. Et probatur primo: nam omnis potentia secundarium obiectum attingit ratione primarij, quod est illud in primario aliquo modo attingere; sed creaturæ sunt obiectum secundarium diuini intellectus, Deus autem, vel diuina essentia, est obiectum primarium: ergo cognoscit creaturas in se ipso, vt obiecto primario.

Alarc. Radda. Smising. Fœlix. S. THO.

Prima pars probatur 1.

91 *Secundo.* Secundo: nam cognosci in aliquo tanquam in obiecto primario, est ratione illius, vt mouentis terminare cognitionem; sed Deus in cognitione creaturarum non mouetur ab ipsis, sed à propria essentia, quæ vnitur per modum speciei, tam in sui cognitione, quam in cognitione creaturarum; aliàs diuina cognitio dependeret à creaturis, & perficeretur ab illis, quod implicat: ergo cognoscit illas in se ipso vt in obiecto primario. *Tertio.*

Tertio: nam cognosci in alio, vt in obiecto primario, est cognosci per speciem illius; sed creaturæ cognoscuntur à Deo per speciem, non illis propriam, sed sui: ergo illas in se ipso cognoscit, vt in obiecto primario.

92 *Secunda pars conclusionis prob. 1. ex D. Tho.* Secunda pars conclusionis, quod nempè, Deus cognoscat creaturas in se ipso, vt in causa, est contra secundam, & tertiam sententiam, estque expressa D. Thomæ *in præsenti art. 5. & 6.* vbi probat, Deum alià à se ipso cognoscere, quia causa nequit comprehendi aut perfectè cognosci, nisi cognoscantur effectus; sed cognitio effectuum quæ arguitur ex comprehensione causæ, terminatur ad illos in causa vt cognita prius: ergo iuxta D. Thomam Deus cognoscit creaturas in se ipso vt causa prius cognita.

Confirmatur 1. ex D. Tho. Et *quæst. 2. de Scientia Dei art. 4.* vbi probat, Deum de rebus creatis distinctam cognitionem habere, quia per cognitionem causæ cognoscitur effectus secundum hoc, quod effectus ex ea consequuntur, & quia omnium creaturarum propria prædicata, & omnes illarum causæ continentur in Deo; ita, vt Deus omnium rerum propriam habeat cognitionem: sentit ergo D. Thomas, Deum cognoscere creaturas ex vi cognitionis sui, quatenus causa illarum, & consequenter in se ipso, vt causa prius cognita, creaturas cognoscit.

93 *Confirmatur 2. ex eodem.* Et 1. *Contra Gentes cap. 49.* id expressè docet, his verbis: *Colligendo ergo has duas conclusiones, apparet Deum cognoscere se ipsum quasi primo, & per se notum, alia verò sicut in essentia sua visa.* Quod autem loquatur de essentia sua visa, vt causa creaturarum, constat: nam conclusionem deductam probat primo: *Effectus enim cognitio sufficienter habetur per cognitionem suæ causæ*; Deus autem causa est creaturarum. Secundo ex Dionysio *cap. 7. de diuinis nominibus*, vbi ait: *Non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causæ continentiam scit omnia*: ergo cum docet cognoscere creaturas in essentia sua visa, loquitur de essentia visa, vt est causa creaturarum.

94 *Deinde prob. ex Dionysio.* Probatur conclusio primo ex Dionysio *cap. 7. de diuinis nominibus*, vbi hæc habet verba: *Neque enim ea, quæ sunt ex his, quæ sunt discens nouit diuina mens, sed ex se, & in se per causam, rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet, non quod per speciem singula consideret, sed quod vno causæ complexu omnia sciat.* Et paucis interpositis, addit: *Se ipsam ergo cognoscens diuina sapientia nouit omnia.* In quibus verbis expressè nostram contineri sententiam docet D. Thomas 1. *Contra Gentis cap. 49.* nullamque interpretationem admittere sentiunt plures Recentiores ex familia Societatis.

95 *Respõdent Vazquez.* Illa tamen intepretari connatur Vazquez *disp. alleg. cap. 4. num. 13.* vbi ait, Dionysium nil aliud voluisse, nisi quod Deus à se ipso, non à rebus cognitionem accipiat: & cum docet non per speciem singula considerare, sed vno causæ complexu omnia scire, sensus est, non habere singularum rerum singulas cognitiones, sed vno intuitu omnia cognoscere. Hæc tamen interpretatio verbis Dionysij non congruit. Nam docet ex se, & in se per causam rerum omnium habere anticipatam notitiam; sed per hoc, quod non accipiat cognitionem à rebus, licet saluetur ex se illas cognoscere, non tamen saluatur illas in se per causam cognoscere: Angelus namque non accipit cognitionem à rebus; & tamen propter hoc nequit dici, res à se distinctas cognoscere in se per causam: ergo per hoc solum, quod Deus non accipiat cognitionem à rebus, non saluantur verba Dionysij.

Reijcitur primo.

Deinde,

96 *Secundo.* Deinde: nam si illa verba, *sed vno causæ complexu omnia nouit*, non aliud significarent, quam quod vnica cognitione Deus cognosceret omnia, eodem modo esset verum Deum se ipsum vno creaturarum complexu cognoscere, sicut est verum cognoscere creaturas vnico causæ complexu quandoquidem se, & creaturas vna cognitione attingit, & nec se in creaturis, nec creaturas in se ipso cognoscit; sed hoc verba Dionysij non sustinent: ergo nec traditam interpretationem admittunt.

97 *Tertio.* Denique: nam si Deus in se ipso non cognosceret creaturas, verba illa, *se ipsam ergo cognoscens diuina sapientia nouit omnia*, solum in sensu concomitanti essent vera, quia, nempè, vnica cognitione cognoscit diuina sapientia se, & creaturas, quin ordo aliquis inter obiecta cognita intercedat; hoc autem asserendum non est, aliàs eodem modo esset verum diuinam sapientiam cognoscendo creaturas se ipsam cognoscere, sicut verum est cognoscendo se ipsam cognoscere obiecta creata: ne ergo hoc asseramus dicendum est, Dionysium in ea fuisse sententia, vt doceret Deum in se ipso, vt obiecto, & causa prius cognita cognoscere creaturas possibiles, quod asserit nostra conclusio.

98 *Tertio probatur 2. pars conclusionis ex Augustino.* Deinde probatur aperto Augustini testimonio *lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 15.* illis verbis: *Sed etiam si hoc legamus, & intelligamus, quod factum est in illo, vita est, manet illa sententia, vt id, quod per ipsum factum est, vita esse in illo intelligatur, in qua vita vidit omnia, quando fecit, & sicut vidit ea, ita fecit, non præter se ipsum videns, sed in se ipso.* Quibus verbis non minus clare quam D. Thomas nostram sententiam expressit.

99 *Confirmatur.* Confirmatur ex eodem Augustino *lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 23. & 24.* vbi loquens de Angelis beatis, ait: *Proculdubio vniuersam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius nouerunt, in quo sunt, etiam omnium, quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes tanquam in eo, per quod facta sunt, ac deinde in ipsa creatura, &c.* Vbi Augustinus, & passim alibi duplicem creaturarum cognitionem in mente Angelorum distinguit, alteram illarum in Verbo, quam matutinam vocat, & asserit in illo tanquam per illud, per quod factæ sunt creaturas cognosci quod idem est ac cognosci in Verbo vt causa alterà creaturarum in propria ipsarum natura quam vespertinam appellat: ergo iuxta illius mentem Angeli beati cognoscunt creaturas in Deo tanquam in causa; sed Deus perfectius, quam Angeli se ipsum vt creaturarum causam cognoscit: ergo in se vt causa cognoscit creaturas.

100 *Respondet Vazquez.* Respondet Vazquez *disp. 51. cap. 3.* cognitionem creaturarum in Verbo: quam Augustinus Angelis beatis attribuit, & matutinam appellat, non esse illarum secundum esse formale, quo distinguuntur à Deo, sed esse cognitionem Dei, secundum ea, quæ sunt in ipso *Probat solutionem primo.* formaliter, atque adeo ipsarum creaturarum, quatenus in Deo dicuntur habere esse. Quod autem cognitio matutina non sit, creaturarum secundum suum esse formale, sed secundum esse eminentiale, quo in Deo continentur, probat primo, quia ita aperte sentit D. Thomas, quem in hac parte sequi fatetur; ipsum tamen *num. 17.* inconsequentiæ redarguit, eo quod simul doceat à beato eo plures creaturas videri in Verbo, quo perfectius vident Verbum, quod stare non potest loquendo de cognitione creaturarum secundum esse, quod habent in Deo: nam secundum hoc esse omnes videntur ab omnibus.

101 *Secundo.* Secundo ex Augustino *lib. 83. quæstionum quæst. 26.* vbi de cognitione matutina loquens, vt probet melius creaturam videri in Verbo Dei, quam in se ipsa, adducit illud Ioannis 1. *Quod factum est in ipso, vita erat*, subiunxit hæc verba: *Omnia ergo, quæ facta sunt in ipso, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in se ipsis vita non sunt;* vnde infert: *Ac per hoc plus videntur ab Angelis sanctis in Verbo Dei, vbi vita sunt, quam in se ipsis;* sed si cognitio matutina, qua creaturæ cognoscuntur in Verbo, terminaretur ad illas secundum esse formale, non posset fieri, vt non viuentia, sicut lapis, viderentur viuere, & corruptibilia incorruptibilia esse: ergo iuxta Augustinum cognitio matutina non est creaturarum in Verbo secundum suas rationes formales.

102 *Tertio.* Tertio, omissis alijs Augustini testimonijs, quæ in sui fauorem adducit, & in nullo illi fauent, mouetur ex eodem Augustino 4. *de Genesi ad litteram cap. 32.* illis verbis: *Facta est vespera, quia necessaria erat, & ista cognitio, qua distingueretur à creatore creatura aliter in se ipsa cognita, quæ in illo;* quod si cognitio matutina terminaretur in Verbo ad creaturas secundum suum esse formale, non esset necessaria ad distinguendum à creatore creaturam cognitio vespertina terminata ad illas in propria natura: cum per cognitionem matutinam discerneretur creatura à creatore, quandoquidem per illam cognosceretur secundum proprium esse creatum, per quod à creatore distinguitur: ergo iuxta Augustinum cognitio matutina, qua Angeli cognoscunt creaturas in Verbo, non terminatur ad illas secundum proprias rationes

Hæc tamen interpretatio omnino violenta est, atque adeò non sustinenda, & in primis contra illam est apertè D. Thomas infra *quæst. 58. art. 7. in corpore*, vbi statuens vt certum in suis principijs non posse cognitionem vespertinam in Angelis dici per hoc quod cognoscant res creatas in propria natura, ita vt hæc propositio *in* importet habitudinem principij, non enim Angeli accipiunt cognitionem à rebus, vt Angelicus Doctor docuerat *quæst. 55. art. 2.* in hunc modum concludit: *Relinquitur igitur, quod hoc quod dicit in propria natura, accipiatur secundum rationem cogniti, secundum quod subest cognitioni, vt scilicet cognitio vespertina in Angelis dicatur secundum quod cognoscunt esse rerum, quod habent res in propria natura, quod quidem per duplex medium cognoscunt, scilicet, per species innatas, & per rationes rerum in Verbo existentes, non enim videndo Verbum cognoscunt solum illud esse rerum quod habent in Verbo, sed illud esse quod habent in propria natura, sicut Deus per hoc quod videt se cognoscit esse rerum, quod habent in propria natura. Si ergo dicatur cognitio vespertina secundum quod cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura videndo Verbum, sic vna, & eadem secundum essentiam est cognitio vespertina, & matutina, differens solum secundum cognita. Si vero cognitio vespertina dicatur secundum quod Angeli cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura per formas innatas, sic alia est cognitio vespertina, & matutina. Et ita videtur intelligere Augustinus, cum vnam ponat imperfectam respectu alterius.* Hæc Diuus Thomas, cuius verba ita ad longum, præter morem proprium, retuli, vt constet quam longe distet Vazquez a ment D. Thomæ, quem sequi se dicit. 103 *Solutio ista est contra D. Th.*

104 *Vazquez recedit à D. Tho. quem se qui se dicit probatur 1.* Quod probo primo: nam Vazquez duplicem cognitionem realiter distinctam statuit, vnam terminatam ad Verbum, & nullatenus ad creaturas secundum proprias rationes, aliam creaturarum in propria natura; at D. Thomas oppositum docet, tum ibi: *non enim videndo Verbum cognoscunt illud esse solum, quod habent in Verbo, sed illud esse, quod habent in propria natura.* Tum etiam: nam ait, quod si cognitio matutina, & vespertina non distinguantur ex parte medij, sed tantum ex parte obiecti cogniti, vna tantum est cognitio secundum essentiam, quæ appellatur matutina ex terminatione ad Verbum, & vespertina ex terminatione ad creaturas: ergo quoad hoc illius Auctoris sententia pugnat apertè cum sententia D. Thomæ.

105 *Secundo.* Secundo: nam D Thomas secundum modum dicendi distinguentem cognitionem matutinam, & vespertinam non penes obiecta cognita, se per media cognitionis, sequitur vt de mente Augustini; sed in hoc modo dicendi cognitio matutina terminatur ad creatura in Verbo secundum proprias, & formales rationes: ergo iuxta Diuum Thomam, & etiam iuxta Augustinum creaturæ cognoscuntur in Verbo, non solum secundum esse eminentiale, in quo à Verbo non distinguuntur, sed etiam secundum proprias rationes.

106 *Eius interpretatio reijcitur primo.* Deinde prædicta interpretatio reijcitur: nam Deus vt continens eminenter creaturas, non propriè, sed metaphorice est creatura: ergo creaturas cognosci in Verbo secundum esse eminentiale Verbi, non est proprie cognosci creaturas in Verbo, sed tantum metaphorica loquutio; sed nihil est vrgens vt Augustinum in metaphorico sensu accipiamus: ergo non est sic accipiendus, sed quod fuerit loquutus de creaturis secundum suas proprias, & formales rationes.

107 *Secundo.* Denique: nam si Augustinum docentem creaturas cognosci in Verbo, licet interpretari de Verbo vt actiue continente creaturas, etiam cum scriptura tribuit Deo cognitionem creaturarum, poterit explicari de cognitione Verbi, vt illas eminenter continentis, at hoc communi Thologorum sententiæ aduersatur, vt vidimus §. 1. omnes enim contra Aureolum fatentur creaturas cognosci à Deo secundum esse formale, quo distinguuntur à Deo, & hoc inferunt ex testimonijs Scripturæ, quibus

Deo

Deo creaturarum cognitio attribuitur: ergo interpretatio verbis Augustini tradita admittenda non est.

108 *Ad 1. motiuum P. Vazquez.* Nec motiua in oppositum alicuius ponderis sunt. Non primum, vt enim aperte monstrauimus, omnino falsum est, D. Thomam illius fuisse sententiæ. Nec secundum; *Ad 2.* cum enim, docet Augustinus, plus videri creaturas in Verbo, vbi vita sunt, idem est, ac melius videri, quod verissimum est, non quia sola vita Verbi illas eminenter continens cognoscatur, sed quia cognitio illarum in Verbo perfectiori medio innititur, quam cognitio illarum in se ipsis.

109 *Ad tertium.* Ad tertium dicatur, loqui Augustinum de necessitate ad distinguendum à creatore creaturam, non ex parte obiecti cogniti, sed in medio cognoscendi; ad sic autem distinguendum creaturam à creatore necessaria erat cognitio vespertina, quia licet per matutinam terminatam ad creaturas in Verbo ex parte obiecti attingatur distinctio, non tamen ex parte medij: nam in eodem medio creator, & creatura attinguntur matutina cognitione: vnde vt in diuerso medio cognosceretur distinctio, necessaria erat cognitio Angeli vespertina, quæ cognoscerentur creaturæ per proprias illarum species, & immediatè in se ipsis. Quæ explicatio constat ex vltimis verbis adductis ex Augustino ibi: *Aliter in se ipsa cognita, quam in illo*: ergo ex parte obiecti vtraque cognitione attinguuntur, licet aliter ex parte medij: nam matutina mediate ad creaturas terminatur in Verbo ex vi scientiæ diuinæ, vt speciei, & vt obiecti primarij, vespertina verò ad illas immediate in se ipsis terminatur per proprias illarum species.

110 *Tertio probatur 2. pars conclusionis.* Tertio suadetur secunda pars conclusionis: nam eo modo vnum in alio cognoscitur, quo in illo continetur; sed creaturæ continentur in Deo tanquam in causa: ergo in se ipso vt causa cognoscuntur à Deo. Dices, contineri quidem in Deo tanquam in causa eminenter, non tamen hoc solo modo, sed etiam continentur in Deo vt obiecto repræsentante; cum enim continentia repræsentatiua obiectiua omnis obiecti repræsentabilis sit perfectio nullam dicens imperfectionem est in Deo constituenda: ac proinde possunt in Deo vt obiecto cognosci creaturæ possibiles, quin in illo, vt in causa contineantur.

111 *Contra.* Sed contra: nam continentia repræsentatiua obiectiua conuenit Deo ratione continentiæ eminentialis, qua continet creaturas, vt causa: ergo non possunt in Deo cognosci, nisi in ipso vt in causa cognoscantur. Consequentia tenet. Antecedens autem probo: nam continentia repræsentatiua vnius obiecti in alio, vel prouenit ratione similitudinis, vt filius repræsentat Patrem, vel ratione dependentiæ, vt creaturæ repræsentant Deum, vel ratione continentiæ virtualis, aut eminentialis, qua ratione causa repræsentat effectum; sed Deo non conuenit repræsentatio obiectiua creaturarum ratione similitudinis: distat namque distantia infinita ab illis, & solum analogam conuenientiam potest cum creaturis habere; nec ratione dependentiæ: nam Deus est omnino independens à creaturis: ergo solum illas repræsentat repræsentatione fundata in continentia eminentiali, qua illas continet vt causa.

112 *Confirmatur.* Et augetur difficultas; quia creaturæ Deum repræsentant ratione dependentiæ, non possunt in Dei cognitionem ducere, nisi cognitæ vt effectus: ergo si Deus repræsentat creaturas repræsentatione fundata in continentia, non potest Deus, nec intellectui proprio, nec intellectui creato Angelico, vel humano illas repræsentare, nisi cognitus vt causa. Qua ratione vsus est D. Tho. *q. 20. de veritate art. 4. in corpore.*

113 *Vltimo prob. conclusio ratione D. Thom.* Denique probatur conclusio ratione D. Thomæ *in præsenti art. 5. & 6.* & locis *vbi supra* relatis: non enim potest causa aliqua comprehendi, quin in illa cognoscantur effectus in ea contenti; sed Deus est causa continens eminenter perfectissime creaturas, & se ipsum comprehendit sub omni formalitate, & consequenter prout est causa creaturarum: ergo in se vt causa cognita cognoscit omnes creaturas. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: tunc obiectum comprehenditur, cum adæquate obiectiue cognoscitur, quod est cognosci, quantum cognoscibile est; sed causa non potest adæquate, & obiectiue, & omni modo, quo est cognoscibilis, cognosci, nisi in illa, etiam illius cognoscantur effectus, quos in se continet: ergo non potest aliqua causa comprehensiue cognosci, nisi in illa cognoscantur effectus in ea contenti. Minor in qua sola est posita difficultas, probatur: causa continens in se perfecte aliquos effectus potest attingi, vt ratio cognitionis illorum; ergo nisi sic cognoscatur, non cognoscitur adæquatè, hoc est omni modo, quo cognoscibilis est.

Huic argumento, cui potissimè nititur nostra, & communis sententia, respondet Vazquez *disp. 60.* relata *num. 8.* veram esse maiorem de causa relata ad effectus, falsam autem de causa omnino absoluta: Deus autem nulla reali relatione ad creaturas refertur, sed tantum relatione rationis, quæ nec à beatis, nec ab ipso Deo confingitur; & ideo non est necessarium, quod vt Deus comprehendatur, in illo vt in causa, & obiecto prius cognito cognoscantur effectus creati, aut creaturæ possibiles. 114 *Respond. Vazquez.*

Sed contra primo: nam quod causa vt cognita obiectiue repræsentet effectum, non prouenit ex eo quod in illo imperfectionis est, sed ex eo quod est perfectionis; sed causam ad effectum referri relatione reali transcendentali ad imperfectionem pertinet, continentia autem virtualis, aut eminentialis pertinet ad perfectionem: ergo obiectiua repræsentatio per modum obiecti cogniti non conuenit causæ, quæ refertur ad effectus, quia refertur ad illos, sed quia illos in se continet, ac proinde perfectissime conuenit Deo huiuscemodi repræsentatio, quamuis omnino sit absolutus ab ordine reali ad creaturas. 115 *Contra 1.*

Secundo, relatio transcendentalis est relatio dependentiæ: ergo causa in quantum relata transcendentaliter ad effectum, non est formaliter causa, sed effectus sui effectus, sed causa in qua effectus cognoscitur, non est medium *in quo* cognitionis formaliter vt effectus, sed formaliter vt causa, & consequenter non ratione relationis, sed ratione continentiæ, quæ cum perfectissimè Deo respectu creaturarum conueniat, erit medium *in quo* cognoscantur, quamuis absolutus sit ab omni respectu ad creaturas. Tertio: non enim est ratio cur requiratur in causa ad esse medium *in quo* relatio realis ad illos, & non sufficiat realis cum illis connexio; sed Deus, quamuis sit absolutus ab omni reali respectu ad creaturas, est tamen intrinsecè connexus cum illis vt possibilibus, vt conclusione sequenti videbimus: ergo potest esse medium per modum obiecti cogniti in quo creaturæ possibiles cognoscantur. 116 *Secundo.* *Tertio.*

Quarto reijcitur: vt enim Deus per modum obiecti cogniti repræsentet creaturas, non requiritur respectus realis ad illas: ergo ex eo quod sit causa non relata ad creaturas, sed absoluta ab omni respectu ad illas, non tollitur, quod in illo vt causa & obiecto cognito cognoscantur. Antecedens probo primo: vt enim fatetur Vazquez, absque eo quod dicat realem aliquem respectum ad creaturas, illas repræsentat vt Verbum repræsentatione formali; sed non est ratio cur magis requiratur respectus realis in repræsentante obiectiuè, quam in repræsentante formaliter: ergo vt Deus repræsentet creaturas per modum obiecti cogniti, & tanquam medium in quo, non exigitur realis respectus. Secundo probatur, Deus physice continet creaturas, vt fides docet; aliàs non esset omnipotens; & tamen absolutus est à respectu reali ad illas, vt Vazquez fatetur: ergo etiam absque reali respectu ad creaturas continebit illas repræsentatiuè obiectiuè. Patet consequentia; non enim est ratio assignabilis cur continentia physica effectus absque respectu reali saluetur, & continentia intentionalis, qualis est continentia obiecti repræsentantis, realem respectum exposcat. 117 *Quarto.* *Antecedens probatur 1.* *Secundo probatur.*

Tertio idem antecedens probatur ex alia istius Auctoris doctrina; vt enim docet *disp. alleg. num. 15.* licet creaturæ non cognoscantur in Deo, vt obiecto cognito, cognoscuntur tamen ex illo; & tamen absolutus est à respectu reali ad creaturas: ergo absque reali respectu erit medium, *in quo* cognoscantur. Patet consequentia: non enim potest vlla ratio assignari, cur magis requiratur respectus ad esse medium *in quo*, quam ad esse medium *ex quo*. Et quidem si creaturas non contineret, nec posset esse medium *in quo*, nec *ex quo*, vt constat in homine, in quo non potest Angelus cognosci, nec vt in medio *in quo*, nec *ex quo*, quia non continet Angelum: ergo si Deus ratione solius continentiæ absque vllo reali respectu potest esse medium, *ex quo* cognoscantur creaturæ, etiam erit medium *in quo* absque tali respectu. 118 *Tertio probatur antecedens.*

Dices, non ideo ex Deo cognosci creaturas, quia ex illo vt obiecto cognito nascatur illarum cognitio; hoc enim rectè argumentum factum concludit, sed ideo ex Deo cognosci, aut in Deo, quia cognoscuntur ex vi cognitionis, qua Deus se ipsum cognoscit. Sed contra, quia hac sola ratione non magis dicuntur creaturas cognosci in Deo, aut ex Deo, quam Deum ex creaturis, vel in creaturis; hoc 119 *Respondebis.* *Contra.*

non

non docet Vazquez: ergo aliquid amplius fateri tenetur. Probatur maior: sicut creaturæ cognoscuntur ex vi eiusdem cognitionis, qua cognoscitur Deus, ita Deus cognoscitur ex vi eiusdem cognitionis, qua cognoscuntur creaturæ: ergo si ea ratione dicitur creaturas cognoscit *in*, vel *ex* Deo, quia cognoscuntur ex vi eiusdem cognitionis, qua Deus, dicetur etiam se in creaturis, & ex creaturis cognoscere.

120 *Respondebis.* Dices, esse maximum discrimen consistens in eo, quod illa eadem cognitio, qua Deus, & creatura cognoscuntur, petit primario terminari ad Deum, & secundario ad creaturas, ita vt hæc secunda terminatio deducatur ex prima, & per locum intrinsecum inferatur ex eo quod Dei cognitio non terminetur ad Deum vt ad obiectum primarium, non reddere Deum cognoscentem creaturas, non tamen è contra ex eo quod Dei cognitio non faceret Deum intelligentem creaturas per locum intrinsecum sequitur non facere Deum intelligentem se ipsum, & hoc sufficere, vt Deus dicatur in se ipso creaturas cognoscere, non tamen se cognoscere in illis. *Contra.* Ita Vazquez *disp. citata cap. 3. num.* 10. Sed contra, vt enim hic Auctor fatetur Deus vt cognitus non habet connexionem cum creaturis vt cognitis, alias in illo, aut ex illo vt obiecto cognito creaturæ cognoscerentur, quod negat, vt ex ipso iam vidimus: ergo cognitio Dei quatenus terminata ad ipsum, non connectitur cum terminatione ad creaturas; & consequenter illam à priori non infert.

121 *Respondebis.* Respondebis forte ex istius Auctoris doctrina *disp.* 53. *cap.* 4. *num.* 17. vt obiectum comprehendatur peti, vt ex vi eiusdem cognitionis, & ea quæ formaliter ad ipsum pertinent, & quæ in illo continentur eminenter, aut virtualiter cognoscantur, quare cum cognitio, qua Deus se ipsum cognoscit comprehensiua sit sui, petit ab intrinseco non solum prædicata formalia Dei, sed etiam quæ eminenter in illo continentur, cognoscere, ac per consequens creaturas.

122 *Contra.* Sed contra: nam si in Deo vt obiecto cognito non continentur creaturæ, nihil interest ad Dei comprehensionem creaturarum cognitio; sed vt docet Vazquez non continentur creaturæ in Deo, vt obiecto cognito: ergo cognitio Dei ex conceptu comprehensionis ipsius, non postulat terminari ad creaturas. Illatio tenet, minor constat: nam si continerentur creaturæ in Deo, vt obiecto cognito, posset vt obiectum in illarum ducere cognitionem, sicut quia continentur in Deo vt omnipotente, potest vt omnipotens illarum physicam existentiam causare; sed non potest in illius sententia, vt obiectum cognitum ducere in cognitionem creaturarum: ergo in illo vt obiecto cognito non continentur. Maior autem probatur, vt cognitio sit comprehensio, sufficit cum illo adæquari in ratione obiecti cognoscibilis, vt constat ex diffinitione comprehensionis, qua dicitur, quod est cognitio obiecti quantum cognoscibile est, idest cognitio adæquata cum obiecti cognoscibilitate; sed si in Deo tanquam in obiecto cognito non continentur creaturæ, etiamsi non cognoscantur, adæquatur cognitio cum Deo vt obiecto cognoscibili, quandoquidem creaturæ non cognitæ ad ipsum vt obiectum cognoscibile nullatenus pertinent, nec Deus vt obiectum cognitum habet connexionem cum illis: ergo si creaturæ non continentur in Deo tanquam in obiecto cognito, nil interest illarum cognitio, vel non cognitio ad Dei comprehensionem, & consequenter non petit diuina cognitio ex conceptu comprehensionis Dei, secundario ad creaturas terminari.

§. VI.

Argumentis in contrarium occurritur.

123 *Arguitur primo.* CONTRA nostram conclusionem arguit Vazquez primo: nam vnum prius cognitum non ducit in alterius cognitionem, nisi ad illud referatur; sed Deus est omnino absolutus ab ordine ad creaturas: ergo in illo vt medio, & obiecto prius cognito nequeunt creaturæ cognosci, nec à Deo, nec ab intellectu creato. *Respond.* Respondeo, negando maiorem, quamuis enim medium absoluatur ab ordine, dummodo connexionem habeat cum alio, potest vt cognitum in illius ducere cognitionem, vt *supra* arguebamus; Deus autem etsi ad creaturas realem respectum non dicat, quod libenter fatemur, habet tamen realem connexionem cum illis, & ideo in illo vt medio, & obiecto prius cognito possunt creaturæ cognosci. Quod instantijs *supra* factis in vltimo argumento pro nostra conclusione efficaciter satis probatur.

Secundo sic arguit: non enim potest obiectum prius cognitum esse medium cognoscendi aliud quidditatiuo, & proprio conceptu, si non continet in se totam rationem illius, & non est eiusdem rationis cum illo, si namque diuersum est, non potest aliud ad instar illius cognosci; sed Deus non continet in se formaliter perfectiones creaturarum: ergo cognitus non potest esse medium cognitionis illarum. Respondeo, veram esse maiorem de continentia formali, virtuali, aut eminentiali, falsam autem si vt necessariam formalem continentiam requirat, & concessa maiori, neganda est consequentia: Deus namque, etsi formaliter in se non contineat creaturas, illas tamen continet eminenter perfectissimè, & ipse continentur in Deo, vt actus imperfectus in actu perfecto, vt docet D. Thomas *in præsenti art. 6. in corp. & solut. ad* 2. & ideo possunt in Deo vt obiecto prius cognito creaturæ cognosci, sicut in essentia creaturæ cognoscuntur proprietates, quamuis sint diuersæ rationis, quia illas continet radicaliter, & in causa æquiuoca creata cognoscuntur effectus, quia illos continet eminenter, quamuis non sint omnino eiusdem rationis. 124 *Secundo arguitur.* *Respond.*

Nec obstat, quod obijcit Vazquez, nempè, non posse vnum ad instar alterius cognosci, si sit rationis diuersæ. Nam diuersitas rationis non obest, vt vnum ad instar alterius cognoscatur, si in illo continetur eminenter, illudque aliqua ratione etsi deficiente imitatur, vt constat in ente rationis cognito ab intellectu creato ad instar entis realis, & per speciem illius, quamuis sint diuersæ rationis, quia ens rationis est imitatio entis realis, creaturæ autem Deum imitantur vt exemplar: vnde vt docet D. Thomas in præsenti *art. 6. ad* 3. in Deo sunt rationes creaturarum, vnde potest accipi vt propria ratio vnius cuiusque creaturæ secundum quod diuersimode est imitabilis, vel participabilis à diuersis creaturis. 125 *Ad probationem maioris.*

Tertio arguit Vazquez: si Deus in se ipso, vt in causa prius cognita creaturas cognosceret, cognosceret illas in se ipso vt omnipotente; cum per omnipotentiam causa sit creaturarum; sed non cognoscit creaturas in se vt omnipotente: ergo non cognoscit illas in se vt in causa prius cognita. Minorem probat, si cognosceret creaturas in se vt omnipotente, dato per impossibile quod omnipotens non esset, fieret per locum ab intrinseco, quod creaturas non cognosceret; sed dato hoc impossibili, non colligitur per locum intrinsecum non cognosciturum creaturas: ergo non cognoscit illas in se vt omnipotente. Illatio est bona. Maior constat: nam sublato medio in quo aliquod obiectum cognoscitur, per locum ab intrinseco tollitur talis obiecti cognitio: ergo si Deus vt omnipotens est medium in quo ab ipso cognoscuntur creaturæ, dato quod omnipotens non sit per locum ab intrinseco tollitur à Deo creaturarum cognitio. 126 *Tertio arguitur.*

Minorem autem probat primo, id quod est prius alio non tollitur per locum intrinsecum ex illius ablatione; sed scientia in Deo nostro modo intelligendi est prior omnipotentia; cum hæc aut in voluntate consistat, vel in potentia executiua voluntatem supponente, vt applicantem, scientiam vero vt dirigentem: ergo scientia creaturarum non tollitur per locum intrinsecum ex ablata, vel negata omnipotentia. 127 *Minor prob. 1.*

Secundo probatur minor: Angelus cognoscit plura, quorum causa non est, nec continet in propria virtute: ergo Deus creaturas cognosceret, quamuis illas non contineret, vt causa per suam omnipotentiam. *Secundo.*

Ad hoc argumentum variè occurritur ab Auctoribus nostræ sententiæ. Prima solutio est: omnipotentiam posse dupliciter sumi: primo pro virtute proxima; secundo pro virtute radicali: priori modo est posterior scientia, quam Deus habet de creaturis possibilibus, & prout sic non est medium, ratione cuius Deus cognoscit creaturas. Secundo modo est ipsa diuina essentia prout radix attributorum, & prout sic scientiam creaturarum præcedit, estque medium, ratione cuius Deus illas cognoscit. Ita noster Albelda *disputatione* 37. *sectione secunda numero* 29. *ad* 1. *tertiæ sententiæ*. 128 *Prima solutio.*

Secunda solutio est: omnipotentiam dupliciter etiam considerari posse: primo vt dantem Deo posse physicè creaturas producere: secundo, vt constituentem Deum liberè, & prudenter potentem: primo modo non inuoluit scientiam creaturarum, sed ad illam supponitur; secundo autem modo scientiam creaturarum vt dirigentem includit; vt verò sit medium in quo Deus cogno- 129 *Secundo respondent alij.*

cognoscat creaturas, sufficit omnipotentia, vt dans physicam virtutem Ita quidam Recentiores.

130 *Tertio respondet.* Tertio alij respondent; omnipotentiam, nec in scientia, nec in voluntate consistere, nec in facultate proxima supponente voluntatem, & intellectum diuinum, sed esse attributum ratione à scientia, & voluntate distinctum, & præuio ad scientiam, & voluntatem nostro modo intelligendi. Ita Magister Cornejo vbi *supra dubio sexto ad secundam confirmationem primi argumenti*. De quibus solutionibus quid sit sentiendum ex dicendis pro nostra solutione constabit. *M. Cornejo.*

131 *Pro vera solutione Not. 1.* Pro qua aduerto primo; creaturas possibiles duplici cognitione à diuino intellectu cognosci, vna luminis principiorum, qua nempè Deus primo suam essentiam cognoscit, & secundo attributa; cum enim illa cognitio sit essentiæ comprehensio, non potest non terminari secundariò ad attributa; & consequenter ad omne cum attributis connexum, quales sunt creaturæ possibiles, cum quibus plures perfectiones attributales connexionem habent intrinsecam, vt ex dicendis constabit. Secunda cognitio Dei, qua etiam cognoscuntur possibilia, est cognitio scientifica, quam Deus habet de attributis, & ad illa immediatè terminatur immediatione excludente obiectum *quod* prius terminans hanc eandem cognitionem: nam licet diuina essentia vt *quo* attingatur per illam, non tamen vt *quod* cognoscitur. Quæ doctrina constat ex dictis *Disputationi præcedenti*, §. *vltimo*: etenim cum hæc cognitio sit comprehensio attributorum, quorum aliqua intrinsecè connectuntur cum creaturis possibilibus; & consequenter sine illis cognitis nequeunt perfectè, & comprehensiuè cognosci; fit, vt non possit præscindere à creaturis possibilibus.

132 *Not. 2.* Aduerto secundo: in vtraque ex his cognitionibus debere ingredi attributa, vt terminetur ad creaturas possibiles, ad neutram tamen ingredi vt obiecta motiua. Primum patet; vt enim Deus cognoscat creaturas possibiles, debet adæquatam illarum causam cognoscere; alias illas non comprehendet; sed causam adæquatam creaturarum possibilium ingrediuntur plura attributa, nempè, voluntas, vt mouens, scientia, vt dirigens subiectiuè, idæa, vt dirigens obiectiuè, & omnipotentia, vt exequens: ergo vt quævis ex his cognitionibus terminetur ad creaturas possibiles, debet etiam terminari ad attributa.

133 Quod autem hæc non ingrediantur ad aliquam illarum motiuè in ordine ad creaturas possibiles, patet: nam vt *Disputatione præcedenti* §. *quinto* monstrauimus, obiectum adæquatè motiuum intellectus diuini est sola diuina essentia, vt distincta ab attributis: ergo ab his nequit moueri aliqua diuina cognitio. Et quidem attributa nequeunt ad creaturarum cognitionem mouere, nisi moueant ad cognitionem sui; sed ad sui cognitionem non mouent, quamuis illam formaliter terminent, vt ex *ibi* dictis constat: ergo non ingrediuntur motiuè in ordine ad cognitionem creaturarum possibilium.

134 *Not. 3.* Tertio aduerto: non eodem modo comparari attributa ad primam cognitionem, qua in essentia, vt prius cognita cognoscuntur, atque ad secundam, qua cognoscuntur immediatè in se ipsis: ad primam namque comparantur vt obiectum secundarium, aut omninò materiale & quia secundarium, aut materiale obiectum non specificat actũ; & consequenter non præcedit illum prioritate aliqua *à quo*, respectu primæ cognitionis nullam præcedentiam habet: ad secundam verò comparantur vt terminus, vel obiectum *quod* formale; & quia obiectum formale in genere causæ formalis extrinsecæ præcedit actum, attributa formaliter vt *quod* secundam cognitionem terminantia, illam virtualiter præcedunt prioritate *à quo* virtuali in genere causæ formalis extrinsecæ.

135 Ex quo sequitur, omnipotentiam, & alia attributa diuina, quæ ad creaturarum productionem concurrunt comparari ad primam cognitionem, vt obiectum materiale, in quo cognoscuntur creaturæ; atque adeò ex ablatione omnipotentiæ, non sequi à priori terminationem talis cognitionis ad creaturas possibiles, sed tantum à posteriori, sicut ex non esse possibilium, non à priori, sed tantum à posteriori, sequitur non esse diuinæ scientiæ, prout ad illa terminatæ, quia non sunt obiectum primarium illius, sed omninò secundarium: secus autem de secunda cognitione dicendum; cum enim sint obiectum *quod* formale prædictæ cognitionis, in illis, & ratione illorum, vt obiecti formalis cognoscuntur creaturæ possibiles; & consequenter ex eo quod Deus omnipotentia careret, sequeretur per locum intrinsecum non esse scientiæ diuinæ ad creaturas possibiles terminatæ in omnipotentia, vt in obiecto formali.

Ex quibus ad argumentum respondeo in forma, concessa maiori, negando minorem: ad probationem, distinguo maiorem: cognitione primario, & formaliter ad omnipotentiam terminata, concedo maiorem: cognitione secundario, & materialiter terminata ad omnipotentiam, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam prima cognitio terminata ad possibilia in omnipotentia, vt in obiecto secundario, & materiali, tolleretur quidem ex omnipotentiæ ablatione, non per locum à priori, sed tantum à posteriori: quia si Deus non esset omnipotens repugnarent creaturæ possibiles; & consequenter nec secundario possent terminare cognitionem: secunda verò cognitio, quæ nempè creaturas possibiles attingit in omnipotentia, vt in obiecto primario, ex ablata omnipotentia auferretur à priori, quia talis cognitio ab omnipotentia virtualiter specificatur. 136 *Ad argumentum resp.*

Ad primam minoris probationem, quatenus obstare potest contra istam distinctionem, distinguo maiorem: quod est prius alio, & nullatenus posterius, concedo maiorem: quod in vno genere est prius; cum dependentia, & posterioritate in alio, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam licet scientia Dei creaturarum possibilium sit prior omnipotentia virtualiter in genere causæ effectiuæ, quia nempè, vel Dei naturam constituit; & consequenter omnia attributa radicat, vel esto attributum sit, est attributum præcedens omnipotentiam, est tamen posterior omnipotentia in genere causæ obiectiuæ, seu formalis extrinsecæ virtualiter specificantis; & consequenter ex non esse omnipotentiæ à priori, & per locum intrinsecum non esse talis scientia colligitur. 137 *Ad 1. probationem minoris.*

Ad secundam minoris probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: ratio autem discriminis est: nam Angelus plura in se ipsis cognoscit per proprias illorum species à Deo immediatè infusas; Deo autem repugnat alia extra se cognoscere per speciem à sua essentia distinctam: & cum essentia diuina non possit alia à se repræsentare, nisi illa eminenter contineat, nec ad alia à Deo immediatè referatur, sed media diuina essentia, vt prius repræsentata: & alia obiectiuè continente, & hæc continentia obiectiua in eminentiali per modum causæ fundetur, vt *supra* arguebamus, fit, vt à Deo omnipotentia sublata, continentiaque eminentiali, ex consequenti creaturarum cognitio auferatur à priori, loquendo de cognitione scientifica, & à posteriori si de cognitione luminis principiorum loquamur. 138 *Ad secundam.*

Ex qua doctrina facilè est de solutionibus supra memoratis ferre iudicium. Et quidem si prima solutio Albeldæ, quam etiam sequitur Serra de obiecto motiuo, in quo possibilia cognoscuntur, procedat, vera est, illamque amplectitur; si autem de obiecto adæquato, in *quo* motiuo, & terminatiuo, formali, vel materiali, censeo esse diminutam; vt enim *supra* arguebamus, cognitio possibilium in Deo debet esse comprehensiua: & consequenter debet terminari ad illa in causa omninò adæquata; at essentia diuina, vt distincta ab attributis, non est adæquata causa: ergo in illa sola præcisiuè ab attributis non cognoscuntur creaturæ. 139 *Iudicium de 1 solutione.*

Secunda etiam, & tertia solutio eodem defectu laborant. Et præterea contra tertiam facit inniti doctrinæ minus probabili in principijs D. Thom. in quibus omnipotentia, vel non est attributum ab intellectu indistinctum, vel intellectum, & voluntatem supponit, de quo *infra*. Et quidem prima proprietas naturæ intellectualis est intellectus, ad quem voluntas consequitur: ergo si omnipotentia est attributum ab intellectu, & voluntate distinctum, non potest esse illis prius. Quod etiam ordo doctrinæ Angelici Doctoris testatur, qui prius de intellectu, deinde de voluntate, & post modum de omnipotentia tractauit, satis hoc processu indicans potentiam productiuam ad extra non esse intellectu, & voluntate priorem. 140 *De 2. & 3.*

Sed contra nostram resolutionem instat Vazquez: non ideò dicitur Deus omnia scire, quia est omnipotens, sed potius è contra, ideò est omnipotens, quia omnia scit; scientia enim, & voluntate dicitur omnia posse, aut tanquam principio proximo, aut saltem vt principio dirigente: scientia enim dirigit omnipotentiam, si est virtus ab illa distincta, sicut scientia creata dirigit potentiam executiuam in artifice creato: ergo prius est Deum cognoscere possibilia, quam intelligitur om- 141 *Cõtra solutionem datam opponit Vazquez.*

tur omnipotens; & consequenter non cognoscit possibilia in se ipso vt omnipotente.

142 *Secundo opponet.* Deinde possumus contra eandem solutionem instare: nam omnipotentia non distinguitur à scientia, sed est vnum, & idem attributum; sed Deus non dicitur propriè in sua scientia cognoscere possibilia: ergo nec propriè dicetur illa in omnipotentia cognoscere.

Tertio. Tertio: nam esto dicatur scientiam esse attributum ab omnipotentia distinctum, non tamen potest negari scientiam Dei esse causam creaturarum, de quo Diuus Th. *in hac quæstione articulo octauo*, sed Deus non cognoscit possibilia in sua scientia; aliàs cognitio, quam habet de possibilibus, esset reflexa: ergo medium cognitionis possibilium non est Deus, vt causa omninò adæquata; atque adeò ex hoc principio male intulimus debere in omnipotentia cognosci.

143 *Ad 1. replicã respondetur.* Respondeo ad primam replicam; Deum per omnipotentiam, tanquam per rationem formalem constitui potentem ad rerum productionem ad extra, per scientiam verò, vt dirigentem, voluntatemque vt mouentem in ratione potentis compleri: vnde dicitur potens, quia sciens, ly *quia* importante complementum, cum quo bene stat, vt dicatur sciens, quia potens, ly *quia* dicente rationem à priori obiectiuam, non mouentem, sed terminantem formaliter, non primam, sed secundam cognitionem, vt *superius* explicuimus.

144 *Ad secundã resp. 1.* Ad secundam respondeo primo, negando antecedens: etenim omnipotentia in via Scoti est voluntate indistincta, in frequentiori Thomistarum sententia est indistincta ab intellectu, qui vt *supra* docuimus, est distinctum attributum à scientia, & vt alij probabiliter contendunt, est potentia executiua distincta ab intellectu, & voluntate, & ad illa consequuta. *Resp. 2.* Secundo respondeo, distinguendo maiorem: non distinguitur a scientia, vt speculatiua, & practicè directiua, nego maiorem; sub conceptu virtutis executiuæ, omitto maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam constituentes omnipotentiam diuinam indistinctum attributum à scientia, distinguunt triplicem conceptum in scientia, nempè, contemplationis, directionis practicæ, & virtutis executiuæ, & in illa sub hoc vltimo conceptu omnipotentiam constituunt; licet autem in scientia, vt speculatiua non dicatur propriè Deum cognoscere possibilia; in illa autem vt est virtus executiua propriè dicitur possibilia cognoscere. *Ad tertiã.* Et ex his ad tertiam obiectionem constat solutio: nam in scientia vt practicè directiua Deum possibilia cognoscere, qua ratione ad creaturarum productionem concurrit, absque impropriètate dicitur, esto in scientia vt speculatiua propriè nequeat affirmari.

145 *Instabis.* Si dicas; scientia possibilium in Deo est cognitio directa; sed cognitio, qua Deus scientiam possibilium cognoscit est cognitio reflexa: ergo non cognoscit possibilia in sua scientia vt prius cognita. *Respond.* Respondeo, cognitionem reflexam esse a cognitione directa distinctam, & immediatè supra cognitionem cadere, in Deo autem non datur cognitio a sua cognitione distincta, qua cognoscat se cognoscere, & immediatè supra cognitionem feratur, sed cognitio luminis principiorum, qua cognoscit suam essentiam, vel est indistincta ab ipsa, quia nempè, essentiam constituit, vt plures probabiliter volunt, vel immediatè terminatur ad essentiam, & in essentia ad omnia attributa Dei, inter quæ ipsa continetur cognitio; cognitio autem scientifica non multiplicatur virtualiter in Deo iuxta numerum attributorum, sed vna numero scientia omnia attributa cognoscit; & consequenter intellectum, & scientiam, quæ sunt diuina attributa, atque adeò in Deo non datur reflexa cognitio, etsi se cognoscere cognoscat: vnde quamuis in sua scientia cognita cognoscat creaturas possibiles, non sequitur illas cognitione reflexæ cognoscere. *Resp. 2.* Vel secundo, ad tertiam obiectionem respondeo; Deum esse medium cognitionis creaturarum, vt cognitum secundum omnia, quibus causa creaturarum constituitur, excepta ipsa cognitione, quæ cum sit formalis creaturarum cognitio, non oportet, vt ex parte medij *in quo* cognitionis ingrediatur.

146 *Instatur primo.* Et quidem hoc argumentum, cui potissimè contraria sententia confidit duplici instantia infirmatur. Prima in omnipotentia, quam Deus necessario cognoscit: vel ergo omnipotentia sui cognitionem præcedit, vel non? Si primum: ergo stat mutua prioritas inter omnipotentiam, & illius cognitionem, quando quidem scientia Dei prior est omnipotentia; & aliàs illa posterior. Si secundum: ergo etiam vt medium cognitionis possibilium, necessarium non est talem cognitionem præcedere: non enim magis requiritur præcedentia medij, quam obiecti ad cognitionem.

Secunda, in creaturis possibilibus sumptis reduplicatiuè, vt omnipotentiæ effectibus: sic namque non possent cognosci, omnipotentia per impossibile ablata, cum nec ratio effectus omnipotentiæ posset in illis perseuerare; & tamen cognitio creaturarum, vt effectuum omnipotentiæ regulatiuè omnipotentiam præcedit; aliàs cognitio, quæ vt regula omnipotentiæ supponitur, comprehensiua creaturarum non esset, quandoquidem non cognosceret illas sub omni formalitate: ergo ex eo quod scientia terminata ad creaturas possibiles sit prior omnipotentia, non sequitur fore, vt maneret in Deo, omnipotentia negata. 147 *Instatur secundo.*

Secundo arguitur: plura Deus cognoscit, quæ non causantur ab ipso: ergo non cognoscit Deus omnia in se ipso vt in causa. Consequentia tenet nam quod a Deo causari repugnat, nequit cognosci in ipso vt in causa. Antecedens autem probatur primo: Deus non solum possibilia, sed etiam impossibilia, cà meram v. g. cognoscit; sed Deus causa impossibilium non est: ergo verum est antecedens. Secundo: nam Deus cognoscit peccata, non solum vt existentia, sed etiam vt possibilia; & tamen peccata non sunt causabilia à Deo: ergo idem quod prius. Tertio: nam creaturæ sub conceptu non repugnantium, cognoscuntur a Deo; sed quod creaturæ non repugnent, non habent ab omnipotentia vt causa: ergo cognoscitur aliquid ab intellectu diuino non contentum in omnipotentia vt in causa. Maior constat: nam prima rerum possibilitas consistit in non repugnantia vt existant; sed creaturæ cognoscuntur à Deo sub ratione possibilium: ergo cognoscuntur ab ipso sub conceptu non repugnantiæ ad essendum. 148 *Arg. 2. Antecedens probatur 1. Secundo. Tertio.*

Minor autem ostenditur primo ex D. Thoma *infra q. 46. art. 1. ad 1.* illis verbis: *Dicendum, quod antequam mundus esset, possibile fuit mundum esse, non quidem secundum potentiam passiuam, quæ est materia, sed secundum potentiam actiuam Dei, & etiam secundum quod dicitur aliquid absolutè possibile, non secundum aliquam potentiam, sed ex sola habitudine terminorum, qui sibi non repugnant, secundum quod possibile opponitur impossibili, vt patet per Phylosophum in 5. Metaphysicæ.* Quibus verbis duplicem tradit acceptionem possibilis, vna, qua dicitur secundum aliquam potentiam, alia qua dicitur absolutè possibile ex habitudine terminorum non repugnantium: ergo non repugnantia ad essendum, in qua consistit absoluta possibilitas, non conuenit creaturis ab omnipotentia diuina; aliàs non distingueretur à prima acceptione possibilis. 149 *Minor probatur primo.*

Secundo probatur ex eodem D. Thom. *infra q. 25. art. 3. in corp.* vbi docet non posse dici Deum esse omnipotentem, quia potest omnia, quæ possibilia suæ potentiæ, erit enim circulatio vitiosa, non enim erit aliud, quam dicere, quod Deus est omnipotens, quia potest omnia, quæ potest: vnde concludit, Deum dici omnipotentem, quia potest omnia possibilia absolutè; sed si non repugnantia ad essendum, in qua consistit possibilitas absoluta, vt *ibidem* docet D. Thomas, conueniret creaturis ab omnipotentia Dei, idem esset dicere Deum esse omnipotentem, quia potest omnia possibilia absolutè, ac dicere esse omnipotentem, quia potest omnia possibilia suæ potentiæ; quandoquidem absolutè possibile sumeretur ex ordine ad omnipotentiam diuinam: ergo non repugnantia ad essendum, non conuenit creaturis possibilibus ab omnipotentia diuina. 150 *Secundo.*

Denique probatur minor ex eodem D. Thoma vbi *proximè art. 3. ad finem corporis*, illis verbis: *Ea verò, quæ contradictionem implicant, sub diuina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem: vndè conuenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere.* Ex quibus tale argumentum conficitur: impossibile absolutè non dicitur ex defectu potentiæ, quæ reperitur in Deo; aliàs diceretur conuenienter, Deum non posse id efficere, & ideò impossibile esse, quia id Deus non potest facere: ergo pariter absolutè possibile non sumitur ab omnipotentia diuina, neque ideò aliquid est absolutè possibile, quia Deus illud efficere potest. 151 *Tertio.*

Respondeo, distinguendo antecedens: Deus plura cognoscit immediatè in se ipsis, quæ non causantur ab illo, nego antecedens: cognoscit illa in effectibus ab ipso causatis, vel causabilibus, concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo non omnia cognoscit in se ipso, vt in causa omnis quod ab ipso cognoscitur, con- 152 *Respond.*

cedo,

cedo consequentiam: vt in causa rei cognitæ, vel alterius, in qua, vel per quam cognoscitur, nego consequentiam. Quæ doctrina est D. Thomæ q. 2. *de Verit. art.* 15. *ad* 1. *in* 1. *dist.* 36. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 1. & *in hac quæst. art.* 10. *ad* 2. & 3. & *in corpore*, vbi docet, Deum cognoscere mala per bona creata, quibus opponuntur, & quia boni, per quod malum cognoscitur, Deus est causa, omnia vt in se ipso vt in causa cognoscit, non quia mali causa sit, sed quia est causa boni, per quod malum cognoscitur.

S.Tho.

153 *Ad 1. probationem antecedentis.* Ex quibus ad primam probationem constat solutio: nam impossibile v.g. chimera componitur ex extremis inter se repugnantibus, vt ex cauda Leonis, Draconis capite, & corpore hominis, quibus coniungi ab intrinseco repugnat: vnde cognitis extremis, illorum repugnantia cognoscitur, & cum extrema in Deo contineantur vt causa, etiam chimera, quæ impossibilis est in Deo vt in causa cognoscitur, non quidem vt in causa chimeræ, sed vt in causa extremorum, ex quibus chimera componitur, quorum coniunctio est repugnans.

154 *Ad secundam.* Ex eisdem etiam ad secundam probationem constat solutio: nam peccatum dupliciter sumitur, scilicet, priuatiuè, aut contrariè, priuatiuè est corruptio bonitatis moralis, & cognoscitur per illam, hoc est, per speciem illius, & etiam potest cognosci per speciem materialis, supra quod fundatur priuatio, cuius Deus causa est: si verò contrariè sumatur, cognoscitur etiam per bonitatem oppositam, cuius est corruptiuum contrariè, & per materiale supra quod deformitas positiua fundatur: vnde vtroque modo sumptum, cognoscitur à Deo in se ipso vt in causa, non ipsius peccati sub ratione formalis malitiæ, sed vt in causa bonitatis oppositæ, & entitatis materialis peccati, per quæ formalis malitia in peccato inuenta cognoscitur.

155 *Ad tertiam.* Ad tertiam antecedentis probationem, concessa maiori, distinguo minorem: non habent, quod non repugnent ab omnipotentia diuina denominatiuè, & causatiuè exercitè, concedo minorem: terminatiuè, & causatiuè signatè, nego minorem, & consequentiam: nam licet non repugnantia creaturæ, in qua possibilitas illius remota consistit, non sit extrinseca denominatio ab omnipotentia diuina, nec ab illa causetur causalitate exercita, quia tamen non est non repugnantia ad essendum communis Deo, & creaturis, sed est non repugnantia creata distincta à non repugnantia Dei, consistit in non repugnantia ad essendum ab alio, quæ est propria entis creati; & consequenter dicit dependentiam signatam ab omnipotentia diuina.

156 *Ad 1. probationem minoris.* Et ex his ad primam probationem minoris ex doctrina Diui Thomæ sumptam, constat solutio; cum enim docet Diuus Thomas possibile absolutè dici ex non repugnantia terminorum, non excludit à possibili creato ordinem dependentiæ signatæ ad omnipotentiam diuinam, sed tantum denominationem ab illa, quia licet in non repugnantia creaturæ dependentia ab omnipotentia signatè importetur, non tamen consistit in denominatione extrinseca desumpta ab omnipotentia.

157 *Ad secundam.* Ad secundam minoris probationem, concessa doctrina D. Thomæ in maiori contenta, nego minorem: nam licet in non repugnantia creaturæ, dependentia à Deo signatè importetur, non tamen est necessarium, quod in diffinitione omnipotentiæ ipsa in obliquo exprimatur dicendo, Deus est omnipotens, quia potest omne sibi possibile, in quo circulationem vitiosam notauit D. Th. sed dicendum est, Deum esse omnipotentem, quia omne, quod non implicat, potest. Quod autem Deus dicatur non potens ad ea, quæ contradictionem inuoluunt, docuit expresè D. Tho. 2. *Contra Gentes cap.* 25 *ratione* 7. illis verbis: *Oportet, quod Deus dicatur non posse quidquid est contra rationem entis, in quantum est ens.*

Ad tertiam. Ad tertiam dicatur, impossibile, aut implicans, ideò etiam esse tale, quia Deus non potest, non quidem defectu priuatiuo potentiæ, sed defectu tantum negatiuo, & vt explicetur defectum istum non priuatiuum, sed negatiuum tantum esse, ex quo nulla imperfectio constituitur in Deo, rectè monet D. Thomas conuenientius dici, impossibilia non posse fieri, quam quod Deus illa non possit facere.

158 *Arg. 3.* Tertio arguitur: particulares rationes creaturarum possibilium non cognoscuntur in Deo vt in causa prius cognita: ergo non omnia cognoscuntur à Deo in se ipso vt causa illorum. Antecedens probatur: id in Deo cognoscitur, vt in causa prius cognita, sine quo vt cognito non potest eius virtus comprehendi, vt constat ex ratione D. Thomæ, qua nostram conclusionem probauimus; sed potest comprehendi omnipotentia non cognitis pos-

sibilibus secundum suas peculiares rationes: ergo vt sic non cognoscuntur in Deo, vt in causa prius cognita.

Minor probatur: Angelus comprehendit suam virtutem intellectiuam; & tamen non cognoscit in illa omnes intellectiones in particulari possibiles: ergo pariter poterit virtus diuina comprehendi, quin in illa cognoscantur omnes effectus, quos continet secundum suas peculiares rationes. Consequentia tenet a paritate rationis. Maior supponitur ex communi Theologorum doctrina asserentium, quemlibet Angelum à se ipso comprehendi, & consequenter proprium intellectum comprehensiuè cognoscere.

Minor autem probatur: si Angelus propria virtute comprehenderet omnes actus intellectus, quos in sua virtute continet, secundum suas particulares rationes, quibus inuicem distinguuntur, sequeretur, sua virtute naturali cognoscere omnes creaturas possibiles in particulari, saltim quoad *an est*; consequens aduersatur communi Theologorum sententiæ, id negantium: ergo non comprehendit sua naturali virtute omnes intellectiones, quas virtualiter continet. Probatur sequela: non stat vnum actum prout ab alio distinctum comprehendi, quin saltim quoad *an est*, cognoscantur obiecta, à quibus distinctionem accipiunt sed circa singulas creaturas possibiles sunt dabiles in Angelo intellectiones diuersæ, & essentialiter distinctæ: ergo non potest Angelus sua naturali virtute comprehendere omnes intellectiones, quas virtualiter continet, quin eadem virtute, saltim quoad *an est*, cognoscat omnes, & singulas creaturas possibiles. 159 *Minor probatur*

Respondeo, negando antecedens: ad probationem, concessa maiori, nego minorem: ad illius probationem, concessis maiori, & minori, nego consequentiam: & ratio discriminis est: nam intellectus Angeli non est causa completa omnium intellectionem, quas elicere potest, cum ratione sui non habeat sibi vnitas species omnium possibilium repræsentatiuas, quibus intellectus ad intelligendum completur; omnipotentia verò est virtus completa, & perfecta respectu omnium possibilium, & quia in sola causa completa, adæquata, & perfecta alicuius effectus potest comprehendi effectus; fit consequens, vt virtus intellectiua Angeli possit comprehendi ab ipso non comprehensis omnibus intellectionibus in illa virtute contentis; virtus autem diuina comprehendi non possit non comprehensis omnibus creaturis possibilibus secundum proprias formales, peculiaresq; perfectiones, quibus inuicem distinguuntur. 160 *Respond.*

Sed dices: si comprehensio causæ adæquatæ, & completæ peteret in illa vt cognita comprehensiuè, terminari ad omnes eius effectus secundum particulares rationes, comprehensio causæ inadæquatæ, & incompletæ peteret, saltim ad omnes eius effectus abstractiuè, & quoad *an est*, terminari; consequens est falsum: ergo & doctrina ex qua sequitur. Falsitas consequentis constat in exemplo Angeli, qui se ipsum comprehendit, & tamen nec etiam abstractiuè, & quoad *an est* cognoscit in se ipso omnes intellectiones sibi in particulari possibiles; alias saltim abstractiuè omnia possibilia propria virtute cognosceret, quod communiter negatur à Theologis. 161 *Instabis.*

Sequela verò probatur primo: causa inadæquata sufficienter in ratione medij cognitionis effectuum, distinguitur à causa adæquata per hoc quod causa adæquata sit medium cognitionis comprehensiuæ, inadæquata verò solius cognitionis abstractiuæ: ergo omnis alia differentia penes numerum, & sigillationem effectuum, absque fundamento adstruitur; & consequenter si adæquata causa comprehensa petit omnes suos effectus in particulari comprehendi, causa inadæquata comprehensa petet omnes suos effectus in particulari abstractiuè saltim cognosci. Secundo probatur: licet effectus ad sui comprehensionem petat cognosci in causa sibi adæquata, ad sui tamen abstractiuam cognitionem non postulat in causa sibi adæquata cognosci, sed sufficit pro medio causa inadæquata illius: ergo si comprehensio causæ adæquatæ petit in illa comprehensiue terminari, non solum ad rationem communem effectuum, quos in se continet, sed etiam in particulari ad omnes, comprehensio causæ inadæquatæ petet terminari ad omnes quoad *an est*, & abstractiuè. 162 *Sequela prob. 1.* *Secundo.*

Tertio probatur sequela: ideò causa completa petit ad sui comprehensionem, quod in illa cognoscantur omnes effectus in particulari possibiles; quia cum in illis particulari connectitur; sed etiam causa incompleta connectitur cum omnibus suis effectibus sumptis in par- 163 *Tertio.*

 ticulari:

ticulari ; ergo petet ad sui comprehensionem omnes illos in particulari cognosci cognitione non postulante pro medio causam effectus completam ; at cognitio quoad *an est*, & abstractiua non petit pro medio sui causam completam effectus : ergo si causa completa petit vt comprehendatur comprehensionem omnium effectuum secundum particulares rationes, causa incompleta exposcet ad sui comprehensionem omnes suos effectus in particulari abstractiuè cognosci.

164 *Respondent Recentiores primo.* Huic obiectioni respondent Recentiores quidam, posse absque inconuenienti admitti, Angelum se, aut alium Angelum comprehendentem, cognoscere in virtute intellectiua omnes cognitiones in particulari possibiles, & ex consequenti omnes creaturas in particulari ; cum enim hæc possibilium cognitio imperfectissima sit, absque inconuenienti potest cuivis Angelo concedi. *Secundo.* Vel si hæc non admittatur, consequenter est asserendum, vnum Angelum nec se ipsum, nec Angelum sibi inferiorem, nec hominem comprehendere sua naturali virtute.

165 *Motiuum solutionis.* Et quidem, si omnes cogitationes possibiles non petunt, saltim abstractiuè cognosci ad comprehensionem virtutis intellectiuæ, nec etiam aliquam cognitionem necessarium erit cognoscere ; non enim solum non continet omnes, vt causa adæquata, sed nec aliquam vt causa adæquata continet, nec etiam rationem intellectionis vt sic : ergo si potest comprehendi, quin omnes, quoad *an est*, cognoscantur, quia illarum causa adæquata non est, poterit etiam comprehendi absque cognitione alicuius, nec in particulari, nec etiam sub ratione communi.

166 *Vtraque solutio deseritur.* Vtraque tamen solutio refragatur communi sententiæ : vnde neutra est admittenda, quarum examen remitto ad Tractatum de Angelis, vbi propriam sedem habet. Nec fundamentum, cui innititur alicuius ponderis est ; causa enim secunda adæquata, & completa illa dicitur, cui non deest ex requisitis ad suum effectum causandum, nisi generalis concursus, qui secundis causis debetur : cum ergo Angelo constituto in actu primo per species intelligibiles possibilium spectantium ad hoc vniuersum, non desit nisi generalis concursus illi debitus ad illorum intellectionem, fit, vt respectu horum obiectorum causa completa dicatur ; ac proinde ad sui comprehensionem petat cogitationes possibiles circa huiusmodi obiecta cognosci ; secus autem alios actus, ad quos non habet, nisi inchoatam, & incompletam virtutem.

167 *Vera solutio. Ad 1. probationem sequelæ.* Vnde ad obiectionem factam respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem sequelæ, nego antecedens : quod enim causa adæquata petat ad sui comprehensionem omnes effectus in particulari comprehensiuè cognosci, prouenit ex eo quod sicut illos continet sufficienter quoad esse, ita illos in ratione cognoscibilis continet ; ac proinde nisi cognoscantur in illa, non cognoscitur causa, quantum cognoscibilis est, cum quo non stat comprehendi ; causa verò incompleta, & inadæquata, illos non continet sufficienter quoad esse ; & consequenter nec in ratione cognoscibilis, illos sufficienter continet : vnde sicut ob hanc causam non debetur causæ incompletæ concursus ad illorum productionem, ita nec illi, vt cognoscibili, est debita singulorum effectuum cognitio. *Ad secundam.* Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam ob rationem assignatam.

168 *Ad tertiam.* Ad tertiam, distinguo maiorem : ex conceptu connexionis vt sic nego maiorem : quia taliter cum illis connectitur, nempè, vt sufficiens ad illos quoad esse ; atque adeò vt medium sufficiens cognitionis illorum, concedo maiorem : & concessa minori, nego consequentiam : nam causa incompleta non continet suos effectus continentia sufficienti quoad esse ; & ideo sicut non petit concursum ad illorum effectionem, ita nec petit in ratione cognoscibilis, quod in illa cognoscantur, quamuis sit cum illis in particulari connexa.

169 *Vltimo arguitur.* Denique arguitur : prius nostro modo intelligendi, Deus suam essentiam cognoscit, vt ad attributa supponitur, quam omnipotentiam cognoscat ; sed in essentia diuina, prout ab attributis distincta, vel in Deo ratione essentiæ eminenter continentur creaturæ : ergo in illa vt omnipotentiam præcedit, cognoscuntur possibilia, & non in omnipotentia. *Confirmatur 1.* Confirmatur primo ex D. Th. q. 2. *de Veritate art. 4. ad 6.* illis verbis: *Dicendum, quod Deus cognoscit res in propria natura, si ista determinatio referatur ad cognitionem ex parte cogniti; si autem loquamur de cognitione ex parte cognoscentis, sic cognoscit res in idæa, idest, per idæam, quæ est similitudo omnium, quæ sunt in re* ; sed idæa ab omnipotentia distinguitur, est enim diuina essentia, vt immitabilis à creaturis: ergo iuxta D. Thomam, Deus creaturas possibiles non cognoscit in omnipotentia.

Confirmatur 2. Confirmatur secundo : obiectum omnipotentiæ est prius illa virtualitèr ; sed in tali obiecto cognoscuntur possibilia : ergo non in omnipotentia. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur : obiectum omnipotentiæ est diuina essentia, vt participabilis à creaturis, & vt ratio, & exemplar illarum in actu primo ; sed in diuina essentia sub hac consideratione continentur eminèter possibilia : ergo possunt in illa prout sic cognosci.

170 *Confirmatur 3.* Confirmatur, & vrgetur tertio : scientia visionis terminatur ad futura in decreto Dei efficaci, quod est actus voluntatis : ergo scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad creaturas possibiles in diuina voluntate vt efficacitèr decretiua, cumque voluntas, vt decretiua efficacitèr, prior sit omnipotentia, quæ à pluribus constituitur in potentia executiua supponente virtualiter intellectum, & voluntatem, non erit medium, in *quo* cognitionis possibilium. Antecedens suppono ex communi Thomistarum sententia. *Cõsequentia prob. primo.* Et consequentia ostenditur primo : non enim minus infert voluntas Dei vt decretiua efficacitèr possibilitatem creaturarum, nec minus continet illam, quam decretum efficax infert, & continet creaturarum futuritionem : ergo si in decreto cognoscuntur, vt futuræ, in vi efficaci decretiua voluntatis diuinæ cognoscentur vt possibiles.

171 *Secundo.* Secundo : nam scientia visionis, & scientia simplicis intelligentiæ non distinguuntur virtualiter in Deo, sed sunt vnus, & idem actus formali, & virtuali vnitate cum diuersa solum connotatione, & terminatione ; sed si medium, in quo cognitionis possibilium non esset voluntas Dei, sed illius omnipotentia, & medium cognitionis futurorum esset decretum efficax voluntatis, esset inter prædictos actus virtualis distinctio : ergo medium cognitionis possibilium est voluntas Dei, vt efficacitèr decretiua. Minor probatur : distinctio virtualis in actibus diuini intellectus sumitur ex distinctione mediorum ; sed haberent media virtualiter distincta, nempè, omnipotentiam, & decretum efficax Dei, quæ virtualiter distinguuntur : ergo esset inter scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ virtualis distinctio.

172 *Respond.* Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem : continentur in essentia adæquatè, nego minorem : inadæquatè vt primordiali radice dependenter ab omnipotentia, vt virtute proxima operatiua, concedo minorem, & nego consequentiam pro secunda parte ; cum enim debeant cognosci comprehensiuè, petunt cognosci in sua causa adæquata ; essentia autem diuina, vt virtualiter ab attributis distincta, non est causa adæquata creaturarum ; sicut enim agens creatum constituitur per formam substantialem operatiuum radicaliter, & potens proximè operari constituitur per potentias à forma substantiali distinctas, & sine vtroque principio, nempè radicali, & proximo non intelligitur adæquata causa effectus ; ita Deus per essentiam, vt ab attributis distinctam, constituitur radicaliter operatiuus, & per omnipotentiam proximè, ex quibus, ingredientibus etiam intellectu, vt directivo, & voluntate, vt applicatiua, adæquata causa creaturarum virtualiter consurgit : vnde in sola essentia diuina non possunt creaturæ cognosci, vt adæquatè, sed tantum inchoatiuè, & radicalitèr possibiles ; ac proinde vt cognoscantur, debent hæc omnia cognosci, non quidem ita, vt ingrediantur omnia motiuè, sed sola essentia ; alia autem terminatiuè, materialitèr, aut formalitèr, iuxta dicta *in solut. 1. argumenti.*

173 *Ad 1. confirmationem.* Ad primam confirmationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam : ex eo namque, quod Deus in idæis cognoscat creaturas, & idææ distinguantur ab omnipotentia, non sequitur, non cognosci in illa, vt enim sæpe monuimus, Deus cognoscit creaturas in se ipso, vt causa illarum, & quia Deus pluribus constituitur in ratione causæ creaturarum, in omnibus, ex quibus in ratione causæ coalescit, cognoscuntur ab ipso creaturæ ; ac proinde ex eo quod cognoscantur in essentia, vt participabili à creaturis, & ab illis imitabili, non sequitur, quod in omnipotentia non cognoscantur, bene tamen sequeretur, si sermo D. Thomæ esset exclusiuus, quia tamen exclusiuè non loquitur ; consequentia facta non tenet.

Ad 2. & 3. confirmationẽ. Et ex his ad secundam confirmationem constat solutio. Ad tertiam confirmationem, distinguo antecedens : cognoscuntur in decreto tanquam in medio adæquato, nego antecedens : inadæquato, concedo antecedens, & distinguo consequens : in voluntate sola, & vt in medio adæquato cognitionis possibilium, nego consequentiam : tanquam in medio inadæquato simul cum essentia,

essentia, & omnipotentia diuina, concedo consequentiam. Quæ doctrina constat ex dictis, nec contra illam vrgent probationes consequentiæ, vt consideranti constabit.

§. VII.

Deum cum creaturis possibilibus intrinsecè connecti, probatur.

174 *Tertia conclusio.* TERTIA Conclusio: *Deus vt causa creaturarum est ab intrinseco connexus cum illarum possibilitate, ita vt si per impossibile aliqua ex illis redderetur impossibilis, Deo aliqua intrinseca perfectio deficeret.* Hanc statuo contra plures Recentiores, qui adstruentes Deum in se, vt in causa prius cognita cognoscere creaturas possibiles, negant, Deum ab intrinseco esse cum illis connexum. Nostram conclusionem tuentur omnes Thomistæ, quos pro vltima sententia retulimus, quibus plures ex PP. Societatis adhærent. Et ostendo illam primo ex D. Thom. *Probatur ex D.Th. primo.* *quæst. 2. de veritate art. 3. ad 11.* illis verbis: *Dicendum, quod quamuis à linea, si diminuatur punctus in actu, nihil depereat de linea quantitate, si tamen diminuatur à linea quod non sit ad punctum terminabilis peribit linea substantia: similiter etiam est de Deo: non enim aliquid Deo deperit, si eiusmodi creatura ponatur non esse, deperit tamen perfectioni ipsius, si auferatur ab eo potestas producendi creaturas, non autem cognoscit res solum secundum quod sunt in actu sed etiam secundum quod sunt in potentia eius.* Hæc D.Thomas, ex quibus tale argumentum conficio: si auferatur à Deo potestas producendi creaturam, deperit aliquid perfectioni ipsius; sed si creaturæ modo possibiles rederentur repugnantes, auferretur à Deo potestas producendi creaturam: ergo periret aliquid perfectionis ipsius: & consequenter Deus ratione suæ perfectionis intrinsecæ, est intrinsecè connexus cum creaturis possibilibus.

175 *Respondebis 1.* Respondebis primo: D.Thom. loqui de potentia conditionata producendi creaturas, scilicet sub conditione non repugnantiæ illarum, qua ablata verum est auferri, à Deo intrinsecam perfectionem; hæc autem ex repugnantia creaturarum possibilium non tollitur, sed tantum potentia producendi creaturas absolutè, quæ partim intrinseca est, & partim extrinseca, & consequenter potest non esse absque detrimento intrinsecæ perfectionis diuinæ.

176 *Respondebis 2.* Vel secundo respondebis, loqui Angelicum Doctorem de potentia producendi creaturas sumpta absolutè, & secundum suam entitatem, quæ est perfectio Deo intrinseca; ac proinde ex illius ablatione aliquid deperiret perfectioni eius intrinsecæ; non autem de potentia productiua creaturarum secundum respectum rationis, aut denominationem potentiæ; ex eo namque quod sic sumpta Deo non conueniret, non sequitur defecturam perfectionem Deo intrinsecam, & solum sub hac secunda consideratione auferretur ex repugnantia creaturarum, modo possibilium; ac proinde ex verbis D.Thomæ non probatur connexio intrinseca Dei cum creaturis possibilibus.

177 *Prima solutio reijcitur.* Sed neutra solutio satisfacit, & contra primam facit: nam loquitur de potentia Dei, vt est medium cognitionis actualis creaturarum possibilium, de qua argumentum procedebat; sed non est medium cognitionis creaturarum possibilium potentia productiua illarum sub conditione, sed potentia productiua absolutè; vt ex dicendis constabit: ergo non loquitur de potentia conditionata, sed de potentia absolutè productiua. Deinde *Contra 2. facit.* secunda reijcitur: nam potentia productiua de qua D. Thomas loquebatur, vt est medium cognitionis actualis creaturarum possibilium, est connexa cum illarum possibilitate, vt ex dicendis constabit, sed vt docet Diuus Thomas, potentia prout sic, ablata, aliquid deperiret perfectioni diuinæ: ergo sentit perfectionem Deo intrinsecam esse connexam cum creaturarum possibilitate, tunc enim vnum cum alio est intrinsece connexum, quando ex illius non esse, vel destructione, secundum aliquid sibi intrinsecum destruitur.

178 *Secundo prob. conclusio.* Secundo probatur: in causa indifferenti ex se ad esse, & non esse effectus, non potest esse effectus determinatè cognosci: sed in Deo vt causa cognita cognoscuntur creaturæ vt possibiles: ergo Deus vt causa creaturarum, non est ab intrinseco indifferens ad esse, & non esse talis possibilitatis, sed ad esse ab intrinseco determinatus; & consequenter intrinsecè cum possibilitate creaturarum connexus. Vtraque consequentia ex præmissis infertur, minor tradditur à pluribus, contra quos nostra conclusio procedit. Et maior ostenditur primo; sic enim se *Maior probatur primo.* habet aliquid ad cognosci, quo se habet ad esse: ergo in causa indifferenti ad esse, & non esse, non potest aliquid illorum determinate cognosci. Secundo: id solum *Secundo.* cognoscitur in causa ex vi cognitionis illius, quod necessarium est cognosci ad eius comprehensionem; sed, vt causa indifferens comprehendatur, non est necessaria cognitio alicuius determinati: ergo in causa indifferenti ad extrema contradictoria, nullum illorum potest determinate cognosci.

179 *Tertio.* Tertio: in diuina essentia, vt præcedit libera decreta Dei, non possunt cognosci futura, & idem de omnipotentia, & quouis alio attributo est dicendum, sed necessarium est, vt in illis cognoscantur, adiungi decreta libera, vt docet D. Thomas *in 1. dist. 35. q. 1. art. 3. ad 4.* sed non alia ratione, nisi quia essentia omnipotentia, & alia attributa diuina, prout libera decreta præcedunt, sunt indifferentia ad futuritionem, & negationem futuritionis: ergo vniuersaliter verum est in medio indifferenti ad extrema contradictionis, non posse illorum aliquod determinate cognosci. Quarto probatur, in volun- *Quarto.* tate creata, etiam vt à Deo super comprehensa, non possunt actus liberi, vt futuri certo cognosci, vt contra Molinam docent communiter Theologi; sed non alia ratione, nisi quia voluntas creata sumpta prout in actu primo, est indifferens ad futuritionem, & non futuritionem illorum: ergo medium de se indifferens non potest esse ratio determinatæ cognitionis.

180 *Quinto probatur maior.* Denique probatur maior: ex medio indifferenti non potest inferri demonstratiuè conclusio determinata: ergo in medio indifferenti non potest aliquod extremum suæ indifferentiæ determinate cognosci. Antecedens est certum: nam medium de se indifferens; potest, quantum est de se, cum quolibet extremo suæ indifferentiæ coniungi; principium autem demonstrationis non potest cum contradictorio conclusionis demonstratæ coniungi, alias in bona demonstratione posset veritas præmissarum cum falsitate conclusionis coniungi, quod implicat, cum in bona consequentia non possit dari antecedens verum, & consequens falsum; demonstratio autem bonitatem consequentiæ includit, & aliquid addit: ergo ex principio indifferenti non potest demonstratiuè deduci conclusio determinata. Consequentia autem o- *Consequentia probatur 1.* stenditur primo: non enim minor connexio requiritur in medio *in quo* cognitionis cum extremo in illo cognito, quam in medio *ex quo* cum conclusione ex ipso deducta: ergo si ex principio, aut medio *ex quo* indifferenti, non potest inferri determinata conclusio, in medio *in quo* indiferenti non potest aliquid determinate cognosci.

181 *Secundo.* Secundo: nam medium *in quo* cognitum, & medium *ex quo*, solum differunt, quod in primo ex vi eiusdem cognitionis cognoscuntur extremum, & medium, in secundo autem diuersa cognitione attinguuntur, quarum vna infertur ex alia; sed vnitas cognitionis non tollit, sed potius arguit connexionem medij cum extremo cognoscendo: ergo si medium *ex quo* indifferens non potest esse principium conclusionis determinatæ, medium *in quo* indifferens non potest esse ratio determinatæ cognitionis. Denique nam ideo medium *ex quo* conclusionis *Tertio.* demostratæ non potest esse indifferens ad illam, & eius contradictoriam, quia debet esse probatiuum efficaciter conclusionis demonstratæ; sed etiam medium *in quo* probatiuum est veritatis cognitæ in ipso, etsi diuersa cognitione attingantur, vna ex alia probatiuè inferretur: ergo nequit esse indifferens ad veritatem cognitam, & illius contradictoriam.

182 *Respondebis 1.* Respondebis primo, veram esse maiorem nostræ rationis, si medium sit indifferens absolute, & conditionate; falsam autem, si quamuis sit indifferens absolutè, sit tamen determinatum sub aliqua conditione; essentia autem, & omnipotentia diuina, quamuis sint absolute indifferentes ad possibilitatem creaturarum, & illarum repugnantiam, sunt tamē determinatæ ad continendas creaturas, sub conditione, quod contradictionem non implicent, physica, & intentionali continentia, ac proinde, non repugnantia supposita, continentur creaturæ possibiles in diuina omnipotentia physicè, & intentionaliter, & consequenter possunt in illa cognosci.

183 *Contra 1.* Sed contra primo: decretum subiectiuè absolutum, & conditionatum obiectiuè non potest esse medium cognoscendi determinate futurum absolute, quia illud prout sic non infert, sed potest cum negatione futuritionis absolutæ coniungi; sed omnipotentia diuina est ab intrinseco indifferens ad possibilitatem, & repu-

GODOY in 1.p. Tom. 1.

gnantiam creaturarum possibilium, potensque quantum est de se cum vtraque coniungi: ergo quamuis sit determinata ad possibilitatem sub conditione non repugnantiæ, non potest esse medium in quo creaturæ possibiles, vt absolute possibiles cognoscantur. *Secundo.* Secundo: ex suppositione non implicationis hominis v. g. nihil intrinsecum aduenit omnipotentiæ; sed pro priori ad illam suppositionem non erat cum possibilitate hominis intrinsecè connexa: ergo etiam sub tali suppositione manet inconnexa intrinsece; sed ex penetratione alicuius intrinsecè inconnexi cum alio, nec formaliter, nec illatiuè potest alterum cognosci: ergo etiam ex illa suppositione non potest creaturarum possibilitas in omnipotentia, aut ex illa quantumcumque penetrata cognosci.

184 *Tertio.* Tertio: nam omnipotentia iuxta solutionem traditam non continet de se hominem, nisi sub conditione, quod homo non implicet: ergo Deus non cognoscit hominem in omnipotentia, nisi præcognoscendo purificatam conditionem, nempe, quod homo non implicet; sed idem est hominem non implicare, ac hominem esse possibilem: ergo ad cognitionem terminatam ad hominem in omnipotentia supponitur in ipso cognitio hominis, vt absolute possibilis; & consequenter homo vt possibilis non cognoscitur a Deo in se ipso vt causa.

185 *Confirmatur.* Vrgetur, & explicatur efficacia obiectionis, futurum conditionatum non transit in futurum absolutè, nec vt tale cognoscitur nisi purificata, & præcognita conditione: ergo contentum in omnipotentia sub conditione: non cognoscitur vt absolutè contentum in illa, nisi præcognita purificatione conditionis; sed homo non continetur in omnipotentia absolute, sed tantum sub conditione non repugnantiæ: ergo non cognoscitur vt contentus in omnipotentia, nisi præcognita, vt purificata conditione, nempe hominem non repugnare; sed idem est hominem non repugnare, ac esse absolute possibilem: ergo ad cognitionem hominis, vt contenti in omnipotentia, supponitur cognitio hominis vt possibilis absolute; & consequenter prout sic non cognoscitur in Deo vt omnipotente, ac proinde in Deo vt causa cognita non cognoscitur.

186 *Respondebis 2.* Respondebis secundo: creaturarum possibilitate supposita supperaddi omnipotentiæ respectum quendam rationis, & in omnipotentia, vt subest prædicto respectui *Contra 1.* creaturas possibiles cognosci ab intellectu diuino. Sed contra primo: nam cognitio creaturarum possibilium à Deo in omnipotentia, illi conuenit ab æterno; at respectus rationis, æternus esse non potest; cum intellectus creatus ab æterno non sit, diuinus autem, qui æternus est, illius causa esse non possit, vtpotè, cui confictio repugnat, ens autem rationis sine causa ipsum formante existere nequeat: ergo omnipotentia, vt subest respectui rationis non est medium cognitionis possibilium.

187 *Contra 2.* Secundo: nam respectus rationis omnipotentiæ ad creaturas est illis posterior resultans ex comparatione omnipotentiæ cum illis; sed omnipotentia est medium cognitionis possibilium sub ratione causæ illorum, & consequenter est prior: ergo non est medium ex respectu superaddito. *Contra 3.* Tertio: nam id, in quo, & ratione cuius Deus possibilia cognoscit, non spectat ad obiectum secundarium, sed ad primarium intellectus diuini; at respectus rationis nequit ad obiectum primarium intellectus diuini spectare: ergo omnipotentia ratione illius nequit esse Deo ratio cognoscendi possibilia.

188 *Respondebis 3.* Denique respondebis, omnipotentiam ratione suæ entitatis esse omnino a creaturis absolutam, & cum illis inconnexam, sub denominatione tamen potentiæ, quæ realis, & intrinseca est, connecti cum creaturis possibilibus, ac proinde posse esse medium, & ratio cognitionis illarum; & quia ex suppositione, quod creaturæ non repugnent, Deo conuenit omnipotentia, nedum entitatiuè, sed etiam denominatiuè, fit consequens, vt non repugnantia creaturarum supposita, cognoscantur creaturæ possibiles in omnipotentia, vt cognita.

189 *Contra 1.* Sed contra primo: nam hæc denominatio potentis creaturas producere, verè prædicatur de Deo; sed non prædicatione contingenti, nec prædicatione necessaria necessitate solius connaturalitatis, sicut passiones realiter distinctæ ab essentia, sunt separabiles ab illa de potentia absoluta; cum nec ista potentia attenta possit Deo non conuenire: ergo prædicatur de Deo prædicatione essentiali; sed essentialia Dei cognoscuntur ab ipso pro omni signo comprehensionis essentiæ: ergo hæc denominatio pro omni signo cognoscitur; & consequenter non expectat signum possibilitatis creaturarum, quod est posterius signo prædicatorum, quæ sunt essentialia Deo.

Secundo: nam ista denominatio est aliquid increatum, 190 & consequenter magis necessarium omni entitate creata; *Secundo.* & tamen est cum veritate creata creaturarum possibilium intrinsece necessario connexa: ergo fateri tenentur vtentes hac solutione, posse formalitatem increatam magis necessariam, cum veritate creata minus necessaria connecti; & consequenter ex hoc capite non repugnare prædictam connexionem entitati omnipotentiæ. Tertio: nam ista denominatio vel est prior *Tertio.* possibilitate creaturarum, vel comitans, vel posterior? Si primum, non expectat suppositionem non repugnantiæ creaturarum possibilium, quandoquidem illam præcedit. Si comitans, vel posterior, non potest esse Deo ratio cognoscendi creaturas in se ipso, vt in causa, quandoquidem, quod causandi ratio non est, nec esse potest ratio non cognoscendi aliud in causa: ergo perperam confugitur ad hanc denominationem, & omnipotentia sit medium cognitionis possibilium.

Explicatur, & vrgetur; vel denominatio ista infert à 191 priori possibilitatem creaturarum, vel infertur ex illa à *Confirmatur.* priori, vel disparate se habent? nullum ex his dici potest: ergo nec potest ad denominationem istam recuri pro statuendo medium cognitionis possibilium. Minor pro tertia parte nota videtur: nam, si disparate se haberent, non expectaret possibilitatem creaturæ, vt de Deo diceretur. Pro secunda patet: nam si infertur à priori ex non repugnantia creaturarum possibilium: ergo non est ratio cognitionis possibilium, sed potius possibilitas illorum est ratio cognoscendi talem denominationem. Tandem pro prima parte probatur: nam quod infert aliud à priori, est prius illo prioritate naturæ: ergo si denominatio intrinseca potentis infert à priori possibilitatem creaturæ, procedit illam prioritate naturæ; ac per consequens non conuenit ex suppositione illius.

Tertio principaliter suadetur nostra conclusio: si Deus 192 non esset ab intrinseco connexus cum creaturis possi- *Tertio probatur conclusio.* bilibus, maximè quia magis necessarium non potest cum minus necessario connecti, Deus autem magis necessarius est, quam creaturæ, sic arguit Vazquez *disp.* 104. *cap.*6. *num.* 26. sed stat magis necessarium cum minus necessario, ab intrinseco connecti: ergo Deus ab intrinseco connectitur cum creaturis possibilibus. Minor, in qua est difficultas, ostenditur primo: vt enim *Maior probatur primo.* aduersarij fatentur, nec potest Vazquez negare, omnipotentia diuina est determinata ab intrinseco ad continendum eminenter hominem sub conditione, quod non implicet contradictionem, & consequenter est necessario connexa cum passiua continentia hominis sub prædicta conditione; sed continentia passiua hominis, etiam sub conditione assignata, aliquid creatum est, & consequenter minus necessarium entitate omnipotentiæ, quæ est aliquid increatum habens necessitatem à se: ergo magis necessarium potest intrinsecè cum minus necessario connecti.

Secundo probatur minor: veritas principiorum est ma- 193 gis necessaria, quam veritas conclusionis, vt ex Ari- *Secundo.* stotele docent communiter, Logici, ea ducti ratione: nam *propterquod vnumquodque tale, & illud magis*; conclusio autem est necessaria ex principijs, & consequenter principia magis necessaria sunt; & tamen illorum veritas est intrinsecè connexa cum veritate conclusionis, ita, vt ista deficiente, veritas principiorum deficeret; alias in bona demonstratione possent præmissæ esse veræ, quamuis conclusio esset falsa, quod omnium sententiæ aduersatur, & rationi naturali: ergo magis necessarium potest intrinsecè cum minus necessario connecti; & consequenter, quamuis entitas omnipotentiæ magis necessaria sit, quam essentia creaturarum possibilium, erit intrinsecè cum illa connexa: & ratio á priori est: nam eo ipso, quod vnum sit necessarium à se, & alterum sit necessarium ab alio, illud magis necessarium est; stat autem necessarium à se connecti cum habente necessitatem ab alio, vt constat in principijs: & conclusione: ergo stat cum maiori necessitate connexio.

Denique suadetur conclusio: summæ necessitati Dei, 194 & omnipotentiæ diuinæ non obstat connexio cum crea- *Vltimo prob. conclusio.* turis possibilibus; sed non potest ex alio principio negari: ergo concedenda est. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: summa necessitas Dei saluatur per hoc, quod sit ens necessarium à se, sed necessitati a se non opponitur connexio cum creaturis possibilibus: ergo non opponitur summæ necessitati Dei, & omnipotentiæ diuinæ connexio cum possibilibus. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: ne-

cessi-

cessitas entis à se solum tollitur per necessitatem ab alio; sed connexio Dei cum creaturis possibilibus non constituit ipsum necessarium ab alio: ergo non tollit eius necessitatem à se, nec opponitur cum illa.

195 *Respondebis.* Respondebis: connexionem cum creaturis possibilibus non constituere Deum necessarium ab alio immediate, & formaliter, bene tamen arguitiuè, & mediate: ac proinde, licet non destruat formaliter, & immediatè necessitatem entis à se, illam tamen destruit arguitiuè, & mediatè; & hoc ideo, quia de ratione entis necessarij à se, est nullatenus ab aliquo extra se dependere; eo autem ipso, quod Deus intrinsecè connectatur cum creaturis possibilibus, ab illarum possibilitate dependet dependentia saltim à posteriori: ac proinde, quamuis huiuscemodi connexio non ponat formaliter necessitatem ab alio, nec formaliter tollat necessitatem entis à se, ponit tamen necessitatem ab alio, & tollit necessitatem à se arguitiuè, & mediatè.

196 *Contra 1.* Sed contra primo: nam dependentia à posteriori est implicatoria in terminis: ergo si connexio Dei cum creaturis possibilibus non constituit ipsum dependentem à priori, nullam dependentiam immediatè constituit; & consequenter nec mediatè, nec immediatè, nec formaliter, nec arguitiuè tollit necessitatem entis à se. Antecedens probatur: dependens in quantum tale formaliter, vt effectus, & terminus à quo dependentiæ, est formaliter causa: ergo implicat dependentia, quæ non sit formaliter effectus à causa; sed dependentia à priori nihil aliud est, quam dependentia effectus à causa: ergo implicat in terminis dependentia ab aliquo à posteriori.

197 *Contra 2.* Contra secundo: connexio, quæ imperfectio non est, nec formaliter, nec arguitiuè tollit à Deo necessitatem à se; sed connexio cum creaturis possibilibus imperfectio non est: ergo nec formaliter; nec arguitiuè immediatè, vel mediatè tollit à Deo necessitatem entis à se, & consequenter nullatenus cum illius summa necessitate incomponitur. Consequentia tenet. Maior est certa. Minor autem probatur, connexio sine dependentia imperfectio non est; sed connexio Dei cum creaturis possibilibus est connexio sine dependentia: ergo nullatenus est imperfectio. Minor probatur: est connexio causæ, vt causæ prout eminentialiter continentis effectum cum effectu, vt effectu formaliter, vt eminenter in causa contento; sed connexio causæ, vt causæ formaliter reduplicatiuè, vt continentis eminenter effectum, non est dependentia causæ ab effectu, sed potius dependentia effectus à causa; causa enim in quantum talis formaliter non dependet ab effectu: ergo connexio Dei cum creaturis possibilibus est connexio deputata à ratione dependentiæ; & consequenter ab imperfectione immunis.

198 *Contra 3.* Tertio tradita solutio reijcitur: stat vnum intrinsecè connecti cum alio, & non dependere ab illo: ergo ex connexione Dei cum creaturis possibilibus non infertur, quod ab illis dependeat; & consequenter non arguitur in Deo necessitas entis ab alio, ac proinde nec tollitur arguitiuè necessitas entis à se. Illationes omnes tenent. *Antecedens probatur 1.* Antecedens autem ostenditur primo: essentia namque vt radix est proprietatum, est intrinsecè connexa cum illis vt possibilibus; & tamen prout sic non est ab illis dependens: ergo stat sine dependentia connexio. *Secundo.* Secundo probatur: vnum enim relatiuum est cum altero connexum; & tamen non dependet ab illo; aliàs non essent simul natura, & cognitione: ergo verum est antecedens. *Tertiò.* Tertio: vt enim aduersarij fatentur omnipotentia ex connexa cum homine, licet non absolutè, bene tamen sub conditione non implicationis hominis; & tamen non dependet ab illo, nec dependentia absoluta, nec dependentia conditionata: ergo conceptus connexionis est à conceptu dependentiæ distinctus, & ab illo separabilis.

199 *Quarto.* Quarto: nam veritas principiorum prout à priori inferunt veritatem conclusionis est connexa necessario cum illa; aliàs, vt *supra* arguebamus, posset veritas principiorum in recta demonstratione cum falsitate conclusionis coniungi, quod implicat; & tamen veritas principiorum vt à priori inferentium veritatem conclusionis, non est dependens ab illa, si namque vt dependens inferret, inferret formaliter vt effectus, ac proinde non à priori, sed à posteriori probaret: ergo idem quod prius. *Quinto.* Denique probatur: nam Pater diuinus est intrinsecè connexus cum Filio; & tamen non est dependens ab illo: ergo stat vnum connecti cum alio, & ab illo non dependere.

200 *Respondebis.* Dices, Patrem ideo non dependere à Filio in diuinis, quamuis realiter intrinsecè connectatur cum illo, quia sunt eiusdem essentiæ, & naturæ, cumque essentia, & natura diuina omnem dependentiam excludat, vtpote increata, & à se, fit vt quamuis Pater intrinsecè connectatur cum Filio, ab illo sit independens. Imo exemplum potest contra nos retorqueri: nam Patres non alia ratione excludunt dependentiam inter diuinas personas, nisi quia sunt eiusdem essentiæ, & naturæ: ergo vbi realis connexio intercedit inter extrema diuersæ naturæ, non potest realis dependentia vitari; ac proinde, cum Deus distinctæ naturæ sit à creaturis possibilibus, non potest realiter cum illis connecti, quin realiter ab illis dependeat.

Sed contra primo: nam in alijs exemplis in confirmationem antecedentis adductis intercedit realis connexio inter extrema distinctæ naturæ; & tamen dependentia realis non datur: ergo quod connexio Patris cum Filio in diuinis realis dependentia non sit, non est quia sunt eiusdem naturæ, sed quia conceptus connexionis est à conceptu dependentiæ distinctus, nec illum necessario infert. 201 *Cõtra 1.* Secundo: si namque ideò solum Pater connexus cum Filio non dependeret ab illo, quia sunt eiusdem naturæ, sequeretur, quod quamuis Pater non dependeret à Filio, realiter, tamen Pater à Filio procederet; consequens non potest in sensu aliquo catholico admitti: ergo quod Pater connexus realiter cum Filio in diuinis, sit realiter independens ab illo, non est quia sunt eiusdem naturæ, sed quia realis connexio ab intrinseco realem dependentiam, nec dicit, nec infert. *Secundo.* Minor cum consequentia tenet; sequela autem manifestè probatur: identitas extremorum in natura non obstat processioni vnius ab alio, vt constat in Filio diuino, qui realiter à Patre procedit; & tamen sunt eiusdem naturæ: ergo si connexio realis intrinseca inter extrema distinctæ naturæ essentialiter est dependentia, connexio intrinseca realis inter extrema eiusdem naturæ essentialiter erit processio: ac proinde cum Pater diuinus sit intrinsecè connexus cum illo, quamuis ob identitatem naturæ non dependeat à Filio procedet.

Nec PP. causalem illam reddunt cum de Patre cum Filio comparato loquuntur, sed cum loquuntur de Filio, & Spiritu Sancto; cum enim sint personæ productæ, nisi eandem naturam acciperent cum principio à quo procedunt, non possent non dependere. Plura alia circa hanc difficultatem fusè dabimus *infra q. 34.* cum de processione Verbi ex cognitione creaturarum possibilium tractemus, à quibus super sedemus, ne eadem repetamus. Argumenta etiam, quibus Vazquez, & alij ad oppositum nostræ conclusionis ducuntur, ex dictis soluta manent. 202

§. VIII.

Cognitio immediata possibilium in se ipsis à diuina mente excluditur.

QVARTA CONCLVSIO. *Non datur in Deo cognitio creaturarum possibilium in se ipsis immediatè motiuè, aut terminatiuè.* Ita omnes Auctores pro vltima sententia relati. Et ostendo illam primo ex Dionysio 7. *de diuinis nominibus*, vbi de Deo loquens, sic ait: *Non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causa continentiam scit omnia.* Et infra: *Diuina sapientia se ipsam cognoscens scit alia.* Et insuper ibi: *Deus ea, quæ sunt noscit, non rerum notitia, sed suis*; sed si Deus præter scientiam possibilium in se ipso, illa in se ipsis immediatè cognosceret, secundum visionem singulis se immitteret, & illa sciret, non solum se ipsum noscens, & notitia, non Dei, sed creaturarum propria: ergo iuxta Dionysium Deus non cognoscit creaturas possibiles immediatè in se ipsis; sed tantum in se ipso, & mediatè. 203 *Quarta conclusio. Prob 1. ex Dionysio.*

Minor pro prima parte constat: nam cognoscens secundum visionem se immittere obiecto, non est ab illo accipere speciem: nam in hoc non se immittit obiecto, sed potius obiectum se immittit cognoscenti: ergo est immediatè erga obiectum versari; non enim videtur, in quo alio consistere possit; & consequenter si Deus creaturas possibiles immediatè cognoscit se immittit secundum visionem creaturis. Pro secunda parte etiam constat: nam cognosceret creaturas possibiles in se ipso, & immediatè in se ipsis: ergo cognosceret illas, non solum notitia, qua se cognoscit, sed etiam alia notitia, quod à Dionysio excluditur; nam illius sensus exclusiuus est; aliàs non sufficienter explicuisset modum, quo à Deo cognoscuntur creaturæ. Denique pro tertia parte probatur: etenim notitia illius obiecti dicitur, ad quod immediatè, & primario terminatur; sed notitia, qua Deus possibilia in se ipsis immediatè cognosceret, illas 204

las haberet pro obiecto immediato, & primario: ergo si daretur in Deo, cognosceret illas, non Dei, sed ipsarum notitia.

205 *Quidam obiectioni occurritur.* Nec obstat, talem notitiam non nasci ex specie ab ipsis accepta, sed ex ipsa essentia gerente munus speciei, vt dicatur creaturarum propria, si semel immediatè ad illas terminatur: notitia namque, quam Angeli habent de alijs ab ipsis distinctis, non habetur per species a rebus acceptas, sed à Deo immediatè infusas, vt suppono ex frequentiori sententia; & tamen, quia immediatè ad illa terminatur, verè dicitur propria rerum cognitarum notitia: ergo si cognitio Dei, quam habet de creaturis possibilibus, immediatè ad illas terminatur, quamuis ab specie ab ipsis non procedat causata, verè erit, & dicetur notitia rerum possibilium propria; & consequenter falsa erit propositio Dionysij.

206 *Secundo prob. conclusio ex D. Thom.* Secundo probatur ex D. Thoma *in præsenti artic. quinto in corpore*, quod ita concludit: *Sic igitur dicendum est, quod Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam, alia autem à se videt non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso*: sed si Deus creatus possibiles cognosceret cognitione immediata, non solum illa in se ipso cognosceret, sed etiam in ipsis: ergo iuxta D. Thom. non datur in Deo cognitio immediata possibilium in se ipsis.

207 *Respondebis.* Respondebis, D. Thom. solum negare Deum cognoscere creaturas per species illarum proprias, & cum illis adæquata, in quo, explicauerat in corpore illius articuli consistere aliquid in se ipso cognosci, non autem negat illas immediatè in se ipsis cognoscere, hoc est, cognitione ad illas immediatè terminata. *Contra 1.* Sed contra primo: nam cognosci aliquid cognitione immediata, est verè, & propriè cognosci in se ipso; sed D. Thomas absolutè negat, creaturas à Deo cognosci in se ipsis: ergo negat cognosci cognitione ad illas immediatè terminata.

208 *Secundo.* Secundo: nam si præter illum modum cognitionis alicuius in se, scilicet, per speciem propriam, est alius, nempè, terminando in se immediatè cognitionem, D. Thomas primum negans, & secundum non explicans diminutissimè processisset; sed hoc admittendum non est ab his, qui illius auctoritate se protegunt: ergo asserere debemus, negasse intellectui diuino omnem modum cognitionis creaturarum in se ipsis. *Tertio.* Denique: vt enim statim videbimus, eo ipso quod creaturæ possibiles non cognoscantur à Deo per speciem illarum propriam, sed per speciem continentis, non possunt immediatè cognitionem terminare; at iuxta D. Thom. solum secundo modo cognoscuntur à Deo: ergo non cognoscuntur ab ipso immediatè in se ipsis.

209 *Tertio probatur ratione.* Deinde probatur conclusio: nam eo modo cognoscuntur creaturæ ab intellectu diuino, quo repræsentantur per speciem, qua intelligit; sed non repræsentantur immediatè in se ipsis, sed mediatè, & in alio, scilicet in Deo vt prius repræsentato: ergo non cognoscuntur immediatè in se ipsis, sed mediatè in Deo vt prius cognito. Consequentia tenet. Maior videtur certa: quia namque ex intellectu, & obiecto media specie coalescit adæquatum principium intellectionis, nihil potest intellectus intelligere, nisi per speciem repræsentetur: ergo non poterit immediatè intelligere, quod in specie immediatè non continetur. Minor autem probatur: nam species, qua diuinus intellectus intelligit, est sola diuina essentia; sed hæc non repræsentat immediatè creaturas, sed mediante Deo, vt prius repræsentato: ergo species, qua diuinus intellectus intelligit, non repræsentat immediatè creaturas, sed solum mediatè.

210 *Respondebis 1.* Respondebis primo, negando suppositum maioris: quod nempè, Deus creaturas per speciem intelligat, non enim implicat intellectus se ipso completus ad intelligendum absque concursu speciei, cumque hæc independentia, absque dubio sit præfectio, concedenda est intellectui diuino. *Respondebis 2.* Vel secundo respondebis, concessa maiori, negando minorem: nam diuina essentia est species repræsentans creaturas, quia illas continet eminenter; continet autem illas eminenter immediatè, proinde illas immediatè repræsentat.

Sed neutra solutio satisfacit, & prima reijcitur primo:
211 *Prima solutio reijcitur primo.* quia Deum cognoscere creaturas per speciem illas repræsentantem est communis Theologorum sententia. *Secundo.* Secundo: nam id docet D. Thom. *in præsenti art. 5. in corpore, & solut. ad 3. & art. 6. in corpore, & ad 3.* Id ipsum docet 1. *Contra Gentes cap. 48. ratione 1. & alibi sæpè.* *Tertio.* Tertio: nam Deus se primo intelligit, & secundo creaturas; & consequenter eodem modo ex parte principij cognitionis creaturas, & se ipsum cognoscit; sed se cognoscit media sua essentia vt specie intelligibili, & principio intellectionis, vt expressè docet Diuus Thomas locis *proximè* allegatis, & Nos ex ipso docuimus *supra*: ergo etiam creaturas mediante specie cognoscit.

212 *Quarto.* Denique, non enim minus est de ratione intellectionis ab intellectu, & obiecto intra illum intelligibiliter constituto procedere, quam de ratione volitionis procedere à voluntate, media obiecti apprehensione; sed implicat voluntas, quæ sit volitionis principium, nisi media apprehensione: ergo implicat intellectus, qui sit principium intellectionis, sine concursu obiecti intra ipsum constituti in ratione intelligibilis, sed obiectum vt concurrens obiectiuè ad intellectionem gerit munus speciei: ergo implicat intellectus principians sine specie intellectionem; & consequenter, sicut voluntas diuina, quamuis sit infinita, non potest aliquid velle, sine præuia cognitione: ita intellectus diuinus, quamuis sit infinitè perfectus, non poterit aliquid intelligere, nisi media specie impressa.

213 *Secunda solutio reijcitur primo.* Deinde secunda solutio reijcitur primo: nam diuina essentia in ratione cognoscibilis, non est minus infinita, quam in ratione speciei: ergo in ratione intelligibilis, & repræsentabilis adæquat se ipsam in ratione repræsentatiuæ: sed si aliquid distinctum a Deo immediatè repræsentaret, sumpta in ratione repræsentabilis, non adæquaret se ipsam in ratione repræsentatiuæ: ergo nihil distinctum à Deo immediatè repræsentat, sed mediante Deo vt prius repræsentato.

Secundo. Secundo: nam obiectum immediatè repræsentatum per speciem, debet conuenire cum illa in gradu immaterialitatis; sed nihil distinctum à Deo potest cum diuina essentia dictam conuenientiam habere: nam gradus diuinæ immaterialitatis consistit in exclusione omnis potentialitatis, quæ nulli enti non diuino potest conuenire: ergo nihil distinctum à Deo potest immediatè repræsentari per diuinam essentiam, vt speciem.

214 *Tertio.* Tertio: nam plura non possunt vna species repræsentari, nisi vel prout conuenientia in aliqua ratione communi, vel vt contenta in vno obiecto primario repræsentato, sed diuina species est vna, & non repræsentat Deum, & creaturas ratione conuenientiæ in aliquo per prædicationem commune: ergo repræsentat creaturas, vt contentas in Deo vt prius repræsentato; & consequenter non repræsentat immediatè creaturas. Maior constat: nam vnitas speciei vnitatem in obiecto requirit: ergo vel conuenientiæ in aliqua ratione per prædicationem communi, vel continentiæ in aliquo vno obiecto primario repræsentato. Minor pro prima parte est certa; sicut enim diuinus intellectus est vnus, ita species, qua intelligit, vna; cum non sit species diuina minus infinita in ratione, & linea speciei, quam intellectus diuinus in ratione, & linea intellectus.

215 *Minor pro 2. parte prob.* Pro secunda parte probatur: nam Deus & creaturæ non conueniunt in ratione entis diuini, sed solum in ratione entis vt sic abstrahentis à creato, & increato; sed non repræsentantur Deus, & creaturæ à diuina essentia, vt specie, ratione conuenientiæ in ratione entis vt sic: ergo non repræsentantur ratione vnitatis conuenientiæ. Probatur minor: si repræsentarentur ratione conuenientiæ in conceptu entis vt sic, hæc ratio entis esse ratio formalis obiectiua diuinæ essentiæ sub conceptu speciei, & obiectum formale primarium illius; sed ens sub illa communitate non est obiectum formale, & primarium essentiæ diuinæ, vt obtinet rationem speciei: ergo non repræsentat Deum, & creaturas ratione vnitatis conuenientiæ in conceptu entis vt sic. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: obiectum formale, & primarium speciei non potest excedere obiectum formale, & primarium intellectus cuius est species; sed obiectum formale, & primarium intellectus diuini non est ens, vt abstrahit à creato, & increato, sed ens increatum, & diuinum, vt docuimus *Disput. 25. §. 3.* ergo obiectum formale, & primarium diuinæ essentiæ, vt sortitur rationem speciei, non est ens abstrahens à creato, & increato, & vtrique per prædicationem commune, sed increatum, & diuinum.

216 *Quarto probatur conclusio.* Quarto probatur conclusio: nulla cognitio diuina potest habere pro obiecto primario creaturas; sed si aliqua diuina cognitio immediatè ad creaturas terminaretur, essent obiectum primarium illius: ergo nulla Dei cognitio potest terminari ad creaturas immediatè in se ipsis. Consequentia tenet. Minor constat: illud nam-

queest

que est obiectum primarium intellectionis, quod primo illam terminat; sed si aliqua diuina cognitio terminaretur immediatè ad creaturas, creaturæ illam terminarent per se primo; quando quidem nihil mediaret inter talem cognitionem, & creaturas cognitas, ad quod prius terminaretur: ergo si aliqua diuina cognitio terminaretur immediatè ad creaturas, creaturæ essent obiectum formale, & primarium illius. Maior autem est expressa D. Thom. 1. *Contra Gentes cap.* 48. & probatur: nam obiectum primarium intellectionis dat illi nobilitatem, & speciem; sed entitas creata non potest dare intellectioni diuinæ nobilitatem, aut speciem; aliàs dependeret diuina intellectio ab illa: ergo nulla Dei cognitio potest habere pro obiecto primario sui, & à se primo intellecto, formalitatem, aut entitatem creatam. Sic arguit D. Thomas loco nuper allegato ratione 7.

217 *Respondebis 1.* Respondebis primo, D. Thom. loqui de obiecto primario cognitionis motiuo physicè illius: hoc namque physicè causare debet speciem, & prædicata intrinseca intellectionis; diuinæ autem cognitioni ex ratione entis à se physicè dependentia ab aliquo creato repugnat, & ideò nihil creatum potest esse obiectum primarium motiuum physicè illius; non autem negare, quod formalitas creata possit esse, & sit de facto, obiectum primarium terminatiuum, & motiuum intentionale intellectionis diuinæ: hoc namque non petit influxum physicum in sui cognitionem exercere, sed solum obiectiuè cognitam veritatem suadere, & quod sit ipsa veritas cognita ratio assentiendi sibi, aut alteri veritati, qui concursus obiectiuus, & purè intentionalis, non est cur veritati creatæ respectu diuinæ cognitionis repugnet.

218 *Respondebis 2.* Vel secundo respondebis, D. Thom. loqui de obiecto primario motiuo; hoc namque dat speciem intellectioni tenens se ex parte principij, & simul cum intellectu ad intellectionem concurrit, non autem de obiecto primario terminatiuo, de cuius conceptu non est dare esse, vel speciem intellectioni, sed purè illam terminare, absque medio prius terminante, quæ pura terminatio absque vlla causalitate non repugnat veritati creatæ respectu intellectionis diuinæ.

219 *Prima solutio reijcitur.* Nulla tamen ex his solutionibus argumento facto satisfacit. Et prima reijcitur: nam esse obiectum motiuum intentionale non est purè terminare intellectionem; alias Recentiores docentes, creaturas esse obiectum motiuum intellectionis diuinæ, nihil præter verba adderent sententiæ affirmanti esse solum obiectum primarium terminatiuum: ergo obiectum motiuum intentionale aliquid exercet in intellectionem, præter illam terminare, sed hoc superadditum ad puram terminationem, non potest non esse aliqua vera causalitas: nam omne, quod causalitas non est, in exercitio terminandi importatur: ergo si creaturæ sunt ratione suæ veritatis creatæ obiectum immediatum, & primarium cognitionis diuinæ, non terminatiuum purè, sed etiam motiuum intentionale, aliquam veram causalitatem exercent in illam; sed causalitati dependentia correspondet: ergo diuina cognitio aliqua vera, & reali dependentia dependet à veritate creata, quod implicat ex conceptu entis à se.

220 *Confirmatur.* Et augetur difficultas: aut motio intentionalis exercetur a veritate creata in terminationem actiuam cognitionis diuinæ, aut solum in terminationem passiuam; neutrum dici potest: ergo nec quod creaturæ sint obiectum primarium terminatiuum, & motiuum intentionale intellectionis diuinæ. Minor pro secunda parte constat: nam obiectum primarium motiuum intellectionis, debet ad illam aliqua ratione mouere; sed terminatio passiua intellectionis diuinæ non est ipsa diuina intellectio, sed ex parte obiecti se tenet: ergo mouere ad terminationem passiuam, non sufficit ad saluandum obiectum primarium motiuum, intellectionis diuinæ. Pro prima parte probatur: terminatio intellectionis diuinæ actiuè considerata, est aliquid increatum: ergo taliter à se, vt repugnet dependentiæ ab entitate creata: sed moueri a veritate creata est ab illa dependere vera, & reali dependentia: ergo repugnat intellectioni diuinæ secundum terminationem actiuam moueri intentionaliter à veritate creata.

221 *Secunda solutio reijcitur primo.* Deinde secunda solutio reijcitur primo: nam cognitio, etsi sub conceptu actionis speciem sumat ab obiecto motiuo, sub conceptu tamen passionis specificatur ab obiecto primario terminatiuo: ergo si creaturæ sunt obiectum formalem primarium terminatiuum cognitionis diuinæ, specificatur ab illis, & extrinsecè ab illis causatur.

Antecedens probatur 1. Antecedens ostenditur primo ex D. Thoma 1.2.q.1.*art.* 3. *in corp.* vbi docet, actionem specificari à principio, & passionem à termino, & quia finis se habet ex parte principij determinando ad actum voluntatis, & ex parte termini illum terminando specificare actum voluntatis sub vtraque ratione: ergo pariter actio intellectus vt actio, speciem sumit ab obiecto vt motiuo qua ratione intellectum determinat, & vt passio ab obiecto vt terminatiuo, qua ratione illam terminat. *Secundo.* Secundo: nam intellectio vt passio non exprimit ordinem ad principium, sed tantum ad terminum: ergo vt sic sumpta formaliter speciem sumit ab obiecto, non sub ratione motiui, sed sub ratione terminatiui.

Secundo reijcitur: cognitio realiter distincta à suo obiecto primario terminatiuo, realiter ab illo dependet in genere causæ formalis specificantis extrinsecè: ergo si aliqua diuina cognitio terminatur per se primo ad creaturas possibiles, realiter dependet ab illis in prædicto genere causæ, quod implicat. Antecedens probatur: cognitio realiter à suo principio distincta, realiter dependet ab illo in genere causæ efficientis, volitio etiam realiter distincta a suo obiecto primario, realiter dependet ab illo in genere causæ finalis, & quæ realiter distinguitur à cognitione proponente obiectum, realiter regulatiuè dependet ab illa: ergo cognitio realiter distincta ab obiecto primario terminatiuo, specificatiuè realiter dependet ab illo. 222 *Secundo reijcitur solutio.*

Patet consequentia: non enim minus est de ratione obiecti causare specificatiuè, & in genere causæ formalis extrinsecæ, quam de ratione principij vitalis causare efficienter, & de ratione cognitionis proponentis causare regulatiuè, & de ratione obiecti voluntatis influere in genere causæ finalis: ergo si principium, cognitio, & obiectum realiter ab actu vitali, & ab actu voluntatis distincta, realiter influunt in genere causæ efficientis, regulantis, & finalizantis, obiectum primarium terminatiuum realiter distinctum a cognitione, realiter influit in illam in genere causæ formalis specificantis extrinsecè.

Respondebis: hæc omnia verificari de obiecto primario terminatiuo entitatis cognitionis, secus autem si solum comparetur primario ad cognitionem sub conceptu terminationis; veritas autem creata creaturarum possibilium non comparatur primario ad entitatem cognitionis diuinæ, sed solum ad conceptum terminationis, est enim vnus, & idem actus entitatiuè, quo Deus, & creaturæ cognoscuntur, & solum habet diuersam terminationem; ac proinde creaturæ possibiles non comparantur primario ad cognitionem diuinam sumptam entitatiuè, sed solum sub conceptu terminationis. 223 *Respondebis.*

Sed contra: nam saltim sequitur, veritatem creatam causare cognitionem diuinam sub conceptu terminationis in genere causæ formalis extrinsecæ; sed nec etiam sub hoc conceptu potest illam causare: ergo nec primario potest veritas creata illam prout sic terminare. Sequela patet: nam obiectum primarium causat extrinsecè actum sub illa ratione, sub qua primario comparatur ad illum: ergo si veritas creata primario comparatur ad cognitionem diuinam sub conceptu terminationis, illam causat extrinsecè sub conceptu terminationis. Minor autem probatur: conceptus terminationis actiuæ est intrinsecus cognitioni diuinæ, & aliquid increatum: ergo sicut hac ratione repugnat dependentiæ ab alio in genere causæ efficientis, & finalis, etiam repugnat dependentiæ ab alio in genere causæ formalis extrinsecæ. 224 *Contra.*

Dices, veritatem creatam comparari ad cognitionem diuinam sub illa consideratione purè terminatiuè; purus autem terminus nullam causalitatem exercet in rem terminatam, & ideò non causat cognitionem diuinam, etiam sub conceptu terminationis actiuæ. Sed contra: nam de ratione obiecti primarij est non purè terminare, sed etiam specificare: ergo si veritas creata est obiectum primarium cognitionis diuinæ sub aliquod conceptu intrinseco cognitioni, non comparatur ad illam purè, terminatiuè. Antecedens constat primo: non enim minus cognitio ab obiecto dependet, quam volitio ab obiecto, & cognitione; sed de ratione obiecti primarij volitionis est, quod non tantum terminet, sed etiam finalicet actum, & de ratione cognitionis proponentis obiectum est, non purè terminare habitudinem volitionis, sed etiam illam regulare: ergo de ratione obiecti primarij cognitionis est non purè terminare, sed etiam specificare, & causare in genere causæ formalis extrinsecæ. Secundo: nam obiectum primarium in ordine ad cognitionem ab obiecto secundario distinguitur; sed obiectum secundarium purè terminat, & non causat actum secundario terminatum ad ipsum: ergo obiectum 225 *Respondebis.* *Contra.* *Antecedens probatur 1.* *Secundo.*

prima-

primarium vltra hoc, quod est terminare, habet specificare, & influere in aliquo genere causæ, nempè, formalis extrinsecæ.

226 *Respondebis.* Respondebis fortè, hoc verum esse de obiecto, quod primarium est positiuè, falsum autem de eo, quod tantum negatiuè est primarium, quia nempè, non supponit aliud prius, in quo, aut ratione cuius attingatur, & hoc secundo modo veritatem creatam esse obiectum primarium cognitionis diuinæ, non primo; atque adeò non petit influxum aliquem exercere in diuinam cognitionem.

Contra 1. Sed contra primo: omnis cognitio habet obiectum positiuè primarium: ergo si veritas creata non est obiectum primarium positiuè cognitionis diuinæ terminatæ ad creaturas possibiles, erit veritas increata obiectum primarium positiuè illius; & consequenter non terminabitur ad illas immediatè in se ipsis, sed mediatè, & secundario. Consequentia est euidens. Antecedens autem ostenditur primo: omnis actus voluntatis habet obiectum positiuè primarium, & cognitionem positiuè regulantem: ergo pariter omnis actus intellectus petit habere obiectum positiue primarium, & non solum negatiuè. Secundo probatur: obiectum cognitionis attactum ab illa ratione alterius, non negatiuè, sed positiuè attingitur ratione illius: ergo obiectum in se, & ratione sui attactum, non negatiuè, sed positiuè attingitur ratione sui; & consequenter non solum est obiectum negatiuè primarium, sed etiam positiuè.

227 *Contra 2.* Et ex his secundo tradita solutio reijcitur: ideò namque in aduersariorum sententia, creaturæ sunt obiectum immediatum, & primarium cognitionis diuinæ, quia veritas illarum creata se ipsam Deo cognoscenti suadet; sed non negatiuè, sed positiuè suadet se ipsam, supposito quod Deus in illius cognitione priori veritati non innitatur: ergo in hac suppositione, non solum negatiuè, sed etiam positiuè est obiectum primarium cognitionis diuinæ.

228 *Vltimo prob. conclusio.* Denique principaliter suadetur conclusio: sic comparatur bonitas creata ad voluntatem diuinam, sicut veritas creata ad diuinum intellectum; sed bonitas creata nequit ratione sui immediatè terminare actum voluntatis diuinæ: ergo veritas creata non potest ratione sui primario, & immediatè terminare actum diuini intellectus. Maior cum consequentia tenet. Minor autem est expressa Diui Thomæ *infra q. 19. art. 2. in corpore, & solutione ad secundum, & tertium*. Huic argumento variè occurritur à contrarijs Auctoribus. Illorum tamen euasiones fusè reijciemus *Tractatu de Voluntate Dei art. 2. & Tract. de Charitate art. 1.*

§. IX.

Argumentis in contrarium occurritur.

229 *Arg. 1.* CONTRA nostram conclusionem obijciunt Recentiores primo: Deus independenter ab omni cognitione de se ipso, cognoscit propositiones identicas, v.g. *homo est homo; si Petrus existit, existit*; sed veritates illæ aliquid creatum sunt: ergo Deus cognoscit veritates creatas immediatè in se ipsis. Maiorem probant: veritates istæ adeò per se notæ sunt, vt cuiuis intellectui creato per se ipsas sine aliqua manuductione, hoc est, sine aliquo principio probatiuo innotescant: ergo sunt sufficienter per se ipsas cognoscibiles ab intellectu diuino, quin opus sit vt prius se ipsum cognoscat, vel suam omnipotentiam.

230 *Respond.* Respondeo, negando maiorem: ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam ob duplicem rationem discriminis. Prima: nam creato intellectui non repugnat specificari à veritate creata; repugnat autem intellectui diuino, & ideò possunt ab intellectu creato in se ipsis immeditè cognosci, nullo alio obiecto præcognito: secus autem ab intellectu diuino. Secunda: nam intellectus diuinus non potest cognoscere veritatem creatam cognitione, quæ non sit perfectissima comprehensio; comprehensio autem perfectissima veritatis creatæ non potest haberi, nisi omnis illius causæ cognoscantur; & quia præcipua causa veritatis creatæ est Deus, non possunt à Deo cognosci, nisi in sua omnipotentia, & in se ipso vt præcognito, quæ ratio in intellectu creato non militat, & ideò possunt veritates illæ ab intellectu creato in se ipsis immediatè cognosci, omni alio medio non cognito, secus autem ab intellectu diuino.

231 *Arg. 2.* Secundo obijciunt: si creaturæ in esse existentiæ darentur, necessario ab æterno, Deus illas in se ipsis immediatè cognosceret; sed in esse possibili dantur necessario, & ab æterno: ergo vt sic cognoscuntur à Deo immediatè in se ipsis. Minor cum consequentia tenet. Et maiorem probant: si creaturæ necessario existerent, essent ratione sui veritates determinatæ: ergo in se ipsis immediatè cognoscerentur à Deo, nisi aliqua indecentia in diuino intellectu sequatur; sed nulla indecentia sequitur: ergo à Deo in se ipsis immeditè cognoscerentr. Minorem probant ex D. Thom. 1. *Contra Gentes cap. 70.* vbi ait: *Quod Deus cognoscat vilia, nobilitati scientiæ eius non repugnat, sed attestatur*: & addit: *Vilitas cognitorum in cognoscentem non redundat per se, sed per accidens, vel ex eo quod dum vilia considerat à nobilioribus abstrahitur cogitandis, vel ex eo quod ex consideratione vilium in aliquas indebitas considerationes inclinatur, quod in Deum cadere non potest: non igitur derogat diuinæ nobilitati vilium rerum cognitio*. Hæc D. Thomas; sed ex cognitione immediata veritatis creatæ in se ipsa non abstrahitur intellectus diuinus à nobilioribus veritatibus cogitandis, nec ex illius cognitione immadiata inclicatur in affectiones indebitas: ergo cognitio immediata veritatis creatæ in se ipsa, non dedecet intellectum diuinum, nec illius vilitas in Deum cognoscentem redundat. *S. Thom.*

Respondeo, negando maiorem: ad probationem, concesso antecedenti, & prima consequentia, nego minorem: ad illius probationem ex D. Thoma dicatur; cognitionem rei vilis, aut cuiusvis veritatis creatæ, vt abstrahit à mediata, & immediata, non posse refundere vilitatem, indecentiam, aut imperfectionem in cognoscentem, nisi ex aliquo ex capitibus expressis à Diuo Thoma; & quia nullum millitat in Deo, rectè concludit D. Thomas, Deum res viles cognoscere absque redundantia vilitatis, indecentiæ, aut imperfectionis in ipsum, cognitio autem immediata veritatis creatæ in se ipsa, ex alio capite inducit imperfectionem; quia nempè, vt sic cognoscatur debet esse obiectum primarium cognitionis diuinæ; cumque ab illa realiter distinguatur, debet illam realiter specificare, vt *supra* ex D. Thoma, & ex ratione arguebamus; ex quo sequitur dependentia cognitionis diuinæ à veritate creata, quæ est imperfectio, omni Dei perfectioni repugnans. 232 *Respond.*

Tertio arguitur argumento cui præcipuè contraria sententia nititur: Deus cognoscit veritates creatas omni modo, quo cognoscibiles sunt; aliàs infinitus in cognoscendo non esset; sed veritates creatæ sunt cognoscibiles mediatè in diuina essentia, & immediatè in se ipsis: ergo illas vtroque modo cognoscit; & consequenter cognoscit creaturas possibiles in se ipsis immedite. 233 *Arg. 3.*

Confirmatur: vt enim communiter docetur à Theologis 3. p. q. 9. intellectus animæ Christi, (& idem est de quocumque beato dicendum) cognoscit veritates creatas in Verbo, hoc est, in diuina essentia mediatè, & immediatè in se ipsis extra Verbum per scientiam supernaturalem infusam; & hoc ideò, vt animæ Christi detur omnis modus cognitionis rerum possibilis; sed hæc ratio vrgentius præmit in intellectu diuino: ergo cognoscit veritates creatas, non solum in diuina essentia visa, sed etiam immediatè in se ipsis. *Confirmatur.*

Nec sufficit respondere, cognita veritate creata in diuina essentia visa, superfluere cognitionem veritatis creatæ immediatam in se ipsa. Hæc namque euasio præclusa manet ex dictis; nam supposita cognitione creaturarum in diuina essentia visa, non superfluit in anima Christi cognitio illarum in se ipsis extra Verbum, imo est perfectio illi debita, vt supponimus ex communi Theologorum sententia: ergo pariter supposita cognitione creaturarum à Deo in se ipso, vt causa illarum, & in sua essentia visa, non superfluit cognitio illarum in se ipsis immediate, sed necessario est constituenda in intellectu diuino. 234 *Si respondeatur 1. Contra.*

Nec sufficit respondere secondo, cognitionem creaturarum in diuina essentia, vt cognita ab intellectu diuino, esse infinitam simpliciter, & id circo, non admittere aliam cognitionem in Deo ad creaturas immediate in se ipsis terminatam. Non inquam sufficit: tum ex dictis à nobis *disput. præcedentibus*, etsi attributa diuina cognoscantur in diuina essentia cognita per notitiam luminis principiorum, & hæc cognitio sit infinita simpliciter, datur præter illam in intellectu diuino cognitio scientifica terminata immediatè ad attributa: ergo pariter quamuis creaturæ possibiles cognoscantur ab intellectu diuino in diuina essentia cognita, & hæc sit simpliciter infinita, nihilominus est admittenda cognitio possibilium in se ipsis immediate, nisi aliunde talis cognitio 235 *Si respondeatur 2. Contra 1.*

Secundo. tio repugnet. Tum etiam; nam ideo hæc doctrina est vera, quia cognitio attributorum in essentia vt prius cognita, esse entitatiue sit in omni linea infinita, formaliter infinita in omni linea cognitionis non est; sed hæc eadem ratio militat respectu cognitionis possibilium: ergo debet admitti in Deo cognitio ad creaturas possibiles immediate in se ipsis terminata.

236 *Si respondeatur 3. Contra.* Nec respondere sufficit tertio, cognitionem possibilium in se ipsis immediate, esse minus perfectam cognitione illorum mediata in essentia diuina: omnis autem Dei cognitio debet esse perfectissima. Nam obstat contra hanc solutionem, quod licet omne perfectissimum debeat reperiri in Deo, non tamen est necessarium, quod omne repertum in Deo sit formaliter perfectissimum, quamuis petat non esse imperfectum positiuè, aut priuatiuè, vt expressè docet Diuus Thomas q.1. *de potentia art.1. ad 2.* aliàs non esset in Deo voluntas, quia formaliter inspecta perfectissima non est, cum a diuino intellectu virtualiter in perfectione excedatur: ergo quamuis cognitio creaturarum in se ipsis immediate, perfectissima non sit, dummodo non sit imperfecta positiue, aut priuatiue, non est releganda à Deo.

237 *Vera argumenti solutio.* Quare his prætermissis solutionibus, ad argumentum respondeo distinguendo maiorem: omnimodo non dicente imperfectionem ex parte cognitionis; & cognoscentis, concedo maiorem: si modus cognoscendi inuoluat imperfectionem, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam cognitio immediata possibilium in se ipsis, imperfectionem in cognitionem refundit dependentiæ, & specificationis ab ipsis, vt constat ex dictis inter probandam nostram conclusionem; & ideo quamuis creaturæ possibiles sint in se ipsis immediate cognoscibiles, & de facto sic cognoscantur ab intellectu animæ Christi creato, cuius actibus non repugnat huiusmodi imperfectio, non cognoscuntur, nec cognosci possunt, ab intellectu diuino in se ipsis immediate. Per quod ad confirmationem constat solutio. *Ad confirmationem.*

238 *Instatur argumentum.* Et quidem veritates creatæ sunt cognoscibiles in se ipsis, & ratione sui non solum terminatiue, & motiuè intentionaliter, sed etiam motiue physicè, & sic cognoscuntur ab intellectu creato; & tamen ab intellectu diuino non cognoscuntur hoc modo, quia ex illo redundat imperfectio in cognitionem, tum dependentiæ effectiuæ, tum etiam specificationis formalis à veritate creata, vt se tenet ex parte principij: pariter ergo Nos dicimus, quamuis sint cognoscibiles in se ipsis immediate ratione sui motiue intentionaliter, & terminatiuè terminatione formali, & de facto sic cognoscantur ab intellectu creato, non sic cognoscuntur ab intellectu diuino, quia ex hoc modo cognoscendi veritates creatas in se ipsis, sequitur in cognitione imperfectio dependentiæ à veritate creata in genere causæ formalis specificantis extrinsecè.

239 *Replicabis.* Sed contra istam solutionem instant oppositi Auctores: ex cognitione immediata possibilium in se ipsis motiue intentionaliter solum, & terminatiue formaliter, non sequitur dependentia cognitionis Dei ab ipsis: ergo nulla imperfectio colligitur; & consequenter sunt a Deo cognoscibilia in se ipsis immediate. *Antecedens probatur 1.* Antecedens probant primo: obiectum motiuum intentionaliter, non petit ratione propriæ entitatis dare esse cognitioni, vel assensui, sed iuuare tantum vt cognitum ad hoc quod cognoscens propter illud assentiatur veritati: sed iuuare sic vt cognitum, non est assensum accipere suum esse ab entitate physica illius, sed accipere suum esse intrinsecè constitutiuè a cognitione talis obiecti motiui: ergo ex terminatione immediatæ cognitionis ad creaturas in se ipsis motiuè, & terminatiue, non sequitur dependentia cognitionis a creaturis; & consequenter nulla imperfectio ex hac terminatione colligitur.

240 *Secundo.* Secundo idem antecedens probant: nam specificatio alicuius rei ab alia, tripliciter stare potest: primo tanquam à causante prædicata intrinseca rei, sicut visio coloris specificatur ab illo, quia immittendo speciem sui mediate causat prædicata intrinseca illius: secundo, constitutiuè intrinsecè, sicut homo specificatur per animal rationale, & in vtroque ex his modis specificatum à specificante dependet: tertio, tanquam à termino ordinis intrinsecè constituentis, in quo modo nulla dependentia importatur: sed ex terminatione immediata cognitionis Dei ad creaturas in se ipsis; non sequitur specificari ab illis primo, vel secundo modo, sed solum tanquam a termino ordinis intrinsecè constituentis: ergo in tali terminatione, non clauditur dependentia à creaturis, nec colligitur ex illa.

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem, nego maiorem: nam iuuare, vt cognitum ad assensum veritatis conuenit obiecto materiali, & secundario, 241 *Respond. Ad 1. probationem antecedentis.* & nullatenus motiuo: non enim potest cognoscens obiecto secundario, & materiali assentiri, nisi tale obiectum cognoscat: & consequenter, vt cognitum iuuat ad assensum sui, & ad talem assensum conducit; obiectum autem formale primarium, & motiuum, aliter debet ad sui assensum concurrere, ac obiectum secundarium, & omnino materiale, & nullatenus motiuum: & consequenter, non sufficit ad rationem obiecti formaliter terminantis, & intentionaliter mouentis, vt cognitum ad sui assensum iuuare, nisi etiam ratione sui obiectiue, vt causa formalis extrinseca influat in assensum sui, quod Recentiores fateri suo ipso argumento videntur, cum dicant debere iuuare obiectum intentionaliter mouens ad assentiendum veritati propter ipsum: nam ly *propter* causalitatem importat; cumque non sit causalitas effectiua, finalis, materialis, aut formalis intrinsecè constituentis, debet esse causalitas specificatiua, quæ est causalitas formalis extrinseca, quam actus in potentias, & obiecta in actus terminatos ad illa primario, & immediate exercere, constat ex communi doctrina ex Aristotele sumpta, qua dicitur potentias specificari per actus, actus autem per obiecta, ex qua communi illatione colligitur potentias suam specificationem mediate ab obiectis desumere.

Et ex his ad secundam antecedentis probationem, nego maiorem vt adæquatam: 242 *Ad 2. probationem.* nam præter specificationem ab aliquo in genere causæ efficientis mediate, vel immediate, & specificationem ab extrinsece constituente, & specificationem a termino, vt pure termino, quæ melius specificatio ad terminum, quam a termino appellatur, vt ex Caietano docent. Logici loquendo de relatiuis, quod nempe vnum relatiuum, non tam dicendum est, specificari ab altero, quam specificari ad illud, est alius modus specificationis alicuius rei ab alia, nempe vt à causa extrinseca formali, in qua specificatione dependentia specificati ab specificante importatur; ad rationem autem obiecti formalis primarij, & intentionaliter mouentis non sufficit terminatio pura ordinis, vel connexionis intrinsecè constituentis, sed insuper est necessaria terminatio cum causalitate obiectiua, quæ reducitur ad causam formalem, & vocatur causalitas formalis extrinseca, & consequenter ratio obiecti primarij formalis, & mouentis intentionaliter, non potest sine dependentia cognitionis ab ipso subsistere.

Quod vero illa causalitas admittenda sit necessario, constat primo; est enim communis Logicorum, & Me- 243 *Datur causalitatem formalem extrinsecam probatur 1. secundo.* taphysicorum doctrina. Secundo: nam obiectum primarium motiuum intellectus Angeli causa est intellectus, & intellectionum ipsius, à qua intellectus Angeli mediate, & actus immediate specificantur, & tamen non tanquam à causantes species, quibus Angelus intelligit; cum immediate infundantur à Deo in frequentiori, & vera sententia; nec tanquam ab intrinsece constituente, vt est per se manifestum: ergo tanquam a causa formali extrinseca; & consequenter præter illos modos specificationis ab alio, iste recensendus est. Quod autem ad rationem obiecti formalis terminatiui, & intentionaliter motiui exigatur, patet ex dictis: nam pure terminare sine influxu causatiuo actus conuenit obiecto materiali secundario, & nullatenus motiuo: ergo vt ab hoc in aliquo obiectum primarium formale, & motiuum distinguatur, non sufficit pura terminatio ordinis, aut connexionis intrinsece constituentis, sed insuper est necessaria causalitas formalis extrinseca ratione cuius cognitio subordinetur obiecto, & ab illo accipiat esse, & existat propter illud.

Sed vrgebis, per hoc quod obiectum ratione sui terminet cognitionem, sufficienter distinguitur ab obiecto 244 *Instabis.* materiali, & secundario, quod non terminat ratione sui, sed ratione alterius; sed stat terminare ratione sui connexionem, vel habitudinem cognitionis, absque eo quod influat in illam in aliquo genere causæ: ergo ex distinctione necessario seruanda inter obiectum primarium formale motiuum, aut terminatiuum, & obiectum materiale, & secundarium, perperam à Nouis colligitur debere aliqua ratione influere. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primo: vnum correlatiuum terminat ratione sui tanquam terminus formalis *Minor probatur primo.* habitudinem alterius; & tamen non influit in illud aliàs simul natura, & cognitione non essent: ergo stat obiectum aliquod ratione sui terminare connexionem, vel

habi-

habitudinem cognitionis, absque aliquo reali influxu.

245 *Secundo.* Secundo: creaturæ ratione sui terminant immediate habitudinem, vel connexionem omnipotentiæ diuinæ; & tamen nullum influxum realem exercent in illam: ergo stare potest formalis terminatio habitudinis cognitionis, absque influxu reali in illam. Minor cum consequentia tenet. Maior autem probatur: habitudo, vel connexio constituens omnipotentiam, est virtutis effectiuæ; sed habitudo factiui, vel productiui per se, & ratione sui terminatur ad factibile: ergo habitudo omnipotentiæ terminatur ad effectibile ab ipsa; sed nulla formalitas increata est ab omnipotentia factibilis: ergo ratio formalis terminandi habitudinem, vel connexionem constituentem omnipotentiam, non est formalitas increata; & consequenter creaturæ ratione sui sunt terminus formalis illius.

246 *Respond. Ad 1 probationem minoris.* Respondeo concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: disparitas autem est: nam de ratione relatiui est terminari ad suum correlatiuum, vt ad purum terminum, hoc est ad terminum non causantem, sed præcisse terminantem, & ideo stat alterum correlatiuum ratione sui terminare habitudinem sui correlatiui, absque reali influxu in illud; terminus autem habitudinis cognitionis non est purus terminus, sed obiectum de cuius ratione est dare speciem potentiæ, vel actui, nisi ab alio præueniatur; ac proinde si ratione sui terminet habitudinem potentiæ, vel actus, dat illis speciem per verum, & realem influxum.

247 *Ad secundam.* Ad secundam nego maiorem: ad illius probationem, nego etiam maiorem: nam diuina omnipotentia, vel est indistincta ab intellectu, vel idem cum voluntate diuina? Si primum, constitutiuum illius est habitudo, vel connexio potentiæ cognoscitiuæ. Si secundum, constitutiuum illius est habitudo constituens voluntatem diuinam: ac proinde formale obiectum omnipotentiæ diuinæ est idem cum obiecto intellectus, vel cum obiecto voluntatis diuinæ, cumque intellectus Dei specificetur à veritate diuina, & voluntas à bonitate increata, aut veritas, aut bonitas increata sunt formale obiectum omnipotentiæ diuinæ: ratio autem virtutis productiuæ, est denominatio secunda in diuina omnipotentia, eo autem ipso quod sit secunda denominatio, non habet specificatiuum distinctum, aliàs speciem distinctam haberet, quod non compatitur cum ratione secundæ denominationis; ac proinde, quamuis immediate comparetur ad creaturas denominatiuè, non tamen comparatur ad illas immediate entitatiue.

248 Quod si admittatur omnipotentiam esse attributum distinctum ab intellectu, & voluntate consistens in virtute executiua, & productiua ad extra consequuta ad voluntatem, & intellectum diuinum, adhuc asserendum est, obiectum specificatiuum illius non esse creaturas vt non repugnantes, sed essentiam diuinam, vt participabilem à creaturis, & ab ipsis immitabilem, quæ licet non sit vt *quod* producibilis ab omnipotentia, est tamen vt *quo* producibilis, & prout sic specificat diuinam omnipotentiam; nec ideo dicendum est creaturas vt *quod* saltim specificare diuinam omnipotentiam: nam licet à diuina essentia vt *quo* constituantur vt *quod* producibiles, non tamen constituuntur specificatores vt *quod*, sed diuina essentia producibilis vt *quo*, specificat etiam vt *quod*; & hoc ideo, quia creaturæ sunt capaces recipiendi denominationem producibilium, non autem sunt capaces denominationis specificantium omnipotentiam diuinam, quia ex conceptu entis increati, & à se, est incapax dependentiæ ab entitate creata, & consequenter specificationis ab illa.

249 *Quarto arguitur.* Quarto arguitur, & instatur contra dicta: stat bene creaturas ratione sui terminare cognitionem diuinam, quin specificent illam: ergo absque omni reali influxu; & consequenter absque vlla imperfectione possunt creaturæ ratione sui, & immediate in se ipsis cognosci ab intellectu diuino. Consequentia tenet ex dictis. *Antecedens probatur 1.* Antecedens autem ostenditur primo ex D. Tho. *in præsenti art. 5. ad 2.* illis verbis: *Dicendum, quod intellectum est perfectio intelligentis, non quidem secundum suam substantiam, sed secundum suam speciem, secundum quam est in intellectu, vt forma, & perfectio eius: lapis enim non est in anima, sed species eius, vt dicitur in 3. de Anima. Ea vero, quæ sunt alia à Deo, intelliguntur à Deo in quantum essentia Dei continet species eorum, vt dictum est: vnde non sequitur, quod aliquid aliud sit perfectio diuini intellectus, quam ipsa essentia Dei:* sed quamuis creaturæ ratione sui intelligerentur a Deo, non essent secundum suam substantiam, & intrinsecam entitatem, intra intellectum diuinum, vt constat in exemplo lapidis, quo vtitur D. Thomas: lapis namque ratione propriæ entitatis terminat cognitionem sui ab intellectu creato; & tamen non est intra animam secundum substantiam suam, vt D. Thomas fatetur: ergo quamuis, ratione propriæ entitatis intelligerentur à Deo, non essent Dei intelligentis perfectio; at si specificarent intellectionem diuinam ratione propriæ entitatis, ratione illius essent Dei intelligentis perfectio: ergo stat ratione sui immediate terminare diuinam cognitionem, quin specificent illam.

Secundo probatur ex eodem D. Thoma *art. 5. ad 3.* illis 250 verbis: *In tantum enim ipsum intelligere specificatur per* *Secundo.* *obiectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis;* sed ex eo quod creaturæ sint obiectum formale primarium terminatiuum intellectionis diuinæ, non sequitur ratione propriæ entitatis esse principium illius: ergo stare potest formalis, immediataque terminatio cognitionis diuinæ ad creaturas ratione propriæ entitatis, quin specificetur ab illis.

Tertio probatur ex eodem Diuo Thoma *quæst. 2. de* 251 *veritate art. 3. ad 14. argum.* ibi: *Dicendum, quod intelli-* *Tertio.* *gibile, & sensibile, non mouent sensum, vel intellectum, nisi secundum quod cognitio sensitiua, vel intellectiua à rebus accipitur, non est autem talis diuina cognitio, & ideo ratio non procedit.* Et *solut. ad 15. argum.* ibi: *Vnde patet, quod res, quæ intelligitur, non est causa delectationis in intellectu, nisi quando cognitio intellectus à rebus accipitur, quod non est in intellectu diuino.* Ex quibus verbis sic probatur antecedens: eatenus solum obiectum intelligibile causat cognitionem, quatenus ab illo species accipitur, quæ est intelligendi principium; sed ex eo quod creaturæ ratione propriæ entitatis immediate terminent cognitionem diuinam, non sequitur speciem, quæ est intelligendi principium, in Deo accipi à creaturis intellectis: ergo ex eo quod ratione suæ entitatis immediatè intelligantur à Deo, non sequitur causare intellectionem diuinam; & consequenter, nec sequitur illam specificare.

Respondeo negando antecedens. Ad primam proba- 252 tionem admissa doctrina maioris, distinguo minorem: *Respond.* secundum suam substantiam immediate, concedo mi- *Ad 1. probationem antecedentis.* norem: mediante specie propria illarum, nego minorem & distinguo consequens: non essent Dei intelligentis perfectio intrinseca ratione sui immediate, concedo consequentiam: mediante propria specie immediate, & se ipsis mediate, nego consequentiam. Itaque obiectum, non perficit intelligentem intrinsecè ratione sui immediate, sed ratione speciei, qua cum intellectu vnitur, est tamen hæc differentia inter obiectum principale, idest primario intellectum, & obiectum secundario intellectum, quam notat D. Thomas *solut. ad 3.* quod secundario intellectum, non perficit intelligentem ratione propriæ speciei: sed ratione speciei obiecti primo intellecti, & ideo ratione sui non perficit intelligentem, etiam extrinsecè; primarium autem obiectum ratione propriæ speciei perficit intrinsecè, & ratione sui extrinsecè: si autem creaturæ ratione sui immediatè terminarent intellectionem diuinam, essent obiectum eius primarium; ac proinde ratione propriæ speciei diuinum intellectum perficerent intrinsecè, & ratione suæ intrinsecæ entitatis, extrinsecè illum perficerent, quod est inconueniens.

Ad secundam probationem, admissa etiam doctrina 253 D. Thomæ, distinguo minorem: ratione propriæ en- *Ad secundam.* titatis, vt in se, concedo minorem: vt in specie propria sui, nego minorem, & consequentiam: nam eo ipso quod ratione sui terminent immediate intellectionem diuinam, erunt obiectum principale, hoc est per se primo intellectum, ac proinde per speciem propriam, non per speciem continentis: eo autem ipso quod per speciem sibi adæquatam, & propriam vnirentur cum intellectu diuino, vt contentæ in specie, specificarent diuinam intellectionem sub conceptu actionis, & ratione sui, vel saltim in Verbo sibi proprio, & adæquato, illam specificarent inspectam sub conceptu passionis, ac proinde intellectio diuina ad creaturas terminata non specificaretur à diuina essentia vt specie, & vt Verbo creaturarum, quæ illarum propria esse nequit, sed ab aliqua specie creata specificaretur ex parte principij, & à Verbo creato ex parte termini sumeret specificationem.

Ad tertiam probationem dicatur, obiectum intelle- 254 ctus dupliciter ipsum mouere, nempe physice immit- *Ad tertiam.* tendo speciem adiuuantem intellectum, & obiectiuè specificando speciem vt obiectum primarium illius: vtroque modo mouetur à suo obiecto intellectus humanus, intellectus Angelicus non primo, sed secundo

modo

modo: nam species, quibus intelligit, non sunt à rebus acceptæ, sed à Deo immediate infusæ, specificantur tamen ab obiectis sibi adæquatis: vnde accipi scientiam à rebus dupliciter accipi potest, nempe effectiue antecedenter, quatenus res intellectæ effectiue immittunt species, & obiectiue formaliter, quatenus species, quæ sunt cognitionis principium, à rebus specificantur, vt obiectis sibi adæquatis, & vtramque istam motionem à creaturis intellectis excludit D. Thomas ab intellectu diuino. Ex quibus ad argumentum in forma distinguo maiorem: quatenus ab illo accipitur species effectiue; aut obiectiuè, concedo maiorem: effectiue tantum, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam eo ipso quod creaturæ ratione sui immediatè terminarent diuinam intellectionem, species, quæ esset talis intellectionis principium, ab illis esset obiectiue formaliter, quamuis non effectiue, & hoc sufficit vt intellectio diuina causaretur ab illis.

255 *Quinto arguitur.* Quinto arguitur, & instatur contra hanc solutionem: stat bene obiectum ratione sui, & in se ipso immediate terminare cognitionem, & non vniri cum intellectu per speciem propriam sui, sed per speciem rei alterius: ergo ex eo quod creaturæ ratione sui terminent cognitionem diuinam in se ipsis immediate, non sequitur vniri cum intellectu diuino per speciem ipsarum propriam, & ab ipsis specificatam, sed poterunt immediate cognitionem terminare ratione diuinæ essentiæ, vt gerentis munus speciei. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autem probatur: ens rationis cognoscitur à nostro intellectu immediatè, & ratione sui, hoc est cognitione non prius ad ens reale terminata; & tamen non vnitur cum illo per speciem sibi propriam, sed per speciem entis realis: ergo stat obiectum ratione sui terminare cognitionem, etsi vniatur ex parte principij vnione tantum mediata, non per propriam speciem, sed per speciem rei alterius.

256 *Confirmatur 1.* Et augetur difficultas: vt enim sæpe admisimus, præter simplicem notitiam, qua Deus primo, & per se suam essentiam cognoscit, & in illa sua attributa, datur cognitio scientifica attributorum ad illam in se ipsis immediate terminata hoc est absque media essentia talem terminante notitiam; & tamen species, qua diuinus intellectus intelligit, non repræsentat immediate attributa, sed media essentia vt prius repræsentata: ergo licet creaturæ non repræsententur immediatè per speciem, qua diuinus intellectus intelligit, poterunt immediate cognosci, hoc est cognitione non prius terminata ad aliquam perfectionem, aut formalitatem diuinam.

257 *Confirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo: inde ducimur, vt in Deo constituamus cognitionem terminatam immediate ad attributa, quia cognitio scientifica attributorum distincta est à cognitione, qua suam essentiam cognoscit; sed etiam cognitio creaturarum distincta est à cognitione essentiæ, & attributorum: ergo terminatur ad creaturas in se ipsis immediate. Minor in qua sola est posita difficultas probatur ex D. Thoma *in 1. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 3.* illis verbis: *Non enim deest cognitio absoluta sui ipsius, nec etiam cognitio absoluta creaturarum, nec etiam cognitio comparata secundum quod cognoscit se esse causam illarum, quamuis istæ tres cognitiones non differant realiter in ipso, sed ratione tantum, & ideo non exigitur ad intellectum Verbi secundum quod eo intelligitur Pater dixisse se ipsum respectus ad creaturam, sed secundum quod eo intelligatur creaturas dixisse, & ideo Verbum absolute, & cum respectu ad creaturam intelligitur.* Hæc D. Tho. Ex quibus aperte constat admisisse triplicem cognitionem in Deo, vnam sui ipsius absolute, aliam creaturarum absolute, aliam comparatam, qua se vt causam creaturarum cognoscit; sed cognitio, qua Deus se ipsum absolute cognoscit, est cognitio suæ essentiæ, cognitio autem comparata, qua se cognoscit vt causam creaturarum, est cognitio attributorum: ergo cognitio creaturarum per rationem distinguitur à cognitione essentiæ, & à cognitione attributorum.

258 *Respond. primo.* Ad argumentum respondeo, circa modum, quo ens rationis à nostro intellectu cognoscitur, varias circumferri sententias: nam aliqui sicut negant speciem impressam, ita etiam expressam immediate ad illud terminatam; & consequenter cognitionem entis rationis in se ipso immediate reijciunt: alij admittentes conceptum entis rationis in se ipso immediate, concedunt etiam speciem impressam illius, non ab illo deriuatam, sed causatam ab intellectu possibili media specie impressa, & expressa entis realis, ad cuius instar cognoscitur: alij denique concedunt speciem expressam propriam, & cognitionem immediatam entis rationis, negant autem speciem impressam sicut causatam ab illo, siue ab intellectu agente, siue ab intellectu possibili. Iuxta primam, & secundam sententiam cessat argumenti vis.

Quia tamen tertia est probabilis, & frequentior apud Thomistas, iuxta illam concesso antecedenti neganda est consequentia: ratio autem discriminis est: nam vt obiectum non repræsentatum immediate per speciem impressam terminet immediate cognitionem, debet cognosci saltim ad instar obiecti immediate per speciem repræsentati, ita vt tale obiectum saltim in obliquo tali cognitione attingatur; & ita in cognitione entis rationis contingit: terminatur enim ad ens rationis in recto, quia tamen illud ad instar entis realis attingit, in obliquo ad ens reale terminatur; Deus autem non potest cognoscere creaturas ad instar sui, ita vt cognitio in recto ad creaturas, & in obliquo ad se ipsum terminetur, quia cognitio immediate creaturarum, & ad Deum in obliquo terminata est imperfecta cognitio, & ideo nequit ad creaturas mediate repræsentatas immediate terminari. 259

Ad primam confirmationem concessa maiori, & minori, nego consequentiam: nam cognitio scientifica attributorum, etsi ad illa immediate vt *quod* terminetur, non tamen immediatè vt *quo*, nam hoc modo mediat essentia diuina, vt *disp. præcedenti* docuimus, & hoc sufficit, vt species per se primo repræsentans essentiam, sit principium cognitionis terminatæ ad attributa, vt *ibidem* explicuimus; respectu autem creaturarum non potest mediare vt *quo* tantum: nam ratio quare vt *quo* mediat in cognitione attributorum, est, quia intrinsecè reperitur in illis: vnde sicut ens vt sic, quod dat speciem nostro intellectui, vt *quo* mediat in cognitione inferiorum, quæ sub ipso continentur, v.g. in cognitione hominis, equi, Angelorum, &c. Ita essentia diuina tali transcendentia in attributis inclusa vt *quo* mediat in illorum cognitione; in creaturis autem non inuenitur per transcendentiam inclusa, & ideo nequit mediare vt *quo* intrinsece respectu cognitionis creaturarum; vt autem vt *quo* extrinsece mediaret, deberent cognosci creaturæ ad instar Dei, ita vt cognitio creaturarum ad Deum in obliquo transiret, quod non posse contingere, constat ex dictis: quia cognitio immediata creaturarum non nisi imperfectè Deum potest repræsentare, Deo autem repugnat imperfecta sui cognitio. 260 *Ad 1. confirmationem.*

Vel potest secundo argumento responderi, concesso antecedenti, negando consequentiam: nam in ordine ad intellectum diuinum eadem ratio quæ militat, ne creaturæ immediatè repræsententur per speciem, vrget etiam, ne immediate terminent cognitionem, scilicet, quia specificare nequeunt aliquam Dei formalitatem, quod non minus vrget respectu cognitionis, quam respectu speciei; secus in intellectu creato, nam ratio quare non datur species impressa entis rationis, est, quia in nobis non habet proprium phantasma medio quo species impressa causatur in nostro intellectu, nec in Deo ideam propriam, media qua species infunduntur in Angelis, quæ ratio cognitioni immediate ad ens rationis terminatæ, non obstat. 261 *Secundo respond. argumento.*

Et ex his ad primam confirmationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: ratio autem discriminis est, nam perfectioni cognitionis diuinæ non obstat specificatio à diuinis perfectionibus, & ideo potest immediate ad illas vt *quod* terminari, quod autem ab entitate creata suam specificationem accipiat, repugnat, atque adeo illam immediate terminare non potest. Præterquamquod, cum Auctores oppositi cognitionem creaturarum ad illas, tam vt *quod*, quam vt *quo* immediate terminatam constituant, nobis contra illos sufficeret statuisse, non posse aliquam cognitionem diuinam ad creaturas terminari in se ipsis immediate immediatione excludente formalitatem diuinam, saltim mediantem vt *quo*. 262 *Ad 1. confirmationem.*

Ad secundam confirmationem, quæ contra vtramque solutionem militat, respondeo distinguendo maiorem: quia est distincta distinctione essentiali, concedo maiorem: distinctione solius terminationis secundum præcissionem, & non præcissionem, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam cognitio creaturarum in Deo non distinguitur à cognitione sui distinctione essentiali, & in ratione actualitatis, sed solum distinctione terminationis, & exercitij, & hoc penes præcissionem, & non præcissionem, non autem distinctione disparata, quia nempe actus ille prout à nobis concipitur terminatus ad Deum præscindit a terminatione ad creaturas, prout tamen termina- 263 *Ad secundam.*

tus ad creaturas imbibit terminationem ad Deum ratione cuius ad creaturas terminatur, & de hac distinctione rationis loquutus est D. Thomas, vt testatur Capreolus *in 1. dist. 35. quæst. 2. art. 2. ad 1. Aureoli contra 1. conclusionem*, vbi docet, scientiam Dei, & scientiam creaturarum in Deo distingui secundum præcisionem, non secundum disparationem. Ex quo modo distinctionis non sequitur cognitionem creaturarum immediate ad illas terminari, sed potius oppositum: nam scientia Dei, etiam vt terminata creaturas, importat cognitionem essentiæ vt obiecti immediati, & addit terminationem ad creaturas vt obiectum mediatum, & secundarium.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

264 *Prima corollariũ.* EX dictis in discursu huius, & præcedentis disputationis colligo primo, obiectum *in quo motiue* Deus cognoscit creaturas esse diuinam essentiam, vt distinctam virtualiter ab attributis, & relationibus; obiectum autem *in quo* terminatiuum, non esse solam essentiam diuinam, sed coalescere ex illa, & alijs quæ Deum causam *Prima pars probatur.* creaturarum constituunt. Prima pars corollarij suadetur: nam obiectum *in quo* motiue cognoscit Deus creaturas, est quod ratione sui vnitur cum intellectu diuino per modum speciei; sed sola diuina essentia vt distincta ab attributis est species, qua diuinus intellectus intelligit; & obiectum ratione sui repræsentatum per speciem: ergo sola illa prout sic est obiectum *in quo* motiue Deus cognoscit creaturas.

265 *Opponet* Si dicas, obiectum *in quo* motiuum cognitionis creaturarum debet esse adæquata causa illarum; non enim nisi media causa adæquata potest comprehendi effectus; sed sola diuina essentia non est causa adæquata creaturarum, *Respond.* sed simul cum attributis: ergo sola non est obiectum adæquate motiuum. Respondeo, distinguendo maiorem: formaliter, vel radicaliter concedo maiorem: necessario formaliter, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam: nam diuina essentia radicaliter continet omnia attributa diuina, & sicut hoc sufficit vt sit obiectum motiuum cognitionis attributorum, sufficit à fortiori vt sit obiectum motiuum cognitionis creaturarum.

266 *Secunda pars probatur.* Secunda pars corollarij probatur: vt enim docet D. Thomas *q. 2. de Veritate art. 4. in corpore*; ideò Deus per essentiam suam cognoscit, non solum prædicata communia, sed etiam propria creaturarum, quia ipse est causa omnium causarum propriarum, & communium, quibus cognitis propria creaturarum innotescunt: ergo ad cognitionem creaturarum propriam, & comprehensiuam, qualis est diuina cognitio, requiritur causam adæquatam cognosci, & consequenter, quod sit obiectum *in quo* terminatiuè, saltim talis cognitionis; sed diuina essentia, vt distincta ab attributis, non est causa adæquata creaturarum, Deus enim causa illarum constituitur essentia, vt radicali principio, omnipotentia vt virtute executiua, intellectu vt dirigente, & voluntate vt mouente, & applicante: ergo obiectum *in quo* terminatiuè cognitionis creaturarum, non est sola Dei essentia, sed simul cum attributis, ex quibus adæquata creaturarum causa coalescit.

267 Cum quo tamen stat, vt comparatione facta essentiæ cum attributis, principalius in essentia, quam in illis cognoscatur. Tùm, quia essentia motiuè, & terminatiuè, ad creaturarum cognitionem concurrit. Tùm etiam, quia intra lineam concursus terminatiui, præcipuum obtinet locum: nam quod principalius concurrit ad esse, principalius etiam concurrit ad effectus cognitionem; sed diuina essentia in ordine ad causandas creaturas principalius, quam attributa concurrit; sicut forma in agente creato principalius concurrit ad productionem effectuum, quam potentia executiua, & quam cæteræ potentiæ: ergo in linea concursus obiecti terminatiui, principalius concurrit essentia, quam attributa diuina.

268 *Est ex mente D. Tho.* Quod voluisse videtur D. Thom. *q. 2. de Veritate art. 8. ad finem corporis*, vbi docet, quod quamuis possit dici, quod Deus ea quæ nunquam facere decreuit, in sua potentia intueatur, tamen accomodatius dicitur, quod intuetur ea in sua bonitate, quæ est finis omnium, quæ ab eo fiunt. Vbi nomine *bonitatis* actualitatem, & primariam Dei perfectionem intelligit, quæ est diuina essentia, vt radix attributorum, & vt radicaliter participabilis à creaturis.

Quod autem non sola essentia, sed etiam alia, quibus Deus ad creaturas producendas concurrit, debeant ingredi obiectiuè ad illarum cognitionem, constat ex eodem Diuo Thoma *in primo distinctione 35. quæst. prima articulo tertio ad quartum*, vbi docet: *Quod non solum esse diuinum est causa essendi res, sed etiam, & voluntas sua, ex quibus optimè concluditur esse rei, quia illud, quod Deus vult esse, cum possit, & sciat, virtute essentia sua in esse producit; hæc autem Deo cognita sunt, & ita certam de rebus cognitionem habet*: Hæc Diuus Thomas. Ex quibus habetur, ideò Deo attribuere certam rerum cognitionem, quia Deo cognita sunt omnia, quæ ad esse rerum concurrunt: omnium ergo cognitio requiritur; & consequenter omnia ingrediuntur obiectiuè terminatiuè. 269 *Vltima pars probatur.*

Si dicas, sequi ex hoc, etiam causas creatas esse obiectum *in quo* terminatiuè, saltim Deus cognoscit creaturas; cum etiam ab illis esse creaturarum dependeat; hoc autem falsum est, alias adæquata ratio cognoscendi creaturas in Deo non esset aliquid increatum, quod est inconueniens: ergo deficiunt principia, ex quibus doctrinam corollarij deducimus. 270 *Opponet.*

Respondeo, concedendo sequelam: de obiecto *in quo* materiali, & secundario, negando autem de obiecto *in quo* formali dante esse specificatiuè cognitioni diuinæ, & in hoc secundo sensu veritas increata est adæquata ratio cognitionis diuinæ: non autem in primo: in hoc etiam attributa differunt à causis creatis: nam in illa sunt obiectum formale cognitionis Dei scientificæ specificatæ ab illis; & ideò in eis, vt in obiecto formali, cognoscuntur creaturæ per prædictam cognitionem; causæ autem creatæ ad nullam Dei cognitionem formaliter comparantur. *Respond.*

Colligo secundo: Deum in scientia speculatiua creaturarum, quatenus reflexè cognita, non cognoscere creaturas, nec in actu complacentiæ voluntatis diuinæ. Quod probo: Deus namque non potest creaturas cognoscere cognitione quoad *an est*, vel tantum quidditatiuè, sed omnis diuina cognitio, debet esse perfectissima comprehensio: sed ex vi scientiæ diuinæ, prout est speculatiua creaturarum cognitio, non possunt comprehensiuè, imo nec quidditatiuè creaturæ cognosci: ergo non cognoscuntur à Deo in scientia illarum speculatiua, quatenus reflexè cognita. Maior constat: nam omnis cognitio non comprehensiua obiecti, imperfecta cognitio est; Deo autem cognitio imperfecta repugnat: ergo repugnat Deo cognitio creaturarum, quæ comprehensio non sit. Minor autem ostenditur primo: vt enim docet Diuus Thomas *in præsenti articulo quinto, & sexto*, & locis *supra* citatis; ideò in Deo vt in causa, cognoscuntur perfectæ creaturæ, quia in illo vt sic continentur, vt actus imperfectus imperfectio, idest, quia in illo eminenter continentur quoad omnes suas perfectiones communes, & peculiares; sed in scientia Dei, quatenus speculatiua, non continentur eminenter creaturæ: ergo in illa nequeunt perfectè cognosci. 171 *Secundum corollarium. Probatur.* *Minor probatur primo.*

Secundo probatur minor: vt enim communiter docetur à Theologis *Tractatu de Scientia Christi*, intellectus animæ Christi creatus per scientiam supernaturalem infusam comprehensiuè cognoscit visionem propriam beatificam, quin in illa, aut ex vi illius cognoscat mysterium Trinitatis quidditatiuè, & perfectè, quia in illa non continetur, nisi solum obiectiuè, idest, per modum obiecti terminantis visionem beatam; sed in scientia Dei, quatenus speculatiua, prout ab alijs attributis distincta, non continentur creaturæ, nisi tantum terminatiuè obiectiuè: ergo in illa, & ex vi illius nequeunt creaturæ perfectè, quidditatiuè, aut comprehensiuè cognosci. 272 *Secundò.*

Et augetur difficultas ad hominem contra quosdam Thomistas, oppositæ sententiæ adhærentes: ideò namque ex mente illorum Deus non cognoscit se in effectibus creatis, quia in illis non potest Deus cognosci, nisi tantum quoad *an est*, & cognitione imperfecta, Deo autem imperfecta cognitio repugnat; sed in scientia speculatiua Dei, non potest dari perfecta creaturarum cognitio: ergo in illa vt reflexè cognita, non cognoscit Deus creaturas. 273 *Confirmatur.*

Contrariam sententiam tenent plures Recentiores, quorum argumentis constat ex dictis *Disp. 23. §. septimo*, ducti ex eo quod in omni re cum alio extremo connexa, potest extremum connexionis cognosci; quo circa ex vi vnius correlatiui cognoscitur sibi oppositum, in causa, effectus, in actione, terminus cognoscuntur, quia nempè, intrinsecè connectuntur cum illis; 274 *Opponit.*

vnde

vnde sicut in essendo, ita & in cognosci, non possunt ab illis praescindere; sed scientia speculatiua Dei ab intrinseco connectitur cum veritate creata; cum illi repugnet falsitas: ergo in scientia speculatiua Dei; quatenus reflexè cognita, cognoscûtur creaturae ab intellectu diuino.

Et augetur difficultas: non potest scientia comprehensiuè cognosci, nisi illius cognoscatur obiectum, sicut

275 *Confirmatur.* nec relatio potest comprehendi sine cognitione termini, nec effectus sine cognitione causae, & vniuersaliter habitudo, siuè praedicamentalis, siuè transcendentalis sit, sine sui termini cognitione; sed Deus comprehendit scientiam suam speculatiuam: ergo in illa, & ex vi illius cognoscitur eius obiectum; & consequenter in illa, vt reflexè cognita, cognoscuntur creaturae ab intellectu diuino.

276 *Respond.* Respondeo; distinguendo maiorem: à cognoscente capaci perfectae, & imperfectae cognitionis, concedo maiorem: à cognoscente incapaci cognitionis imperfectae, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: Deus enim non est capax cognitionis imperfectae; medium autem non continens eminenter extremum, quamuis connectatur cum illo, non potest esse ratio cognoscendi cognitione perfecta, & ideò in tali medio à Deo cognosci non potest: qua ratione *supra* docuimus, Deum in creaturis se ipsum non posse cognoscere, quia in illis non repraesentatur perfectè. *Ad confirmationem.* Ad confirmationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: vt enim scientia comprehendatur a Deo, sufficit obiectum illius cognosci, quamuis non in illa, nec ex vi cognitionis illius cognoscatur, sed ex vi alterius medij, & alterius cognitionis.

Si dicas: non stat aliquid comprehendi, nisi ex vi il-

277 *Instabis.* lius cognoscatur quod ex vi illius est cognoscibile; nisi enim sic attingatur, non cognoscitur quantum cognoscibile est; sed ex vi scientiae cognitae, est illius obiectum cognoscibile, saltim abstractiuè, *quoad an est*: ergo si Deus in scientia speculatiua creaturarum, & ex vi cognitionis illius, non cognoscit creaturas abstractiuè, & *quoad an est*, non cognoscit illam comprehensiuè. *Respond.* Respondeo, distinguendo maiorem: ex vi illius, vel alterius, in quo eminentius contineatur quod ex vi illius est cognoscibile, concedo maiorem: ex vi illius necessario, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam licet Deus in sua scientia speculatiua non cognoscat eius obiectum, illud tamen in se ipso, vt eius causa cognoscit; & hoc ad scientiae comprehensionem sufficere, constat in effectu creato, quem Deus comprehendit, quia licet in illo non se cognoscat vt causam, se tamen in se ipso cognoscit: constat etiam in entitate creata, quam Deus comprehensiuè cognoscit, quamuis sit in se ipsa ratione sui cognoscibilis, & Deus illam non cognoscat in ipsa ratione sui, quia nempè, cognoscit illam in se ipso, in quo eminenter continetur.

278 *Vrgebis.* Obijcies D.Th. *in hac q. art. 9.* vbi probat, ea quae sunt actu in potentia creaturae, cognosci a Deo comprehendente talem potentiam; at si posset aliquid comprehendi, non cognito in ipso, aut ex ipso, quod in ipso cognoscibile est, ex eo quod Deus comprehenderet potentiam creaturae, non sequeretur cognoscere in illa contenta: ergo deficit solutionis doctrina. *Respond. primo.* Respondeo primo, D. Tho. *ibi* tantum docere ea, quae sunt in potentia creaturae, debere cognosci à Deo comprehendente creaturam, non autem determinare, quod debeant in illa, & ex vi cognitionis illius cognosci: vnde consequentia contra Nos facta non tenet.

279 *Resp. 2.* Vel secundo respondeo, aliqua in potentia creaturae contineri, quae non possunt, nisi in illa cognosci, quia solum ab ea sunt causabilia: vnde si Deus non cognosceret illa in potentia creaturae, nullatenus illa cognosceret; ex quo vlterius sequeretur potentiam creaturae à Deo non comprehendi: vt enim ex dictis constat, contentum in aliquo, vel cum illo necessario connexum, debet cognosci vt illud comprehendatur, vel in illo, vel in alio; in quo eminenter contineatur. Vel tertio respondeo, loqui *Tertio.* D. Thomam de contentis, vt effectibus in potentia creaturae, quod autem sic continetur, potest etiam à Deo in causa continente cognosci, licet in illa non adaequatè, aliàs non cognosceretur perfectè, bene tamen cum consortio aliarum causarum, in quibus adaequatè continetur; quando autem aliquid est cognoscibile in alio, absque vlla imperfectione, debet in illo cognosci, vt comprehendatur id ratione cuius, vel in quo est cognoscibile.

280 *Tertium corollarium.* Tertio ex dictis infertur, Deum cognoscere creaturas cognitione directa in se, vt specie, & Verbo illarum. Quod patet: nam Deus se, & creaturas eadem cognitione cognoscit, se ipsum vt obiectum principale, & primarium, creaturas autem vt obiectum secundarium; sed *Probatur.* cognoscit se ipsum in se, vt specie, & Verbo primo ipsum repraesentante, vt constat ex dictis *supra*: ergo cognoscit creaturas in se ipso vt specie, & Verbo illas secundario repraesentante.

Colligo quarto, Deum attributa sua cognoscere in sua essentia, & ex illa; creaturas autem in se ipso, non tamen ex se ipso cognoscere. Prima pars corollarij probatur: id enim in alio cognoscitur, quod in illo attingitur ex vi eiusdem cognitionis, id vero ex alio cognoscitur, quod attingitur cognitione distincta, orta formaliter, aut virtualiter ex illius cognitione; sed Deus attributa sua cognoscit secundario in sua essentia ex vi cognitionis luminis intellectus primo terminatae ad essentiam, secundarioque ad attributa, & insuper cognitionem scientificam terminata ad illa immediatè, ortaque virtualiter ex prima cognitione essentiae, vt constat ex dictis *Disputatione 25.* ergo cognoscit attributa in essentia, & ex essentia, primo modo per priorem cognitionem; secundo autem modo per cognitionem scientificam. 281 *Quartum corollarium. Prima pars probatur.*

Secunda pars corollarij ex opposito principio, probatur: vt enim constat ex dictis §. *praecedenti*, non datur in Deo duplex cognitio, vna sui, & altera creaturarum distincta distinctione virtuali, sed vna, & indiuisibili cognitione se ipsum, & creaturas cognoscit: ergo cognoscit in se ipso creaturas, non tamen illas ex se ipso cognosceret; ad hoc enim necessarium erat creaturas, & Deum duplici cognitione virtualiter distincta cognosci, quarum vna ex alia esset, saltim virtuali causalitate. 282 *Secunda pars probatur.*

Quinto ex dictis colligitur, Deum non solum naturas causales, sed etiam singularia cognoscere. Quod docet D. Tho. *in 1. dist. 36. q. 1. art. 1. q. 2. de Verit. art. 5. 1. Contra Gentes cap. 66. & in hac q. art. 11.* & constat primo: nam omnis perfectio competens intellectui creato, conuenit etiam diuino, nisi talis sit, quae in suo conceptu formali inuoluat imperfectionem; sed intellectui creato conuenit singularia cognoscere, & cognitio singularium in suo conceptu formali non claudit imperfectionem: ergo talis cognitio Deo concedenda est. 283 *Quintum corollarium. Prob. 1.*

Secundo: nam scientia Dei non est minus vniuersalis, quam illius omnipotentia, & causalitas; sed causalitas diuina, non solum attingit formam, a qua desumitur species, sed etiam materiam tangit, non solum secundum se, sed etiam vt quantitate signatam, qua ratione est indiuiduationis principium: ergo scientia Dei non solum attingit principia rei sub conceptu vniuersali, sed etiam principia indiuiduationis; & consequenter Deus non solum res in vniuersali, sed etiam in singulari cognoscit. Tertio: nam Deus ideò in se, vt in causa cognoscit creaturas secundum proprias rationes, quibus distinguuntur ad inuicem, quia continet causas illarum, quibus inuicem distinguuntur; sed etiam continet causas principiorum indiuiduantium, quibus inuicem distinguuntur indiuidua; ergo in se vt causa, non solum naturas vniuersales, sed etiam singularia cognoscit. 284 *Secundo.* *Tertio.*

Sexto infertur; Deum cognoscere non entia. Quod docet D.Th. *q. 2. de Verit. art. 8. 1. Contra Gentes c. 66. & in hac q. art. 6.* Ante cuius probationem aduerto primo: non ens multipliciter sumi: primo, pro non existente, quod tamen habuit, vel habiturum est illam; secundo, pro carente existentia, quam numquam est habiturum, cui tamen existentia non repugnat, & vocatur purè possibile: tertio pro eo, cui essentialiter repugnat existere: quarto, pro ente rationis, quod dicitur non ens, quia non est verum, sed fictum. Aduerto secundo, non ens in prima, & secunda acceptione considerari posse dupliciter, primo subiectiuè, pro subiecto scilicet negationis, secundo formaliter, nempè, pro ipsa negatione. 285 *Sextum corollarium.*

Asserimus ergo, Deum non entia quomodocumque sumpta cognoscere. Et probatur primo, absolutè de non ente quomodocumque sumatur: nam cognitio non entis est perfectio competens intellectui creato, & in suo conceptu formali non dicens imperfectionem: ergo constituenda est in Deo. 286 *Deum cognoscere non entia quomodocumque dicantur prob. 1.*

Deinde per singulas partes: Deus namque cognoscit futura, & praeterita, & simul negationem existentiae praesentis: ergo cognoscit non ens in prima eius acceptione. Secundo, cognoscit creaturas purè possibiles, & quod numquam habiturae sint existentiam, v.g. cognoscit non repugnare alteri mundo existentiam, & quod nunquam extiterit, nec aliquando sit extiturus; cum cognoscat suum decretum, quod id ab aeterno decreuit: ergo cognoscit non ens prout secundo accipitur. Quod autem cognoscat non ens in tertia acceptione, pro- *Secundo.*

batur: nam repugnare alium Deum, & hominem esse equum, est veritas cognoscibilis; & aliàs in illius cognitione nulla imperfectio importatur: ergo à Deo de facto cognoscitur.

287 *Deum cognoscere entia rationis, probatur 1.* Denique, quod Deus entia rationis cognoscat, docet D. Thomas *in hac quæst. art. 9.* ibi: *Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, omnia cognoscit Deus*: ens autem rationis potest fieri, & cogitari ab intellectu creato, ac proinde à Deo cognoscitur. Ratio est primo: quia omnis veritas est à Deo cognoscibilis, alias infinitus in cognoscendo non esset; sed ens rationis non esse verum ens reale, esse fabricabile ab intellectu creato, & de facto quandoque fabricatum ab illo, veritas est: ergo à Deo cognoscibilis; & consequenter ens rationis ab ipso cognoscitur. *Secundo.* Secundo: nam Deus cognoscit, & comprehendit omnem actum intellectus creati; sed aliqui habent pro termino, effectu, & obiecto ens rationis: ergo Deus rationis cognoscit. Patet consequentia: nam causa comprehendi, & perfectè cognosci non potest, non cognito illius effectu, nec actus potest perfectè, & comprehensiuè cognosci, non cognito illius obiecto.

288 *Respondebis.* Nec sufficit respondere, cognitionem entis rationis ad illud terminari ad instar entis realis; atque adeò sufficere, vt comprehendatur, ens illud reale cognosci. Non inquam, sufficit: *Contra.* nam cognitio entis rationis ad instar, & modum entis realis, essentialiter distinguitur a cognitione entis realis; non nisi per ens rationis, quod est obiectum illius: ergo nequit ea cognitio comprehendi, non cognito ente rationis; non enim potest vnus actus, vt ab alio distinctus comprehendi, non cognito eo, quod obiectiuè distinguit. Quæ rationes adeo efficaces sunt visæ Tannero *disp. 3. de Deo q. 8. dub. 8. assert. 5.* vt docuerit euidenter concludere.

289 *Opponit Vazquez.* Contrarium nihilominus docuit Vazquez *disp. 118. cap. 4. num. 13.* ea ductus ratione: nam si Deus ens rationis cognoscit, necessario illud facit; Deus autem ens rationis efficere nequit, ac proinde neque illud potest cognoscere. *Maior probatur primo.* Assumptum probatur primo: nam esse entis rationis est cognosci intellectu: ergo si a diuino intellectu cognoscitur, ab illo accipit existentiam; & consequenter efficitur. *Secundo.* Secundo: nam ens rationis est illud, quod solum habet esse obiectiuè in intellectu; sed si Deus ens rationis cognoscit, habet esse solum obiectiuè in intellectu diuino; non enim habet esse verum, & reale; aliàs ens rationis non esset, nec confictum ab intellectu creato, cum enim ab æterno non sit, non potest ab æterno dare esse confictum: ergo si Deus ens rationis cognoscit, necessarium est quod ens rationis efficiat.

209 *Respond. Ad 1 probationem maioris.* Hoc tamen fundamentum non vrget. Ad quod breuiter respondeo, ne in re Logica immoremur, quam *alibi* fusè tractauimus, negando maiorem. Ad primam probationem dicatur: esse entis rationis non consistere formaliter in cognosci: nam existentia, qualiscumque illa sit, est entis rationis intrinseca; cognosci autem, est denominatio extrinseca: solum ergo consistit in cognosci effectiuè, idest, efficitur cognitione, non speculatiua, sed practica; vt autem cognitio practica sit, & ens rationis efficiat, debet rem aliter ac est cognoscere, v. g. animal à rationali præcisum, à quo verè præcisum non est, vt relatum ad hominem, equum, & cæteras species, ad quas non refertur re ipsa; Deus autem non cognosci rem aliquam aliter ac est in se; cum enim ens rationis cognoscit, vel attingit illud, vt confingibile ab intellectu creato, vel vt de facto confictum; licet autem ens rationis non sit ens verum, & reale, verè tamen est ab intellectu nostro confingibile; cum in hoc illius essentia consistat; ac proinde de illo verè affirmatur, vereque habet esse confictum, quando de facto confingitur; ac per consequens Deus ens rationis cognoscens, vt fabricabile à nobis, vel vt actu fabricatum, nihil sua cognitione fingit, nec rem aliter ac est cognoscit, sed vt est: vnde ens rationis non facit.

291 *Ad secundam.* Ad secundam, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: nam licet ens rationis sit illud, quod solum habet esse obiectiuè in intellectu; in hoc namque eius diffinitio consistit, non tamen tunc existit quando habet esse solum in intellectu; cum enim nos diffinimus ens rationis, ens rationis diffinitum habet esse solum obiectiuè in intellectu, & tamen diffiniendo ens rationis non formatur ens rationis, quod diffinitur, v. g. diffiniendo genus, non formatur, nec existit genus, nec diffiniendo speciem, formatur, & existit species diffinita: oportet ergo vt ens rationis existat, non solum quod ens rationis signatè obiiciatur intellectui, sed quod aliquid aliter ac est concipiatur; ac proinde ex eo quod Deus ab æterno cognoscat ens rationis vt confingibile, vel confictum ab intellectu creato, confictione mensurata æternitate, & illud quod cognoscitur, solum habeat esse obiectiuè intellectu diuino, infertur quidem, & benè illud, quod ab intellectu diuino cognoscitur, esse ens rationis, non tamen infertur existere ex vi cognitionis, sed si vt à nobis fictum cognoscitur, præexistit ex vi nostræ cognitionis, vt mensuratæ æternitate, qualiter ab intellectu diuino ab æterno cognoscitur, vel si cognoscitur, vt confingibile, nullatenus ens rationis existit, quia diuina cognitio illud cognoscens, vt à nobis fabricabile, nihil aliter ac est cognoscit, sed attingit illud vt est: nam licet ens rationis non sit verum ens; verè tamen est ens à nobis fabricabile, quod solum à diuino intellectu cognoscitur.

Sed dices, ens rationis à Deo cognitum habet esse obiectiuum, non verum; aliàs esset ens reale: ergo fictum; & consequenter existit. Respondeo, distinguendo minorem: veritate entitatiua, concedo minorem: veritate obiectiua, nego minorem, & consequentiam: num licet ens rationis non habeat esse verum, & reale; verum tamen est non habere esse verum, & reale; ac proinde ens rationis vt sic cognitum est verum veritate obiectiua, quamuis non veritate entitatiua. Sed de his fusè in Logica, vbi à diuino intellectu omnis entis rationis fabricationem reiecimus. 292 *Replicabis. Respond.*

Restat tamen difficultas, an non entia, quibus nempè, ab intrinseco existentia repugnat, negationesque, & priuationes per dissensum solum cognoscantur a diuino intellectu; an verò etiam per assensum? Primum docet Vazquez *disp. 61. cap. 2.* Thomistæ per oppositum docent à Deo per assensum cognosci, quibus adhærendum existimo. Vt autem difficultas aperiatur, & omnis æquicatio vitetur, animaduertendum est primo, assensum esse actum intellectus, quo approbat veritatem asserendo ita est; dissensum vero esse actum reprobantem falsitatem, asserendo non est ita, sicut per propositionem enuntiatur. 293 *An impossibilia cognoscantur à Deo per assensum, vel per dissensum? Prima Sententia Secunda Notandū primo.*

Aduertendum est secundo, circa non ens posse varias propositiones formari, negatiuas nempè, quibus de illis negatur entitas, v. g. asserendo, *chimera non est ens*, & affirmatiuas, quibus eis entitas attribuatur, dicendo, *chimera est verum, & reale ens*; & aliàs, quibus de eis affirmetur non ens sumptum *infinitatè* dicendo, *chimera est non ens*, vel quibus affirmetur esse ens rationis confictum ab intellectu: & similiter negatio, vel priuatio alicui subiecto conueniens, dupliciter potest enuntiari de illo, negatiuè nempè, asserendo, v. g. *homo non videns, non est albus*, &c. & affirmatiuè asserendo, *homo est non videns*, vel *cæcus est non albus*, & sic de alijs. 294 *Not. 2.*

His positis certum est primo propositioni neganti, chimeræ v. g. entitatem realem, intellectum Dei assentiri. Quod patet; nam veritati non potest Dei intellectus dissentiri, sed ei necessario assentitur; dissensus enim veritatis est, falsitas autem intellectui diuino repugnat; sed propositio negans chimeræ entitatem realem, est vera: ergo illi intellectus Dei assentitur. Secundo certum est, propositioni affirmanti entitatem de chimera dissentiri intellectum diuinum, nec illi assentiri posse. Quod patet: nam falso, vt falso, non potest diuinus intellectus assentiri; sed dicta propositio est falsa, & æternæ falsitatis: ergo non potest Dei assensum terminare. Hæc duo adeò certa sunt, vt de illis nullus dubitare possit. 295 *Duo vt certa supponuntur 1. est. Secundū.*

Restat ergo difficultas, an Deus possit de chimera affirmare esse non ens, & insuper esse ens rationis, & assensum præbere his enuntiationibus affirmatiuis. Hoc est, meo iudicio, quod negat Vazquez, & cum illo aliqui Recentiores, ducti primo: quia vt aliquid de chimera affirmetur, debet concipi ac si esset aliquid, quod cum re vera nihil sit, nam de eo quod nihil est, & vt nihil concipitur, nihil affirmari potest; sed Deus nequit concipere chimeram, ac si esset aliquid, est enim imperfecta cognitio, non attingens obiectum vt est in se; aliàs ens rationis formaret, non enim alia ratione à nostro intellectu formatur, nisi quia illud, quod ens non est, concipit, ac si esset ens: ergo nequit intellectus diuinus aliquid de chimera affirmare, nec propositioni aliquid de chimera affirmanti assentiri. Secundo: nam verbum *est* aliquid positiuum importat; de chimera autem, & de quolibet non ente, nihil positiuum potest cum veritate enuntiari: ergo de chimera, & idem est de quouis alio non ente dicendum, nihil potest affirmare intellectus diuinus; & consequenter nulli propositioni affirmatiuæ de non entibus formatæ, potest assentiri. 296 *Punctus difficultatis. Prima ratio dubitandi. Secundū.*

Oppositum

297 *Vera sententia probatur.* Oppositum tamen est verum. Et patet: nam veræ propositioni intellectus Dei necessario assentitur; sed chimeram esse nonens, & esse ens rationis fabricabile ab intellectu, est verum veritate necessaria secum in hoc illius essentia consistit: ergo propositioni affirmanti de chimera esse non ens, & esse ens rationis fabricabile ab intellectu creato, assentitur diuinus intellectus. *Confirmatur.* Quod amplius vrgetur: non enim minus verum est, cæcitatem esse carentiam visus in subiecto capaci, peccatum omissionis esse carentiam actus debiti ex lege positiua, quam hominem esse animal rationale: ergo sicut propositioni affirmanti de hominem esse animal rationale Dei intellectus assentitur, ita affirmanti de cæcitate, & peccato omissionis prædicta prædicata; & consequenter etiam assentitur propositioni affirmanti de chimera non ens, & affirmanti esse ens rationis fabricabile ab intellectu creato.

298 *Ad 1. motiuum resp.* Nec motiua in oppositum vrgent. Non primum, cuius maior est neganda: licet namque, cum affirmatur prædicatum positiuum, debeat concipi subiectum ad modum habentis esse; cum verò non aliquid positiuum, sed negatiuum affirmatur, hoc necessarium non est, quod autem affirmatur de chimera, non positiuum, sed negatiuum est, nempè, *nonens*, & ideo necessarium non est concipi, ac si esset aliquid. Nec obstat affirmari ens *Ad secundam.* rationis: nam cum hoc non sit ens verum, sed tantum fictum, sufficit ex parte subiecti concipi à Deo, vt quid fictum, vel confingibile ab intellectu creato, quod de facto ita contingit absque vlla imperfectione. Nec magis vrget secundum: nam copula *est* in propositione affirmatiua, non importat de necessitate esse verum, & positiuum, sed quandoque importat esse verum existentiæ, quandoque esse existentiæ confictum, aliquando esse essentiæ positiuum, vel reale, vel rationis, & aliquando esse essentiæ negatiuum; & cum sit ad omnes istas indifferens, supponit, vel vnit pro esse essentiæ positiuo, quando extrema positiua sunt, & pro esse essentiæ negatiuo, quando extrema sunt negatiua.

299 *Omni propositioni vero, siuè affirmatiuæ, siuè negatiuæ assentitur intellectus diuinus.* Ex his sequitur, Deum non solum assentiri huic propositioni negatiuæ, sed etiam his, quæ affirmatiuæ sunt, *homo est non videns*, *homo est non equus*, in quibus priuatio affirmatiuè de subiecto enuntiatur. Quod patet ex dictis: nam intellectus diuinus assentitur omni veritati: sed non solum negatiua est vera, sed etiam affirmatiua: ergo omnibus assentitur. Minor, cui soli potest difficultas inesse, probatur ex communi Dialecticorum regula asserente, *à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato de negatiuo in affirmatiuum, & posita constantia valere*; sed de Petro cæco existente est verum dicere, quod non videt; & alias verè affirmatur, quod est: ergo de illo verè affirmatur non videns, & idem de cæcitate in concreto dicendum.

300 *Opponet.* Si dicas, non potest cæcitas affirmari de Petro, nisi concipiatur aliter ac est, nempè, ad modum formæ positiuæ; sed Deus nequit concipere cæcitatem aliter ac est in se; aliàs priuationem rationis efficeret: ergo non potest cæcitatem affirmare de Petro, nec propositioni illam affirmanti assentiri. *Respond.* Respondeo, negando maiorem, loquendo de intellectu diuino omnia concipiente vt sunt: nam hoc in nostro intellectu contingit, quia priuationes concipit per speciem formæ positiuæ, quæ species, cum imperfecta in repræsentando sit, repræsentat priuationem ad modum formæ positiuæ, & ideo intellectus noster illam illo modo concipit; Deus autem licet per speciem suæ essentiæ, & non per speciem propriam priuationem concipiat, quia tamen diuina essentia perfectius repræsentat, etiam secundaria obiecta, quam possunt repræsentari per species sibi adæquatas, si de facto illas haberent; fit consequens, vt priuationem repræsentet vt est, etiam cum de subiecto affirmatur; ac proinde ex hoc capite non repugnat propositioni cæcitatem affirmanti assentiri.

301 *Septimum corollarium.* Septimo ex dictis infertur, Deum cognoscere mala, non immediatè in se ipsis, nec per propriam bonitatem immediatè, sed per bona creata, quibus immediatè opponuntur. Ita Diuus Thomas *in 1, dist. 36. q. 1. art. 2. quæst. 2. de Verit. art. 15. 1. Contra Gentes cap. 71. & in hac quæst. art. 10.* Prima pars corollarij est certa secundum fidem: & *Prima pars probatur 1.* probatur primo ex Psalmo 68. illis verbis: *Delicta mea à te non sunt abscondita*. Et Iob 11. *Ipse enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem non ne considerat?* Deinde probatur: nam malum pænæ Deus causat, iuxta illud: *Si est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*; *Secundo.* causat autem omnia per intellectum, & voluntatem; & consequenter illud cognoscit; malum culpæ Deus punit, punire autem sine cognitione delicti insipientis est iudicis; ac proinde malum culpæ cognoscit. Tertio: nam licet malum agere, malum sit, cognoscere tamen malum *Tertio.* perfectio est nullam dicens imperfectionem; sed Deo omnis talis perfectio est atribuenda: ergo in illo est mali cognitio.

Denique: nam Deus comprehendit voluntatem creatam, & consequenter illam vt potentem peccare cognoscit, comprehendit etiam bona creata, quibus mala priuatiuè opponuntur, cognosci etiam suum decretum permissiuum, quo posito infallibiliter peccatum consequitur; sed voluntas vt potens peccare comprehendi non potest, non cognito peccato vt possibili, bonum etiam creatum comprehendi non potest, non cognito vt per malum corruptibile; & consequenter non cognito malo vt possibili, decretumque permissiuum nequit cognosci non cognito malo culpæ existente, quod necessario sequitur decreto permissiuo supposito: ergo Deus cognoscit malum culpæ, vt existens, & vt possibile. 302 *Quarto.*

Secunda pars eiusdem corollarij, quam negant quidam Recentiores, ostenditur primo: nullum enim ens creatum cognoscitur à Deo immediatè in se ipso, vt constat ex dictis: ergo a fortiori malum cognosci immediatè à diuino intellectu non potest. Secundo: nam omne cognitum, vel est tale, quia causat sui cognitionem, vel quia causatur ab illa; sed malum ratione sui nequit sui cognitionem causare, nec potest ratione sui immediatè à Deo causari: ergo non potest immediatè cognosci, nec ab intellectu creato, nec ab intellectu diuino, sed à creato intelligitur per speciem causatam à bono creato, cui opponitur, & à diuino per speciem increatam vt repræsentantem bonum, cum quo oppositionem habet. 303 *Secunda pars probatur 1.* *Secundo.*

Tertia pars corollarij est expressa D. Thomæ 1. *Contra Gentes cap. 71.* proximè ad finem, illis verbis: *Rursus sciendum, quod si Deus hoc modo se ipsum cognosceret, quod cognoscendo se non cognosceret alia entia, quæ sunt particularia bona, nullo modo cognosceret priuationem, aut malum, quia bono, quod est ipse, non est aliqua priuatio opposita.* Et paucis interpositis subdit: *Sed quia cognoscendo se, cognoscit etiam entia, in quibus nata sunt esse priuationes, necessè est vt cognoscat priuationes oppositas, & mala opposita particularibus bonis.* Hæc D. Thomas. Ex quibus apertè constat negare Deo cognitionem mali, vel priuationis per propriam bonitatem immediatè. 304 *Tertia pars probatur 1.*

Deinde probatur, notando cognosci vnum per aliud intelligi posse dupliciter: primo, tanquam per terminum, vel extremum cointellectum: secundo, vt per prius cognitum, in quo aliud cognoscatur. Quo posito asserimus, malum, & priuationem cognosci per bonum sibi oppositum, non solum primo, sed etiam secundo modo, & hoc bonum esse creatum; bonitatem autem diuinam non esse id, per quod immediatè malum cognoscitur. Quod primo modo cognoscatur malum, vel priuatio per oppositam bonitatem patet; nam priuatio diffinitur per bonum; est enim carentia boni: ergo bonum illius cognitionem ingreditur, saltim terminatiuè; & consequenter per bonum primo modo cognoscitur. Quod autem etiam secundo modo patet: nam priuatio specificatur per formam, cuius est priuatio; sed specificatum per suum specificatiuum, vt præcognitum, cognoscitur: ergo priuatio cognoscitur per bonum sibi oppositum, vt præcognitum. Deinde: nam priuatio non cognoscitur per propriam speciem; ergo per speciem boni, cuius est priuatio, debet cognosci; & consequenter per bonum sibi oppositum, & ratione illius vt præcognitum. 305 *Secundo.*

Quod autem hoc bonum non sit bonum diuinum, & increatum, probatur ratione D. Thom. vbi *proximè*: nam priuatio cognoscitur immediatè per bonum, cuius est priuatio; sed malum non est priuatio bonitatis diuinæ: ergo non cognoscitur immediatè per illam. Maior constat ex dictis. Minor autem probatur: nam priuatio, & forma, cuius est priuatio, idem subiectum respiciunt; sed Deus incapax est priuationis; aliàs posset aliqua perfectione, cuius est capax, carere, quod implicat: ergo bonitas, cui priuatiuè opponitur malum, non est bonitas diuina. 306 *Nulla priuatio cognoscitur per bonum increatum.*

Objicies primo, nihil creatum potest esse Deo ratio cognoscendi; aliàs eius scientia dependeret à rebus; sed si malum, aut priuatio cognosceretur à Deo per bonum creatum, esset illi ratio cognoscendi priuationem: ergo Deus non cognoscit mala per bona creata. Respondeo; rationem cognoscendi posse quadrupliciter sumi; 307 *Opponet primo.* *Respond.*

primo, ex parte cognoscentis per modum speciei, aut Verbi: secundo, per modum obiecti motiui: tertio, per modum obiecti formalis terminatiui: quarto, vt obiectum *in quo* materiale. Tribus illis modis nihil creatum potest esse Deo ratio cognoscendi, ne illius cognitio à creatura dependeat. Quarto modo potest aliquid creatum esse illi ratio cognoscendi, nec ex illo sequitur dependentia cognitionis diuinæ à creatura, sed tantum dependentia obiectorum; & solum hoc modo malum per bonum creatum ab intellectu diuino cognoscitur.

308 *Replicabis.* Sed dices, sequi ex ista solutione non aliter mala per bona creata cognosci, ac effectus creati cognoscuntur per causas creatas; consequens est falsum; aliàs nihil speciale de priuatione, & malo D. Thomas doceret, quoad cognosci ab intellectu diuino: ergo Deus non cognoscit mala per bona creata, etiam vt obiecta *in quo* materialia. Probatur sequela; ideò iuxta dicta à Nobis, mala cognoscuntur per bona, quia cognitio boni ad mali cognitionem supponitur, & in illo vt obiecto materiali cognitionis diuinæ cognoscitur; sed etiam effectus creati hoc modo cognoscuntur in causis creatis: ergo nulla est differentia.

309 *Respond.* Respondeo, negando sequelam: ratio autem discriminis est: nam effectus creati causantur à Deo dupliciter, scilicet, mediante causa creata, & per immediatum concursum: vnde dupliciter repræsentantur per diuinam essentiam, vt speciem, nempe, media causa creata, & immediatè in se ipsis; ac proinde dupliciter cognoscuntur, nempe, in causa, & in se ipsis, non excludendo mediationem essentiæ diuinæ, sed tantum mediationem causæ creatæ; priuatio autem, in quantum talis, nullum terminat immediatum concursum, ac proinde, nec immediatam repræsentationem, sed solum repræsentatur mediate, & solum sic cognoscitur à diuino intellectu.

310 *Oppones secundo.* Obijcies secundo: cognosci per aliud est imperfecte cognosci; sed Deo imperfecta cognitio repugnat: ergo non cognoscit mala per bona creata. *Respond.* Respondeo cum D. Thoma *in hac quæst. art.* 10. *ad* 4. cognoscere vnum per aliud, tunc esse imperfectæ cognitionis, quando est cognoscibile per se; malum autem non est sic cognoscibile, & ideo absq; vlla imperfectione cognoscitur per bonum creatum.

311 *Replicabis.* Sed dices: omnis Dei cognitio debet esse comprehensio; sed in bono creato malum comprehendi non potest: ergo nec per illud à diuino intellectu cognosci. Probatur minor, in non continente aliud eminenter non potest, vt in obiecto cognito, aliud perfectè cognosci, quo circa, nec Deus in creaturis, nec obiectum in scientia speculatiua possunt perfectè cognosci, vt constat ex dictis; sed bonum non continet eminenter malum sibi oppositum: ergo in illo non potest comprehensiuè malum cognosci. *Respond.* Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem dicatur, quod licet bonum non contineat malum oppositum eminenter in genere entis, continet tamen illud eminenter in genere cognoscibilis; quia omne cognoscibile, vel est cognoscibile per sibi simile, vel per sibi oppositum; malum autem per sibi simile cognosci non potest, & ideo solum per sibi oppositum cognoscibile est; ac proinde in ratione cognoscibilis in sibi opposito eminenter continetur.

312 *Denique opones.* Denique obijcies: mala cognoscuntur à Deo per bonitatem increatam immediate: ergo falsa est vltima pars corollarij. *Antecedēs prob. primo.* Antecedens probatur primo: peccatum mortale immediate auertit à Deo, & illius legi opponitur: ergo per bonitatem diuinam immediate cognoscitur. *Secundo.* Secundo: nam Deus continet eminenter omnem bonitatem creatam: ergo quidquid opponitur bonitati creatæ, opponitur etiam bonitati diuinæ illam eminenter continenti; & consequenter potest per illam immediatè cognosci. *Tertio.* Tertio: nam peccatum in ratione offensæ immediate opponitur Deo: Tum, quia vt sic non est malum creaturæ, sed Dei. Tum etiam: nam Deum respicit vt subiectum, qua ratione, infinitæ grauitatis euadit: ergo in ratione offensæ non cognoscitur per bonum creatum, sed per bonitatem diuinam immediate.

313 *Reycitur solutio.* Hoc argumento conuictus M. Zumel *in præsenti art.* 10. *disp. vnica conclusione* 3. Antiquiores quosdam sequutus & a communi sententia recedens, docuit, Deum per propriam bonitatem immediate omnem rationem mali cognoscere, quia cum eminenter omnem bonitatem creatam contineat, in eo est ratio cognoscendi quodcumque malum creatum. Et quidem si de ratione cognoscendi incognita; quæ est species impressa illius sententia procedat, verissima est; si autem de ratione immediata cognoscendi per modum obiecti cogniti, est D. Tho. contraria, & communi Theologorum, & ideo non sustinenda.

314 *Respond. ad arg.* Ad Argumentum respondeo negando antecedens. *Ad 1. antecedentis probationem.* Ad primam probationem dicatur, peccatum auertere a Deo, vt obiecto, tollendo conuersionem ad ipsum immediata oppositione, ex quo tantum sequitur mediate cognosci per bonitatem diuinam, non vero, quod immediate cognoscatur per illam. *Ad secundam.* Ad secundam, concesso antecedenti, nego consequentiam: nam bonitas diuina, vt eminenter continens, non est capax terminandi oppositionem immediatam priuatiuam, bene tamen prout in creaturis participatur. Præterquam quod ex prædicto antecedenti, ad summum inferri posset oppositio mediata; cum diuina bonitate eminenter continente bonitatem creatam, non vero oppositio immediata cum illa secundum se. *Ad tertiā.* Ad tertiam probationem dicatur, peccatum in ratione offensæ non posse cognosci, non præcognita malitia; hæc autem cognosci non potest, non præcognita bonitate creata, cui opponitur, ac proinde peccatum in ratione offensæ cognosci non potest, non præcognita bonitate creata.

315 *Deo nihil priuatiuè opponitur: bono tamē contradictoriè, & negatiuè.* Est autem pro complemento disputationis aduertendum, quod licet nihil Deo priuatiue opponatur, atque adeo nulla priuatio possit immediatè per diuinam bonitatem cognosci, contradictoriè autem, & negatiuè Deo aliquid potest opponi, vt *non Deus non bonum*, Deo in se ipso negatiue opponuntur: vnde huiuscemodi negationes immediate per bonitatem diuinam cognoscuntur: negatio etiam personalitatis diuinæ in Petro, v. g. per personalitatem diuinam cognoscitur. Et in hoc sensu accipiendus, & interpretandus est D. Thom. *in* 1. *dist.* 36. *quæst.* 1. *art.* 2. *in corpore*, vbi docuit, malum non opponi bono prout in Deo est determinate, sed forte opponi Deo secundum communem rationem boni. Et *quæst.* 2. *de veritate art.* 15. *ad* 4. vbi docuit oppositionem vnius ad aliud accipi posse dupliciter, vno modo in generali, sicut dicimus malum opponi bono, & hoc modo malum opponitur Deo: alio modo in speciali, prout dicimus hoc album opponi huic nigro, & sic non est oppositio mali, nisi ad aliud bonum, quod potest per malum priuari, & cui potest esse nociuum; & sic malum non opponitur Deo.

316 *Doctrina D. Tho. explicatur.* Quibus verbis non intendit Diuus Thomas, peccatum sub communi ratione mali, Deo priuatiue opponi, & non secundum peculiarem rationem huius, vel illius mali, vt aliqui intellexerunt, ex hoc inferentes peccatum sub communi ratione priuationis, immediate per diuinam bonitatem cognosci, sed tantum intendit malum sub communi ratione, hoc est secundum negationem boni; quam claudit, Deo opponi, non priuatiue, sed negatiue, & oppositione incompatibilitatis. Ex quo tantum sequitur sub conceptu negationis, quem claudit, posse per diuinam bonitatem immediate cognosci, non autem sub conceptu priuationis: nihil enim potest Deo priuatiue opponi oppositione immediata, ac proinde nulla priuatio potest immediate per diuinam bonitatem cognosci.

317 *Oppones.* Si dicas, licet Deo in se nihil priuatiue opponatur, Deo autem vt nobis communicabili per vnionem hypostaticam, & vnibili in ratione speciei, potest aliquid opponi priuatiue: carentia enim vnionis personalitatis diuinæ cum natura Angelica, v.g. priuatiue opponitur personalitati diuinæ, vt vnibili cum Angelica natura: carentia etiam vnionis diuinæ essentiæ cum intellectu creato in ratione speciei intelligibilis, priuatiue opponitur diuinæ essentiæ vt vnibili; cum sit carentia formæ in subiecto capaci: ergo saltim istæ priuationes possunt immediate per diuinas perfectiones, aut formalitates cognosci.

318 *Respond.* Respondeo, etsi totum hoc admitatur, nihil contra doctrinam Angelici Præceptoris inferri; loquitur enim de Deo prout in se ipso, cui nihil potest contrarie, aut priuatiue opponi; sicut autem cum Deo, vt à nobis participabili, potest dari priuatiua oppositio, ita quod cum Deo vt nobis communicabili, aut vnibili detur, nullum est inconueniens. Cæterum de exemplis adductis sic sentio; carentia personalitatis diuinæ non est in Angelo priuatio, sed tantum negatio; quia licet in natura Angelica sit capacitas ad illam, non tamen est debitum, quod ad plenam rationem priuationis exigitur; quod si aliqua praua dispositione physica, vel morali, potest debita constitui, & à Deo illius vnio negari, tunc erit priuatio.

uatio, & de illa ficut de carentia diuinæ effentiæ per modum fpeciei cenfendum : hæc autem abfolute priuatio non eft, quia eft indebita toti naturæ; quod fi meritis efficiatur moraliter debita, & lumine gloriæ infufo fiat debita phyfice, & illius vnio cum intellectu negetur à Deo, erit priuatio, vtpote carentia formæ in fubiecto capaci, & cum debito vel phyfico, vel morali, & huiufmodi carentia, aut priuatio cognofcetur à Deo per oppofitam formam, quæ eft diuina effentia, vt vnibilis cum intellectu creato in ratione fpeciei, femper tamen in forma oppofita creatum aliquid de connotato importatur. Et hæc de ifta difputatione applicanda litteræ Magiftri locis *vbi* difputatio præcedens.

DISPVTATIO XXVII.

An cognitio diuina diuidatur in diftincta attributa?

§. I.

Relatis fententijs, prima conclufio ftatuitur.

Nu. 1. *Difficultatis punctus aperitur.* SVPPONO, vt certum, cognitionem Dei fumptam in actu primo non diftingui in varia attributa iuxta numerum intellectualium virtutum. Quod patet: nam eatenus prædictæ virtutes diftinguuntur in nobis per modum actus primi; quatenus ante actum fecundum dantur in noftro intellectu habitus facilitantes, vel eleuantes ipfum ad operandum; fed in Deo non dantur habitus operatiui, vt conftat ex dictis Difp.24. ergo in Deo non diftinguuntur per modum actus primi. Explicatur, & vrgetur: virtutes intellectuales fumptæ in actu primo non diftinguuntur attributaliter à diuino intellectu: ergo fic fumptæ non diftinguuntur attributaliter inter fe. Confequentia tenet: nam intellectus eft vnicum, & indiuifibile attributum in Deo: ergo fi virtutes intellectuales fumptæ in actu primo non diftinguuntur attributalitèr ab intellectu Dei, non diftinguuntur attributaliter inter fe. Antecedens autem probatur: etenim prædictæ virtutes fumptæ in actu primo non habent rationem habitus, vt *difp. citat.* monftrauimus: ergo folum obtinent rationem potentiæ. Sed non potentiæ diftinctæ ab intellectu, aliàs effent in Deo plures potentiæ intellectiuæ, quod falfiffimum eft, cum nec in nobis plures intellectus dentur, fed vnus, & omnino indiuifibilis ad omnia intelligibilia fe extendens: ergo funt vna, & eadem intellectiua potentia; & confequenter fumptæ in actu primo non diftinguuntur attributaliter.

2 *Prima fententia. Suarez.* Reftat ergo difficultas de diuina cognitione fumpta per modum actus fecundi, an fcilicet, diftinguatur penes diuerfa attributa, in quo duplex verfatur fententia. Prima eft negatiua, quam tenet Suarez in metaphyfica *Difp.30. fect.15. num.53.* vbi docet, vnicam fimpliciffimam Dei fcientiam formaliter, & eminenter obtinere omnem perfectionem intellectualis virtutis. Eandem fententiam tenent Recentiores aliqui ex eadem familia. *Secunda.* Secunda fententia docet, cognitionem diuinam diftingui in varia attributa iuxta diuerfitatem intellectualium virtutum, fcientiæ, luminis principiorum, prudentiæ, & artis; fapientiam verò, & fcientiam effe vnum, & indiuifibile attributum. Ita Henricus in fumma *quæft.73. num.10.* Albelda *in hac quæftione art. 1. fectione 4.* PP. Salmanticenfes *Tract. 3. difp. 1. dub. 4. num.87.* & Marcus de la Serra *in hac quæft. art 1. dub.2.* *Henricus Albelda P. Salmant. Serra.*

3 *Prima conclufio probatur primo.* PRIMA Conclufio. *Scientia Dei per modum actus fecundi virtualiter diftinguitur à lumine principiorum, non verò à fapientia.* Hæc conclufio quoad primam partem probatur primo: nam lumen principiorum, & fcientia diftinguuntur effentialiter ex proprijs conceptibus: ergo in Deo virtualiter diftinguuntur. Confequentia patet: ideo namque intellectus, & voluntas in Deo diftinguuntur virtualiter, quia ex proprijs conceptibus effentialiter diftinguuntur. Antecedens autem probatur: nam illi actus ex proprijs conceptibus diftinguuntur effentialiter, quorum obiecta formalia formaliter diftinguuntur; fed obiectum formale luminis principiorum diftinguitur formaliter ab obiecto formali fcientiæ: ergo intellectus, & fcientia diftinguuntur effentialiter. Maior cum confequentia tenet. Minor autem probatur: nam obiectum formale luminis principiorum funt principia vt immediatè vera, & in fe cognofcibilia, obiectum formale fcientiæ eft veritas conclufionis, vt ex principijs deducta: ergo obiectum formale fcientiæ, & obiectum formale luminis principiorum formaliter diftinguuntur.

Refpondebis, totam iftam diftinctionem effe materialem refpectu actus diuini intellectus, efto formalis fit refpectu actuum intellectus creati: eo quod illi ob fui limitationem per fe diftinctionem illam obiectiuam refpiciunt, fecus vero actus diuini intellectus, qui ob fui infinitatem non refpicit diftinctionem illam per fe, fed conclufiones, & principia attingit per fe primo, vt conueniunt in ratione entis, & veri diuini; diftinctio autem obiectiua materialiter fe habens per comparationem ad potentiam, vel actum, non inducit effentialem diftinctionem in actum, vel potentiam, ad quas materialiter comparatur. 4 *Refpondebis.*

Sed contra: nam fequitur ex hac folutione, actum intellectus non diftingui virtualiter ab actu voluntatis in Deo; confequens eft falfum: ergo & tradita folutio. Probatur fequela; ideo iuxta folutionem actus luminis principiorum non diftinguitur virtualiter ab actu fcientifico in Deo, quia actus diuini intellectus ob fui illimitationem non attingit principia folum, fed etiam conclufiones, & vtrumque fub aliqua ratione communi, nempe, fub ratione entis, & veri diuini: ergo etiam actus intellectus, quia illimitatus, & infinitus eft, extendetur ad bonum, & verum fub aliqua ratione vtrique obiecto communi; & confequenter non diftinguetur virtualiter ab actu voluntatis diuinæ, fed voluntas, & intellectus erunt vnum, & indiuifibile attributum, quod, fi concedatur, erit confequenter dicendum, non dari in Deo diftinctionem attributorum, fed omnes perfectiones Dei abfolutas effe vnum, & indiuifibile attributum abfque virtuali diftinctione. 5 *Sed contra.*

Confirmatur: infinitas intellectus, & voluntatis diuinæ non obftat, vt ratio veri formaliter ab intellectu attingatur, & ratio boni attingatur formaliter à voluntate, & vt diftinctio obiectiua, quæ inter bonum, & verum verfatur, fit formalis comparatione voluntatis, & intellectus in Deo: ergo pariter infinitas luminis principiorum, & fcientiæ obftare non poteft, vt diftinctio obiectiua, quæ inter principia, & conclufiones verfatur comparetur per fe ad illa; & confequenter inferat virtualem diftinctionem inter actum fcientiæ, & actum luminis principiorum in Deo. 6 *Cõfirmatur.*

Secundo probatur: fic comparatur actus ad principium proximum, ficut principium proximum ad radicale: fed in Deo in vna, & eadem natura dantur plura principia proxima virtualiter diftincta: ergo in vna, & eadem potentia, quæ eft principium proximum operandi conftituendi funt plures actus virtualiter diftincti; & confequenter fcientia, & intellectus in Deo per modum actus fecundi virtualiter diftinguuntur. Difcurfus tenet. Minor eft frequentior fententia inter Theologos. Maior autem oftenditur primo: nam in creatis, vbi inter omnia illa interuenit realis diftinctio fic comparatur actus ad potentiam quoad extenfionem, & limitationem, ficut potentia, quæ eft principium proximum comparatur ad natu- 7 *Secundo probatur.*

naturam, quæ est principium radicale operandi: ergo est admittenda similis proportio in Deo cum distinctione virtuali. Secundo: nulla enim potest assignari ratio, cur extensio potentiæ non adæquet extensionem radicis, quæ non conuincat extensionem actus non posse adæquare extensionem potentiæ, ergo sic comparatur actus ad potentiam, sicut ista ad radicem.

8 *Respondebis.* Respondebis forte ex doctrina Alarcon: ideo in creatis multiplicari actus in vna, & eadem potentia, quia cum actus limitati sint, & finiti, non potest vnus actus adæquari cum potentia; in Deo autem non ita contingit: cum enim actus scientiæ, v. g. infinitus sit, totam obiecti intelligibilitatem adæquat; & consequenter etiam adæquat vim proximam intellectiuam Dei; ideoque non est possibilis in intellectu diuino actus intelligendi ab actu scientiæ distinctus.

9 *Sed contra.* Sed contra: nam ex limitatione creata, & illimitatione actus scientifici Dei solum sequitur non esse constituendos in Deo plures actus intelligendi realiter inter se distinctos; non vero sequitur non esse adstruendos in intellectu diuino actus intelligendi distinctos distinctione virtuali: ergo solutio tradita est nulla. Probatur antecedens primo: actus enim scientiæ diuinæ, quamuis sit realiter in omni linea infinitus, formaliter tamen non ita, sed solum in linea scientiæ: ergo quamuis petat realem identitatem cum omni actu diuini intellectus, non tamen petit identitatem formalem cum exclusione virtualis distinctionis. Secundo probatur: nam etiam potentiæ diuinæ sunt aliquid infinitum; & tamen ex hoc non sequitur non dari plures potentias virtualiter distinctas in vna, & eadem natura: ergo pariter, ex eo quod actus diuini intellectus sint aliquid infinitum, non sequitur non dari plures actus intelligendi virtualiter distinctos in vno, & eodem intellectu.

10 *Tertio probatur prima pars conclusionis.* Tertio principaliter probatur prima pars conclusionis: scientia virtualiter distincta à lumine principiorum nullam dicit imperfectionem: ergo sic distincta est in Deo constituenda. Probatur antecedens: nam omnis imperfectio tollitur ab illa per realem identitatem cum lumine principiorum, & omnia alia perfectione diuina: ergo virtualiter solum distincta à lumine principiorum nullam dicit imperfectionem. Antecedens probatur primo: nam posita reali identitate, ponitur in illa infinitas per essentiam, & ratio actus puri; sed cum his prædicatis nulla imperfectio compatitur: ergo posita prædicta identitate, omnis imperfectio à diuina scientia excluditur. Secundo probatur ad hominem contra Alarcon: ipsa namque fatetur tolli omnem imperfectionem à diuina voluntate, & à diuino intellectu per hoc quod cum suis actibus identificentur formaliter realiter, quamuis ab illis virtualiter distinguantur: ergo pariter per hoc quod scientia realiter identificetur cum lumine principiorum, quamuis ab illo virtualiter distinguatur, omnis imperfectio à diuina scientia excluditur.

11 *Secunda pars conclusionis probatur.* Secunda pars conclusionis probatur: vt enim docet Diuus Thomas *in 1. sent. dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad 5. Omnis sapientia scientia est, sed non conuertitur; quia illa sola scientia sapientia est, quæ causas altissimas considerat;* sed scientia diuina formalissimè ratione sui considerat altissimas causas: ergo formalissime est sapientia; & consequenter scientia, & sapientia in Deo non sunt attributa distincta. Quod amplius vrgetur: nam sapientia idem est quod perfectissima scientia; sed diuina scientia est formaliter perfectissima scientia: ergo est sapientia formaliter.

12 *Quid de arte, & prudentia?* Ex dictis obiter infero, artem, & prudentiam esse attributa, tum inter se, tum à scientia, & lumine principiorum distincta: & ratio est, quia respiciunt obiecta distincta inter se, & distincta ab obiectis scientiæ, & luminis principiorum: ergo attributaliter distinguuntur inter se, & à scientia, & intellectu. Consequentia tenet ex dictis, & antecedens probatur: ars enim respicit suum obiectum vt factibile, prudentia vero respicit agibilia cum conformitate ad appetitum rectum; sed illa obiecta distinguuntur formaliter inter se, & ab obiectis scientiæ, & luminis principiorum; ergo verum est antecedens.

13 *Contra conclusionem arg. Confirmatur 1.* Contra istam conclusionem arguitur: diuina scientia est infinita in ratione cognitionis: ergo se ipsa formaliter attingit omne cognoscibile in Deo; & consequenter non est constituenda in ipso alia cognitio attributaliter ab illa distincta. Confirmatur primo: scientia diuina comprehendit attributa Dei; sed non potest illa comprehendere, quin attingat naturam vt *quod*, & omnia prædicata transcendentia, & communia: ergo hæc omnia attinguuntur per scientiam formaliter; & consequenter non manet obiectum attingibile ab actu luminis principiorum, illum à scientia distinguens. Probatur minor: comprehensio est cognitio obiecti quantum cognoscibile est, & attingit in illo omne, quod in eo potest cognosci; sed natura, & prædicata transcendentia possunt in attributis cognosci, cum sint de conceptu implicito illorum: ergo cognitio scientifica comprehendens attributa hæc omnia in illis attingit.

Confirmatur secundo: scientia Dei attingit attributa prout sunt in ipsis; sed attributa vt in se non distinguuntur à natura diuina: ergo attingit formaliter naturam diuinam; & consequenter non distinguitur attributaliter à linea principiorum. Vrgetur, & confirmatur tertio: si scientia Dei attingeret attributa, & non naturam diuinam, faceret distinctionem rationis inter attributa, & naturam; sed hoc admittendum non est: ergo attingit naturam formaliter. Probatur sequela: ideo nos prædictam distinctionem formamus, quia per actum quo attributa cognoscimus, non cognoscimus naturam diuinam: ergo si hoc ipsum in diuino intellectu contingit, formabit intellectus diuinus distinctionem rationis inter attributa, & naturam. 14 *Secundo.* *Tertio.*

Ad argumentum respondeo, scientiam Dei prout est in re esse in omni linea infinitam, & prout sic attingere omne obiectum cognoscibile in Deo, ex quo solum sequitur non distingui in re à lumine principiorum; cæterum considerata formaliter quatenus per nostros conceptus cum fundamento in re ab alijs attributis distinguitur, non est in omni linea infinita, nec in genere cognitionis vt sic, sed solum in specie, seu quasi specie cognitionis scientificæ: vnde sic sumpta solum petit attingere omne cognoscibile scientifice, non vero omne cognoscibile absolute, & solum petit adæquari cum obiecto infinito prout scibili, non vero prout absolute cognoscibili, nec cum omni illius intelligibilitati. Et in forma, loquendo de illa formaliter, distinguo antecedens: est infinita in genere cognitionis, nego antecedens: in specie, seu quasi specie cognitionis scientificæ, concedo antecedens: & distinguo consequens: debet attingere omne cognoscibile in Deo omni modo cognoscibilitatis, nego consequentiam: omne cognoscibile in Deo cognoscibilitate scientifica, concedo consequentiam. Ex eo enim quod sit infinita in ratione scientiæ formaliter, solum sequitur debere attingere omne scibile, non autem quod se ipsa formaliter debeat omne cognoscibile attingere. 15 *Ad argumentum resp.*

Si opponas: diuina scientia est formaliter in linea cognitionis; sed non potest dici, quod sit in hac linea finita: ergo est infinita in illa; & consequenter attingit omne obiectum cognoscibile. Secunda consequentia ex prima colligitur. Prima autem probatur: nam inter finitum, & infinitum non datur medium: ergo si cognitio scientifica Dei non est finita in genere cognitionis vt sic, est infinita in hoc genere. 16 *Si oppo- nas.*

Respondeo, concessis maiori, & minori, negando consequentiam. Ad probationem dicatur, quod licet non detur medium inter finitum, & infinitum in re; inter finitum verò, & infinitum sub reduplicatione alicuius rationis communis medium potest assignari, scilicet, non finitum, quod potest dici infinitum negatiue: vnde scientia Dei in re est in omni linea infinita, reduplicata verò linea cognitionis vt sic, & sumpta scientia formaliter prout ab alijs attributis distincta, nec est finita, nec infinita positiuè, sed non finita, seu negatiue infinita. Et instatur argumentum, supposita communi sententia distinguente virtualiter naturam ab attributis, iuxta quam necessario est asserendum, quod licet natura Dei sit formaliter infinita in linea entitatis absolutæ, non tamen est formaliter infinita in linea entitatis vt sic communis absolute relatiuæ; & consequenter illa consequentia non tenet: *Natura diuina est formaliter in linea entitatis sub prædicta communitate; sed non est formaliter finita: ergo est formaliter infinita.* Ita in nostro casu est dicendum. 17 *Respond.*

Ad primam confirmationem, concessa maiori, nego minorem. Ad illius probationem dicatur, cognitionem comprehensiuam scientificam debere in attributis attingere quidquid in illis est cognoscibile scientifice, & demonstratiuè, non vero quidquid potest absolute in illis cognosci; natura autem diuina, esto in attributis claudatur, non tamen est cognoscibilis demonstratiue, & scientifice, vnde non debent per scientificam cognitionem attingi, quæ non est illorum comprehensio absolute, sed solum comprehensio scientifica. 18 *Ad 1. confirmationem.*

Ad secundam confirmationem datur, scientiam Dei sum- 19 *Ad 2.*

sumptam prout in se, qualiter non distinguitur ab alijs cognitionibus diuinis attingere attributa prout sunt in se adæquate, & consequenter non præscindere à natura diuina; sumptam vero prout à nobis cum fundamento in re distinguitur à lumine principiorum, non attingere attributa prout sunt in se adæquate, id est secundum omnia, cum quibus identificantur in re; sed solum attingit illa prout virtualiter à natura distincta, qua ratione, & non aliter sunt cognoscibilia scientificè, & demonstratiue.

20 *Ad tertiā.* Ad tertiam confirmationem, nego sequelam; ad cuius probationem distinguo antecedens: quia non attingimus naturam diuinam per illum actum, nec formaliter, nec identicè sumptum, concedo antecedens: quia non attingimus naturam diuinam per illum actum formaliter sumptum, nego antecedens, & consequentiam. Nam actus scientificus diuini intellectus, licet sumptus formaliter, quatenus à nostro intellectu concipitur, vt distinctus ab alijs cognitionibus diuinis, solum attributa cognoscat, & ad naturam non terminetur, sumptus vero identice, prout nempè identificatur cum lumine principiorum, etiam naturam cognoscit, & ideo non facit distinctionem rationis inter attributa, & naturam; nam ad hoc necessum erat, vt etiam identicè sumptus taliter attributa cognosceret, vt à natura præscinderet, vt in nostro intellectu contingit. Ad alia argumenta, quæ possunt contra istam conclusionem opponi *Disp. sequenti* occurremus.

§ II.

Vnitas diuinæ scientiæ explicatur.

21 *Secunda conclusio. Durand. Cornejo. Prob. conclusio.* SECVNDA CONCLVSIO. *Scientia diuina non multiplicatur attributaliter, iuxta numerum scientiarum, quæ in creatis reperiuntur.* Oppositum docuisse Durandum *in 1. dist. 35. q. 4. num. 7.* refert Cornejo *tract. de Scientia Dei disp. 1. dub. vltim.* Nostra tamen conclusio communis est apud Theologos; & probatur hac ratione: nam scientia diuina est infinita in ratione scientiæ formaliter: ergo absque virtuali multiplicitate se extendit ad omne scibile; & consequenter non multiplicatur attributaliter iuxta numerum scientiarum, quæ in nostro intellectu inueniuntur. Secunda consequentia euidenter ex prima colligitur. Prima consequentia patet: ideò namque est vnica misericordia, etiam cum exclusione multiplicitatis virtualis, & similiter vnica iustitia in Deo, quia quælibet illarum est in propria linea formaliter infinita: ergo si scientia diuina est in linea scientiæ infinita, est vna cum exclusione virtualis multiplicitatis. Antecedens autem probatur: nam omne attributum diuinum est in propria linea formaliter infinitum, intellectus v. g. in linea intellectus, voluntas in linea voluntatis, & sic de alijs attributis: ergo scientia diuina est in linea scientiæ formaliter infinita.

22 *Respondebis.* Respondebis, scientiam diuinam non esse vnam, veluti specificè athomè, sed veluti genericè, diuidique in Metaphysicam, Physicam, Logicam, & alias scientias, quæ reperiuntur in nobis, cum hoc tantum discrimine, quod in nobis distinguuntur realiter, in Deo autem solum virtualiter, & quamlibet ex his scientijs esse in propria linea formaliter infinitam; in ratione autem scientiæ, nec finitam, nec infinitam formaliter, sicut dicebamus de scientia in ratione cognitionis: ex quo non sequitur dari vnam scientiam in Deo cum exclusione virtualis multiplicitatis, sicut nec sequitur dari vnam cognitionem vnitate excludente distinctionem virtualem.

23 *Sed contra.* Sed contra: non enim dantur in Deo Physica, & Metaphysica (& sic de alijs scientijs, quæ reperiuntur in nobis) secundum eas rationes, quibus inter se distinguuntur, sed solum secundum rationem scientiæ: ergo diuina scientia non est formaliter infinita in specie, seu quasi specie Metaphysicæ, aut Physicæ, sed in ratione scientiæ absolutè; & consequenter non multiplicatur attributaliter. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens autem probatur: prædictæ scientiæ secundum id, in quo distinguuntur, dicunt imperfectionem: ergo prout sic non conueniunt formaliter Deo, cui omnis imperfectio repugnat. Probatur antecedens: eatenus inter se distinguuntur, quatenus physica respicit suum obiectum cum abstractione à materia singulari, & concernentia materiæ sensibilis in communi; Metaphysica verò respicit suum obiectum cum abstractione à materia Physica, permittendo in illo Metaphysicam potentialitatem; sed hæc dicunt maximam imperfectionem: ergo secundum id, in quo distinguuntur, important imperfectionem.

Maior cum consequentia tenet. Et minor loquendo de Physica constat; de Metaphysica vero probatur: nam eo ipso, quod in obiecto specificatiuo permittat potentialitatem, actus tale obiectum attingens non potest esse actus purus, cui omnis potentialitas repugnet; cum actus, & obiectum proportionentur in immaterialitate: ergo respicere obiectum, permittendo in illo potentialitatem, maxima imperfectio est.

Quod amplius vrgetur: in Deo namque non inueniuntur formaliter fides, nec Theologia secundum suos conceptus formales, quia illa petit pro obiecto formali obscuram reuelationem; Theologia verò, etsi obscuritatem in obiecto non petat, illam tamen permittit: ergo pariter non erit in Deo formaliter Phylosophia, vt à Metaphysica distincta, quia positiuè petit in suo obiecto formali abstractionem, non omnimodam, sed cum aliqua concernentia materiæ, nec Metaphysica, prout à Philosophia distincta, quia potentialitatem permittit in suo obiecto primario. 24 *Confirmatur.*

Respondebis, prædictas imperfectiones non conuenire Philosophiæ, & Metaphysicæ ex conceptibus formalibus, quibus inter se distinguuntur, sed ex limitatione, qua gaudent, prout reperiuntur in nobis; quod non sufficit, vt Deo non conueniant formaliter, quatenus distinctæ inter se, vt constat in scientia, sapientia, & alijs perfectionibus repertis in Deo formaliter, quamuis in nobis plures habeant imperfectiones admixtas, quia tales imperfectiones formaliter non important. 25 *Respondebis.*

Sed contra: nam ablatis ab his scientijs, seu præcisis illis modis respiciendi propria obiecta, non remanet per quid distinguantur, sed solum manet in illis conceptus communis scientiæ: ergo illæ imperfectiones competunt prædictis scientijs ex conceptibus formalibus, quibus inter se distinguuntur; & consequenter prout sic non competunt Deo formaliter. *Contra.*

§. III.

Quid de intellectione sumpta absolutè?

TERTIA CONCLVSIO. *In Deo non est ponenda intellectio absoluta virtualiter distincta ab attributis enumeratis.* Probatur conclusio: omnis diuina cognitio, vel est practica, vel speculatiua: si primum, erit formaliter prouidentiæ, vel artis: si speculatiua, necessario debet esse, vel scientiæ formaliter, vel luminis principiorum: ergo non est ponenda cognitio absoluta à cæteris attributis intellectualibus virtualiter distincta. Consequentia tenet. Et minor pro secunda parte, in qua est difficultas, probatur: in Deo non datur simplex apprehensio, sed omnis diuina cognitio est perfectum iudicium: ergo vel attingens principium indemonstrabile, & sic pertinebit ad lumen principiorum; vel conclusionem in principio, & causa, & sic erit formaliter cognitio scientifica; & consequenter nulla datur in Deo speculatiua cognitio, quæ non sit scientifica formaliter, vel formaliter luminis principiorum. 26 *Tertia conclusio. Prob. 1.*

Confirmatur, & explicatur hoc: vel diuina cognitio speculatiua terminatur ad diuinam essentiam secundum primum conceptum, nempè natura, vel ad attributa, vel ad creaturas: si primum, est luminis principiorum: si secundum, vel tertium, necessario est formaliter cognitio scientifica: ergo omnis diuina cognitio, vel est luminis principiorum formaliter, vel formaliter cognitio scientifica. 27 *Cõfirmatur.*

Ostendo minorem quoad primam partem: cognitio attingens diuinam essentiam secundum primarium conceptum naturæ, attingit aliquid indemonstrabile, & per se notum: ergo est cognitio luminis principiorum. Pro secunda, & tertia parte probatur; cognitio diuina tendens in attributa, & creaturas, cum comprehensiua sit, & consequenter cognitio à priori, necessario attingit attributa in essentia, tanquam in radice, & effectus creatos in se ipsa tanquam in causa; ergo necessario est formaliter cognitio scientifica. *Minor pro prima parte probatur. Prob. 2. & 3. partis minoris.*

Respondebis cum Salmanticensibus *loco alleg. num. 80.* posse attingi essentiam, & attributa, & idem intellige de effectibus creatis, dupliciter, scilicet, vel attingendo essentiam, vt per se notam radicem attributorum, & causam creaturarum reduplicatiuè, vel tantum specificatiuè, idest, attingendo radicem, & causam, non tamen formaliter, quia radix, & causa, & quia per se nota, sed sub aliqua altiori ratione, si primum contingat, est cognitio luminis principiorum formaliter; secus vero si secun- 28 *Respondebis.*

si secundum eueniat; & quia non omnis diuina cognitio attingit diuinam essentiam, vt per se notam radicem, & causam reduplicatiuè, sed specificatiuè potest aliqua illā attingere sub alia ratione formaliter: hinc fit, quod non omnis diuina cognitio attingens diuinam essentiam secundum primarium conceptum naturæ debeat esse formaliter luminis principiorum, & idem dicunt de cognitione terminata ad attributa, & effectus creatos.

29 *Contra 1.* Sed contra solutionem istam sic insurgo primo: diuina natura secundum conceptum naturæ nequit attingi certo, & euidenti iudicio, quod non sit formaliter actus luminis principiorum; attributa verò, & creaturæ nequeunt attingi per iudicium certum, quod formaliter scientia non sit: ergo solutio est nulla. Probo antecedens pro prima parte primo: omnis actus certus, & euidens iudicatiuus nostri intellectus circa prima principia, est formaliter actus luminis principiorum: ergo pariter in diuino intellectu. Secundo, vt actus aliquis sit luminis principiorum formaliter, sufficit attingere principium non ex alio, esto non attingatur sub ratione, qua est causa, & principium aliorum: ergo quamuis non attingatur reduplicatiuè vt principium, erit actus luminis principiorum. Consequentia tenet: & antecedens constat in nostro intellectu, in quo quamuis non attingatur principium reduplicatiuè, vt principium, sed specificatiuè solum, actus illum attingens est luminis principiorum formaliter. *Prima pars antecedentis prob. 1. secundo.*

30 *Secunda pars antecedentis. prob. Contra 2.* Deinde pro secunda parte probatur: actus attingens creaturas, & attributa, cum sit comprehensiuus illorum, debet illa attingere ratione diuinæ naturæ vt radicis attributorum, & causæ creaturarum: ergo non stat actus in Deo attingens attributa, & creaturas, qui formaliter scientia non sit. Secundo: omnis actus certus, & euidens intellectus Angelici, aut humani circa creaturas, & attributa Dei, debet necessario esse scientia formaliter, & illa attingere ratione essentiæ, vt radicis, vel causæ: ergo pariter in diuino intellectu. Secundo probatur conclusio à posteriori: nullus actus iudicatiuus certus, & euidens, est dabilis in intellectu Angelico, aut

31 *Secundo probatur conclusio.* humano, qui non sit formaliter luminis principiorum, aut scientiæ: ergo in Deo similiter non dabitur actus speculatiuus certus, & euidens, qui non sit formaliter scientiæ, aut luminis principiorum formaliter. Antecedens videtur certum, & consequentiam probo: tum à paritate: tùm etiam, quia si daretur in Deo actus ille intelligendi; cum non sit assignabile, vnde in suo conceptu claudat imparticipabilitatem à creatura, participatus reperiretur in aliquo actu Intellectus creati: ergo si non datur actus creatus illum participans, est, quia talis actus non reperitur in diuino intellectu.

32 *Confirmatur.* Confirmatur, & explicatur hoc: cæteri actus diuini intellectus de facto participantur formali, aut virtuali participatione à creaturis, vt constat in scientia, lumine principiorum, prouidentia, & arte: ergo pariter actus ille si daretur, deberet in creaturis participatus inueniri; at non est assignabilis actus aliquis creatus illum participans: ergo quia non datur talis actus in intellectu diuino, qui speculatiuus sit, & distinctus à scientia, & lumine principiorum.

33 *Argumētū contrariorū proponitur.* Contra istam conclusionem obijciunt contrarij Auctores: actus diuini intellectus distinguuntur virtualiter iuxta distinctionem obiectorum: sed datur obiectum intellectionis in ipsorum sententia constituentis naturam diuinam, distinctum virtualiter ab obiecto scientiæ, & luminis principiorum: ergo datur in diuino intellectu actus intelligendi [illegible]liter ad illis distinctus. Probatur minor: obiect[illegible] [illegible]entiæ sunt diuinæ perfectiones, vt demonstrabiles [illegible] attingibiles scientifico modo, obiectum luminis principiorum est diuina natura secundum primum conceptum naturæ, qua ratione est indemonstrabilis: at præter ista datur tertium obiectum: ergo datur obiectum intellectionis ab obiecto scientiæ, & luminis principiorum virtualiter distinctum. Patet minor; præter ista datur ens diuinum vt sic, quod est obiectum adæquatum diuini intellectus: ergo datur tertium obiectum.

34 *Cōfirmatur 1.* Confirmatur hoc primo: obiectum scientiæ, & luminis principiorum diuini conueniunt in vna ratione communi specificantis diuinum intellectum; sed illud est potens specificare actum virtualiter ab vtroque distinctum: ergo de facto datur. Maior est certa. Et minor probatur primo: illud specificat intellectum ab illis virtualiter distinctum in nostra sententia ergo & actum poterit specificare ab vtroque distinctum. Patet consequentia; quia non videtur posse reddi sufficientem rationem oppositi. Secundo: illud est verè intelligibile per actum diuini intellectus; non per aliquem illorum: ergo per actum distinctum.

35 *Cōfirmatur 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo: diuina voluntas distinguitur à misericordia diuina, per hoc, quod illa respicit bonum diuinum in tota sua amplitudine, ista vero respicit illud sub speciali ratione, nempè, vt est ratio subleuandi alienam miseriam: ergo pariter dabitur in diuino intellectu actus intelligendi virtualiter distinctus à scientia, & lumine principiorum, per hoc quod ille respiciat verum diuinum sub tota sua amplitudine; ista vero non ita, sed sub peculiaribus rationibus veritatis, nempè, lumen principiorum veritates vt indemonstrabiles, scientia vero sub ratione, qua sunt demonstrabiles.

36 *Respond. ad argumentum.* Ad hoc argumentum respondetur, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem negatur similiter minor. Ad illius probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: datur tertium obiectum attingibile exercitè per actum attributaliter ab alijs distinctum, nego consequentiam: quasi signatè attingibile per actum diuini intellectus signatè conceptum, distinctum ab alijs, tanquam ratio communis à rationibus particularibus, concedo consequentiam. Itaque illa ratio communis non potest exercitè attingi, nisi per actum luminis principiorum, ob rationes superius traditas; quia cum sit indemonstrabilis, eo ipso quod per actum euidentem iudicatiuum attingatur, iam attingitur per actum luminis principiorum; signatè tamen importat intelligibilitatem vtrique obiecto communem specificantem actum diuini intellectus, qui est communis per transcendentiam vtrique actui, & alijs diuini intellectus; sicut ab omnibus actibus Intellectus humani est abstrahibilis ratio communis specifica à communi obiecto.

37 *Ad 1. cōfirmationem. Ad 1. probationem minoris.* Ad primam confirmationem respondetur, concessa maiori, negando minorem. Ad primam illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; quia vt intellectum specificet, non est necessarium, quod sit attingibile exercitè ab ipso, actu aliquo distincto ab illis, sed sufficit, attingibilitas signata, vtrique obiecto illorum actuum communi; cæterum vt specificaret actum distinctum virtualiter, deberet esse exercitè attingibile actu distincto.

38 *Ad secundam.* Ad secundam minoris probationem, concessa maiori, negando minorem: sed dico, quod ea ratione, qua est attingibile in actu exercito attingitur per actum luminis principiorum, vt ex iam dictis constat.

Ad 2. cōfirmationem. Ad secundam confirmationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; nec ex illo infertur, nisi solum quod etiam intellectus, qui à Nobis ponitur, vt potentia, habeat distingui ab illis actibus, ob rationem ibi assignatam; quod libenter concedo, non vero infertur, debere dari actum virtualiter ab illis distinctum attingentem ens diuinum sub illa generali ratione.

39 *Si opponas.* Si obijcias; in voluntate diuina præter intentionem, quæ attingit finem, & electionem attingentem media, datur actus virtualiter ab illis distinctus, qui versatur circa bonum diuinum in communi: ergo pariter in diuino intellectu, præter actum luminis principiorum, & actum scientiæ, debet admitti actus virtualiter ab vtroque distinctus, qui attingat rationem entis diuini communem.

Vrgetur. Confirmatur hoc, & explicatur amplius: sic se habet in appetibilibus finis, sicut principium in speculabilibus, at finis potest attingi, & de facto attingitur à Deo per actum intentionis, & per simplicem volitionem, quæ ab intentione essentialiter distinguitur: ergo pariter principia poterunt attingi, & de facto cognoscentur à Deo duplici cognitione virtualiter distincta, quarum altera consideret principia, vt principia, per comparationem ad conclusiones, & altera illa inspiciat secundum se, non cognitis, vt dicunt talem ordinem. Consequentia videtur bona. Maior ex communi axiomate constat. Et minorem probo: in creatis datur circa finem ille duplex actus essentialiter distinctus: ergo in Deo debet admitti cum virtuali distinctione, cum hoc non videatur aliquam importare imperfectionem.

40 *Respond. ad replicam.* Ad replicam respondeo, negando antecedens; cum enim in diuina bonitate vt sic, non detur diuersa ratio amabilitatis ab illa, quæ est in medijs, & fine, non est cur ille duplex actus virtualiter distinctus Deo concedatur.

Ad confirmationem. Ad confirmationem, concessa maiori, nego minorem, Ad eius probationem, concesso antecedenti, nego

nego consequentiam: quia in creatis ponitur ille duplex actus ob imperfectionem nostræ voluntatis; in Deo autem non est ponendus, quia solum multiplicantur actus ex diuersitate motiui, & obiecti, quæ non datur in fine ex illa duplici consideratione; aliàs etiam daretur simplex desiderium mediorum distinctum virtualiter ab efficaci illorum electione, quod est falsum; quia nulla datur voluntas mediorum in Deo, quæ respectu alicuius finis ab ipso intenti efficaciter non impleatur.

DISPVTATIO XXVIII.

Vtrùm Scientia Dei sit discursiua?

§. I.

Relatis sententijs, verior eligitur, & probatur.

Nu. 1. *Supponitur in Deo non dari discursum formalem.* TANQVAM certum suppono, non dari in diuino intellectu discursum formalem; in quo vnanimiter conueniunt omnes Theologi: id docuit Angelicus Doctor multis suæ doctrinæ locis; *in primo distinctione quinta quæstione prima articulo primo ad quintum. Et distinctione 39. quæstione prima articulo tertio ad quintum, & septimum: de Potentia quæstione nona articulo secundo ad* 10. *1. 2. quæstione 14. articulo primo ad secundum. 2. 2. quæstione nona articulo primo ad primum. Primo Contra Gentes cap.* 57. nouem rationibus id demonstrans: ex quibus omnibus efficaciorem eligit *in hac quæstione articulo septimo*, quæ potest ad hanc formam reduci. Ad discursum formalem requiritur realis multitudo cognitionem, quarum vna realiter ex alia causetur; at in diuino intellectu talis multitudo non datur, sed vnica cognitione realiter indiuisibili omnia cognoscit; & consequenter, nec in illo potest reperiri realis causalitas vnius cognitionis in aliam: ergo in illo non reperitur formalis discursus. (S. THO. — Probatur.)

2 *Confirmatur 1.* Et confirmatur; discursus est motus de noto ad ignotum; at diuino intellectui nihil est ignotum, seu omnia nota, iuxta illud ad Hebræos 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius*: ergo in illo non datur formalis discursus. Vrgetur secundo: intellectus discurrens, de potentia ad actum procedit; at intellectus diuinus nequit de potentia ad actum procedere: ergo nec formaliter potest discurrere. (*Secundo.*)

3 *Prima sententia.* Hoc supposito, quod in dubium vertimus est, an Dei scientia sit discursiua, saltim virtualiter. Negant plures Thomistæ, cum quibus Cornejo *1. part. quæst. 14. art. 7. tract. 1. disput. vnic. dub. 1.* referens pro eadem sententia Suarez *1. part. lib. 2. cap. 25. num. 5.* Cæterum Suarez solum negat *ibi* formalem discursum; de virtuali autem, nec insinuauit; cum exemplum ponat in Angelo; cui tamen virtualem discursum non repugnare, communiter affirmant Thomistæ: nescio, an Suarez oppositum teneat. Alij affirmatiuam tenent sententiam, & ex Thomistis plures, inter quos Serra *1. part. quæst. 14. circa art. 7.* quibus subscribens affirmatiua conclusione respondeo. (*Cornejo. — Suar. — Secunda. — Conclusio.*)

4 *Prob. 1.* Moueor ad illam primo: quia D. Thom. locis citatis, nec leuiter insinuauit oppositum, sed tantum negat discursum formalem: quod patet clarè ex medio assumpto ad probandum, non dari discursum in diuino intellectu: id namque colligit ex indistinctione, & vnitate cognitionis diuinæ; at talis vnitas non est per exclusionem virtualis distinctionis, vt communiter fatentur Thomistæ, sed solum excludit realem distinctionem cognitionum: ergo solum infert impossibilitatem formalis discursus, non vero virtualis.

5 *Dices.* Si dicas, D. Thom. docuisse oppositum, cum asseruerit loco primæ partis citato, nullo modo esse discursum in Deo; discursus autem virtualiter aliquomodo discursus est. Obstat in contra primo, quod etiam asserit multis in locis, in Angelis non esse discursum, idem autem est, dicere, non esse discursum, ac dicere, nullo modo discursum esse; cum negatio, totum, quod potest se invenit, destruat: quo non obstante, admittitur communiter virtualis, discursus in Angelis. (*Contra 1.*)

Secundo, quia conclusio debet semper intelligi iuxta vim præmissarum ad illam inferendam; præmissæ autem à D. Thom. assumptæ, vt constat ex dictis, solum possunt inferre impossibilitatem formalis discursus: ergo illa particula *nullo modo*, debet sic temperari, vt excludat formalem, non vero virtualem discursum. 6 *Secundo.*

Deinde: quia D. Thom. locis relatis *supra*, asseruit naturam, & intellectionem in Deo, esse omninò idem: quo non obstante, à multis Thomistis absque iniuria litteræ, accipitur illa particula per exclusionem realis distinctionis, non vero virtualis: pariter ergo ista, *nullo modo*, poterit sic intelligi conformiter ad litteram, per exclusionem formalis discursus, quin excludat discursum virtualem. *Tertio.*

Moueor secundo: quia ex principijs D. Thom. clarè colligitur, quod sic ostendo ex *1. Sent. dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad 5.* illis verbis: *In Deo non est aliud intelligere, quam scire, nisi secundum rationem*: ergo ex mente D. Thom. cognitio, qua attingit principia, quam vocat intelligere, virtualiter, & secundum rationem, distinguitur ab actu scientifico: ergo ex eius mente colligitur, virtualis discursus in Deo. Probo hanc consequentiam: in Angelis agnoscunt Thomistæ, & extra Scholam D. Thom. communiter, discursum virtualem, vt conformem ad mentem Angelici Doctoris; at non aliunde possunt id ex D. Thom. deducere, nisi quia admittat virtualem distinctionem inter cognitiones, quarum vna Angelus attingit principia, & alia conclusiones: cum virtualem discursum D. Thom. in Angelis nunquam expresserit: ergo ex eodem principio colligitur iuxta mentem ipsius virtualis discursus in Deo. 7 *Prob. 2. conclusio.*

Tertio id ostendo: eatenus Deo repugnat discursus, quatenus ei repugnat causalitas vnius cognitionis in aliam; at non repugnat virtualis causalitas, benè tamen causalitas realis: ergo nec repugnabit virtualis discursus. Consequentia tenet. Maior est certa. Et minorem sic probo primo: etsi repugnet Deo realis causalitas naturæ in attributa, & vnius attributi in aliud, non tamen repugnat ei virtualis influxus inter prædicta: ergo pariter non repugnabit virtualis causalitas vnius cognitionis in aliam. Secundo eatenus repugnat inter cognitiones causalitas, quatenus repugnat distinctio, quod clarè constat; si namque inter cognitiones diuinas esset realis distinctio, esset realis causalitas; at non repugnat, sed de facto datur virtualis distinctio inter cognitiones: ergo dabitur etiam inter illas virtualis causalitas. 8 *Prob. 3.* *Aliter suadetur primo.* *Secundo.*

Tertio, inter obiectum luminis principiorum diuini, quod est natura, & obiectum scientiæ, quod sunt attributa, intercedit virtualis causalitas: ergo & inter cognitiones ipsas. Patet consequentia; quia ex obiecto ad actum transferri, debet quidquid in actu imperfectionem non ponit; at virtualis causalitas illam non dicit: ergo debet transferri. 9 *Tertio.*

Denique; quia virtualis causalitas sic communiter explicatur, quod sic se habeant duo, quod si vnum ab alio realiter distingueretur, realiter causaretur ab illo; sed si cognitio scientifica Dei realiter distingueretur à cognitione luminis principiorum, realiter causare- *Quarto.*

causatetur ab illa : ergo modo interuenit virtualis causalitas.

10 *Quarto suadetur conclusio.* Vltimo suadeo positam conclusionem : Deus attingit suam naturam secundum conceptum naturæ per actum virtualiter distinctum ab actu scientifico attingente attributa : ergo ex illo ad istum virtualiter procedit. Patet consequentia : tùm primo, quia ideò Angelus virtualiter discurrit ex principijs ad conclusionem, & homo formaliter; quia Angelus attingit principia per actum virtualiter distinctum à scientia, & homo per actum realiter distinctum : ergo si intellectus diuinus attingit naturam sub conceptu naturæ per actum distinctum virtualiter ab actu scientifico, discurret virtualiter à principijs ad conclusionem. *Cõsequentia patet.* Secundo : in illo actu virtualiter continetur actus scientificus erga attributa : ergo ex illo ad illum datur virtualis processus, seu discursus. *Secundo.* Consequentia tenet. Et antecedens constat : in obiecto primi actus virtualiter continetur obiectum alterius : ergo & actus in actu; non enim aliunde continentia vnius actus in alio potest oriri, quam ex continentia obiecti in obiecto.

11 *Instabis.* Nec refert, si instes, rationalitatem realiter continere risibilitatem, tanquam vera realis illius; & tamen non continetur reali continentia actus scientificus Angeli risibilitatem attingens, in actu, quo rationalitatem cognoscit : ergo ex continentia obiectiua perperam inferimus continentiam formalem in actibus. *Contra.* Obstat namque in contra, Me non arguere in sensu absoluto, sed supposita distinctione inter actus; & quia hic non interuenit realis actuum distinctio; bene tamen ibi distinctio virtualis; hinc fit, quod ibi rectè inferatur similis continentia inter actus; secus vero in casu obiectionis.

12 *Tertio prob. consequentia.* Denique tertio probatur illatio; quia non potest vlla, adhuc apparens ratio assignari, supposita virtuali distinctione inter actus, cur non detur virtualis processus ex vno ad alium. Dices forte, rationem esse; quia vt ex actu vno procedatur in alium, debet primus attingere principium, quatenus est principium formaliter; actus autem luminis principiorum diuini non attingit naturam formaliter, vt ex radix attributorum; & idcirco ex illo non potest intellectus diuinus virtualiter procedere ad actum scientificum. *Dices.*

13 *Contra 1.* Cæterum insufficientia huius solutionis clarè colligitur ex superius dictis *Disput. præcedenti* immediate, & *Disput.* 23. & impugnatur breuiter sic primo; natura diuina vt radix attributorum, non attingitur per actum scientificum, nisi solum vt *quo*, vt diximus *Disput.* 23. ergo vt *quod* attingitur formaliter sub ratione radicis per actum luminis principiorum diuini. *Secundo.* Secundo, lumen principiorum creatum attingit vt *quod* prima principia, etiam vt habent rationem principiorum reduplicatiuè; aliàs ex illo scientia non generaretur, si attingeret solum principia specificatiuè : ergo lumen diuinum attinget vt *quod* naturam diuinam, vt formaliter habet rationem radicis. *Tertio.* Tertio, natura diuina vt radix attributorum formaliter, & sub quo vis alio conceptu, est intra lineam eiusdem athomæ immaterialitatis : ergo sub omni ratione, ab eodem actu indiuisibili, etiam virtualiter, debet attingi. Tenet consequentia ex dictis *Disput. præcedenti*.

14 *Infertur 1. ex hac doctrina cõtra aliquos Modernos.* Hinc infero primo, malè aliquos Doctores Modernos constituere discursum virtualem in Deo, qui tamen non distinguunt cognitiones diuinas, etiam virtualiter. Quorum in consequentia sic probatur : ad discursum formalem requiritur realis causalitas vnius cognitionis in aliam, & realis distinctio inter illas : ergo ad virtualem necessario exigetur virtualis causalitas, & virtualis distinctio inter cognitiones; atque adeò, qui discursum virtualem agnoscunt in Deo, & tamen auferunt virtualem distinctionem inter cognitiones diuinas, parum consequenter loquuntur.

15 *Secundo infertur.* Infero secundo, quod si intellectus diuinus attingat creaturas, & attributa eodem indiuisibili actu, etiam virtualiter, & quoad rationem terminationis, non saluabitur virtualis processus ex attributis cognitis, ad creaturarum cognitionem; bene tamen, si saltim diuersis terminationibus virtualiter, omnipotentiam, & creaturas cognoscat. Constat hoc, si magis prematur, & explicetur præcedens ratio. Quid autem absolute dicendum sit, pendet ex discussione vnitatis, vel distinctionis in terminatione ad essentiam, & creaturas.

16 *Tertio infertur.* Infero tertio, illos, qui negant scientiam in Deo respectu attributorum, & solum admittunt illam respectu creaturarum cum indiuisibilitate omnimoda actus, & terminationis, parum consequenter loquutos admittentes discursum in diuino intellectu. *Quarto.* Infero quarto, visionem beatificam, qua beatus intuetur essentiam, & attributa, esse virtualiter discursiuam secundum attingentiam attributorum. Constat ex dictis : si enim diuina cognitio est virtualiter multiplex, & idcirco discursiua, secundum quod circa attributa versatur, id à fortiori debet concedi in visionem Beatorum, quæ est formalis participatio cognitionis diuinæ.

17 *Quinto.* Colligo quinto, fidem, nec virtualiter esse discursiuam; quia etsi possit vnico actu naturam diuinam, & attributa attingere, non tamen attributa in natura, sed vtrumque innitendo diuinæ reuelationi, non necessario cognitæ vt *quod* in vi eiusdem actus, sed solum vt *quo*; illi autem vt *quo*, & reuelatis vt *quod* eodem actu, virtualiter etiam indiuisibili, assentitur; si autem aliquem discursum fidelis ad credendum format, totum hoc est antecedenter, nec per fidem fit talis discursus.

§ II.

Diluuntur contraria argumenta.

18 *Arg. 1.* CONTRA conclusionem arguitur sic primo; eodem actu, etiam virtualiter inuisibili, quo Deus attingit suam naturam, attingit etiam propria attributa : ergo ex natura ad attributa etiam virtualiter non discurrit. Consequentia tenet : sicuti namque nequit formaliter discurrere à principijs ad conclusiones, qui vtrumque attingit vno actu absque reali distinctione; qui vtrumque attingerit vno actu, ita nec virtualiter discurrere poterit, etiam virtualiter indiuisibili. Antecedens probo : actus ille luminis principiorum, quo Deus suam naturam cognoscit, formaliter intra propriam lineam est comprehensiuus naturæ diuinæ, vt natura est : ergo debet attingere omnia, quæ virtualiter continentur in illa. Antecedens videtur certum. Tum, quia est infinitus. Tum etiam, quia cognitio quidditatiua, & non comprehensiua sui obiecti, videtur imperfecta cognitio.

19 *Cõsequentia prob. primo.* Consequentiam autem probo primo : quia ad rationem comprehensionis non sufficit cognoscere omnia, quæ formaliter continentur in causa, sed requiri cognoscere omnia, quæ virtualiter continentur in illa : quo circa visio beatifica Angelorum, & hominum non est comprehensiua Dei, esto attingat omnes formalitates diuinas, quia non attingit omnes creaturas possibiles eminenter contentas in Deo : ergo si formaliter intra propriam lineam comprehendit prædictus actus diuinam naturam, debet etiam formaliter attingere attributa radicaliter in natura contenta.

20 *Secundo.* Secundo : actus qui secundum suam realitatem non cognoscit in causa omnes effectus, non comprehendit causam : ergo pariter actus, qui secundum suam formalitatem non attingit in causa, & radice omnia eminentialiter contenta, & virtualiter radicata, non erit formaliter comprehensiuus causæ, & radicis. *Cõfirmatur.* Confirmatur; intellectio non attingens omnia, quæ sunt in Deo, est finita, & imperfecta : ergo si cognitio luminis principiorum diuini non attingit formaliter omnia, quæ sunt in Deo, & diuina natura formaliter, radicaliter, & eminenter, erit imperfecta, & finita cognitio. Probo Antecedens: ideò visio Beatorum est finita, & imperfecta; quia non attingit omnia, quæ formaliter, & eminenter continentur in Deo.

21 *Respõdent PP. Salmanticenses.* Huic argumento respondent Patres Salmanticenses *Tract.* 3. *disp.* 1. *dub.* 4. in simili casu loquendo de intelligere constitutiuo, ipsorum sententia, naturæ diuinæ, actum omnem diuini intellectus attingere formaliter omnia, quæ sunt formaliter, & eminenter in Deo : cæterum non omnes sub eadem ratione, sed actus illæ constituens diuinam naturam, attingit omnia, vt stant sub intelligibilitate communi diuinæ essentiæ; actus luminis principiorum attingit naturam, & alia reduplicatiue vt per se nota; actus scientificus omnia cognoscit ratione essentiæ, vt est radix, & causa.

22 *Contra.* Cæterum hæc solutio non placet. Tum, ob superius dicta, impugnando illum actum absolutum distinctum ab alijs particularibus scientiæ, & luminis principiorum. *Secundo.* Tum etiam : quia attributa non possunt cognosci ratione essentiæ, nisi quia est radix illorum, vt dixi. *Tertio.* Tum denique : quia omnis creaturarum cognitio, cum sit comprehensiua illarum, & consequenter a priori, debet illas attigere in causa, vt est causa, & ratione illius.

23 *Respon.* Vnde aliter ad argumentum factum respondeo, negando

Ad 1. consequentia probationem. negando antecedens. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad illius primam probationem explico antecedens: debet cognoscere omnia radicata, vel contenta in causa formaliter nego antecedens: formaliter, vel radicaliter, concedo antecedens, & nego consequentiam: itaque vt actus aliquis causam comprehendat, non est necessarium, quod ipse attingat causam, & contenta in causa ratione, sui formaliter, sed sufficit, quod ratione sui formaliter causam attingat, & simul sit radix alterius actus, seu alterius formalitatis attingentis contenta, & radicata in causa; & quia formalitas actus luminis principiorum est radix alterius, nempe scientifici attingentis diuina attributa; hinc fit, quod sit comprehensio naturæ formaliter: vnde visio Beatorum ideò comprehensiua non est, quia nec attingit omnes creaturas, nec est radix actus attingentis omnes.

24 *Ad 2.* Ad secundam, distinguo antecedens: si nec secundum suam realitatem, nec secundum aliam in illa radicatam, attingat omnia, concedo antecedens; si precisè non attingat secundum realitatem propriam, nego antecedens; *Instatur.* & distinguo consequens, eodem modo. Et insto argumentum in Angelo, in quo, cum detur in communi Thomistarum sententia virtualis discursus, datur duplex actus virtualiter distinctus, quorum vno causam attingit, & alio effectum; & tamen primus comprehensiuus est causæ, quamuis non cognoscat effectus ratione sui, sed ratione alicuius virtualiter distincti, & in ipso radicati.

25 *Ad confirmationē.* Ad confirmationem respondeo, distinguendo antecedens: si nec secundum suam formalitatem, nec secundum aliam sibi identificatam attingat omnia, concedo antecedens: si non attingat secundum propriam formalitatem, bene tamen secundum aliam, cum qua identificatur, nego antecedens, & nego consequentiam: quia quamuis actus luminis principiorum inspectus intra propriam lineam, omnia non attingat; attingit tamen omnia secundum alias formalitates, cum quibus identificatur.

26 *Dices.* Dices, sequi ex ista solutione, posse constitui in Deo cognitionem sui quoad *an est* absque vlla imperfectione; consequens repugnat dictis disp. 23. ergo & solutio, & consequenter admittenda non est. Probatur sequela: absque vlla imperfectione ponimus nos in actum attingentem naturam, & non attributa; quia licet illa non cognoscat secundum propriam formalitatem, cognoscit tamen secundum aliam sibi identificatam: ergo pariter poterit absque imperfectione constitui in Deo cognitio sui quoad *an est* tantum sub aliqua formalitate, per hoc, quod sub alia, cum qua identificatur, ipsum Deum attingat quoad *quid est*; & intuitiue.

27 *Confirmatur.* Explicatur hoc amplius: ponere in Deo actum, qui naturam attingat, & nullatenus attributa, est imperfectio, non minor, quam ponere in ipso cognitionem abstractiuam, & nullatenus intuitiuam: ergo sicuti omnis imperfectio tollitur à primo, per hoc, quod attributa cognoscat secundum formalitatem sibi identificatam; ita pariter tolleretur omnis imperfectio à cognitione abstractiua, per hoc, quod secundum aliam formalitatem sibi identificatam sit intuitiua.

28 *Respond.* Respondeo, negando sequelam; & ratio disparitatis est: quia omnis actus existens in Deo, debet intra propriam lineam attingere suum obiectum, ea perfectione, qua petit cognosci, & sic non attingi est imperfectio in actu: hinc ergo nascitur ratio discriminis; natura namque diuina perfectè cognoscitur ea perfectione, qua petit cognosci intra propriam lineam; quamuis non attingantur attributa in vi eiusdem formalitatis actus; quia cum virtualiter distinguatur ab attributis, non petit attingi simul cum illis in vi eiusdem actus virtualiter indiuisibilis: cæterum omnis formalitas diuina petit attingi secundum se, idest, secundum suam propriam realitatem, non vt possibilem; atque adeò sic non attingi, etiam per aliquam actus formalitatem, est imper- *Ad confirmationē.* fectio maxima in actu; sed de hoc inferius latior reddibit sermo, per quod ad explicationem, seu confirmationem constat solutio.

29 *Secundo arguitur.* Secundo arguitur: discursus est motus rationis; sed motus, etiam virtualis, repugnat Deo: ergo repugnat ipsi virtualis discursus. Probatur minor, Deo repugnat potentialitas virtualis: ergo & virtualis motus, de cuius ratione est, quod sit actus entis in potentia, secundum quod in potentia. *Cōfirmatur.* Confirmatur; discursus est processus ex noto ad ignotum; sed repugnat Deo, aliquid esse ignotum, nedum in re, verum etiam per nostram rationem: ergo idem quod prius. Patet minor: quia omnino repugnat, nos vere concipere in Deo aliquid ipsi ignotum.

Respondeo primo, diffinitionem allatam discursus esse intelligendam de discursu formali, de quo similiter intelligitur, quod debeat de noto ad ignotum procedere. Secundo respondetur, explicando dictam diffinitionem, quæ debet intelligi, vel de motu qui vere si motus, vel sumpto pro actione; Deo autem actio non repugnat: sicut etiam dicitur in diffinitione vitæ, quod viuere est mouere se, & explicatur per hoc, quod est agere à se: ita similiter quando discursus diffinitur per motum, debet sic intelligi, & explicari: discursus est motus, idest, processus, abstrahendo à formali, vel virtuali, de vna actione in aliam, vel realiter, vel virtualiter distinctam? qua ratione nihil Deo repugnans importat. 30 *Respond. primo.* *Secundo.*

Ad confirmationem distinguo maiorem, vel explico illud axioma: de noto ad ignotum absolutè, nego maiorem; de noto ad ignotum ex vi virtualitatis vnius, qua prius notum cognoscitur, concedo maiorem: & distinguo minorem, eodem modo, & nego consequentiam: Deus namque ex vi notitiæ, quam habet de propria natura, virtualiter procedit ad notitiam attributorum, quæ sunt ignota ipsi ex vi primæ virtualitatis: quia, vt constat ex dictis, non attingit illa per actum luminis principiorum formaliter, sed per actum scientiæ virtualiter ab illo distinctum. 31 *Ad confirmationē.*

Tertio arguitur: Deo repugnat compositio etiam virtualis: ergo virtualis discursus. Consequentia tenet: proportionantur namque compositio in cognitione enuntiationum, cum discursu in cognitione conclusionum; & ideo homo formaliter componens in enuntiando, formaliter etiam discurrit in actu scientifico. Antecedens probatur: in hac propositione, *Deus est volitiuus*, seu *misericors*, *&c.* Deus vnico, & indiuisibili actu cognoscit subiectum, & prædicatum: ergo nec virtualiter etiam componit in cognitione enuntiationum. 32 *Tertio arguitur.*

Si dicas, cognoscere vnico indiuisibili actu realiter, non vero indiuisibili virtualiter. Obstat in contra primo: ergo non cum maiori vnitate actus, Deus cognoscit subiectum, & prædicatum enuntiationum, quam Angelus; consequens videtur derogare perfectioni diuinæ cognitionis: ergo ruit hoc effugium. Patet sequela: tam Deus, quam Angelus attingerent prædicatum, & subiectum vno actu realiter, & multiplici virtualiter: ergo non cum maiori vnitate Deus, quam Angelus. 33 *Si dicas.* *Contra 1.*

Secundo: quia sequitur, dari in Deo compositione rationis per nostros conceptus cum fundamento in re; consequens obstare videtur communi Thomistarum sententiæ: ergo idem quod prius. Patet sequela: quia pro fundamento compositionis rationis sufficit virtualis illa multitudo conceptuum obiectiuorum ex parte cognitionis diuinæ ad hoc quod noster intellectus concipiat fundare, vnam cum altera componere, nempe, cognitionem subiecti cum cognitione prædicati: ergo si datur illa virtualis multitudo cognitionum, dabitur compositio rationis inter illas cum fundamento in re. 34 *Secundo.*

Tertio: si daretur illa virtualis multitudo cognitionum subiecti, & prædicati, deberet vna ex altera oriri, & in altera radicari; at non possunt sic coordinari; quia non est maior ratio, cur vna, quam alia sit radix: ergo non datur talis distinctio inter cognitiones. Probatur maior. Tum, quia in discursu ponimus plures cognitiones, ponimus vnam radicatam in alia: ergo si damus illam multitudinem virtualem cognitionum, à fortiori debemus vnam assignare originem, & radicem alterius. Tum etiam: quia aliàs cognitio subiecti, non esset illius comprehensiua; consequens est falsum: ergo idem quod prius. Probatur sequela: quia ex vna parte, ratione sui formaliter non attingit prædicatum, quod est attributum virtualiter in illo contentum, & ex alia non radicat cognitionem attingentem prædicatum; at, vt iam diximus, ad comprehensionem requiri, attingere omnia contenta in aliquo subiecto, vel causa, aut ratione sui formaliter, aut ratione alterius cognitionis, cuius sit radix: ergo talis cognitio subiecti, illius comprehensiua non esset. 35 *Tertio.*

Ad hoc argumentum respondetur, notando, duplicem esse compositionem, alteram duorum conceptuum mutuo se excludentium, tam implicite, quam explicite, qualiter reperitur inter genus, & differentiam, & hæc 36 *Respond. ad argumentum,*

& hæc appellatur compositio metaphysica ex actu, & potentia. Alteram duorum conceptuum, quorum vnus, etsi alterum non explicet, nec è contra; inuicem tamen mutuo se includunt; sicuti est illa, quæ inter ens, & modos illius quasi contractiuos reperitur; & hæc non est proprie compositio. Primam negant omnes Thomistæ; & Nos cum ipsis denegamus, contra Vazquez, & ipsum sequentes, Deo: secunda à nullo potest negari, qui distinctionem cognoscat inter perfectiones diuinas; cum namque compositio sit distinctorum vnio, eo ipso quod in Deo ponantur perfectiones obiectiuæ ratione distinctæ, debet admitti illarum compositio, quæ solum secundum quid est talis, adhuc inter limites compositionis rationis. Dico ergo ad argumentum, Deum intelligere componendo virtualiter isto modo compositionis, ita vt cognitio prædicati non excludat, saltim implicite, cognitionem subiecti, & è contra, sed inuicem implicite vna in altera includatur: vnde sustinendo traditam solutionem.

37 *Ad 1. replicam.* Ad primam replicam respondeo, negando consequentiam: & ratio differentiæ est, quod Angelus, esto vno actu multoties attingat subiectum, & prædicatum; potest tamen diuersis actibus realiter, quodlibet seorsim attingere: Deus autem taliter illa vno actu realiter cognoscit, quod repugnat illi per plures actus illa cognoscere, etiam seorsim considerando; & in hoc statuimus magnum discrimen inter Deum, & Angelum.

Ad secundam respondeo distinguendo consequens, sequitur dari in Deo compositionem rationis simpliciter talem ex pluribus obiectiuis conceptibus mutuo se excludentibus explicite, & implicite, nego sequelam: secundum *quid talem* ex pluribus mutuo se actu implicite includentibus, concedo sequelam, quæ distinctio ex doctrina tradita constat, nec istum modum compositionis, negat imo nec negare possunt Thomistæ, sed tantum primum. 38 *Ad 2.*

Ad tertiam concedo sequelam, & nego minorem: dico namque, cognitionem prædicati in cognitione subiecti virtualiter contineri; sicuti & prædicatum in subiecto continetur; & hæc est ratio, cur cognitio prædicati virtualiter contineat cognitionem subiecti, & non è conuerso, quæ doctrina constat ex tertio, & quarto argumento facto in comprobationem nostræ sententiæ. Et hæc de ista disputatione sufficiant. 39 *Ad tertiã.*

DISPVTATIO XXIX.

Qualis sit diuisio scientiæ Dei in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ, & an sit adæquata.

§ I.

Prima pars disputationis resoluitur.

Nu. 1. *Communis sententia protõ-clusione statuitur.* A PRIMA parte disputationis, in qua de qualitate diuisionis inquirimus, an, scilicet, sit essentialis cum virtuali intrinseca distinctione ex parte actus, an vero non ita, sed solum per extrinseca connotata, facile Nos expediemus; quia ferè constat ex dictis in superioribus: est communis Theologorum sententia, scientiã visionis, & simplicis intelligentiæ in Deo non differre tanquam duo attributa, sed esse vnicum, & inuisibile attributum in Deo. Illam expresse docuit D. Thom. *de veritate quæst. 9. art. 2. ad 1.* dicens, prædictam diuisionem non dari de scientia ex parte scientis, sed solum ex parte scitorum, quatenus vnum existit, & aliud non: ipsum sequuntur omnes eius discipuli, noster Albelda *1. p. quæst. 14. art. 9. disp. 39. sect. 2.* Cornejo *eodem art. 9. disp. 2. dub. 1. in solutione ad 1 & art. 5. disp. 1. dub. 2.* PP. Salmanticenses *Tract. 3. de scientia Dei, disp. 5. dub 2.* & extra Scholam D. Thom. ferè communiter. *Albelda. Cornejo. Salmant.*

2 *M. Cornejo probat nostrã cõclusionẽ.* Illam probat Magister Cornejo hac ratione; cognitio qua Deus creaturas cognoscit, non est virtualiter distincta à cognitione, qua cognoscit se ipsum: ergo nequit attributaliter multiplicari ex creaturarum diuersitate. Probat antecedens; cognitio, qua Deus cognoscit se ipsum, est comprehensio: ergo non potest non secundario ad creaturas ipsa formaliter terminari; & consequenter cognitio creaturas attingens, non distinguitur virtualiter à cognitione, qua se ipsum cognoscit. *Hac rationẽ placet.* Cæterum hæc ratio non placet, quia licet antecedens sit verum, & consequentia legitima: probatio tamen antecedentis est insufficiens: conuincit namque, si aliquid probat, in Deo non distingui virtualiter cognitionem naturæ a cognitione attributorum; cuius oppositum probatum reliquimus *supra*: & ad illam ex ibidem dictis posset responderi, ad comprehensionem sufficere, quod ratione sui cognoscat Deum, & ratione alterius formalitatis, cuius ipsa sit radix, cognoscat creaturas.

3 *Probatur conclusio ratione D. Tho.* Vnde aliter est probanda nostra conclusio, & communis sententia ratione desumpta ex D. Thom. loco allegato, quæ sic potest formari; in multiplicato obiecto primario, non multiplicantur attributa in Deo virtualiter; at obiectum primarium scientiæ simplicis intelligentiæ, & visionis non multiplicatur, sed omnino idem: ergo scientia visionis, & simplicis intelligentiæ non distinguitur in Deo virtualiter attribualiter. Consequentia tenet. Maior est certa, & minor probatur: tam creaturas existentes, quam possibiles cognoscit Deus in se ipso tanquam in causa, & obiecto primario prius cognito, vt ex dicendis *infra* constabit: ergo obiectum primarium vtriusque est omnino vnum, & idem.

4 *Respondebis.* Respondebis forte, Deum cognoscere creaturas existentes in se ipso, vel in sua essentia vt actu causante, & per decretum determinata; at vero creaturas possibiles cognoscere in sua omnipotentia vt causatiua in actu primo, & vt præuenit omnem liberi decreti determinationem: vnde iam assignatur sufficiens distinctio in obiecto primario, vt virtualiter inter se distinguantur scientia visionis, & simplicis intelligentiæ. *Contra 1.* Sed contra primo; omnipotentia diuina vt causans in actu secundo, secundum ea quæ illius causalitas importat in recto, & vt potens causare, est eiusdem prorsus immaterialitatis; ergo non potest obiectiue distinguere attributa in Deo.

5 *Secundo.* Secundo, Deus eadem cognitione indiuisibili, etiam virtualiter, cognoscit omnipotentiam vt causatiuam, & vt actu causantem: ergo pariter eadem indiuisibili cognitione, etiam virtualiter cognoscit possibilia, & actu existentia. Consequentia tenet, & antecedens probo: eadẽ cognitione adhuc virtualiter indiuisibili cognoscit Deus intellectum, & voluntatem, & alia attributa; aliàs multiplicarentur virtualiter attributaliter scientiæ in Deo, cuius contrarium supra satis ostendimus: ergo pariter etiam cognoscet eadem cognitione, adhuc virtualiter indiuisibili, omnipotentiam vt causatiuam, & vt actu causantem. Tenet consequentia; quia si quæ est distinctio inter omnipotentiam vt in actu primo, & in actu secundo,

cundo, tanta est, aut maior inter alia attributa inter se: ergo si hæc est insufficiens ad variandas attributaliter cognitiones, pariter & illa insufficiens erit.

§. II.

Objectionibus in contrarium occurritur.

6 *Obijcitur primo.* OBIICIES primo, intellectus diuinus cognoscit Dei naturam in se ipsa, & attributa in eadem natura, & ex vi cognitionis illius; & tamen ponimus diuersas cognitiones attributaliter, vt constat ex dictis: ergo quod medium in quo cognoscit creaturas existentes, & possibiles, sit omnino idem, non conuincit, non esse multiplicandas attributaliter cognitiones. *Respondetur.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia respectu cognitionis attributorum, solum se habet obiectiue vt *quo* diuina natura; cum tamen respectu propriæ cognitionis se habeat vt *quo*, & vt *quod*: vnde iam assignamus obiecta diuersa; at vero respectu cognitionis creaturarum, tam vt *quo*, quam vt *quod* obiectum primarium est diuina essentia, vt constat ex dictis supra.

7 *Obijcitur secundo.* Obijcies secundo; in creatis multiplicantur realiter essentialiter actus, immultiplicato obiecto primario: ergo in diuinis, illo immultiplicato, poterunt virtualiter actus distingui. Tenet consequentia, & probatur antecedens: actus, quo noster intellectus cognoscit ens rationis differt realiter, & essentialiter ab actu, quo intelligit ens reale; & tamen obiectum primarium vtriusque est vnum, & idem, nempe ens reale: ergo, in multiplicato obiecto primario, multiplicantur actus realiter essentialiter in creatis.

8 *Si dicatur.* Si respondeatur, quod licet obiectum primarium nostri intellectus sit ens reale, non tamen est obiectum primarium cuiuslibet actus; sed respectu illius, qui ens rationis attingit, ipsum ens rationis est obiectum primarium, & ens reale est obiectum primarium actus, quo cognoscitur: vnde iam ponuntur obiecta primaria diuersa. *Cōtra insurges.* Obstat in contra, non posse intellectum elicere actum circa obiectum aliquod, nisi vt stat sub ratione formali sui obiecti adæquati, & specificatiui: ergo si adæquatum specificatiuum intellectus humani est ens reale, illud etiam debet esse obiectum primarium, & specificatiuum cuiuslibet actus.

9 *Respond.* Respondeo iuxta datam solutionem. Ad replicam dico, ad summum conuincere, quod respectu actus, quo ens rationis à nostro intellectu cognoscitur, debet ens reale esse obiectum *quo*, quatenus per eius speciem, & ad instar illius debet cognosci, non tamen quod respectu illius actus ens reale obijciatur vt *quod*, sed vt sic per illum solum cognoscitur primario ens rationis, quod sufficit vt in nobis multiplicentur actus: at vero in nostro casu tam vt *quo*, quam vt *quod*, tam respectu intellectus, quam respectu actus, obiectum primarium est diuina essentia, seu omnipotentia diuina, vt ex supra dictis constat.

10 *Obijcitur tertio.* Obijcies tertio, obiectum primarium scientiæ simplicis intelligentiæ in quo Deus cognoscit creaturas possibiles, est omnipotentia, & obiectum primarium scientiæ visionis, in quo Deus intuetur creaturas existentes, est diuinum decretum, quod est actus voluntatis diuinæ; at decretum liberum Dei virtualiter differt ab omnipotentia; cum ista sit intellectus practicus, in communiori Thomistarum sententia, vel attributum ab intellectu, & voluntate distinctum, vt volunt nonnulli: ergo obiectum primarium scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ non est omnino idem, sed virtualiter diuersum; & consequenter, & ipsæ scientiæ virtualiter attributaliter differunt.

11 *Respond.* Respondeo, omissa pro nunc maiori, & minori, negando consequentiam, vel claritatis gratia, distinguendo consequens: differunt virtualiter in esse entis, transeat consequens: in ratione obiecti, nego consequentiam. Et ratio est; quia esto differant tanquam duo attributa, decretum, in quo intuetur futura, & omnipotentia, in qua attingit possibilia; quia tamen in ratione eiusdem immaterialitatis conueniunt: hinc fit, quod non distinguantur formaliter in ratione obiecti scientiæ diuinæ. Pro cuius pleniori intelligentia recolantur dicta supra.

12 *Instabis.* Sed instabis in contra: si omnipotentia non distinguitur ab intellectu practico, vt magis communiter docent nostri Thomistæ, & decretum est actus voluntatis, differunt etiam in ratione immaterialitatis; ita vt sit maior immaterialitas omnipotentiæ, immaterialitate decreti; cum intellectus præstet voluntati in immaterialitate, in nobis realiter, & in Deo virtualiter: ergo differunt etiam in ratione obiecti formaliter, & consequenter scientiæ, quæ ab illis sumunt specificationem, attributaliter distinguentur. Patet consequentia ex dictis supra: ideo namque docuimus, lumen principiorum virtualiter differre ab actu scientifico in Deo; quia natura, quæ est obiectum luminis, est immaterialior virtualiter attributis, quæ specificant scientiam: ergo si omnipotentia specificans simplicem notitiam, est immaterialior decreto specificante visionem, visio, & simplex intelligentia virtualiter different.

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad cuius probationem respondeo: totum illum excessum inter attributa, esse merè materialem in ordine ad actum scientificum; quia omnia conueniunt in eadem ratione demonstrabilis; aliàs respectu singulorum attributorum essent multiplicandi virtualiter actus in Deo, quod est falsum, & à nemine assertum; at vero excessus naturæ ad attributa, est excessus formalis; quia non conueniunt in vna ratione veritatis demonstrabilis: & idcirco dispar est ratio, quæ doctrina est notissima ex his, quæ in specificatione scientiarum solent doceri. 13 *Respond.*

Objicies quarto: de scientia visionis secundum ea, quæ importat in recto, & intrinsecè verificatur, quod est causa rerum in actu secundo, & hoc idem negatur de scientia simplicis intelligentiæ, etiam secundum ea, quæ intrinsecè, & in recto importat, vt postea dicemus: ergo verificantur de illis secundum intrinseca, duo contradictoria; & consequenter virtualiter intrinsece differunt. 14 *Objicies quarto.*

Ad hoc argumentum respondeo, notando, quod licet scientia visionis, & simplicis intelligentiæ non differant secundum actualitatem, & perfectionem: differunt tamen secundum terminationem; ita vt scientia visionis addat supra simplicem notitiam terminationem ad obiecta existentia, & non solum extrinsecam connotationem obiecti existentis: vnde quamuis quidquid verificatur de vna secundum actualitatem, & perfectionem, verificetur de altera; potest tamen, aliquid verificari de vna secundum terminationem intrinsecam, quod de alia secundum propriam terminationem negetur. 15 *Notatur pro solutione.*

Quo supposito, sic in forma distinguatur consequens: ergo differunt secundum intrinseca: quoad terminationem, concedo consequentiam: quoad actualitatem, & perfectionem, quod erat necessarium, vt attributaliter distinguerentur, nego consequentiam. Et si inquiras rationem, cur illa terminatio diuersa, non sit etiam diuersa actualitas, & perfectio. Respondeo, rationem esse: quia diuersa actualitas, & perfectio debet desumi ex diuerso obiecto primario, & quia vtraque habet idem obiectum primarium: hinc fit, quod gaudeant eadem indiuisibili perfectione, & actualitate. Multa possunt obijci, sed quia propriam solutionem habent *quæst. 19. 1. par.* vbi agitur de actu libero Dei: ideò ad illum locum remittuntur: dicta sufficiant pro prima parte Disputationis. 16 *Resp. in forma.*

§. III.

Secunda pars disputationis resoluitur.

CIRCA secundam partem, in qua de sufficientia prædictæ diuisionis disquirimus, an, scilicet sit adæquata, apud Antiquos nulla fuit controuersia: omnes namque illam vt adæquatam admittunt: inter Modernos autem aliquale dissidium versatur. Noster Vincentius *relectione de Gratia Christi q. 6. dub. 1.* tertium membrum superaddendum esse, existimauit, nempè scientiam approbationis, qua Deus cognoscit futura vt futura. Ex professoribus Scientiæ Mediæ, etsi omnes conueniant in eo, quod est media inter liberam, & necessariam; non tamen omnes mediam illam constituunt inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, sed quidam illorum prædictam scientiam ad aliquod ex his membris reducunt. Alij vero tertium membrum constituere affirmant, sic Gabriel Vazquez *prima parte disputatione 67. capitulo quarto numero 27.* inconueniens non reputans à communi Antiquorum sententia recedere; quia, vt inquit ipse, Scientiæ Mediæ non meminerunt; & 17 *Prima sententia.* *Vazquez.*

ideò non mirum, quod prædictam diuisionem adæquatam esse, asseruerint. Vbi ad vertatur obiter Scientiæ Mediæ nouitas in illius professorum sententia; eidem subscribit P. Granados *tractatu quinto de Scientia Dei disputatione quinta num. quinto*, referens pro se Ludouicum de Molina.

18 *Secunda. Albeld.* Communem antiquorum sententiam dictam diuisionem adæquatam esse asserentem, tuentur, vt solent, nostri Thomistæ: Magister Albelda *disputatione 39. sectione secunda conclusione tertia*, Cornejo, & Patres Salmanticenses locis relatis in principio disputationis; & Patres Societatis quam plures; & idcirco à nobis statuitur pro conclusione. *Pro conclusione statuitur.* Et probatur hac ratione satis efficaci; inter obiecta scientiæ simplicis intelligentiæ, & visionis non datur medium: ergo nec etiam ex parte scientiæ medium est assignabile inter simplicem intelligentiam, & visionem. Consequentia tenet. Et antecedens probo; *Probatur.* obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ, est res non existens exercitè; obiectum visionis est illud, quod exercitè existit; at inter exercitè existere, & non existere exercitè, medium non datur; cum opponantur contradictoriè: ergo inter obiecta non datur medium.

19 *Respondebis.* Respondebis primo, inter existens, & non existens, dari medium, nempè, futurum sub conditione, quod ex vna parte non est merè possibile, & ex alia existens non est; cum multa conditionatim futura, nunquam sint habitura existentiam; quia nunquam est ponenda conditio. *Contra.* Sed contra, futurum sub conditione, cuius conditio nunquam est ponenda, verè non existit exercitè: ergo comprehenditur sub obiecto simplicis notitiæ.

20 *Dices.* Dices, obiectum simplicis notitiæ non esse non existens vtcumque, sed tantum non existens, quod est merè possibile; & quia futurum conditionatum non est merè possibile; hinc fit, non comprehendi sub obiecto illius. *Contra 1.* Sed contra primo: quia D. Th. respectu omnium, quæ nunquam erunt extra videntem, docet, Deum habere simplicem notitiam; at futura conditionata, de quibus loquimur, nunquam erunt extra videntem: ergo attinguntur à Deo per simplicem notitiam.

21 *Secundo.* Secundo, futurum, quod à nobis vt futurum cognoscitur, non attingitur per notitiam intuitiuam; cum ista sit notitia rei præsentis, vt præsens est: ergo per abstractiuam. Tenet consequentia; quia ista diuisio in nobis communiter traditur vt adæquata. Tum sic; sed diuisio scientiæ Dei in visionis, & simplicis intelligentiæ correspondet illi diuisioni, quæ fit de notitia creata, & in eodem sensu accipitur a Theologis: ergo prædicta futura cognoscentur a Deo per scientia simplicis intelligentiæ.

22 *Tertio.* Tertio, obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ est omne, quod est intra causam, sicut obiectum scientiæ visionis est, quod est extra causam; sed futurum sub conditione nunquam ponenda, manet intra causam: ergo attingitur per scientiam simplicis intelligentiæ. Probatur minor; tandiù effectus manet intra causam, quandiù causa non applicatur ad eius productionem; sed ad productionem talis futuri causa non applicatur: ergo intra causam manet. Consequentia cum maiori constat, & minor probatur: conditio à qua pendet causæ applicatio, non est de facto, nec vnquam ponetur: ergo causa de facto non applicatur ad illius futuri productionem.

23 *Respondebis 2.* Respondebis secundo cum nostro Vincentio; inter existens, & non existens medium assignari, nempè futurum; & consequenter inter scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ dabitur medium, nempè, scientia approbationis, qua Deus futura cognoscat. Sed præterquam quod Diuus Tho. scientiam approbationis non ex diuersa terminatione ad obiectum penes futurum, vel non futurum, sed ex ratione causalitatis, & voluntatis adiunctæ desumpsit, vt constat ex *art. 8. quæst. 14. in fine corporis articuli*. Ratione sic impugno traditam solutionem; esto Deus cognoscat futura absoluta, vt nobis futura, non tamen cognoscit vt futura sibi, sed vt suæ cognitioni præsentia: ergo cognoscit illa per scientiam visionis. Consequentia videtur bona. Et probo antecedens: Deus cognoscit futura in efficaci suæ voluntatis decreto; sed in instanti, in quo cognoscit decretum, non potest illa cognoscere vt sibi futura: ergo cognoscit illa vt sibi præsentia. Probo minorem; in instanti decreti existit futurum in mensura æternitatis, qua mensuratur diuina cognitio: ergo in illo instanti nequit à Deo vt futurum cognosci respectu suæ cognitionis. Patet consequentia; quia futurum est illud, quod non existit, habebit tamen pro tempore sequenti existentiam: ergo si in illo instanti habet existentiam respectu cognitionis diuinæ, nequit pro illo vt futurum cognosci.

24 *Confirmatur.* Confirmatur, & explicatur hoc; quando res existit in instante mensurante cognitionem creatam, nequit nisi falsò cognosci vt futurum respectu talis cognitionis: ergo pariter pro instanti, quo futurum existit in mensura cognitionis diuinæ, nequibit nisi falsò, vt futurum cognitionis diuinæ, nequibit nisi falsò, vt futurum cognosci respectu illius. Consequentia tenet. Et antecedens probo: pro illo instanti non verificatur de illo, quod non existat: ergo pro illo instanti nequit nisi falsò vt futurum cognosci.

25 *Si dicas.* Si fortè respondeas, sufficere, vt assignetur pro tertio membro scientia approbationis attingentis futurum, quod cognoscatur vt futurum nobis; quamuis non vt futurum respectu cognitionis diuinæ. In contrarium obijcio: scientia visionis non constituitur in ratione talis per hoc, quod terminetur ad suum obiectum, vt nobis præsens, sed vt præsens Deo in mensura suæ cognitionis: ergo etiam si Deus cognosceret futura vt nobis futura, dummodo ea attingat, vt præsentia sibi pro mensura propriæ cognitionis, cognoscet illa per scientiam visionis, & non per aliam scientiam distinctam. Consequentia tenet. Et antecedens constat; quia aliàs Deus non ab æterno cognosceret futura per scientiam visionis, sed in tempore inciperet illa intueri; cum in tempore incipiant esse nobis exercitè præsentia.

§. Vltimus.

Occurritur argumentis in contra.

26 *Arg. 1.* ARGVITVR primo contra conclusionem: scientia, quam Deus de non entibus habet, nec est visionis, nec simplicis intelligentiæ: ergo danda est alia scientia in diuino intellectu; & consequenter tradita diuisio adæquata non est. Probatur antecedens: quia in primis, non est scientia simplicis intelligentiæ; hæc namque terminatur ad possibile in quantum tale; sed chimeram v. g. Deus non potest cognoscere vt possibilem; quia re vera possibilis non est: ergo Deus non cognoscit illam per simplicem notitiam: quod etiam illam non cognoscat per scientiam visionis probatur: quia ista debet terminari ad rem præsentem prout præsens est, idest, ad obiectum vt mensuratum, & coexistens in mensura cognitionis; sed chimera nequit coexistere in mensura diuinæ cognitionis: ergo nequit cognosci à Deo per scientiam visionis.

Probatur minor; ideò res coexistunt ab æterno Deo in mensura æternitatis; quia in tempore habituræ sunt existentiam in reali mensura, quæ continetur in æternitate ratione suæ infinitatis; sed chimera, & alia non entia nunquam habebunt existentiam in mensura aliqua, quæ contineatur in mensura æternitatis; cum nequeant mensurari tempore, quod est aliquid reale, & duratio rationis, si datur, in æternitate non continetur, sicuti nec aliæ entitates rationis continentur in omnipotentia: ergo nequit Deus illa cognoscere scientia visionis.

27 *Respond.* Ad argumentum respondeo; entitates rationis in duplici statu posse considerari, & in statu possibilitatis; quando scilicet sunt solum in potentia confictiua nostra non determinata ad illorum actualem confictionem, & in statu existentiæ, cuius sunt capaces, quando videlicet actu confinguntur a nostro intellectu. Primo modo cognoscuntur à Deo per simplicem notitiam, ad quod necessariũ non est, quod cognoscantur, vt potẽtes habere verã existẽtiã, sed sufficit cognosci, vt potentes habere existentiã cõfictam, quod de facto cognoscit Deus; cum comprehendat potentiam confictiuam. Secundo modo cognoscuntur scientia visionis; quia attinguuntur vt existentes, ea existẽtia, cuius sunt capaces, nempè conficta, & sicuti vt cognoscantur a Deo per simplicem notitiam, non est necessarium, quod contineantur in omnipotentia tanquam in causa, sed sufficit contineri in potentia nostra, quæ in omnipotentia continetur; ita similiter, vt terminent notitiam intuitiuam Dei, necessarium non est, quod ipsæ ratione sui in æternitate contineantur, & ab illa mensurentur, sed sufficit, quod actus confingens illas contineatur, seu mensuretur ab æternitate. De quo Disputationibus sequentibus longior redibit sermo.

28 *Arg. 2.* Secundo arguitur: futura conditionata, quorum conditio nunquam est extra causas ponenda; quale est illud: *Væ tibi Corozain: væ tibi Betsayda, &c.* cognoscuntur a Deo; & tamen non cognoscuntur per aliquam ex prædictis scientijs: ergo datur in diuino intellectu scientia inter illas Media, per quam cognoscantur. Conse-

quentia

quentia tenet. Maior infra latè ostendetur; & minorem probo: quia in primis non cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ, cuius obiectum est entitas possibilis; talia autem futura merè possibilia non sunt; aliàs terminarent scientiam necessariam, nec per scientiam visionis; quia non sunt in æternitate præsentia, quod erat necessarium, vt terminarent diuinam intuitiuam notitiam: ergo per nullam ex scientijs prædictis cognoscuntur.

29 *Respondet M. Gonzal.* Ad hoc argumentum respondet Mag. Gonzalez vbi *supra num.* 14. cognitionem futurorum conditionatorum pertinere ad scientiam visionis, & probat primo: quia *Prob. 1. suam resolutionem.* cognitio istorum futurorum est libera: ergo pertinet ad scientiam visionis. Patet consequentia; quia scientia libera, & scientia visionis pro eodem vsurpantur à Theologis, & oppositum, inquit ipse, parit magnam confusionem. *Secundo.* Secundo, negationes confictæ ab intellectu nostro, cognoscuntur à Deo per scientiam visionis; quia esto non existant existentia physica, & vera, existunt tamen existentia conficta, cuius sunt capaces; sed etiam futura conditionata, esto absolutè non habeant existentiam; existunt tamen existentia conditionata in decreto causæ primæ absoluto ex parte subiecti, & conditionato ex parte obiecti: ergo cognoscuntur ab illo per scientiam visionis.

30 *P. Granados sequitur eãdem sententiam.* Idem sentit Granados, ex suppositione, quod ad aliquam ex prædictis scientijs esset reducenda Scientia Media, seu conditionata, allegans pro se Patrem Suarez *cap.* 3. *num.* 5. Cuius ratio est; quia scientia futurorum conditionatorum maiorem similitudinem habet cum scientia visionis, quam cum scientia simplicis intelligentiæ: ergo si reducenda est ad aliquam illarum, debet reduci ad scientiam visionis. Probat antecedens; quia vtrumque obiectum est contingens, seu non necessarium, pendens ex libera voluntate Dei; & vtraque scientia potuit non esse in Deo, nihilque perfectionis addit supra actum necessarium; cum tamen scientia simplicis intelligentiæ necessaria sit, & eius obiectum merè possibile, nullam dependentiam importans à diuina voluntate.

31 *Hæc resolutio reijcitur 1.* Cæterum iste modus dicendi non placet. Tùm primo, quia aduersari videtur Angelico Doctori *quæst. secunda de Veritate articulo nono ad secundum,* illis verbis: *Per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi quæ sunt extra ipsum;* at futura conditionata, de quibus loquimur, non sunt extra Deum: ergo non attinguuntur per scientiam visionis. *Respondebis 1.* Respondebis primo, ista futura, quamuis non sint extra Deum absolutè, existunt tamen extra Deum conditionatim.

Contra. Sed contra: quia D. Thom. ex eo quod per scientiam visionis solum Deus cognoscat, quæ sunt extra ipsum, infert, per talem scientiam Deum non cognoscere infinita, benè tamen per simplicem notitiam; at si intelligeretur de existentibus extra Deum existentia absoluta, vel conditionata, non benè id inferret; cum existentia conditionata, seu conditionatim futura, sint infinita, vtpote circa omnes combinationes possibiles: ergo solum loquitur Angelicus Doctor de existentibus extra Deum existentia absoluta.

32 *Respondebis 2. Contra 1.* Respondebis secundo, loqui Diuum Thomam de scientia visionis, quæ absolutè est talis, non vero, quæ solum reductiuè est scientia visionis. Sed contra primo: quia scientia horum futurorum est verè, absolutè, & simpliciter scientia: ergo vel simpliciter visionis, vel simpliciter simplicis intelligentiæ: ergo si loquitur D. Tho. de illa, quæ est simpliciter visionis, loquitur etiam de scientia futurorum conditionatorum. *Secundo.* Secundo: quia D. Thom. *in solutione ad primum,* docuit, Deum non cognoscere infinita per scientiam visionis, benè tamen per simplicem notitiam; at si sentiret, esse scientiam visionis secundum quid talem infinita cognoscentem, diminutè procederet Angelicus Doctor: ergo idem quod prius.

33 *Secundo impugnatur resolutio principalis.* Secundo principaliter impugnatur ab aliquibus modus iste dicendi: quia in communi sententia Theologorum cum D. Thoma 3. *p. quæst.* 10. *art.* 2. anima Christi in Verbo cognouit omnia, quæ scit Deus scientia visionis; at non cognouit omnia conditionatim futura: ergo conditionatim futura non cognouit Deus per scientiam visionis. Probo minorem ex communi, & recepta sententia apud Doctos Thomistas, asserente, Deum habuisse ab æterno decreta conditionata circa omnes combinationes omnium possibilium; at ista decreta cognosci non possunt, quin omnia possibilia cognoscantur: ergo cum anima Christi in Verbo omnia possibilia non cognouerit in omnium sententia; imo nec cognoscere potuerit de absoluta Dei potentia in communiori Thomistarum consensu, nec etiam cognouit omnia conditionatim futura. Hæc tamen obiectio non vrget, & constat ex his, quæ diximus 3. *p. Tract.* 3. *disp.* 34. §. *vltimo.*

34 *Tertio.* Tertio impugnatur: futura conditionata cognoscuntur à nobis notitia abstractiua, esto cognoscantur cum existentia conditionata, cuius sunt capaces: ergo pariter notitia, quam Deus habet de illis, erit abstractiua. Patet consequentia à paritate rationis. *Dices.* Dices, disparitatem esse, quod noster intellectus non cognoscit intuitiuè illorum determinationem; cum non intueatur decretum, quod est ratio determinandi, bene tamen intellectus diuinus.

35 *Contra 1.* Sed contra primo, quia intellectus noster, saltim respectu futurorum naturalium non contingentium habet intuitiuam notitiam causæ, quæ est ratio cognoscendi illa, quod ad minus de Angelo non potest negari, quod videlicet, causam naturalem determinatam cognoscat intuitiuè: & tamen non intuitiuè, sed abstractiuè cognoscit futura; sicuti etiamsi intueatur effectum cum causa connexum, causam tamen occultam non intuetur; alias intuitiuè cognosceret Deum: ergo quod Deus intueatur decretum, non infert intuitiuè attingere futura in decreto.

Secundo. Secundo: Deus intuitiuè cognoscit omnipotentiam, quæ est ratio cognoscendi possibilia; & tamen possibilia non intuetur, sed abstractiuè cognoscit: ergo quod intuitiuè attingat decretum, quod est ratio cognoscendi futura, non probat, intuitiuè attingere futura.

36 *Si dicas. Contra.* Si dicas, possibilia non habere existentiam aliquam, futura tamen conditionata habere existentiam, cuius sunt capaces. In contrarium vrgeo: futura conditionata nullam immutationem intrinsecam habent ratione decreti: ergo nec habent existentiam intrinsecam, sed solum extrinsecam in decreto, & ratione illius; at etiam possibilia habent existentiam, quamuis non intrinsecam, extrinsecam tamen in omnipotentia, quæ illa possibilia denominat: ergo nulla est disparitas.

7 *Confirmatur.* Confirmatur, & vrgetur; sicut futura conditionata secundum se sunt capacia existendi absolutè, supposito tamen decreto de nunquam ponenda conditione, sunt incapacia; ita similiter purè possibilia secundum se spectata, possunt existere, non tamen id possunt, supposito decreto de non futuritione illorum: ergo sicuti illa habent existentiam, cuius sunt capaces, nempè in decreto, ita possibilia habent in omnipotentia existentiam, cuius sunt capaces; & tamen non cognoscuntur intuitiuè à Deo; quamuis omnipotentia intuitiuè cognoscatur: ergo pariter, quamuis decretum cognoscatur intuitiuè à Deo; futura tamen conditionata non cognoscentur ab ipso intuitiuè, sed abstractiuè, & consequenter per simplicem notitiam.

38 *Respond. ad 1. motiuum M. Gonzal.* Nec vrgent, quæ pro se adducit prædictus Mag. Ad primum namque facillimo negotio respondetur, negando consequentiam. Ad cuius probationem, nego antecedens: quod scilicet, scientia libera, & scientia visionis pro eodem vsurpentur, nec confusionem parit, quod simplex notitia in liberam, & necessariam partiatur; sicuti nec confusionem aliquam inducit, quod scientia visionis simili diuisione diuidatur, nempe in naturalem, quatenus Deum respicit, & liberam, quatenus intuetur creaturas.

39 *Ad secundum.* Ad secundum, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia negationes, & alia entia rationis vere existunt existentia conficta, nec vlterioris existentiæ sunt capaces; & sicuti hoc sufficit, vt intuitiuè cognoscantur à nobis, pariter etiam sufficit, vt intuitiuè cognoscantur à Deo: cæterum futura conditionata sunt capacia existentiæ intrinsecæ; in decreto autem solum habent extrinsecam ratione decreti, quod non sufficit, vt terminent scientiam visionis, vt dicebamus de possibilibus: imo etiam si capacia non essent vlterioris existentiæ, assererem ego, nec esse capacia terminandi intuitiuam notitiam.

40 *Si obijcias.* Si opponas; priuatio realis, v. g. visus, intuitiuè attingitur à Deo; & tamen non existit existentia intrinseca, sed solum extrinseca sui fundamenti; cum non ens, sit incapax intrinsecæ existentiæ: ergo existere solum existentia extrinseca, sufficiens est ad terminandum intuitiuam notitiam.

Respond. Respondeo, quod sicut ens reale est duplex, aliud positiuum, aliud priuatiuum, ita similiter, existentia realis est duplex, positiua scilicet, & priuatiua, & hæc secunda existit intrinsecè priuatio visus.

41 *Motiuum P. Granados diluitur.* Ad fundamentum, quo conuincitur Pater Granadus, respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia conuenientia in libertate, & contingentia cum scientia visionis, est conuenientia quasi generica, non differentialis in eo, quod est illi peculiare, videlicet, in attingentia rei physicè præsentis, vt præsens est; at vero conuenientia cum scientia simplicis notitiæ est differentialis in attingentia, scilicet abstractiua obiecti, quod est constitutiuum notitiæ abstractiuæ, cui libertas neutiquam repugnat.

42 *Secunda solutio argumenti principalis.* Alij supponendo, traditam diuisionem adæquatam esse, ad argumentum factum respondent: scientiam futurorum conditionatorum reductiuè pertinere ad scientiam visionis, & etiam reductiuè pertinere ad simplicè notitiam. Pro quo notant, scientiam simplicis intelligentiæ habere duo, & quod sit abstractiua, quod sit de rebus quantum ad sua prædicata quidditatiua. Et similiter scientia visionis superaddit ad scientiam necessariam, & existentiam physicam obiecti, & decretum approbatiuum voluntatis diuinæ. Quo supposito dicunt, scientiam futurorum conditionatorum reduci ad simplicem notitiam pro ea parte, qua illa est abstractiua. non vero pro ea, qua quidditates respicit; & ad scientiam visionis reduci pro ea parte, qua decretum approbatiuum supponit, quamuis non simpliciter visionis, quia obiectum eius non existit physicè.

43 *Ista solutio reijcitur 1. Secundo.* Cæterum nec iste modus dicendi plenè satisfacit. Tùm, quia scientia ista: cum simpliciter habeat rationem scientiæ, etiam secundum terminationem ad obiectum, debet sub aliquo membro prædictæ diuisionis simpliciter, & directè contineri, vel tertium membrum simpliciter tale constituere, sicut contingit in omni diuisione: tùm etiam, quia vel est de conceptu vltimo constituente simplicem notitiam, terminari ad quidditates purè possibiles, & de conceptu visionis ad illas vt physicè existentes, vel non: si secundum dicatur, poterit directè contineri sub aliquo ex membris prædictis: si namque simplex notitia id non petat, sed solum terminari ad obiectum physicè non existens, simpliciter, & absolutè erit simplex notitia scientia futurorum conditionatorum: si dicatur primum: ergo ista scientia tertium membrum constituet. Patet consequentia, habet obiectum, nec physicè existens, nec purè possibile; & alias simpliciter scibile à Deo: ergo erit scientia simpliciter talis media, & distincta à scientia visionis, & simplicis notitiæ.

44 *Tertio.* Tum denique quia notitia, quam intellectus noster habet de futuris, simpliciter est abstractiua, nec ad intuitiuam reducitur: ergo pariter notitia futurorum in Deo absolutè, & simpliciter erit simplex notitia, nec reducetur ad scientiam visionis. Tenet consequentia; quia diuisio ista in Deo traditur communiter conformiter ad diuisionem prædictam notitiæ creatæ, & ex illius adæquatione istius adæquatio probatur, vt videre est apud nostros Thomistas.

45 *Vera solutio.* Vnde his omissis, ad argomentum principale respondetur, iuxta insinuata à Nobis inter probandam nostram conclusionem, negando minorem; dicimus namque simpliciter esse simplicem notitiam. Ad cuius impugnationem distinguo antecedens: obiectum principale, concedo antecedens: obiectum adæquatum, nego antecedens, & nego consequentiam. Vel aliter potest distingui: obiectum simplicis notitiæ necessariæ, est purè possibile, concedo antecedens: simplicis notitiæ liberæ, vel à necessaria, & libera abstrahentis, nego antecedens, & nego consequentiam. Itaque dico de conceptu simplicis notitiæ vt sic, solum esse, quod sit abstractiua terminata ad obiectum physicè extra causas non existens, ista diuiditur in necessariam, & liberam. Prima terminatur ad purè possibile; secunda verò ad futurum sub conditione, quod physicè extra causas non existit.

46 *Si opponas 1. ex D. Tho.* Huic resolutioni obstare videtur primo D. Tho. *q. 3. de Veritat. art. 3. ad 8.* illis verbis: *Simplex notitia dicitur, non ad excludendum respectum scientiæ ad scitum, sed ad excludendum admixtionem eius, quod est extra genus notitia, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas producendas, quam addit scientia approbationis*; at sic est, quod scientia futurorum conditionatorum addit ordinem voluntatis ad res scitas: ergo non est simplex notitia.

47 *Respond.* Respondeo, quod licet ista scientia addat ordinem voluntatis ad res scitas, non tamen addit ordinem voluntatis ad res scitas producendas absolutè, & illum solum excludit simplex notitia; & quod D. Tho. in illa solutione non intendat exclusionem ordinis voluntatis ad res scitas producendas sub conditione, patet; quia solum intendebat saluare, simplicem notitiam esse in virtute practicam, non in actu, & id ad simplicem notitiam pertinere; scientia autem futurorum conditionatorum, esto addat respectum voluntatis ad res scitas producendas sub conditione, non est practica in actu.

48 *Solutio constat ex D. Tho.* Patet hoc ex illis verbis D. Thom. in corpore articuli: *Quadam cognoscit ordinando ad hoc, quod sint secundum quodcumque tempus, & horum habet practicam cognitionem in actu; quadam vero cognoscit, quæ nullo tempore facere intendit, & de his habet scientiam in actu, non tamen actu practicam, sed virtute tantum*: cum ergo illa, quæ solum vt futura sub conditione cognoscit, nullo tempore facere intendat; fit consequens, quod respectu illorum non habeat scientiam practicam in actu; & consequenter ordo voluntatis ad res scitas sub conditione producendas, non excluditur a simplici notitia; cum solus ille ordo voluntatis excludatur, qui scientiam practicam in actu constituit.

49 *Si oppo. nas 2.* Obstat secundo, quod scientia visionis, & scientia approbationis inter se adæquantur; at scientia futurorum conditionatorum est scientia approbationis: ergo est scientia visionis. Consequentia tenet. Minor constat, ex eo quod scientia approbationis est nihil aliud superaddit ad scientiam, quam ordinem ad actum liberum voluntatis diuinæ; at scientia futurorum conditionatorum dicit ordinem ad decretum liberum voluntatis diuinæ circa futura: ergo est scientia approbationis. Maior vero probatur: scientia, qua Deus est causa rerum in actu secundo, est scientia visionis, vt alibi docuimus; at scientia, qua Deus causat res in actu secundo, est scientia approbationis, vt constat ex D Tho. *art. 8. in fine corporis*, illis verbis: *Vnde scientia Dei secundum quod est causa rerum, consueuit nominari scientia approbationis*: ergo scientia visionis, & approbationis inter se adæquantur, & conuertuntur.

50 *Respond.* Ad hoc argumentum respondeo, quod solum id Deus dicitur approbare simpliciter, quod absolutè existere decernit; id vero quod solum sub conditione efficaciter vult, simpliciter non approbat, imo reprobat simpliciter; cum decernat, quod absolutè numquam existat, quia approbare, vel reprobare dicitur Deus, cui communicare vult, vel non vult communicare existentiam: vnde scientia approbationis, simpliciter talis, conuertitur cum scientia visionis; non vero cum illa conuertitur scientia approbationis, quæ *secundum quid* tantum est approbatio, vel ab vtroque abstrahens. Et in forma distinguatur maior: scientia approbationis simpliciter talis, conuertitur cum scientia visionis, concedo maiorem: scientia approbationis abstrahens a tali simpliciter, & à tali *secundum quid*, nego maiorem, & distinguo minorem: scientia futurorum est approbationis simpliciter, nego minorem: *secundum quid*, concedo minorem, & nego consequentiam.

51 *Inferitur 1. ex disputationis discursu.* Ex dictis, primo infertur, scientiam approbationis non posse in numero cum membris prædictæ diuisionis, sed si de scientia approbationis simpliciter tali loquamur, est scientia visionis connotando ordinem ad decretum absolutum, & efficax voluntatis diuinæ: si de illa, quæ *secundum quid* approbatio dicitur, loquamur, est scientia libera simplicis notitiæ, quæ per ordinem ad obiectum abstractiua appellatur, & approbationis, quatenus similiter connotat decretum efficax conditionatum diuinæ voluntatis circa futura.

52 *Secundo infertur.* Infertur secundo, scientiam simplicis intelligentiæ necessariam, nullatenus esse appellandam scientiam approbationis. Probatur: scientia approbationis supponit actum liberum voluntatis diuinæ, & ad illam, importat ordinem tanquam ad medium in quo suum obiectum attingit; at scientia simplicis intelligentiæ necessaria, non supponit actum liberum voluntatis diuinæ, nec importat ad illum aliquem ordinem, tanquam ad medium in quo suum obiectum attingat: ergo nullatenus est appellanda scientia approbationis.

53 *Suarez arguit in contra.* Oppositum docuit Suarez *lib. 3. de attributis negatiuis cap. 4. num. 11.* motus ex eo quod Deus scit multa per scientiam illam, quæ saltim approbat per simplicem affectum: ergo sicuti scientia visionis est approbatio, quia versatur erga obiecta à diuina voluntate efficaciter approbata; ita similiter illa erit dicenda scientia approbationis, ob similem causam. *Confirmatur* Confirmat vlterius: scientia simplicis intelligentiæ est scientia practica: ergo & approbationis.

54 *Resp. 1.* Verum hæc nihil obstant: respondetur enim primo negan-

negando, quod Deus creaturas possibiles amet simplici etiam affectu. Vel si admittatur simplex ille affectus erga possibilia, vt admittitur extra Scholam D. Thomæ magis communiter, & ab aliquibus intra illam. Dicatur dupliciter, primo, simplicem affectum non esse approbationem; vel adhuc dato, quod approbatio sit, non inde colligitur, simplicem notitiam esse scientiam approbationis; quia illum non supponit, nec ad illum importat ordinem tanquam ad medium quo suum obiectum attingat; cum potius ad illum supponatur tanquam regula illius; scientia autem visionis, & simplicis notitiæ, quæ est libera, supponunt decretum, & ad illud important ordinem.

Ad confirmationem. Ad confirmationem dicatur cum Diuo Thoma loco ex *Disput.* citato, scientiam speculatiuam solum esse practicam in habitu, seu in virtute, non vero in actu. Ex quo non infertur, esse approbationis. An autem, & quo modo practica sit, inferius constabit.

DISPVTATIO XXX.

An Deus cognoscat per scientiam simplicis intelligentiæ quidditates possibiles, quæ aliquando erunt?

§ I.

Conclusio affirmatiua probatur.

Nu. 1. *Prob. conclusio. Gonzal. Cornejo. Vazquez. Suar.* CONclusio est affirmatiua; illā tenet Mag. Gonzalez 1. *p. quæst.* 14. *art.* 9. *disput.* 39. *sect.* 2. *in* 2. *conclus.* Mag. Cornejo *disp.* 1. *circa art.* 9 *dub.* 1. Vazquez *disput.* 61, *cap.* 1. Suar. *lib.* 3. *de attributis positiuis c.* 4. quatenus docent isti duo Auctores, omnia obiecta possibilia cognosci à Deo per simplicem notitiā, estque communis apud omnes Auctores. Et probatur; quidditates possibiles, quæ aliquando erunt, cognoscuntur à Deo per simplicem notitiam, estque cōmunis apud omnes Auctores. Et probatur; quidditates possibiles, quæ aliquando erunt, cognoscuntur à Deo, non per scientiam visionis: ergo per scientiam simplicis intelligentiæ. Consequentia est bona. Maior certa, &

Minor probatur primo. minor probatur primo ex D. Thom. 1. *p. quæst.* 34. *art.* 3. asserente, Verbum diuinum procedere ex cognitione omnium possibilium; at non procedit ex scientia visionis creaturarum, secundum prædicata necessaria: ergo nulla creatura, in quantum possibilis, cognoscitur per scientiam visionis.

2 *Secundo.* Secundo, quidditates possibiles, quæ aliquando erunt, terminant necessariam Dei cognitionem; cum importent connexiones necessarias suorum prædicatorum; at scientia visionis creaturarum est libera: ergo non

Tertio. cognoscuntur a Deo per scientiam visionis. Tertio; pro priori ante decretum, quod Deus habuit de existentia horum possibilium, cognoscebantur à Deo, quoad suas quidditates per scientiam simplicis intelligentiæ: ergo etiam in instanti decreti de illorum existentia, cognoscentur a Deo per eandem scientiam, & non per scientiam visionis. Patet consequentia: quia decretum liberum de illorum existentia non tollit, quin pro eodem instanti illorum quidditates sint cognoscibiles scientia necessaria.

3 *Quarto.* Denique: sicut per decretum liberum de futuritione redditur possibile futurum, ita per decretum liberum de non futuritione, redditur repugnans eius futuritio; sed decretum liberum de non futuritione non tollit, quin pro eodem instanti cognoscatur, quatenus possibile per scientiam simplicis notitiæ; & quatenus non futurum per scientiam liberam, seu visionis: ergo pariter decretum liberum de futuritione non tollit quo minus pro eodem instanti cognoscatur, quoad suam quidditatem per simplicem notitiam, & prout existens per scientiam visionis.

4 *Conclusio ostenditur secundo.* Secundo probatur conclusio. Obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ non est quidditas rei sub absoluta negatione existentiæ, seu futuritionis: ergo decretum de illius futuritione, seu existentia non tollit quo minus scientiam simplicis intelligentiæ terminet. Consequentia tenet, & antecedens probatur; si obiectum simplicis notitiæ esset quidditas rei sub negatione absoluta futuritionis, talis scientia non esset necessaria, sed libera; at hoc est falsum: ergo eius obiectum non est quidditas sub negatione absoluta ad existendum. Patet sequela; quidditas possibilis constituitur sub absoluta negatione futuritionis per liberum decretum voluntatis diuinæ: ergo si esset obiectum simplicis notitiæ quidditas posibilis sub negatione absoluta futuritionis, talis scientia esset libera, & non necessaria.

§. II.

Argumenta diluuntur.

CONTRA conclusionem arguitur primo auctoritate D. Tho. *art.* 9. illis verbis: *Quædam enim, licet non sint nunc in actu; tamen, vel fuerunt, vel erunt, & omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis.* Et paucis interpositis, inquit: *Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ*: ergo ex mente D. Thom. illa, quæ sunt, fuerunt, vel erunt, non cognoscuntur à Deo per simplicem notitiam. 5 *Arguitur primo.*

Respondetur negando consequentiam: quia D. Thom. respectu illorum, quæ futura sunt, vel fuerunt, non apposuit exclusiuam, sed solum docuit, attingi per scientiam visionis; non tamen negauit, simul etiam per simplicem notitiam cognosci: imo cum respectu purè possibilium asseruerit, per simplicem notitiam attingi, non vero per scientiam visionis; respectu vero futurorum non excluserit ab illorum attingentia simplicem notitiam, videtur, id affirmare. 6 *Respond.*

Secundo arguitur: scientia simplicis intelligentiæ est notitia abstractiua; at de posibilibus, quæ sunt futura, Deus nequit habere notitiam abstractiuam: ergo non attinguntur ab ipso per simplicem notitiam. Consequentia tenet, maior est certa, & minor probatur: eo ipso quod decernantur futura, redduntur Deo physice in æternitate præsentia; at notitia abstractiua, est notitia rei absentis: ergo eo ipso quod detur in Deo decretum de illorum futuritione, non possunt attingi à Deo per notitiam abstractiuam. 7 *Arguitur secundo.*

Confirmatur: ad rationem notitiæ intuitiuæ sufficit coexistentia rei pro instanti reali in mensura cognitionis, etiam si cognitio præcedat ipsum prioritate *à quo*, & causalitatis; sed possibilia, quæ sunt futura coexistunt Deo ratione decreti in mensura æternitatis: ergo quamuis diuina cognitio ea præcedat prioritate causalitatis, non erit abstractiua, sed intuitiua. Minor est certa, & maior in via Thomistarum nequit negari, asserentium scientiam visionis esse causam rerum; & consequenter priorem illis prioritate causalitatis, quo non obstante, talis scientia est notitia intuitiua. 8 *Confirmatur.*

Vrgetur, & explicatur amplius. Ad rationem notitiæ abstractiuæ requiritur obiectum absens pro instanti reali cognitionis; at possibilia, quæ sunt futura, non sunt absentia, seu non coexistentia pro instanti reali cognitionis diuinæ: ergo nequeunt cognosci cognitione abstractiua. Minor est certa: quia coexistunt Deo in tota æternitate. Et maior probatur: non sufficit absentia, seu non coexistentia pro instanti rationis, seu pro priori *à quo*; aliàs scientia approbationis intuitiua 9 *Cōfirmatur 2.*

non

non esset, cum præcedat creaturas prioritate *à quo*: ergo requiritur absentia, seu non coexistentia pro instanti reali.

10 *Respond. notādo 1.* Ad hoc argumentum respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, vt respondeatur; aduerto, quod ad rationem notitiæ abstractiuæ non est necessaria in eius obiecto absentia realis, idest, priuatio, seu negatio realis existentiæ, sed sufficit absentia negatiua obiectiua, nempè, quod cognitioni, vt præsens physicè non obijciatur; quamuis in re sit præsens. Hoc patet: tum; quia alias, vt *supra* arguebamus, notitia Dei abstractiua esse libera semper, & nunquam daretur vlla scientia abstractiua necessaria in Deo: tum etiam, ex quod in nostro intellectu contingit, qui quamuis rem sibi coexistentem attingat; si tamen illam non cognoscat, prout sibi præsentem, non intuitiuè, sed abstractiue dicitur illam cognoscere.

11 *Secundo.* Aduerto secundo, quod quamuis quidditas possibilis per decretum reddatur physicè præsens, & coexistens Deo in mensura æternitatis, non tamen ita, quod illa coexistentia, seu præsentia sit illi essentialis; quod est certissimum. Vnde cognitio illam attingens quoad suam quidditatem, non attinget illam reduplicatiue vt præsentem, & coexistentem pro instanti reali: quia ergo simplex intelligentia Dei attingit quidditates possibiles, quantum ad quidditates; hinc fit, quod illi prout sic, non obijciantur vt physicè existentes, & consequenter, quod sit abstractiua.

12 *Informa respond.* Quibus positis sic in forma respondeo ad illius minoris probationem, distinguendo maiorem: redduntur præsentia, præsentialitate illis essentiali cognoscibili per illarum quidditatiuam cognitionem, nego maiorem: accidentali, & non sic cognoscibili, concedo maiorem, & distinguo minorem: de ratione notitiæ abstractiuæ est, quod sit rei absentis absentia reali exercita, in re, nego minorem: absentia negatiua obiectiua, concedo minorem, & nego consequentiam. Ex quo ad confirmationem constat solu- *Ad 1. cō-firmatio-nem.* tio: maior namque est vera, si talis coexistentia per notitiam attingitur formaliter; secus si non ita; & quia per cognitionem quidditatiuam Dei non attingitur talis coexistentia: benè tamen per scientiam approbationis; ideò hæc est intuitiua, quamuis præcedat prioritate causalitatis, secus vero illa.

13 *Ad 2.* Et ex hoc etiam ad secundam confirmationem respondetur, negando maiorem. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia nec sufficit non coexistentia pro instanti *à quo*, seu causalitatis, nec requiritur negatio realis coexistentiæ, sed sufficit, quod, quamuis coexistat exercite, vt sic non cognoscatur, & quia per simplicem notitiam Dei non cognoscitur vt coexistens exercite, bene tamen per scientiam approbationis; hinc fit, quod ista intuitiua sit; illa vero abstractiua.

14 *Instabis.* Si in contrarium obijcias: non solum repugnat Deo cognoscere rem existentem, vt non existentem, sed etiam repugnat, illam non cognoscere vt existentem; primum namque opponitur eius veritati in cognoscendo, & secundum eius summæ sapientiæ: ergo non potest dari cognitio in Deo circa rem existentem physice in æternitate, qualiter possibilia existunt ratione decreti, quæ non terminetur ad illam coexistentiam; & consequente ruit tota nostra doctrina, cui innitebatur argumenti solutio.

Respondeo, concesso antecedenti, distinguendo consequens: repugnat cognitio in Deo, quæ terminetur ad rem sic coexistentem, quin coexistentiam attingat sub aliqua formalitate, concedo consequentiam: sub omni sui conceptu, nego consequentiam: & ita contingit: cognitio namque scientifica Dei, licet sub ratione, quæ est cognitio quidditatiua possibilium non attingat illorum existentiam; sub alio tamen conceptu, nempe sub conceptu liberæ, & visionis illam attingit; & sub prioriori dicimus, esse abstractiuam, & simplicem notitiam: 15 *Respond.*

Denique arguitur: res physicè existens non potest cognosci vt possibilis pro instanti quo existit: ergo cum possibilia, de quibus loquimur, physicè existant in æternitate, non poterunt cognosci vt possibilia; & consequenter, nec terminabunt simplicem notitiam. Probo antecedens primo; res sic existens non potest cognosci vt futura: ergo nec vt possibilis. Secundo: ideo perfectiones increatæ Dei non possunt cognosci vt possibiles, quia ab æterno existunt: ergo res omnis existens pro instanti, in quo existit, nequit vt possibilis cognosci. 16 *Vltimo arguitur.*

Respondetur, possibilitatem dupliciter accipi, & pro potentia ad existendum, & non existendum; & pro non repugnantia ad existendum; res existens non potest cognosci vt possibilis primo modo, pro instanti quo existit; bene tamen secundo modo; quia quando non existit, habet non repugnantiam ad existendum. Nec est eadem ratio de futuritione; quia futuritio in sui essentiali conceptu dicit negationem existentiæ, vt inferius magis constabit. Per quod soluitur prima antecedentis probatio. Ad secundam, quatenus distinctioni traditæ potest obstare, respondeo, non ideo præcisè perfectiones diuinas non posse à Deo cognosci vt possibiles, quia ab æterno existunt, sed quia existentia est illis essentialis: vnde non potest cognosci sine illa, quidditatiua cognitione. 17 *Respond.*

Si dicas, possibilitas à nobis explicata est non repugnantia ad existendum; at Deus cognoscit suas perfectiones vt non repugnantes ad existendum: ergo cognoscit illas vt possibiles possibilitate explicata à Nobis; & consequenter abstractiue, si talis modus cognitionis possibililitatis obiecti, est sufficiens ad saluandam abstractiuam cognitionem. Respondeo, ad notitiam abstractiuam non sufficere cognosci obiectum vt non repugnans ad existendum quomodo libet, sed insuper requiritur, quod in sui essentiali conceptu existentiam exercitam non includat, quod saluatur in possibilibus creaturis, non vero in diuinis perfectionibus. Vnde dispar est ratio. 18 *Replicabis.* *Respond.*

DISPV-

DISPVTATIO XXXI.

Vtrum possibilia, quæ non sunt futura cognoscantur à Deo, quatenus non futura, per scientiam visionis?

§. I.

Relatis sententijs, vera eligitur.

Nu. 1. *Sensus difficultatis aperi.* DIXIMVS disputatione præcedenti, possibilia, quæ Deus decreuit fore, cognosci à diuino intellectu per simplicem notitiam quoad suas quidditates, & per scientiam visionis, quatenus existunt in æternitate. Modò inquirimus, an de possibilibus, quæ nunquam sunt futura, Deus habeat scientiam visionis, quatenus non sunt futura: quamuis illa sub ratione quidditatis attingat per simplicem notitiam? v. g. an negatio realis futuritionis alterius mundi, quem Deus decreuit, non fore, cognoscatur à Deo notitia intuitiua.

2 *Caietani sententia.* Et in vno omnes conueniunt; in eo videlicet, quod realem negationem futuritionis ex decreto de illis non producendis subortam cognoscit intellectus diuinus per scientiam liberam. An autem sit dicenda scientia visionis? non ita conueniunt; negat Caietanus circa *art.* 9. §. *ad hoc breuiter dicitur*, quem sequuntur alij Thomistæ. *Probat illam Caietanus.* Id Caietanus probat, ex eo quod negatio per affirmationem cognoscitur, & illius genus, seu leges, sequitur tam in essendo, quam in cognoscendo; at ens in potentia per simplicem notitiam cognoscitur à Deo: ergo negatio futuritionis illius simplici etiam notitia cognosci debet.

3 *Aliorum fundamentum.* Alij id ipsum sic probant: negatio futuritionis, seu existentiæ non est aliquid, sed purum nihil; at obiectum notitiæ intuitiuæ debet esse aliquid; cum debeat esse præsens: ergo negatio futuritionis, seu existentiæ non potest terminare intuitionem. *Cõfirmant primo,* Confirmatur ex pura omissione decreti circa futuritionem rei, habetur negatio futuritionis: ergo est purum nihil; at ex eo quod per decretum positiuum habeatur, nihil ei entitatis, seu perfectionis accrescit, sed sola extrinseca denominatio ex decreto: ergo remanet purum nihil: & consequenter, quamuis decretum extrinsecè denominans intuitiue attingatur, ipsa tamen negatio non terminabit intuitiuam notitiam.

Secundo. Confirmatur secundo: negatio futuritionis conuenit possibili pro priori ante omne decretum; sed pro illo priori non datur in Deo intuitiua notitia alicuius extra se ipsum: ergo negatio non est sufficiens, vt terminet intuitiuam notitiam. Consequentia videtur bona, minor est certa, & maior probatur: quia hæc propositio est vera, loquendo de ente possibili ante omne decretum, *ens possibile non est futurum pro hoc priori*: ergo pro illo priori conuenit ei negatio futuritionis.

4 *Tertio ex D.Th.* Denique id ipsum docuisse videtur D.Thom. *art.* 9. vbi asserit, quod respectu eorum, quæ non sunt futura, Deus non habet scientiam visionis, sed simplicis notitiæ: ergo ex eius mente, sub nulla ratione cognoscuntur per scientiam visionis. Patet consequentia; nam quia futura cognoscuntur sub vna ratione, nempe sub ratione possibilis, per scientiam simplicis intelligentiæ, & sub alia per scientiam visionis, dixit, terminare scientiam visionis: non tamen exclusiuam apposuit de simplici notitia: ergo cum asseruerit, quod non futura, non terminant scientiam visionis, sensit manifestè, sub nulla ratione illam terminare.

5 *Conclusio, illã probat M. Gonzal.* His tamen non obstantibus, oppositum est asserendum cum M.Gonzalez *disp.* 39. *sect.* 2. *n.* 13. Quod probat prædictus Magister ab inconuenienti hoc modo: quia sequeretur, Deum intuitiue cognoscere peccata possibilia; cum cognoscat illa per gratiam, & virtutes, quæ intuitiue videntur à Deo. Cæterum hoc inconueniens non sequitur. Potest namque responderi, peccata possibilia cognosci per gratiam, non quatenus vt existens cognoscitur, sed quatenus cognoscitur vt possibilis: qua ratione terminat abstractiuam notitiam. Quare aliter est probanda nostra conclusio. *Hæc ratio non conuincit in centũ.*

Primo euertendo fundamentum Caietani: nam quamuis negatio cognoscatur per suum positiuum, tanquam per medium, & rationem formalem, non sequitur exinde, debere cognosci per eandem scientiam quoad rationem abstractiui, vel intuitiui: ergo fundamentum eius est nullum. Consequentia tenet, & antecedens probatur; tum quia illo non obstante entitas possibilis cognoscitur per scientiam necessariam, & negatio futuritionis illius per scientiam liberam: ergo pariter id non obstabit, vt quamuis possibile terminet simplicem notitiam, eius negatio terminet notitiam intuitiuam. Tum etiam, quia possibilia cognoscuntur à Deo ratione suæ omnipotentiæ; & tamen omnipotentiam intuitiue attingit, & possibilia abstractiue: ergo quod entitas possibilis cognoscatur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, & sit ratio cognoscendi negationem futuritionis, non probat debere negationes per eandem scientiam cognosci. Tum denique ad hominem, non enim potest Caietanus negare decretum liberum de non futuritione esse medium, & rationem in qua cognoscit Deus, negationem futuritionis; & tamen decretum intuitiuè attingitur à Deo, & negatio, in illius sententia, solum abstractiue: ergo pariter etiam ex eo quod cognoscatur per entitatem, & rationem illius, quæ abstractiue cognoscitur, non bene infertur, debere negationem abstractiue cognosci. 6 *Probatur conclusio primo euertendo Caietani fundamẽtum. Antecedens probatur* 1. *Secundo. Tertio.*

Secundo probatur euertendo aliorum fundamentum: ex eo namque quod negatio sit nihil, non rectè infertur non posse intuitiuè cognosci: ergo fundamentum illud euanescit omnino. Antecedens ostenditur primo ex D. Thoma *art.* 9. in prioribus verbis conclusionis articuli, vbi sic habet: Deus scit omnia quæcumque sunt quocunque modo, scientia, scilicet, visionis; quæ verba, Caietano interprete, sic sunt intelligenda, quod Anti-Christum, v. g. cognoscit intellectus diuinus intuitiue, non solum pro tempore, quo Anti-Christus existit, sed etiam pro tempore, quo non existit, intuendo videlicet, negationem existentiæ Anti-Christi pro nostro tempore: ergo ex eo quod negatio existentiæ futuritionis pure possibilium sit nihil, non bene infertur non posse terminare intuitivam notitiam. Patet consequentia, quia etiam negatio existentiæ Anti-Christi pro hoc nostro tempore, est purum nihil. 7 *Secunda probatur conclusio. Antecedens probatur* 1.

Secundo, quamuis negatio existentiæ nihil, prout opponitur enti reali positiuo, est tamen quid negatiuum; cum realiter existat, absque vllo nostri intellectus negotio: ergo sicut ob istam rationem, quatenus possibilis, terminat abstractiuam notitiam; ita pariter quatenus existens eo modo, quo est capax existentiæ terminare poterit intuitiuam. Tertio, quamuis ens rationis sit purum nihil, prout *nihil* opponitur enti reali, terminat tamen intuitiuam notitiam, quatenus existit existentia conficta, cuius est capax: ergo pariter quamuis pura negatio sit nihil prout ly *nihil* opponitur enti positiuo, quando tamen de facto existit existentia reali negatiua, seu remotiua, cognosci poterit per notitiam intuitiuam. Patet consequentia; quia non est ratio cur diffinitio notitiæ intuitiuæ, quod videlicet sit *rei præsentis, vt præsens est*, debeat extendi ad præsentiam rationis entis conficti, & non ad præsentiam negationis, eo modo quo est capax illius. 8 *Secundo. Tertio.*

Confirma-

9 *Confirmatur* Confirmatur, & explicatur amplius; priuatio realis, v.g. visus, quando adest forma, cuius est priuatio, in subiecto cognoscitur notitia abstractiua: ergo quando ipsa existit, & non forma, cui opponitur, terminabit intuitiuam. Patet consequentia, tum primo, quia aliter cognoscitur ex parte rei cognitæ, quando ipsa existit, & non forma, cui opponitur, ac cognoscitur quando oppositum contingit; at hæc alietas non est in alio, quam penes intuitiuum, & abstractiuum: ergo cognoscitur intuitiue. Tum etiam; quia sicut est de ratione notitiæ intuitiuæ quod sit rei præsentis, ita de conceptu abstractiuæ, quod sit rei absentis; at quando consideratur vt possibilis, quamuis non sit res, cognoscitur abstractiue: ergo quando vt existens per modum remotionis cognoscitur, attingetur intuitiue, quamuis non sit præsens præsentia positiua.

10 *Ad motiuu Caietani respondetur.* Nec motiua in oppositum vrgent, ex dictis namque illorum constat solutio. Ad primum ex Caietano adductum, respondeo, distinguendo antecedens: sequitur leges, & genus sui positiui quoad speciem actus, quo vtrumque attingitur, concedo antecedens: quoad denominationem actus ex parte rei attactæ desumpta, nego antecedens, & consequentiam. Et in isto argumentum omnibus exemplis adductis pro nostra sententia in prima ratione. Itaque negatio, & oppositiuum, transeat quod debeant semper eodem actu, quoad speciem attingi, quando vnum primario, & aliud secundario attingitur, non tamen est necesse, quod si primarium attingitur sub denominatione intuitiui, & aliud similiter sub eadem denominatione attingatur; quia hæc denominationes desumuntur ex parte rei de materiali attactæ.

11 *Instabis.* Sed dices, intuitiuum, & abstractiuum diuersificant actus secundum speciem: ergo si negatio, & positiuum attinguntur eodem actu secundum speciem, non potest negatio attingi intuitiue, & forma positiua abstractiue, vel è conuerso. Respondeo, illam sententiam, quæ notitiam essentialiter diuidit in intuitiuam, & abstracti- *Respond.* uam, solum posse esse veram, quando intuitiuum & abstractiuum conueniunt actui æque primo, & immediate, & desumuntur ex obiecto primario, non vero quando vnum conuenit primario, & aliud secundario, vnum desumitur ex parte obiecti primario attacti, aliud vero ex obiecto, quod secundario attingitur, qualiter in præsenti contingit.

12 *Ad secundum aliorum fundamentum.* Ad fundamentum, quo mouentur alij, respondetur ex dictis, quod quamuis negatio sit purum nihil prout ly *nihil* opponitur enti reali positiuo, est tamen aliqui reale priuatiuum, seu negatiuum, quod quandoque suo modo est possibile, & quandoque suo modo existens, & sicuti sub priori statu, attingitur per notitiam abstracti- *Ad 1. confirmationem.* uam; ita sub secundo per intuitiuam. Ex quo ad primam confirmationem constat solutio.

13 *Ad 2.* Ad secundam dicatur, possibili ante omne decretum, solum conuenire negationem futuritionis *negatiue*, non vero *repugnanter*, idest, quod est verum dicere, quod pro illo priori non est futura, non tamen quod ei futuritio repugnet, negatio vero solum existit, quando subie- *Ad tertiā.* ctum est sub negatione formæ, taliter quod ei pro instanti reali repugnet forma opposita. Nec D. Thomas nobis aduersatur; imo potius fauet vt vidimus, vnde quando in loco allegato asseruit, quod circa illa, quæ non fuerunt, nec futura sunt, non habet Deus notitiam intuitiuam, seu scientiam visionis, loquuntus fuit de illis, secundum suam positiuam entitatem, qua ratione certum est, quod non videntur intuitiue, vnde absolute dicuntur non videri à Deo, sicut de Petro, qui non existit absolute, & vere affirmatur, non videri à nobis, quamuis eius absentiam videamus, & absolute dicimus non videri lucem, quamuis lucis absentiam videamus. Non vero negauit Angelicus Doctor negationem futuritionis illorum in decreto intuitiue videri.

Sed contra hæc omnia obijciet aliquis primo; sequi ex dictis omnem notitiam abstractiuam esse essentialiter intuitiuam absentiæ obiecti, quod abstractiuè attingitur, quamuis ipsius obiecti abstractiua sit; consequens est falsum, & hucusque inauditum: ergo & nostræ solutionis doctrina. Probatur sequela; notitia abstractiua essentialiter habet, quod sit notitia rei physice absentis: ergo essentialiter habet attingere absentiam obiecti; at talis absentia præsens est suo modo, quamuis obiectum ipsum sit absens: ergo omnis notitia abstratiua essentialiter erit intuitiua absentiæ quamuis respectu obiecti de materiali attacti sit abstractiua. 14 *Instabis primo.*

Secundo, sequitur dari in Deo scientiam visionis, non solum ad intra, sed etiam ad extra, quæ sit necessaria; consequens aduersari videtur communi Theologorum sententiæ: ergo & tradita doctrina. Patet sequela, negatio possibilitatis, seu existentiæ impossibilium, v. g. chimeræ, necessario existit eo modo, quo existere potest, nempe remotiue: ergo pro vt sic necessario cognoscitur à Deo, sicuti, & impossibilia necessario cognoscuntur: ergo si sufficit vt negatio intuitiue videatur, quod cognoscatur vt existens eo modo, quo potest existere, talis negatio necessario videbitur; & consequenter dabitur in Deo scientia visionis, quæ sit necessaria. 15 *Secundo.*

Respondeo ad primam ex obiectionibus, negando sequelam; ad eius probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: habet essentialiter attingere absentiam obiecti *exercite* vt *quo*, concedo consequentiam: vt *quod*, nego consequentiam. Ad hoc autem quod esset notitia intuitiua respectu absentiæ obiecti, debebat illam vt *quod* attingere, sicuti quando tenebras attingimus vt *quod*, habemus illarum notitiam intuitiuam, quando vero lucem absentem cognoscimus, non cognita vt *quod* eius absentia, solum habemus abstractiuam notitiam. Ad secundam respondeo, admittendo sequelam, loquendo de scientia visionis, non entitatis positiuæ creatæ, sed repugnatiæ, & negationis entitatis. Nec in consequenti aliquod inconueniens inuenio, & quando Theologi communiter negant scientiam visionis extra perfectiones diuinas, quæ sit necessaria, loquuntur de scientia visionis entis positiui; quia cum de illius essentia existentia non sit; alias daretur aliquid positiue æternum extra Deum; consequens est, quod notitiam intuitiuam necessariam non possit terminare: in hoc autem; quod alicui negationi sit existentia, qua possit existere essentialis, nullum inconueniens apparet; & consequenter nec in eo quod scientiam visionis necessariam terminet. 16 *Ad 1. instantiam respond.* *Ad 2.*

Instabis possibile in quantum tale non terminat intuitiuā notitiam: ergo nec impossibile, quod est tale essentialiter terminare poterit notitiam intuitiuam. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam: quia id quod est possibile, non existit in statu possibilitatis existentia positiua cuius est capax; & ideò notitiam intuitiuam non terminat: cæterum id, quod est essentialiter impossibile, essentialiter existit existentia negatiua; vnde terminare potest notitiam intuitiuam. Et hæc de ista Disputatione. 17 *Vrgebis. Respond.*

DISPV-

DISPVTATIO XXXII.

Vtrùm ſcientia diuina executiuè ad creaturarum productionem concurrat?

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis referuntur ſententiæ.

Nu. 1. *Explicatur difficultatis ſenſus.*

DEI ſcientiam directiuè ad productionem rerum concurrere extra controuerſiam eſt. Dubitamus autem modò, an etiam executiuè? Cum autem in quolibet artifice creato plura ad artificiati productionem, ſeu factionem concurrant, voluntas vt mouens, ſcientia vt dirigens, & imperans, & vis executiua immediatè exequens, eo quod voluntas mouet, & intellectus dirigit, & imperat: modo vt plenius ſcientiæ diuinæ concurſus ad creaturarum productionem agnoſcatur, inquirimus, an præter hoc quod eſt dirigere, competat etiam ſcientiæ munus immediatè exequendi, & producendi creaturas? Quæ difficultas ſub alijs terminis *infra q. 15. art. 1.* ſolet à Thomiſtis, & alijs proponi, an ſcilicet, facultas executiua Dei, quæ formaliſſimè nihil eſt aliud, quam omnipotentia, ratione ratiocinata diſtinguatur ab intellectu, & voluntate? Et licet ſub noſtris, & ſub alijs terminis idem inquiri videatur, non tamen vndequaque in idem coincidit; quia adhuc dato, quod vis executiua ab aliqua ex illis potentijs non diſtingatur; reſtat vlterius quænam illarum ſit in ſenſu formali, an intellectus, an voluntas, an vtraque ſimul, & adhuc conuicto, quod ſit formaliſſimè, idem quod intellectus, reſtat inquirendum, quiſnam ex eius actibus ſit formaliſſimè, an ſit intellectio formaliter, vel quid non illa diſtinctum? Sicut enim multi docentes proceſſionem diuinam Verbi eſſe actum intellectus dicunt tamen non eſſe formaliter intellectionem, ſed productionem, ſeu dictionem: ita ſimiliter, eſto quiſpiam fateatur productionem creaturarum eſſe actum intellectus, aſſerere poterit, non eſſe intellectionem formaliter, ſed productionem, ſeu quaſi creaturarum diſtinctionem.

2 Et adhuc probato, quod actio creaturas producens ſit formaliter intellectio, reſtat inquirendum vlterius, ad quod attributum intellectuale pertineat; an ſcilicet ſit formaliter actus intellectus luminis principiorum, ſcientiæ, ſeu ſapientiæ, prudentiæ, vel artis, quæ *ſupra* diximus, attributaliter inter ſe diſtingui? Licet autem adæquatè in idem conueniat his, vel illis terminis propoſita, non tamen poteſt ſub noſtris terminis ventilari, quin etiam quod in illis inquiritur diſcutiatur.

3 *Omnipotentia ſaltim ratione inadæquata diſtinguitur ab intellectu, & voluntate. Prob. 1. Secundo*

Ante cuius difficultatis plenam diſcurſionem tanquam certum præmitto, vim executiuam ratione, ſaltim inadæquata ab illis potentijs diſtingui, & idem dicendum eſt, de actuali productione ad actus illarum potentiarum comparata. Cuius ratio eſt, quia quæ diffinitione differunt, ſaltim ratione inadæquata, debent differre; at omnipotentia, & intellectus, atque voluntas differunt diffinitione, vt illas diffinienti conſtabit: ergo debent inter ſe differre ratione ſaltim inadæquata. Conſtat etiam ex eo quod intellectus ſecundum ſe non importat connotationem creaturarum, vt principium productiuum illarum, quam connotationem dicit omnipotentia, & illius actus: ergo ſicuti actus liber differt à neceſſario ratione ſaltim inadæquata, & etiam ſcientia viſionis à ſimplici notitia ob diuerſa connotata, quæ important, pariter etiam omnipotentia, & actus illius ratione inadæquata diſtinguetur ab intellectu, & voluntate, illorumque actibus. Difficultas ergo conſiſtit in eo, an ſit conſtituenda inter illa virtualis adæquata attributalis diſtinctio, qualis inter intellectum, & voluntatem verſatur?

4 *Secundum*

Secundo præmitto, omnipotentiam ſumptam pro vi executiua in actu primo, virtualiter diſtingui ab actuali operatione, ſeu productione rerum, quod ex dictis *ſupra* colligitur, vbi ſatis oſtendimus, actum intelligendi virtualiter ab intellectiua potentia differre: ergo pariter actus exequendi, ſeu actualis rerum productio à vi productiua in actu primo virtualiter debet differre. *præſuppoſitum.*

5 *Tertium præſuppoſitum. Probatur.*

Præmitto tertio; omnipotentiam ſumptam in actu primo non eſſe formaliſſimè idem, quod ſcientia prout ab alijs attributis intellectualibus diſtincta. Et ratio ex ibidem dictis colligitur: Diximus enim ibi, ſcientiam in actu primo non eſſe attributum ab alijs diſtinctum, ſed ſolum ab illis diſtingui, quatenus ſumitur per modum actus ſecundi; at omnipotentiam in actu primo nequit conſiſtere in actu ſecundo alicuius potentiæ; tùm, quia habet rationem potentiæ: tùm etiam, quia nec in actu neceſſario ſimplicis notitiæ, nec in actu libero ſcientiæ viſionis; aliàs poſſet deficere à Deo quo ad denominationem omnipotentiæ: ergo nequit conſiſtere formaliter omnipotentia in actu ſcientiæ, prout ab alijs attributis intellectualibus diſtincto, ſed ad ſummum in illo prout ſic, poterit actualis executio diſtingui, in quo noſtrum diſſidium verſatur.

6 *Sententia Molinæ reijcitur.*

Ex quo obiter manet expugnatus Molina, qui vt refert noſter Albelda, loco inferius citando, docuit, omnipotentiam in actu libero voluntatis conſiſtere. Ex cuius ſententia manifeſtè colligitur, poſſe omnipotentiam Deo deficere, ſaltim quoad denominationem; ſicuti & actus liber iſto modo deficere poteſt, niſi vellit Molina non conſiſtere in illo ſub ea ratione, qua liber eſt, & poteſt deficere, ſed ſolum vt dicit entitatem, & perfectionem neceſſariam, quod an verum ſit ex dicendis conſtabit.

7 *Prima ſententia.*

His ita præmiſſis, circa præſentem difficultatem variant Auctores, nedum exteri, verum etiam noſtri Thomiſtæ, & in duas extremas ſententias diuiduntur. Prima docet: omnipotentiam, ſeu facultatem executiuam eſſe quid diſtinctum ab intellectu, & voluntate, & id ipſum fatetur de actu omnipotentiæ ad actus illarum potentiarum comparato. Ita Aureolus *in 1. diſtinct. 42. art. 2.* Durandus *in 1. diſtinct. 35. q. 1.* Suarez *in Metaphyſica diſput. 30. ſect. 18.* Baſilius Poncius *t. p. variar. diſput. q. 8. ſcholaſt. cap. 6.* Zumel *infra q. 16. art. 1. quæſt. vnic.* relati à Granados. Quam ſententiam probabilem reputant omnes Thomiſtæ, licet magis communiter oppoſitæ adhæreant ſententiæ. Auctores tamen præfati non vno modo illam defendunt; Suarez namque ſequutus Aureolum affirmat, omnipotentiam eſſe indiſtinctam à diuina eſſentia, & natura; cæteri vero eam à natura diuina attributaliter diſtingui, eiſque attributum ab intellectu, & voluntate diſtinctum defendunt. *Aureol. Durand. Suarez. Baſil. Zumel.*

8 *Secunda. Ferrar. Caiet. Gonz. Scot. Molin. Valent. Granad. Hac ſententia variè à ſuis Auctoribus explicatur. 1. explicatio.*

Secunda per oppoſitum docet, omnipotentiam non diſtingui attributaliter adæquatè ab intellectu, & voluntate, ſed ad aliquod illorum reduci. Ita magis communiter ſentiunt Thomiſtæ, Ferrara *lib. 2. Contra Gentes c. 1. § vlt.* Caietanus *1. p. q. 25. art. 1.* M. Gonzalez *ibidem diſp. 79.* Scotus *in 1 diſt. 37. q. 1.* Molina *1. p. q. 25. art. 1. diſp. 2.* Gregorius de Valentia *in eadem q. punct. 1.* Granadus *tract. de diuina potentia diſp. 2. ſect. 3.* Qui etiam inter ſe diuiduntur, quibuſdam aſſerentibus ad voluntatem ſpectare, non vero ad intellectum. Ita Scotus cum ſuis, quem ſequitur Granadus, & inclinare videtur M. Gonzalez, quatenus locis *Diſp. præced.* relatis, aſſeruit, voluntatem immediatius, quam intellectus rerum productionem attingere, quibus etiam conſentire tenetur, Cornejo idem docens, quod M. Albelda de immediatiori concurſu voluntatis ad res producendas *tract. 1. art. 8. dub. 5.*

9 *Secundus*

Alijs aſſerentibus, omnipotentiam ab intellectu attributaliter non diſtingui, ſed in illo conſiſtere, non prout præ-

modus dicendi. Tertius. præcisè habet rationem scientiæ, sed prout superaddit vim productiuam, qua ratione voluntatem supponit. Ita Salmanticenses *tract. 5. disp. 5. dub. 3.* Alijs media incedentibus via, qui omnipotentiam in vtroque in intellectu, scilicet, & voluntate constituunt; quam sententiam sequitur Vazquez *tom. 1. in 1. p. disp. 102.* qui *cap. 4.* hoc discrimen inter intellectum, & voluntatem inuenit in ordine ad omnipotentiæ constitutionem, quod ex parte intellectus facultas proximè executiua non est intellectus, quatenus est potentia, sed prout dicit actum, non scientiæ visionis, sed simplicis notitiæ. Ex parte vero voluntatis non est actus illius, sed ipsa volitiua potentia, est id in quo vis executiua consistit: ad actualem vero productionem ponit concurrere, & actum voluntatis æternum, & insuper actionem externam, qua Deus denominatur agens in tempore.

10 *D. Tho. vtrique sententiæ fauet.* Doctor noster Angelicus fauet vtrique sententiæ extremæ *1. p. q. 25. art. 1. in solut. ad 4.* cui argumento duplicem solutionem adhibuit, asserens in prima: *Omnipotentiam non poni in Deo, vt distincta à scientia, & voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum omnipotentia importat rationem principij executiui, id quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit.* In qua solutione fauet primæ sententiæ, quoad id in quo conueniunt illius Auctores. Addidit tamen aliam solutionem, his verbis: *Vel dicendum, quod ipsa scientia, vel voluntas diuina secundum quod est principium effectiuum, habet rationem potentiæ, vnde consideratio scientiæ, & voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiæ, sicut causa præcedit operationem, & effectum.* In qua solutione secundam sententiam quoad id, in quo illius Auctores conueniunt expressit, & hoc fuit in causa, vt Thomistæ vtramque sententiam vt probabilem amplectantur. Quia tamen secunda solutio exprimit illius vltimam voluntatem, vel vt melius dicam vltimum Sancti Doctoris iudicium; ideò in secundam sententiam magis communiter inclinant Thomistæ. An autem sit constituenda in voluntate, vel intellectu? nihil certum ex Doctore Angelico habetur. Sed vt quod illius menti conformius videtur producam: sit

§. II.

Facultatem executiuam in Deo distingui virtualiter ab essentia, probatur.

11 *Prima conclusio. Probatur ex D. Th.* PRIMA CONCLVSIO. *Facultas proxima executiua Dei ratione ratiocinata distinguitur ab essentia diuina tanquam attributum illius.* Hæc conclusio est D. Thom. expressa *q. 1. de Potentia art. 1. ad 9.* his verbis: *Potentia non intelligitur quasi quædam res addita supra essentiam, sed superaddit secundum intellectum solam relationem principij; ipsa enim essentia ex hoc, quod est principium agendi habet rationem potentiæ.* Et ad 14. *Potentia Dei non est media secundum rem, quia non distinguitur ab essentia nisi ratione, & ex hoc habetur, quod significetur vt medium.*

12 *Secundo probatur ratione.* Et probatur ratione; potentia executiua consistit in vi proximè productiua creaturarum ad extra; at vis proximè productiua virtualiter, & ratione ratiocinata à principio radicali distinguitur: ergo facultas proxima virtualiter attributaliter differt ab essentia diuina. Consequentia est legitima. Maior est certa, & minor ostenditur multipliciter.

Minor prob. 1. Primo, vis proximè intellectiua, & volitiua virtualiter attributaliter differunt à natura, quæ est radix intellectionis, iuxta magis communem sententiam, quam supra satis ostendimus: ergo vis proximè productiua virtualiter adæquatè differt ab essentia, quæ est remotum, & radicale principium continendi creaturas. *Secundo.* Secundo, facultas proximè productiua ad intra virtualiter differt à natura diuina: ergo pariter etiam facultas proximè productiua ad extra.

13 *Tertio.* Tertio, quæ gaudent diuersis specificatiuis virtualiter, distinguuntur virtualiter; at facultas proximè productiua, & essentia gaudent specificatiuis virtualiter distinctis: ergo virtualiter distinguuntur. Consequentia tenet. Maior est certa; ideò namque intellectus, & voluntas virtualiter differunt inter se, quia virtualiter specificantur ab specificatiuis virtualiter distinctis, intellectus, scilicet, à vero, & voluntas a bono. Minor autem probatur: essentia, seu natura diuina, vel à nullo specificatur, vel specificatur à propria existentia specificatione virtuali; at omnipotentia, seu virtus productiua, vel specificatur virtualiter à creaturis, vt aliqui volunt, vel à diuina essentia, quatenus est ratio obiectiua producendi creaturas, tanquam ab obiecto, & ab actuali illarum productione tanquam ab actu, sicut quævis aliæ potentiæ per actus, & obiecta specificantur: ergo habent virtualiter specificatiua virtualiter diuersa; & consequenter virtualiter inter se distinguuntur, sicut voluntas, & intellectus ob similem causam distinguuntur à diuina natura. Denique minor principalis argumenti ostenditur: potentia productiua in creatis realiter ad minus formaliter ab essentia creaturæ distinguitur: ergo in diuinis vis productiua, & natura virtualiter, & ratione ratiocinata distinguuntur. *Quarto.*

Respondebis, aliqua distingui realiter in creaturis, quæ tamen in Deo, nec virtualem adhuc retinent distinctionem, vt constat in relatione, & subsistentia, seu personalitate, quæ in creaturis realiter distinguuntur; & tamen in Deo non differunt adhuc virtualiter, saltim adæquatè, vt communiter docent Thomistæ contra Scotum, de constitutiuis personarum agentes. Constat etiam in specie, & intellectu creato, quæ inter se realiter distinguuntur, & tamen in Deo iuxta probabilissimam multorum Thomistarum sententiam virtualiter non distinguuntur: ergo ex hoc, quod potentia productiua, & natura realiter formaliter differant in creaturis, non benè infertur, quod debeant in Deo virtualem retinere distinctionem. 14 *Respondebis.*

Sed contra sic instauro argumentum, quæ in creaturis distinguuntur realiter ex sola limitatione creata, non retinent in Deo virtualem adhuc distinctionem; cæterum illa, quæ ex proprijs conceptibus essentialiter distinguuntur, si inveniantur in Deo, debent reperiri cum virtuali distinctione: at potentia productiua, & essentia in creaturis distinguuntur, non solum ex limitatione creata, sed etiam ex proprijs conceptibus: ergo in Deo reperiuntur cum virtuali distinctione. Probo minorem; cæteræ facultates proximæ in creaturis repertæ, vt intellectus, voluntas, & aliæ, quamuis quod distinguantur realiter à natura sortiantur ex limitatione creata; quod autem inter se essentialiter distinguantur, ex proprijs conceptibus sortiuntur: ergo idem debet dici de potentia productiua, & essentia. Per quod constat exemplorum disparitas; relatio namque, & personalitas, solum distinguuntur ex limitatione creata, non vero ex proprijs conceptibus. 15 *Contra.*

Sed dices; vnde prouenit, quod istorum distinctio non competat his ex proprijs conceptibus, bene tamen in nostro proposito? Respondeo, inde colligi, quia potentia productiua, & essentia distinguuntur ex diuersis specificatiuis, vel ex eo quod vnum specificatur ab alio, nempe potentia, natura vero à nullo recipit suam specificationem: distinctio autem, quæ prouenit ex intraneis specificatiuis, ortum habet ex proprijs conceptibus. Cæterum distinctio relationis à personalitate in creaturis, oritur ex hoc, quod relatio est accidens, personalitas vero substantia, ratio vero accidentis non est intranea relationi ex communi conceptu; aliàs ei repugnaret reperiri in diuinis; vnde illarum distinctio non habetur ex suis proprijs, & intraneis conceptibus. 16 *Opponet. Respond.*

Dices; etiam relationi prouenit distinctio à personalitate ex suo intrinseco specificatiuo: ruit ergo disparitas assignata. Probatur antecedens; prouenit ei ex eo quod specificatur à termino per modum puri termini; personalitas vero non ita, sed specificatur à se: ergo distinctio illorum nascitur ex proprijs conceptibus. Respondeo, negando antecedens; quia quamuis relatio specificetur a termino, hæc tamen specificatio, non repugnat personalitati vt sic, sed solum illi, quæ est absoluta, non vero abstrahenti ab absoluta, & relatiua; quia cum personalitas petat constituere personam distinctam, & alteri incommunicabilem, & hæc incommunicabilitas in diuinis oriri non possit, nisi ex relatiuo conceptu; consequens fit, quod sit dabilis aliqua personalitas, quæ ex proprio conceptu sit relatiua; ac proinde, quæ petat sui specificationem à termino accipere; ac per consequens specificatio relationis non repugnat personalitati ex communi personalitatis conceptu; tunc autem ex specificatiuis oritur distinctio, quando taliter vnum specificatur ab aliquo, quod talis specificatio alteri repugnat. 17 *Instabis. Respond.*

Ex quo iterum modificatur nostrum argumentum, quando vnius specificatio alteri repugnat, distinguuntur ex proprijs conceptibus; sed sic contingit inter potentiam proximè productiuam, & essentiam: ergo distinguuntur ex proprijs conceptibus. Illatio tenet, & minorem ostendo: specificatio propria voluntatis, & intellectus repugnat essentiæ, & naturæ intellectuali ex proprio conceptu: ergo pariter specificatio productiuæ potentiæ repugnat essentiæ ex proprio conceptu. 18 *Instauratur ratio probatiua.*

Con-

19 *Confirmatur.* Confirmatur, & explicatur; quia vt docet Suarez, quem in hac conclusione impugnamus, omnipotentia competit Deo ex ratione, qua est infinitus in ratione entis, intellectus vero competit ei ea ratione, qua est infinitus in ratione intellectiui, & voluntas secundum quod infinitatem habet in ratione volitiui: ergo sicuti proxima facultas intellectiua, & volitiua, non competunt Deo secundum communem rationem intellectiui, & volitiui radicaliter, cum virtuali indiuisibilitate, sed virtualiter distinguuntur ab illo prout sic; pariter etiam essentia diuina non erit proxime productiua sub conceptu essentiæ, sed sub aliquo ab illa virtualiter dimanante, virtualiterque ab illa distincto. Quod docuit D.Th. q. 1. *de Potentia art. 7. in corpore*, dicens, potentiam Dei radicari in eius essentia. Et similiter, sicut specificatio potentiæ proximè intellectiuæ, & proximè volitiuæ repugnat naturæ radicaliter volitiuæ, & intellectiuæ secundum conceptum naturæ; ita specificatio potentiæ proximè productiuæ ad extra, repugnare debet essentiæ, secundum conceptum essentiæ.

20 *Alia impugnatio M. Basilij contra Suarez.* Accipite etiam in huius rei confirmationem fundamentum, quo agit aduersus Suarez M. Basilius sic arguens; prius intelliguntur competere Deo intellectus, & voluntas, quam omnipotentia: ergo nequit esse indistincta virtualiter à diuina natura. Antecedens sic probat primo: prius intelligimus diuinam naturam constitutam, & perfectam in ordine ad se, quam in ordine ad alia; at per intellectum, & voluntatem intelligitur perfici in ordine ad se, per omnipotentiam vero in ordine ad alia: ergo prius intelligitur Deus intellectiuus, & volitiuus, quam intelligatur omnipotens. Secundo probat idem antecedens ex ordine, quem actus illorum attributorum seruant inter se, prior est enim directio intellectus, & voluntatis motio, quam omnipotentiæ executio; at virtutes in actu primo seruant inter se eundem ordinem, quem illarum actus: ergo priores sunt prioritate rationis cum fundamento in re intellectus, & voluntas in Deo, quam vis, seu facultas executiua; at diuina essentia quoad omnia, quæ de illa attributaliter non distinguuntur præintelligi debet completa ante attributorum virtualem emanationem: ergo omnipotentia attributaliter ab illa debet distingui.

§. III.

Non distinguitur ab intellectu, & voluntate.

21 *Secunda conclusio. Prob. 1. ex D.Th.* SECVNDA CONCLVSIO. *Vis proximè productiua creaturarum ad extra non est attributum distinctum ad intellectu, & voluntate.* Hanc statuo aduersus secundum modum explicandi primam sententiam. Moueor ad illam primo ex secunda solutione, quam Doctor Angelicus argumento illi quarto subiecit, qua, quia vltimo traditur, videtur esse magis ad illius mentem. *Secundo prob. ratione.* Moueor secundo his rationibus non inefficacibus. Illa, quæ in aliqua perfecta creatura absque distinctione inueniuntur, à fortiori debent in Deo absque distinctione reperiri; sed vis executiua motus: reperitur in Angelo absque distinctione ab intellectu, & voluntate: ergo a fortiori non debent in Deo virtualiter attributaliter distingui. Consequentia est legitima.

22 *In Angelo non distinguitur vis executiua motus ab intellectu, & voluntate, probatur 1.* Maior omnibus constans, & minorem in hunc modum ostendo: primo ex D.Tho. 1.p.q.54. art.5. asserente, in Angelis solum dari intellectiuam potentiam, & voluntatem. Et duplici ratione probatur: natura Angelica est purè spiritualis, & intellectualis: ergo solum possunt illi conuenire intellectuales potentiæ; sed potentia loco motiua, realiter ab intellectu, & voluntate distincta, intellectualis non est: ergo nequit in Angelo admitti. Antecedens primum est certum ex differentia, quæ inter animam rationalem, & Angelicam naturam versatur; illa namque est in confinio corporalium, & spiritualium, & ideò vtrumque extremum participat; ista vero nihil corporeitatis admitti, sed complete spiritualis est, & consequenter purè intellectualis. *Secundo.* Prima vero consequentia constat primo: quia potentiæ debent suæ radici proportionari, eius naturam sapere, & redolere, quo circa corporeæ naturæ, corporeæ potentiæ, & spirituali spirituales, & mixtæ vtriusque generis potentiæ accommodantur: ergo naturæ pure intellectuali, solum possunt aptari intellectuales potentiæ; tùm etiam, quia animæ separatæ à corpore, solum intellectuales potentiæ conueniunt, quia statum habet purè intellectualem: ergo à fortiori habenti essentiam pure intellectualem solæ intellectuales potentiæ possunt competere.

23 *Minor probatur.* Minor vero subsumpta probatur: illa potentia est intellectualis, quæ vel est apprehensiua, vt intellectus, vel à præantecedenti apprehensione essentialiter in suis actibus pendet, vt voluntas, quæ nihil potest velle, nisi ab intellectu cognitum, & apprehensum præexistat; at potentia ista si realiter distincta ponatur ab intellectu, & voluntate, nec apprehensiua erit, nec ab apprehensione antecedenti in suis actibus necessario pendebit: ergo intellectualis non erit; & consequenter in Angelis non est admittenda.

24 *Respondebis 1.* Respondebis primo; potentiam istam esto realiter distincta ab intellectu, & voluntate ponatur, fore intellectualem, eo quod medio intellectu, & voluntate consequitur. *Contra.* Sed contra, eo ipso quod actus illius potentiæ per se non dependeat ab actibus intellectus, & voluntatis, nec ipsa medio intellectu, & voluntate potest resultare: ergo non stat solutio cum independentia actus illius ab actibus illarum potentiarum. Probo antecedens: tùm ab exemplo; quia namque voluntas medio intellectu consequitur, & ab illo in sui resulantia dependet, actus voluntatis, actum intellectus necessario supponit, & ab illo dependet: ergo si e contra, actus illius potentiæ non necessario pendent ab actibus intellectus, & voluntatis: pariter nec ipsa potentia vllam ab illis dependentiam, vt resultet habebit. Tùm etiam ratione; eundem ordinem seruant inter se actus potentiarum, quem habent potentiæ; eo quod in actibus natura potentiarum exprimitur: ergo si actus inter se non dependent, nec potentiæ inter se dependentiam habebunt.

25 *Respondebis 2.* Respondebis secundo, sufficere ad hoc, quod illa potentia rationalis sit, quod in suis actibus habeat dependentiam ab actibus intellectus, licet non essentialem, sed quoad coaptationem, vt rationi subdi possit, & in suis actibus à ratione imperari. *Contra.* Sed contra; omnes potentiæ animæ sensitiuæ rationi subduntur, & tamen rationales non sunt: ergo illa dependentia non sufficit ad constituendam rationalem potentiam.

26 *Respondebis 3.* Respondebis tertio, actus illius potentiæ dependere essentialiter ab actibus intellectus, & voluntatis, & hoc ideò, quia cum debeant esse liberi, & non possit libertas haberi, nisi ex actu voluntatis; consequens fit, quod actus prædictæ potentiæ esto realiter distinguatur ab alijs, fieri non possint, nisi ex præuijs actibus voluntatis, & intellectus. *Contra 1.* Sed contra primo: quia nulla est ratio, vt illa potentia aliquem actum necessarium habere non possit, maximè cum voluntas, quæ inter alias potentias primatum quoad libertatem obtinet, aliquos actus necessarios exerceat. *Secundo.* Secundo: nullus actus etiam voluntatis essentialiter est liber, sed libertas pertinet ad exercitium actus, quo circa communiter dicitur actum necessarium, & liberum esse eiusdem speciei, si circa idem obiectum versentur: ergo actus illius potentiæ non erunt essentialiter liberi; alias non apparet aliqua ratio, cur quoad exercitium necessario libertatem exposcant: ergo nec potest aliqua ratio reddi, cur ab actibus voluntatis, & intellectus dependeat si semel ab illis realiter distincta asseratur.

27 *Tertio proa. minor principalis posita numero 22.* Tertio, minor principalis suadetur: omnis potentia competens Angelo, debet esse entitatiuè immaterialis; sed si prædicta potentia realiter distincta ponatur ab intellectu, & voluntate, necessario erit materialis: ergo nequit sic distincta constitui. Maior est certa. Et minor ostenditur primo: quia illa potentia si distincta ponatur, debet specificari ab obiecto mobili, & ab actu mouendi, non autem a vero, & bono, sed sic specificata, non potest non esse materialis; cum obiectum, & actio materialia sint, maxime in sententia Basilij constituentis actionem illam transeuntem formaliter in subiectum, & actum per motum: ergo necessario erit materialis.

28 *Respondebis. Contra.* Si dicas, modum attingendi esse immaterialem: obstat in contra; nullam potentiam aliam ab ista dari, quæ adæquatè specificetur ab obiecto materiali, & materiali actione, & modo immateriali in illa feratur: ergo voluntariè id asseritur in prædicta potentia. Secundo minor principalis probatur; omnis potentia immaterialis potest suum obiectum primarium in communi attingere, & non solum in particulari, vt constabit discurrenti per alias; intellectus namque, quia immaterialis est, nedum attingit verum in singulari; sed etiam in communi, voluntas fertur in bonum nedum singulariter, sed etiam vniuersaliter tentum; at talis potentia si detur realiter ab alij distincta, non poterit suum obiectum in communi attingere, sed tantummodo in singulari: ergo immaterialis esse non poterit.

29 *Opponens.* Sed objicies contra primam probationem minoris; non repugnat spirituali actioni à materiali termino spe-

speciem desumere: ergo nec spirituali potentiæ poterit repugnare, ab obiecto materiali specificari. Consequentia tenet à paritate rationis, & antecedens probo: actio, qua Angelus corpora mouet, & simul mouetur in communiori Thomistarum sententia, est formaliter immanens, & solum virtualiter transiens; & tamen à termino producto, qui est quid corporeum speciem desumit: ergo spirituali actioni non repugnat à materiali termino specificari. *Respond.* Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, nego minorem: quia eo ipso quod illa actio non sit, nisi virtualiter transiens, debet esse formaliter immanens; & consequenter secundum suum primarium conceptum debet esse, vel volitio, vel intellectio, & solum sub quadam formalitate in eadem entitate secundario reperta, habet esse termini materialis productio, ac proinde illius specificatio, non à motu producto, sed à bono, aut vero primario per illam attacto desumitur.

30 *Instabis.* Sed instabis, sub illa formalitate productionis, quam nos secundariam vocamus, necessario à termino materiali producto speciem desumit: ergo iam non repugnat alicui formalitati spirituali ab aliquo corpore specificari. *Respond.* Respondeo, negando antecedens: quia eo ipso, quod sit secundaria formalitas, debet sequi leges primariæ, & ab eodem à quo illa specificari; aliàs si specificatiua diuersa haberent, non coinciderent coincidentia formali in eadem essentia. Nec refert, quod sub illa denominatione, productionis videlicet, non terminetur ad verum, aut bonum; quia vt ab illis speciem desumat, sufficit sub primario conceptu verum, & bonum attingere. *Vrgebis.* Vrgebis, sub illa formalitate habet aliquod specificatiuum, non verum, aut bonum; cum illa prout sic non attingat: ergo speciem desumit à termino producto. *Respond.* Respondeo, distinguendo maiorem: distinctum ab illo, à quo prima formalitas specificatur, nego maiorem: idem quod illa, concedo maiorem, & nego minorem: quia ad hoc necessarium non est, quod illa formalitas circa verum, & bonum, versetur formaliter, sed sufficit, quod prima, cui adiungitur, & quam intime claudit circa illa versetur, vt sub omni ratione à vero, & bono specificationem recipiat.

31 *Tertio probatur conclusio.* Tertio principaliter probatur conclusio; cuivis potentiæ virtualiter attributaliter ab alia distinctæ, debet correspondere actio virtualiter distincta, à qua suam specificationem diuersam accipiat; at omnis potentiæ, seu facultati proximè productiuæ, nequit correspondere in Deo actio virtualiter distincta ab actibus intellectus, & voluntatis: ergo nec ipsa potest virtualiter attributaliter à prædictis potentijs distingui. Consequentia tenet. Maior constat ex illo axiomate communi, quod potentiæ sunt propter actus, & ab illis specificantur. Et minor, in qua est difficultas, suadetur, quia talis actio; cum Deus per illam operans constituatur, debet esse formaliter immanens; sed omnis actio formaliter immanens, est formaliter actio intellectus, aut voluntatis in natura intellectuali: ergo nequit in Deo actio ab illis virtualiter distincta assignari, à quo vis executiua, à prædictis potentijs virtualiter distincta speciem desumat.

32 *Respondent M. Basilius.* Respondet Mag. Basilius sequutus Vazquez, negando maiorem: quod videlicet, actio, qua Deus constituitur operans, immanens esse debeat, sed potest esse formaliter transiens, & ita est de facto, vnde penes habitudinem ad illam, diuersa constituitur vis executiua ab alijs potentijs. *Reijcitur primo.* Verum hæc solutio in primis aduersatur expressè menti D. Thomæ *in tertio Sententiarum disp. 23. q. 3. art. 1.* *Secundo.* Deinde ratione sic euertitur primo: omni perfectioni formaliter existenti in Deo repugnat per aliquid creatum compleri, vt ex ipsis terminis constat; sed si Deus constitueretur formaliter agens per actionem creatam, eius executiua potentia, quæ formaliter existit in ipso, per aliquid creatum complementum acciperet; cum omnis actus primus per actum secundum, ad quem ordinatur, complementum accipiat, & ante illum incompletus supponatur: ergo nequit Deus constitui agens per actionem creatam formaliter transeuntem, & in passo receptam, vt præfata solutio contendit.

33 *Respond. Contra.* Si dicas; repugnare quidem diuinis perfectionibus per aliquid creatum compleri receptiuè, & tanquam potentia passiua, & intrinsecè non vero extrinsece, & purè eliciatiuè. In contrarium obijcio, quamuis agens creatum actione transeunti illam non recipiat in se, sed solum egrediatur ab ipso, quia tamen est actus secundus potentiarum illius, eius potentiæ ante talem actum imperfectæ, & incompletæ supponuntur: ergo pariter diuina potentia, imperfecta, & incompleta supponetur ante actionem creatam si per illam constituatur operans in actu secundo, quamuis non receptiuè, & intrinsecè, sed extrinsecè, & solum egressiuè.

34 *Deinde rejicitur principalis solutio.* Secundo impugnatur principalis solutio; actio, & potentia debent proportionari, vt animi communis conceptio fatetur: ergo potentiæ infinitæ, actio infinita debet correspondere; & consequenter per actionem creatam nequibit operans in actu secundo constitui. *Respondebis.* Respondebis, debere proportionari proportione habitudinis, & quantum ad hoc, quod eundem terminum respiciant, non autem proportione entitatiua; vnde non infertur debere infinitæ potentiæ actionem infinitam aptari.

35 *Contra.* Sed contra, intellectio, & volitio, cum suis potentijs, nedum proportionem habitudinis, sed etiam entitatiuam seruant: ergo omnis actio vtramque proportionem seruare debet. Consequentia videtur bona, & antecedens probo: pertinent ad idem genus cum suis potentijs, volitiui scilicet, & intellectiui: ergo seruant cum illis entitatiuam proportionem. *Respõdebis.* Si dicas, id in prædictis ideò euenire, quia sunt actiones immanentes. *Contra.* Obstat in contra; non minorem proportionem inter calefactionem, & calorem seruari, quam inter intellectum, & intellectionem; & tamen calefactio est actio formaliter transiens: ergo non minor proportio exigitur inter actionem transeuntem, & eius principium, quam inter immanentem, & suum.

36 *Tertio impugnatur principalis solutio.* Tertio contra principalem solutionem arguitur: Deus in quantum operans in actu secundo, est primum operans, & primum agens: ergo nequit per actionem creatam in ratione talis constitui. Antecedens est certum, & consequentiam ostendo sic primo; quia namque Deus, vt existens, est primum existens, nequit in ratione talis per existentiam creatam constitui: ergo pariter, nec in ratione primi agentis ad extra per creatam actionem poterit constitui. *Cõsequẽtia prob. primo.* *Secundo.* Secundo, primum agens debet per primam actionem constitui; sed actio creata nequit esse prima actio: ergo per illam nequit constitui. Illatio tenet, maior est certa, sicut certum est primum ens, & primum existens per primam entitatem, primamque existentiam constitui debere.

37 *Minor prob. 1.* Minor autem probatur: primo, quia actio creata non est prima, sed secunda entitas: ergo nequit esse prima, sed secunda actio. Patet consequentia; quia ratio actionis super entitatem fundatur: ergo sicut ob illam rationem ens secundum nequit esse prima causa, ob eandem entitas secunda non poterit esse prima actio. *Secundo.* Secundo, si entitas creata constitueret Deum in ratione primi agentis, primum agens formaliter, esset formaliter secundum ens; at hoc repugnat: ergo Deus non potest in ratione primi agentis per entitatem creatam constitui. Probo sequelam: concretum ex prima actione, & subiecto est formaliter primum agens, & hoc ipsum concretum reduplicata forma, erit formaliter secundum ens: ergo primum agens formaliter erit formaliter secundum ens. *Tertio prob. consequẽtia.* Tertio principalis consequentia probatur: de ratione primi agentis est independentia in agendo ab omni entitate creata; sed omne agens in agendo dependet à sua actione: ergo primo agenti repugnabit agere per creatam actionem.

38 *Confirmatur.* Et vrgetur hoc amplius, ex eo quod aliàs in agendo non magis creatura dependeret à Deo, quam Deus à creatura; consequens est absurdum: ergo & antecedens. Probo sequelam, quia in Vazquij sententia, creatura non pendet à Deo vt præmouente illam ad operandum, sed solum vt dante, & causante actionem, qua agit, & influente in eius effectum; sed etiam hoc modo in illa sententia, Deus à creatura pẽderet: ergo eodem modo. Probo minorẽ: Deus in sententia Auctorũ hac solutione vtentiũ, eadem actione constituitur operans, qua cõstituitur causa secũda; at causa secunda causat secũdã actionẽ: ergo causat actionẽ, qua Deus constituitur agens in actu secundo; aliàs influit in eius effectũ, etsi talis effectus vitalis sit, repugnat poni, absque concursu causæ secundæ: ergo Deus dependeret à causa secunda, vt à dante actionem, & in eius effectũ influente. Ex quo vlterius deberet concedi, causam secundam constituere causam primam actu operantem in genere causæ efficientis, quod est absurdum dictu. Patet sequela; Deus effectiuè constituit operantem creaturam, quia causat actionem, qua in actu secundo constituitur agens; sed creatura causat actionem, qua Deus constituitur agens in actu secundo: ergo dici debet, quod constituit in actu secundo Deum effectiuè agentem.

39 *Quarto rejicitur principalis solutio.* Quarto contra principalem solutionem insurgo; si propter aliquam rationem debet Deus agens constitui per

per actionem creatam, maximè quia aliàs deberet ab æterno agens, & producens denominari, quod est impossibile; cum ab æterno non existat effectus; at hæc ratio est nulla: ergo & id, quod in illa fundatur. Maior est certa; illa namque ratione vtitur Mag. Basilius, & communiter aduersarij non valentes percipere, quomodo actio quoad suam entitatem ab æterno possit existere, & non constituere Deum ab æterno operantem, & actu producentem creaturas. Minor vero probatur: si diuina voluntas ab æterno mansisset suspensa circa omnem actum liberum, non diceretur volens liberè ab æterno; & tamen tota entitas actus, quo liberè volens constituitur modo, ab æternò existeret in Deo, nisi vellint per actionem creatam liberè volentem constitui, quod nullus hucusque somniauit: ergo pariter poterit esse, quod actio, qua Deus operans ad extra constituitur sit de facto ab æterno; & tamen non constituat diuinam potentiam ab æterno de facto operantem ad extra.

40 *Confirmatur 1.* Confirmatur, & explicatur hoc primo, quamuis sit omninò repugnans, entitatem volitionis creatæ poni in voluntate, quin illam volentem denominet, non tamen repugnat, quod entitas volitionis liberæ diuinæ existat in diuina voluntate, & illam volentem non denominet: ergo pariter esto repugnet actionem productiuam creatam poni in subiecto, & illud non constituere de facto producens, id tamen in actione increata productiua ad extra non repugnabit. Tenet consequentia; quia illam repugnantiam, non aliunde possunt inferre, nisi ex eo quod in actione creaturæ eam inspiciunt. Et antecedens constat; tum in casu posito de suspensione diuinæ voluntatis, circa omnem actum liberum, quam multi, nec indocti, possibilem fuisse tuentur; tum etiam ex eo quod de facto contingit; entitas enim actus liberi, quo Deus constitueretur volens alterius mundi productionem, si illam voluisset, de facto est in Deo; & tamen de facto Deum non constituit volentem alterius mundi productionem: ergo assumptum antecedens est verum.

41 *Cōfirmatur 2.* Vrgetur, & explicatur secundo, quamuis sit intellectu difficile, impossibile tamen non iudicatur, quod potuerit ab æterno deficere à Deo denominatio libere volentis creaturas absque defectu alicuius entitatis diuinæ: ergo nec impossibile debet censeri, quod Deo in tempore possit aduenire denominatio producentis actu creaturas absque eo quod aliqua entitas adueniat de nouo; & consequenter ex eo quod ab æterno non sit Deus in actu secundo producens, non bene infertur ei deesse entitatem actionis, sed ad summum colligitur, quod defuerit denominatio actualiter producentis, quam posse non esse existente tota actionis entitate completa, constat in eodem exemplo insistendo.

42 *Respondebis 2. ad principale argum.* Si ad principale argumentum respondeatur secundo, eandemmet actionem diuersimode consideratam posse diuersis potentijs correspondere in Deo, vnde necessum non est ponere diuersas actiones virtualiter, sed intellectio vt immanens, intellectui, & eadem vt virtualiter transiens potest omnipotentiæ correspondere.

Contra 1. In contrarium obstat primo, quod in vniuersum multiplicantur actiones ad potentiarum multiplicitatem: ergo sicuti realis, aut formalis multiplicitas potentiarum, realem, vel formalem multiplicitatem actionum exposcit; ita similiter virtualis attributalis potentiarum distinctio virtualem actionum distinctionem desiderat.

Secundo. Secundo; quia iuxta solutionem eademmet diuina intellectio virtualiter indiuisa obtinet rationem intellectionis, & productionis: ergo à fortiori idemmet intellectus absque vlla virtuali attributali distinctione poterit obtinere rationem potentiæ intellectiuæ, & vis productiuæ, in qua formaliter omnipotentia consistit.

43 *Respondebis 3.* Si respondeatur tertio, actionem transeuntem, non constitui per hoc, quod ipsa formaliter transeat ad passum, sed per hoc quod transeat terminatiue; idest per hoc quod terminum in extrinseco passo producat, vt cum Caietano multi Thomistæ in 3. physicorum tuentur, & sic posse assignari in Deo actionem increatam formaliter transeuntem distinctam virtualiter ab actibus intellectus, & voluntatis, à qua omnipotentia specificationem recipiat, & ab alijs potentijs distinguatur.

Contra 1. Obstat in contra primo D. Thom. 2. *Contra Gentes cap. 23 ratione 4.* illis verbis: *Diuina actio non potest esse de genere illarum actionum, quæ non sunt in agente; cum sua actio sit sua substantia*: ergo sentit expresse, vel actionem transeuntem debere formaliter recipi in passo; vel dato, quod sufficiat terminatiue, recipi debere esse per ordinationem ad terminum in passo receptum, quorum neutrum potest actioni diuinæ competere. Patet consequentia; quia D. Thomas asserit diuinam actionem non esse de genere illarum actionum, quæ non sunt in agente: ergo sentit ei aliquid deesse ex requisitis ad actionem formaliter transeuntem: ergo vel quia deficit ei formalis receptio, quæ in sententia, quam veriorem reputo exigitur, vel ordinatio per se ad terminum ad extra productum, quo deficiente; cum id ad actionem transeuntem desideretur, non poterit esse formaliter transiens.

Secundo; quia dato quod actio transiens, formaliter talis non exposcat, nec in se ipsa ad passum transire, nec posse ordinari ad terminum productum, nulla est assignabilis ratio cur non possit in eadem formalitate absque virtuali distinctione adæquata cum actione immanente coincidere: ergo sic distincta constitui non debet; ac proinde, nec cum sufficienti discrimine ad diuersificandas potentias virtualiter adæquate. Respondebis, esse sufficientem rationem, quod in his inferioribus cum essentiali distinctione inueniuntur. Sed contra; practicum, & speculatiuum essentialiter in formis inferioribus distinguuntur, & in aliquorum sententia, actus liber à necessario essentialiter differt; & tamen in Deo inueniuntur vnita absque virtuali distinctione adæquata: ergo pariter transiens, & immanens, quamuis in inferioribus actionibus essentialem distinctionem obtineant, poterunt absque distinctione adæquata in eadem actione diuina adunari. 44 *Contra 2.* *Respondebis.* *Contra.*

§. IV.

Vlterior nostræ conclusionis probatio.

Qvarto principaliter conclusionem confirmo, vt potentiæ virtualiter distinguantur in Deo, debemus eis diuersa obiecta assignare; sed omnipotentiæ assignari non potest obiectum specificatiuum virtualiter ab obiecto voluntatis, & intellectus distinctum: ergo distinctio omnipotentiæ ab illis, possibilis non debet censeri. Respondebis primo, obiectum omnipotentiæ esse creaturas, intellectus autem, & voluntas diuina à vero, & bono diuino speciem desumunt; vnde iam assignantur eis obiecta diuersa. Sed contra, creaturæ, nec formaliter, nec virtualiter specificare possunt omnipotentiam diuinam: ergo solutio est falsa. Probo antecedens; & quidem de specificatione formali notum videtur; specificatiuum enim, si proprie, & formaliter tale sit, obtinet rationem causæ respectu specificati, omni autem perfectioni diuinæ ab aliquo creato, vt à vera, & reali causa dependere repugnat. Quod autem etiam virtualis specificatio non exerceatur, sic potest ostendi; tunc inter aliqua duo interuenit specificatio, vel dependentia virtualis, quando ita comparantur, quod si distinguerentur realiter formaliter, vnum ab alio realiter formaliter causaretur; at omnipotentia de facto distinguitur realiter à creaturis, & tamen de facto non dependet ab illis vt ab specificantibus: ergo creaturæ non specificant virtualiter diuinam omnipotentiam. 45 *Quarto probatur conclusio.* *Respondebis 1.* *Contra.*

Respondebis secundo; ipsam diuinam essentiam, quatenus est ratio factibilium, posse sufficienter obiectiue distinguere omnipotentiam ab intellectu, qui specificatur ab illa sub ratione veri, & à voluntate, quæ ab illa sub ratione boni suam specificationem desumit. Sed contra; diuina essentia, vel est ratio factibilium quatenus habet rationem finis vltimi, vel quatenus est omnium exemplar, & idæa; si primum dicatur, pertinet ad rationem boni, quæ est formale obiectum voluntatis diuinæ; si secundum asseratur, pertinet ad rationem veri practici, quæ sub obiecto intellectus continetur: ergo non assignatur ratio obiectiua sufficiens ad distinguendam omnipotentiam ab intellectu, & voluntate distinctione attributali adæquata. 46 *Respondebis 2.* *Contra.*

Confirmatur, & explicatur hoc: intellectus practicus diuinus in quantum talis respicit Dei essentiam in quantum est ratio faciendi creaturas, quæ contradictionem non implicant; & tamen non distinguitur attributaliter ab intellectu speculatiuo, illam respiciente sub ratione intelligibilis: ergo diuina essentia, vt est ratio obiectiua factibilium, sufficiens non est ad distinguendam attributaliter omnipotentiam ab intellectu. Consequentia cum minori constat, & maior probatur; intellectus dicitur practicus, quatenus extenditur, & quasi ordinatur ad opus: ergo intellectus diuinus in quantum practicus respicit essentiam diuinam, vt est ratio operandi, vel faciendi creaturas. 47 *Confirmatur.*

48 *Respondebis.* Respondebis; respicere diuinam essentiam vt est ratio faciendi, vel producendi creaturas *directiuè*, non verò prout est ratio illas *exequutiuè* producendi, sed isto modo ad omnipotentiam, quæ est vis exequutiua comparatur. *Contra.* Sed contra; essentia diuina vt est ratio obiectiua producendi creaturas obiectiue, non est sufficiens addistinguendum intellectum practicum ab speculatiuo, qui illam respicit, vt cognoscibilem, tamquam duo attributa: ergo pariter diuina essentia, vt est ratio producendi creaturas exequutiue, distinguere non poterit obiectiue omnipotentiam ab intellectu practico, qui ad illam comparatur, vt est ratio producendi creaturas regulatiue. Antecedens suppono, & probo consequentiam; quia non magis distat diuina essentia, vt est ratio exequendi à se ipsa, vt est ratio regulandi productionem creaturarum, quam ipsa vt est ratio regulandi, à se ipsa vt est ratio cognoscendi: ergo si essentia vt est ratio regulandi non est obiectiue distincta à se ipsa, vt ratio cognoscendi sufficienter ad multiplicanda attributa; pariter etiam essentia vt ratio producendi, & vt ratio regulandi nequibit diuersa specificare attributa.

49 *Confirmatur.* Confirmatur, & vrgetur amplius; in essentia considerata obiectiue inueniuntur ratio veri, & boni, quæ attributaliter distinguuntur, & idcirco obiectiue deriuant in intellectum, & voluntatem, attributalem etiam distinctionem; at diuina essentia vt est obiectiue ratio faciendi, non distinguitur à se ipsa, vt est idæa, seu ratio dirigens obiectiue distinctione attributali adæquata, nec quis vnquam talem distinctionem agnouit: ergo nec in potentias directiuam, scilicet, & exequutiuam, distinctionem adæquatam attributalem, poterunt deriuare. Et quidem si obiectiue dirigere, & esse rationem obiectiuam exequendi, non multiplicat in Deo attributa, cur dirigere, & exequi ad diuersa attributa debet spectare?

50 *Respondebis 3.* Tertio respondebis; omnipotentiam specificari, vel à creaturis vt non repugnantibus, vel à diuina essentia vt non repugnante, & vt est ratio attingendi non repugnantes creaturas; quam doctrinam videtur tradere M. Basilius loco *vbi supra*. *Contra 1.* Sed contra primo; quia in primis à creaturis vt non repugnantibus specificationem omnipotentiæ desumi non posse, constat ex impugnatione *Secundo.* primæ solutionis. Deinde, non repugnantia diuinæ essentiæ, illam specificare non potest; quia obiectum formale omnipotentiæ per quid possitiuum debet constitui, & non per negationem. *Respondebis.* Dices, possitiuum, quo constituitur esse ipsam rationem entis, quæ est quid di- *Contra 1.* stinctum à ratione veri, & boni specificantibus voluntatem, & intellectum. Sed contra primo, specificatiuum intellectus est quidditas sub ratione quidditatis, veritate ingrediente tanquam cognitione: ergo per rationem entitatis, nequit constitui obiectum omnipotentiæ ab alijs distinctum.

51 *Secundo.* Secundo; quia vt M. Basilius fatetur, prius intelliguntur cum fundamentum in re diuina natura intellectus, & voluntas, quam omnipotentia; sed si ita speciem desumeret ab ente sub ratione entitatis non repugnantis, prior esset omnipotentia: ergo ista solutio cum illius doctrina nequit subsistere. Consequentia tenet: maior est doctrina expressa prædicti Magistri. Et minorem sic probo; quia potentiæ seruant inter se eundem ordinem prioritatis, quem illarum rationes obiectiuæ, ideoque intellectus præcedit voluntatem, quia ratio veri, seu entis specificatiua intellectus prior est ratione boni voluntatem specificante; at entitas sub conceptu entitatis non repugnantis est prior rationibus veri, & boni: ergo si ab illa specificatur omnipotentia, erit prior voluntate, & intellectu. Consequentia tenet. Maior constat, & minor omnibus nota videtur; quia verum, & bonum sunt passiones entis: ergo subsequuntur ad rationem entis. Et insuper suadetur ad hominem; ideò M. Basilius asseruit, intellectum, & voluntatem debere omnipotentiam præire; quia prius debet aliquid intelligi constitutum in se, quam in ordine ad alia; at conceptus entitatis non repugnantis, est conceptus absolutus, & ad se, ratio autem veri, & boni ordinant, vel connectunt entitatem cum intellectu, & voluntate: ergo ratio entis vt non repugnantis est prior vero, & bono intellectum, & voluntatem specificantibus.

52 *Vltimo probatur conclusio.* Denique principaliter nostram conclusionem ostendo; si omnipotentia deberet ab intellectu, & voluntate distingui, maximè quia respondent intellectui, voluntati, & potentiæ productiuæ creatis essentialiter inter se distinctis, ex quo intellectus noster fundamentum desumit ad distinguenda attributa diuina distinctione rationis, vel quia conceptus omnipotentiæ explicitus nobis non offert explicitum voluntatis, aut intellectus conceptum; sed neutra ex his rationibus est alicuius roboris: ergo. Consequentia tenet. Maior adducit duo ex præcipuis fundamentis prædicti Magistri, & minorem ostendo; scientia practica, & speculatiua in creatis realiter essentialiter distinguuntur, similiter species, & intellectus, & tamen iuxta multorum sententiam satis probabilem, non distinguuntur attributaliter in Deo: ergo illud fundamentum non subsistit.

Si dicas, in aliquibus creaturis prædicta inueniri indistincta, vt in nostra Theologia, & scientia Angelorum practicum, & speculatiuum formaliter identificata inueniuntur, & in Angelo ratio speciei, & naturæ, vel intellectus. Illud autem debet intelligi, quando in omnibus creaturis essentialiter realiter distinguuntur. 53 *Respondebis.* Obstat in contrarium primo, quia vt superius arguebam, etiam ratio potentiæ executiuæ motus in Angelis identificata inuenitur, cum intellectu, vel voluntate: ergo solutio ruit. *Contra 1.* Secundo, & vrgentius; ratio actionis, personalitatis, & relationis prædicamentalis in omnibus creaturis essentialiter distinguuntur, nec in vlla identificata inueniuntur, saltim identificatione formali; & tamen in Patre diuino relatio Paternitatis, personalitatis, & generatio actiua in eadem formalitate identificata inueniuntur: *Secundo.* ergo adhuc cum limitatione assignata prædictum fundamentum euertitur. Minorem sic probo, tum quia communiter contra Scotum defenditur, diuinas personas relationibus prædicamentalibus constitui; ac proinde relatio est formalissime personalitas, alias si in sensu identico dicta constitutio deberet intelligi, nihil contra Scotum defenderetur. *Minor probatur primo.*

54 *Secundo.* Secundo ex communi axiomate asserente, in diuinis omnia esse communia, nisi quæ relationem formaliter important; at personalitas, relatio Paternitatis, & generatio actiua communia non sunt: ergo formaliter pertinent ad lineam relationis; non autem datur in Patre æterno triplex relatio adæquate distincta: ergo prædicta tria adæquate non distinguuntur. Ex quo etiam secundum fundamentum euertitur, Paternitas namque quatenus relatio est non explicat personalitatem, nec generationem actiuam, neque è contra; & tamen non distinguuntur adæquate: ergo quod omnipotentiæ conceptus explicitus, non dicat explicite intellectum, & voluntatem, non recte infert distinctionem virtualem adæquatam, inter illa versari.

V.

Explicatur in quo ex diuinis attributis consistat.

55 *Tertia conclusio.* TERTIA CONCLVSIO. *Omnipotentia non consistit formaliter in voluntate, & intellectu adæquate, & ex æquo, nec in voluntate, sed in intellectu, non prout dicit actum secundum, sed in actu primo considerata.* Prima pars huius conclusionis probatur: vis exequutiua est simplex attributum in Deo: ergo ex voluntate, & intellectu ex æquo concurrentibus nequit constari. *Prima pars probatur.* Consequentia tenet, & antecedens constare videtur; tum, quia vis appetitiua est simplex attributum, & etiam vis intellectiua: ergo etiam vis exequutiua in vno simplici attributo consistit. Tum etiam, quia in nobis quamuis ad exequendum artificiatum aliquod plures potentiæ suo modo concurrant, vis tamen, quæ eliciriuè, seu exequutiue concurrit, est vnica, & simplex potentia ex pluribus non conflata: ergo pariter in Deo in simplici attributo debet consistere. Tum denique quia actio quæ est actualis productio, seu exequutio, est vna simplex actio, non ex actu intellectus, & voluntatis ex æquo conflata: ergo pariter vis exequutiua vnicum simplex attributum erit. Consequentia tenet, & antecedens omnibus constat, vnius namque termini numquam datur duplex productio, aut causa, sed vnica tantum, sicut productio passiua.

56 *Secunda pars conclusionis suadetur ex D.Th.* Secunda pars conclusionis videtur à D. Thoma tradita *opusc. 11. art. 3.* vbi loquens de Angelis, hæc habet verba: *Non enim possunt mouere aliquod corpus per contactum quantitatis, cum sint incorporei, sed per contactum virtutis.*

tutis. Nihil autem in Angelis alius, quam eorum intellectus, & ipsi à Dionysio intellectus, vel mentes nominentur; vnde eorum motiones à virtute intellectus procedunt. Ipsa autem conceptio intellectus secundum quod habet efficaciam aliquid transmutandi, imperium nominatur: vnde si mouent, nullo modo nisi per imperium mouere possunt. Vbi quamuis Doctor Angelicus de Angelis sermonem instituat; quia tamen de virtute Dei motiua, seu productiua ad extra, omnes eodem modo, atque de virtute Angelorum loco motiua loquantur, id ipsum de vi exequutiua diuina statuitur. Et eandem doctrinam insinuat D.Thomas *quodlib.6.art* 1.

57 Et probatur ratione D Thomæ, Deus non agit ad extra per contactum quantitatis, sed per contactum virtutis: ergo debet agere per virtutem, & potentiam perfectiorem. Tenet consequentia, quia nulla ratio poterit assignari, cur non per illam, sed per minus perfectam agere debeat; at intellectus in nobis realiter voluntatem in perfectione excedit, & virtualiter in Deo, vt multis in locis docet D. Thomas: ergo per intellectum & non per voluntatem agit ad extra tanquam per principium exequutiuum. Et confirmatur hoc, vis proxime productiua debet continere creaturas tanquam principium proximum productiuum illarum; at ista continentia melius intellectui, quam voluntati adaptatur: ergo intellectus obtinet rationem principij proximi productiui. Consequentia tenet, & minor probatur: tum, quia huiusmodi continentia maximam perfectionem præsefert: ergo perfectissimo attributo, qualis est intellectus melius accommodatur: tum etiam, quia proprium est intellectui formas aliarum rerum in se continere.

Secundo prob. ratione D. Thom.

Confirmatur.

58 Si dicas, hoc esse verum de continentia intellectuali, non vero de continentia entitatiua: obstat in contrarium, ex hac rectè colligi magis proportionatum esse ad continentiam entitatiuam, intellectum, quam voluntas; si namque proprium est intellectus formas aliarum rerum intellectualiter in se continere; voluntas autem illas in se non continet, sed fertur in illas, magis proportionatur intellectus cum continentia virtuali earundem rerum in esse entitatiuo, quam voluntas, quæ ex proprio conceptu, & modo operandi suum obiectum in se non continet, sed in illud fertur. Explicatur hoc amplius, potentia exequutiua Dei supposito, vt probabi, quod non sit ab intellectu, & voluntate distincta, debet habere operationem formaliter immanentem respectu sui obiecti, & virtualiter transeuntem respectu termini per ipsam producendi, quem vt producat debet virtualiter præcontinere; at hæc termini producendi præcontinentia aplius coniungitur, & magis proportionatur cum potentia præcontinenti, obiectum, quam cum illa, quæ obiectum non continet, sed fertur in illud: ergo debet intellectui attribui, qui ex propria ratione habet proprium obiectum intellectualiter in se continere, quam voluntati, quæ suum obiectum in se non continet, sed in illud propendit.

Respondebis.

Contra.

Confirmatur.

59 Tertiam denique partem contra Gabrielem Vazquez in hunc modum ostendo primo; omnipotentia est vis productiua creaturarum per modum potentiæ; at quamuis demus actum intellectus vt principium ad creaturarum productionem concurrere, non tamen concurrit per modum potentiæ; cum obtineat essentialiter rationem actus: ergo in illo nequit attributum omnipotentiæ consistere, sed in intellectu considerato per modum potentiæ. Confirmatur primo; etiam si actus intellectus concurrat ad actu voluntatis, in sententia aliquorum in genere causæ efficientis, non tamen saluatur in illo vis volitiua per modum potentiæ: ergo etiam si demus actus intellectus vt principium effectiuum ad creaturarum productionem concurrere, non consistet in illo vis exequutiua per modum potentiæ, in qua ratio omnipotentiæ consistit. Confirmatur, & vrgetur secundo; etsi intellectio ad Verbi diuini productionem concurrat ex parte principij, non tamen obtinet rationem potentiæ generatiuæ Patris, sed in intellectu considerato per modum potentiæ consistit: ergo pariter in nostro proposito, esto admittamus actum scientiæ simplicis intelligentiæ, vt principium creaturarum effectiue concurrere, non tamen colligitur inde omnipotentiam in illo consistere; quia hoc non habet per modum potentiæ.

Tertia pars probatur 1.

Confirmatur 1.

Confirmatur 2.

60 Secundo probatur, & explicantur amplius prædicta impugnando rationem, qua vtitur Auctor prædictus, inde namque probat omnipotentiam consistere in actu scientiæ simplicis intelligentiæ, quia debet consistere in principio proximo; proximum autem creaturarum principium non est intellectus, sed actualis notitia simplexiat hæc ratio est nulla; ergo & eius sententia. Probo minorem primo, intellectus non concurrit ad assensum conclusionum, nisi medio assensu præmissarum effectiue concurrente, nec voluntas ad electionem, nisi media intentione finis, vt communiter tuentur Thomistæ; & tamen, nec in assensu præmissarum ratio intellectus proxime discursiui, nec in intentione finis ratio voluntatis proxime electiuæ consistit: ergo ex eo quod intellectus diuinus non nisi media scientia actuali simplicis notitiæ ad creaturarum productionem effectiuæ concurrat, non bene colligitur in scientia prædicta debere consistere omnipotentiam proximè productiuam. Secundo probatur eadem minor ad hominem contra prædictum Auctorem; ipse namque contra Molinam docet, omnipotentiam ex parte voluntatis non consistere in actu libero sed in illa prout in actu primo; & tamen proximius concurrit actus liber ad creaturarum productionem, quam diuina voluntas: ergo ex eo quod scientia actualis simplicis notitiæ proximius concurrat quam intellectus non bene infertur debere in illa omnipotentiam consistere.

Secundo probatur.

Minor prob. 1.

Secundo.

61 Respondet Vazquez, disparitatem maximam esse; actus namque liber diuinæ voluntatis potest deficere, quoad denominationem; actus vero simplicis intelligentiæ, est omnino necessarius; omnipotentia autem cum sit perfectio necessaria in Deo, non potest in aliquo, quod deficere possit consistere; & idcirco in actu libero constituenda non est. Cæterum hæc solutio vim argumenti non euacuat, fateor omnipotentiam in aliquo libero non posse consistere, sed ex hoc argumentum desumo: ergo non debet in eo, quod proximus concurrit consistere, cum actus liber proximius, quam voluntas concurrat, in quo tamen ab ipso vis executiua non ponitur. Vlterius sic procedo: ergo ex eo quod actus scientiæ simplicis intelligentiæ proximius, quam intellectus diuinus ad creaturarum productionem concurrat, rectè colligitur debere omnipotentiam consistere in illa, & sic illius fundamentum euertitur.

Reijcitur hæc solutio.

§. Vltimus.

Scientia executiuè concurrit.

62 VLTIMA CONCLVSIO. *Actualis productio, seu executio creaturarum, est formaliter actus scientiæ diuinæ; vnde etiam executiuè concurrit.* Probatur, actualis productio non est actus formaliter receptus in creaturis productis, vt probaui, nec actus voluntatis, vt habetur ex dictis: ergo est formaliter actus intellectus, non luminis principiorum, quod erga Deum versatur nec prudentiæ, quæ versatur erga agibilia: ergo est actus artis; sed ars à scientia practica nullatenus differt, vt in artifice creato conspicitur: ergo est formaliter actus scientiæ practicæ Dei Dices, istum actum, quo creaturæ producuntur a Deo esse actum imperij; sed imperium est actus prouidentiæ: ergo actualis productio creaturarum, est actus prudentiæ, & non artis. Probatur minor; prædestinatio in imperio consistens, est pars prouidentiæ, prouidentia est pars prudentiæ: ergo imperium est actus prudentiæ.

Vltima conclusio.

Probatur.

Dices.

Respondeo, quod imperium erga agibilia est pars prouidentiæ, imperium vero erga factibilia est actus artis; & quia actualis creaturarum productio erga factibilia versatur, idcirco est actus artis. Ex quibus infero, quod qui artem à scientia practica Dei attributaliter distinguunt, non possunt saluare scientiam Dei esse, quæ obtinet rationem potentiæ executiuæ, seu actualis executionis.

Respond.

63 Argumenta omnia, quæ contra istas conclusiones opponunt contrarij Auctores, ex dictis inter illas probandas manent soluta. Contra secundam arguit Basilius primo: ex quod omnipotentia non dicit explicitè idem, quod intellectus: ergo distinguuntur attributaliter. Concesso antecedenti, nego consequentiam, cuius ratio, & instantia *supra* est adducta.

Contra 2. conclusionẽ arg. 1.

Respond.

Arguit secundo, ex eo quod correspondent diuersis potentijs realiter in creatis: ergo attributaliter distinguuntur. Concesso etiam antecedenti, nego consequentiam; quia illud non est adæquata, sufficiens ratio distinctionis attributorum, vt *supra* ostendimus. Arguit tertio; omnipotentia respicit factibile, intellectus, verum; at ista sunt obiecta distincta: ergo specificant distinctas

Arg. 2.

Respond.

Arg. 3.

Reſpond. ctas potentias. Reſpondeo ex dictis, diſtinctionem illam eſſe materialem, & inſufficientem ad varianda virtualiter adæquatè attributa; quia ratio factibilis, & veri practici in vna ratione adæquata conueniunt, vt *ſupra* monſtrauimus.

64 *Arg. 4.* Arguit quarto; omnipotentiæ, & intellectui correſpondent actiones diſtinctæ: ergo ſunt potentiæ attributaliter diſtinctæ. Tenet conſequentia. Et antecedens probat: actio intellectus, eſt formaliter immanens; actio omnipotentiæ eſt formaliter tranſiens, & in creaturis recepta: quod probat; quia aliàs actio, qua Deus producit creaturas, eſſet ab æterno; ſed nequit ab æterno eſſe: ergo eſt formaliter tranſiens. Probatur minor: actio nequit ſine termino exiſtere; ſed creaturæ non ſunt ab æterno: ergo neque actio productiua illarum poteſt ab æterno eſſe.

Reſpondeo ex dictis, diſtinguendo hoc vltimum conſequens: nequit hæc actio ab æterno exiſtere, quoad terminationem ad creaturas, concedo conſequentiam: quoad entitatem, nego conſequentiam. Itaque actio illa, quoad terminationem nequit ſine termino exiſtere; quoad entitatem vero optimè ſtat ab æterno ſine termini coæternitate exiſtere. Pro cuius luce videantur, quæ à Thomiſtis docentur 1. *part. quæſt.* 19. agendo de actu libero Dei Cætera argumenta, quæ contra alias concluſiones militare poſſunt, ex dictis ſoluta manent. Et hæc de iſta Diſputatione, & Tractatu. 65 *Reſpond.*

Hæc etiam de Primo Tomo in Primam Partem dicta ſufficiant, Eccleſiæ correctioni ſubiecta, in laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Virginis Matris, Petri Apoſtolorum Principis, Petri Oxomenſis Noſtræ Eccleſiæ Reparatoris Egregij, Parentum Auguſtini, & Dominici, & Thomæ Doctoris Angelici, cui ſi quid diſſonum inveniatur aſſertum, libenti animo retractamus, & omnia à Nobis dicta Sapientium emendationi ſubijcimus.

F I N I S.

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc Primo Tomo in Primam Partem D. Thomæ continentur,

D. *vel* Disp. *Disputationem*. N. *vel* Num. *Numerum marginalem designat*.

AXIOMA

Deus

Ad

D

DECRETVM DEI.

DEMONSTRATIO.

DEPENDENTIA.

DEVS.

Vide *Natura diuina*, *& ſcientia Dei.*

Deus

Ad

Impli-

Theo-

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC PRIMO TOMO IN PRIMAM PARTEM DIVI THOMÆ EXPLICANTVR.

D. *vel* Disp. *Disputationem* N. *vel* Num. *Numerum marginalem denotat.*

Ex

Ex Ioanne.

Ex Epistola ad Romanos.

Ex Epistola prima ad Corinthios.

Ex Epistola ad Philippenses.

Ex prima ad Timotheum.

Ex Epistola ad Hebræos.

Ex Epistola Ioannis Apostoli.

F I N I S.

Reimprimatur

Fr. Io: Thomas Rouetta Inquisitor Generalis Venetiarum.

SERIES CARTHARVM
HVIVS TOMI.

* ** *** ****

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh.

Omnes sunt Terniones, præter **** Duerniones;

Et habet 104.